C 7/45

R24771

R. L. 35. 40.

Ex Libris Biblio: Collegii Reg
Medicor: Edinburg:

# MEDICINAE PRAXEOS

# SYSTEMA,

EX

ACADEMIAE EDINBURGENAE

DISPUTATIONIBUS INAUGURALIBUS

PRAECIPUE DEPROMPTUM,

R. C.

ET SECUNDUM

NATURAE ORDINEM

DIGESTUM.

---

CURANTE CAROLO WEBSTER, M. D.
VALETUDINARII PUB. EDIN. MED. ALTER.
E COLL. REG. MED. ET SOCIET. REG. MED. EDIN.
HUJUSQUE AD ACTA EDENDA A SECRETIS.

---

TOMUS PRIMUS.

---

VENALIA PROSTANT—EDINBURGI, APUD GULIELMUM GORDON ET ROBERTUM MURRAY;—LONDINI, APUD CAROLUM DILLY, NEC NON RICHARDSON ET URQUHART, BIBLIOPOLAS.

MDCCLXXX.

For the Library of the Royal
College of Physicians Edin
burgh.

ANDREAE DUNCAN, M.D. ET P.

DILIGENTIAE, INGENII, VIRTUTIS

REVERENTIA,

OFFICIORUM COLLATORUM

SENSU,

CONSUETUDINIS JUCUNDISSIMAE

OBLECTATIONE,

ADDUCTUS,

HOC SYSTEMA

D. D. C. Q.

CAROLUS WEBSTER.

# PROOEMIUM.

ANTE Hippocratem medicina superstitione et ignorantia involuta videtur. Hunc annos trecentos et quinquaginta medicinae patrem, litibus *Dogmaticorum* et *Empiricorum* invalescentibus, artis medicae professores suspexerunt.

Dein Asclepiades, theorias ab opinionibus Epicuri quam minime alienas fingens, rationem medendi suam mollitiei luxuriaeque Romanorum accommodavit. Cujus tamen opiniones, quanquam Aretaeus Cappadox et Cornelius Celsus auctoritatem Hippocratis tueri conati sunt, ad secundum post Christum seculum usque invaluerunt.

Hoc tempore Galenus floruit. Quae is tradidit, ea, saltem apud Arabes, a quibus solis medicina, per sequentia secula barbara, culta videtur, manserunt.

Huic admodum violenter Paracelsus se opposuit, qui medicamenta chemica potentissima, circa medium seculum decimum sextum, in medicinam invexit.

Verum enimvero, nisi centum ex hoc tempore annis elapsis, Aristoteles et Galenus Verulamio et Harveio non ex toto cesserunt. Medicina indies magis magisque excoli pergente, Sydenhamus sagacissimus, species, quas natura prae se fert, diversas, attente considerando, et memoriae fideliter tradendo, Hippocratem imitans, opus egregium conflavit. Cujus viam medendi, nulla fere ex parte, progressus ille mirandus, in aliis scientiae, cum medicina conjunctae, partibus, factus, huc usque mutavit.

Quantum Stahlio propter historias morborum accuratissimas, Boerhaavio ob omnia in scriptis antiquioribus utilia cum acerrimo judicio, in suo systemate condendo, selecta, item Hoffmanno pathologiae ubique fere novatae, saltem errorum detectorum causa, debeamus, neminem latere potest.

Nullum vero tempus praesente magis libertas cogitandi audax, haud ullis auctoritatis vinclis cohibenda, aequatusque quasi scientiae ordo, nobilitarunt. A quo disquirendi ardore laudabili messis fructuum medicorum copiosa

copiosa et laeta prospicienda. Hujus studii et aemulationis nusquam, quam Edinburgi, documenta evidentiora data. Quam rem ita se habere, specimen in hoc opere editum quodammodo testabitur, et vix excusatione egebit.

Nam sive occasiones notitiam medicinae acquirendi hoc in loco studiosis singulares praebitae reputentur, sive praeterea unicuique triennium in studio artis Hippocraticae consumendum, multos multo diutius, antequam ad summos honores evehantur, sponte permanere, omnem disputationem in aliqua societate publica excuti solere, plerumque alicujus doctoris periti patrocinio et auxilio commendari, semper prius a professoribus, quam edatur, perlegi, et pro meritorum candidati famaeque futurae pignore haberi, consideretur, haud parvi momenti hujus operis materia videri debebit. Quod etiam alia commoda habet. Sic egregiae disputationes, quae alioquin loco natali circumscriberentur, longius latiusque diffundentur, et ingenio laboribusque candidatorum, qui praecesserint, oblivioni, quantum fieri potest, ereptis, futuri ad curam excellendi et desiderium excitabuntur. Ob quas causas licet consilium operis nullis forsitan excusationibus egeat, modus tamen, quo ex parte peractum est, aliqua egere potest.

Hactenus is medicinae status est, ut nulla morbos in ordinem redigendi ratio scrupulis careat. Numerus morborum non tantus videtur, quanto divisionibus multis opus sit. Ea ratio optima et naturae convenientissima judicanda, quae morbos conjungit, qui inter se causis remotis et curatione plurimum affines sint. Ex his enim solis fere de ancipiti symptomatum et morbi natura conjici potest. Hinc causa satis gravis, cur ordines tales, quales sunt Haemorrhagici, Inflammatorii, stricte Febriles, Nervosi, Hydropici, instituantur. Quorum singulorum morbi, causis remotis saltem et curatione, quatenus haec nota, quam quorumlibet aliorum ordinum, inter se similiores.

Utcunque ambigua symptomata, utcunque incertae

theoriae

theoriae fuerint, medendi tamen ratio per primos duos ordines in regimine antiphlogiſtico et evacuatione, pro morbi cujuſque gravitate, praecipue conſiſtit; dum ſtimulantia, tonica, aliaque hujuſmodi, praecipuam curationis partem in omnibus fere reliquis conſtant: Quippe enim in his evacuationes, propter quaedam tantum ſigna, ut inflammationi, duritiei alvi, accumulationi humorum, &c. occurrendi cauſa, adhibentur.

In hac diviſione generali, quantumvis grata, ſinguli tamen ordines aliquid ſibi proprium vindicant. In qua proprietate, adfectus haemorrhagicos, quin et inflammatorios, ad eum ſtatum, progredientes, proclives eſſe, ut rationes medendi, ſynochi in febrilibus more, quodammodo contrarias deſiderent, etiam recordandum. Porro in Nervoſis, aſthma, hyſteria, epilepſia, paralyſis, apoplexia, et mania, in duabus corporis conditionibus diverſis, aut his ſaltem permiſtis, conſtant, adeo ut curationes aeque diverſas et permiſtas quaſi exigant. Hi ſcrupuli omni ſyſtemati communes in opere hujuſmodi vitari non poterant.

Exanthemata cum inflammatione typhove duos in ordines dividi poſſent; ſed ipſa inter et, queis includuntur, ordines, tantum affinitatis intercedit, ut illud non neceſſarium duxerim.

Quas diſputationes, cum plures ex aequo fere bonae ſuper eodem argumento editae eſſent, potiſſimum deligerem ſaepe multum dubitavi. Delectas demum, prout res poſtulare videbatur, mutavi, auxi, in epitomen redegi, et annotationes aliquando ſubjeci. Et cum diſputationes ſuper quibuſdam morbis reperiri non poſſent, eas aliunde ſupplere conatus ſum.

Multa repetita, multa parum accurata eſſe, vix dubito, quae, negotiis minime negligendis diſtentus, praecavere non valui. Sed haec in proximo volumine, quod brevi edetur, et opus ad finem perducet, corrigenda curabo. Praeterea indicem adjiciam, et huic ſelectioni, nam nullum ſyſtema ſelectio non eſt, tantum unitatis, quantum potuero, comparare conabor.

ELEN-

# ELENCHUS.

## ORDO PRIMUS.

### MORBI HAEMORRHAGICI.


| | Pag. |
|---|---|
| De Plethora, | 1 |
| De Haemorrhagiis, | 20 |
| De Administratione Antiphlogistica, | 38 |
| De Epistaxi, | 49 |
| De Haemoptoe, | 51 |
| De Haemorrhoide, | 61 |
| De Menorrhagia in non gravidis nec puerperis, | 73 |


## ORDO SECUNDUS.

### MORBI INFLAMMATORII.


| | |
|---|---|
| De Phlegmasiis, vel Inflammatione, | 85 |
| De Cynanche Tonsillari, | 99 |
| De Cynanche Tracheali, | 121 |
| De Ophthalmia, | 137 |
| De Phrenitide, | 151 |
| De Pneumonia, | 157 |
| De Gastritide, | 182 |
| De Enteritide, | 195 |
| De Hepatitide, | 208 |
| De Nephritide, | 226 |
| De Hysteritide, | 237 |
| De Rheumatismo Acuto, | 241 |
| De Erysipelate, | 254 |
| De Variola, | 271 |
| De Variolae Insitione, | 286 |
| Varicella, | 300 |
| De Rubeola, | 300 |
| De Scarlatina, | 311 |
| De Catarrho, | 312 |
| De Phthisi Pulmonali, | 323 |
| De Gonorrhoea Virulenta, | 339 |
| De Synocha vel Febre Inflammatoria, | 350 |

## ORDO TERTIUS.

### MORBI FEBRILES.


| | Pag. |
|---|---|
| De Febribus Intermittentibus, - - | 352 |
| De Typho, vel Febre Nervosa, - - - | 374 |
| De Febre Flava Indiae Occidentalis, - | 401 |
| De Febre Maligna Edinb. anno 1779, - - | 415 |
| Cautelae de Venaesectione in Febribus Continuis, | 425 |
| De Peste, - - - - | 436 |
| De Cynanche Gangraenosa, - - | 466 |
| De Dysenteria Contagiosa, - - - | 476 |
| De Febre Miliari, - - - | 491 |
| De Urticaria, Pemphigo, et Aphtha, - - | 496 |
| Addenda, - - - - | 497 |


---

### CORRIGENDA.

Tom. 1. p. 1. l. 4. a fine, pro *gaudentem* lege *gaudens.*
p. 295. l. 7. a fine, dele *jam relati.*
p. 316. l. 5. a fine, pro *sibi* lege *illi.*
p. 350. l. 4. a fine, pro *occupant* lege *occupat.*
Ibid. l. 15. a fine, pro *arent* lege *aridae.*
Tom. 2. p. 167. l. 5. a fine, pro *dubitatis* lege *dubitatio.*

# MEDICINAE PRAXEOS SYSTEMA.

## ORDO PRIMUS,

## MORBI HAEMORRHAGICI.

### DE PLETHORA.

*AUCTORE B. COGHLAN.*

INTER causas morborum prædisponentes, polychymiam, aut succorum in corpore molem inconsuetam, sanitati minime accommodatam, recensuerunt antiqui; quam in euchymam seu fluidorum bonorum, et cacochymam, aut male moratorum, talem proportionem, qualem simul integra cum valetudine ferri non posse, divisérunt *. Ex iis nonnulli illam plethoram, hanc cacochymiam, nominavere.

In plethoram ad vires, et ad vasa, résolvebatur euchyma. Una in vasis tantam coacervationem, quantam cordis arteriarumque vires conjunctæ facile movere non potuerunt, cui junguntur systematis lassitudo, torpor, ejusque magna functionum oppressio; altera talem fluidorum massam, qualem sine ruptura plus ferre recusent vasa, citra vero munerum animallium perturbationem notabilem, voluerunt †. Hæc temperamentis, quibus acciderit, ulterius distinguebatur. Si in laxum, tenerum, ac mollem, seu corporis habitum sanguineum, incideret, ubi, ob partium delicatulam texturam, nulla, saltem parva, globulorum rubrorum ingressui datur oppugnatio; exinde cutis nitida, polita, ac rubicundulo colore suffusa, tunc neotericorum plethora ad habitum: si autem in temperamentum melancholicum fibra rigida gaudentem, ubi e contrario, ob cutis cæterarumque partium repugnantiam, coarctus est in aliis minus obsistentibus locis sanguis, unde venæ tumidæ, eminentes, tum eorum ad venas enascitur plethora ‡.

* Junck. tab. 2. Gaub. § 387. † Gaub. § 388. 391. ‡ Gaub. § 388.

Hiſce admodum ſunt affines duæ aliæ ſpecies, quæ vitæ periodis partibuſque ſyſtematis ſanguiferi affectis ſtipantur.

In ætate infantili et juventute, quod arteriæ quam venæ ſoliditate minore ac denſitate polleant, teſtes ſunt Wintringham jun. ac Robinſon experimenta; unde fit in illis quam in his inſignior fluidorum accumulatio. Progrediente vero vita, ſeu occidente, majorem proportionaliter firmitatem, forſan ex eo quod cordis inſultibus directius objiciuntur, aſſecutæ ſunt arteriæ, nunc venas diſtributionem imparem recipere invicem cogunt. Unde ſuperpondii in diverſis hujuſce ſyſtematis partibus, diverſis vitæ gradibus, alternatio. Inennte ætate arteriæ, ingraveſcente vero venæ, plethora laborant; quod ex hæmorrhagiarum phænomenis, quæ in adoleſcentulis ab arteriis, in ſenilibus e venis, maxime profluunt; itemque ex colore cutis florido, veniſque depreſſis in illis, oppoſitis vero in his, fuſe ac clare comprobatur. Ex dictis quoque, cur frequentiſſime ad habitum juventuti plethora, et fenectuti ad venas, fere ſemper occurreret; cur itidem iſta, cui initio ad habitum impingitur nomen, poſtea, in vitæ progreſſu, in plethoram ad venas evaderet, liquido patebit.

Reſtant adhuc duæ alteræ ſpecies, ſcil. Plethora ad ſpatium, quæ et Reſpectiva vocatur; ubi ſanguis, nec mole nec volumine adauctus, vaſorum nihilominus capacitati male convenit, propter luminis eorum a variis cauſis imminutionem; ſicut paroxyſmi febrilis acceſſione, magna ac frigoris diuturna applicatione, aliiſque, conſtrictionem inducendo, ſuas vires exercentibus; et apparens, ſive ad volumen dicta, ubi, e contrario, fluidorum moles, a calore externe applicato, exercitio vehemente, repentina atmoſphæræ ponderis elevatione, &c. dum canalium amplitudo forſan in eodem ſtatu durat, ſaltemve tali in proportione non augetur, ſubito adaucta eſt *. Hæc inter medicos diſtinctio magni habeatur momenti; etenim ex ea pendet quid per diatheſin phlogiſticam, in auctorum ſcriptis tam celebrem, intelligendum, quæ tonum auctum, ſeu vaſorum in ſanguinem contrahendi proclivitatem, actionemque, majores denotat. Hæ ſunt plurimæ certe plethoræ ſpecies præcipue ſpectandæ, quæ, quippe in auctorum ſcriptis tam ſæpe occurrant, eas explicatas habere, haud omnino inutile videtur.

Cacochymia omnino praetermiſſa, de plethora euchyma, ejuſque maximi momenti ſpeciebus, pauca paginis ſequentibus proferre decrevimus. Priuſquam vero hoc penſum ſuſcipere conamur, quaeſtionem hic ſeſe praeſtantem dirimere alicujus pretii cenſeatur, An pro morbo, potiuſve morbi cauſa, haben-

* Gaub. § 389. 390.

da

da eſt plethora? In utrimque multa perquam ingenioſa adduci poſſint argumenta: Verum talem enimvero componere litem, noſtro judicio nec factu facile, nec utile diremptu, foret. Quippe, ſi pro cauſa diſponente aeſtimanda, morbi etiamnum conditioni ita appropinquat, ut cura animoque noſtris aeque praevertere poſtulat; cauſae quia occaſionales, quae cum ea morbum inducere valent, hominibus ſemper adeo opportunae ſunt, ut in eodem ſtatu ſano diu perſtare iis non concedatur *. Olim ab Hippocrate obſervatum fuit, quod, " Bene habita athletarum valetudo, ſi ad ſummum proceſſerit, periculoſa, non poſſunt in eodem ſtatu permanere neque conſiſtere: Quum autem non conſiſtant, nec in melius poſſint proficere, ſupereſt ut in deterius vergant † " Contra, ſi plethora pro morbo duntaxat habeatur, tunc criterion, ſeu quandam normam fixam, a qua dirigendi ſumus, in propatulo nos adducere oportet; quod, ob ſanitatis latitudinem indeterminatam, cauſam inter et effectum diſtinguendi periculum, cujuſvis hominis idioſyncraſiamque, fere impoſſibile videtur. Ea etenim quae in uno plethoram ad vires, morbumve, in altero moleſtiam leviſſimam, vix incommodum, praebeat. In medio iter tutiſſimum, modo cauſa, modo morbus, cenſenda eſt; uniuſque effectibus obviam ire, alterius curam efficere, operae pretium erit.

Nunc quid per plethoram in ſequentibus intelligendum, proxime aggrediundum eſt. Definitionem accuratam, brevem, ſimul ac copioſam, reprehenſioniſque experten, ſtabilire, nobis, ob varias ſcriptorum ſententias, ſpecierumque copiam, minime conceſſum eſt. Tale quiddam jactanter ſperare longe a nobis abſit. Hancce vero, utpote ad plethoram cognoſcendam, ejuſque ſpecies ab aliis diſtinguendas, maxime idoneam nobis proponere liceat.

## DEFINITIO.

Fluidorum bonorum in ſyſtemate ſanguifero, cum dyſpnoea, anxietate, oppreſſionis ſenſu, cutis rubore inſolito ac vegeto, aut venarum intumeſcentia, copia praeternaturalis, corporis functiones ut plurimum perturbatae. Haec enumeratio omnes, ſcil. praecipuas ſpecies, plethora etenim ad ſpatium, ut et ad volumen, quoniam raro diuturnitate aut periculo praedita, praetercunda eſt, ſub ſe continet: Ejus praeſentiam manifeſtius denotant cultus color rubicundus, labiorum, oculorum in angulis, aliarumque partium cute exiliter tectarum, rubor corallii inſtar, notabilis; oculi paululum extantes, humectantes, vivacitate qua-

* Van Swiet. comm. in § 106. † Hippoc. aph. 3. § 1.

dam insolita dotati; vasa perplurima in albugineam diffusa; demisso ac repente elevato capite, vertigo; visus deprivatio, tremulus aut ante oculos motus; pulsus plerumque mollis, plenus, tardus, facile vero excitandus. Manu pectus superimposita, cor in sanguine expellendo aegre suo munere fungi, ac gravi quasi ictu contrahi, sentitur. Plethorici ad exercitationem sunt inepti; nam facile delassantur; et aliquando sponte, saepius vero ab inconsueto motu, dolorem quendam contusivum in omnibus artubus experiuntur *. Labore tenui, aut cum superiora petunt, aegre spirant, facillime calefiunt. Vino, liquoribus spirituosis fortioribus, etsi leviſſima indulgentia haud impune iis praetereunda est; quippe etenim cutis, musculorumque intumescentia mollis et aequabilis, respiratio ac pulsus citatiores, vertigo, oculorum suffusio, sanguinis versus caput magna determinatio, cum praecordiorum molestia insigni, eos lacessunt. convivialem atque excessum immerito remunerant †. In somnolentiam proclives, et somno saepe opprimuntur invito, qui et longior atque profundior, saepe saepius vero insomniis deturbatus, iteratione invalescat ‡. Quiescente corpore, aegre ac tarde spirant, suspiriaque pectore ex imo haud infrequenter evadunt Plethorici magna ex parte nitidi atque obesuli raro macilenti sunt. In locis arctis, coopertis, igni ustis calefactis, temporibus hisce quibus subito immutatus est atmosphaerae pondus, aegritudinem pergravem sentiscunt. Alvi excretio, nisi quod fortassis saepius quam augetur supprimitur, naturalis evadit ||; excreta autem, ingestorum ac morae ratione, parciora, ac multo magis indurata quam in non plethoricis, exiguntur Animi indolis, inter signa, fere omnes qui hactenus fuere auctores mentionem fecerunt, qui et serenus, tranquillus, placidusque signabatur: Qua ratione vero, propter quod temperamentis sanguineis hicce nec proprius nec frequens est, in quibus maxime vigeat plethora, dubitandum sit. E contrario, mens quae et hilaris est, nec sponte, varia ac mutabilis externorum affectibus facile concitata, eorum pariterque immemor, denique, utpote corpus mobilitate irritabilitateque plerumque praedita, iis naturaliter concessa: nonne hisce potius quam supradictis dotibus ignava adiungi oportet? Plethoram ad distinguendam non multum confert, quoniam a medico rarissime, si unquam, in auxilium vocatur; quippe caetera non desunt, quae satis ac abunde eam tegunt signa. Si in temperamentis melancholicis, quod rarius autem evenit, vel senescente aetate, exoriretur plethora, tum cutis floridae, animique mutabilis vice,

* Hoffm. tom. 2. p 3. cap. 8. et Junck. consp. theor. p 618.
† V. Swiet. com. § 106. ‡ Hoffm. ibid. || Hoffm. ibid cap. 9.

venarum

venarum intumeſcentiam, mentemque ſedatam forſan ac tranquillam, obtinere docent obſervata.

## SYMPTOMATUM RATIO.

Hocce ſub titulo, quaedam de ſymptomatum, ſeu plethorae effectuum theoria, more ſolito, proferre volumus; quorum plerique fere ac omnes nimia ex ſanguinis redundantia pendent.

*Cutis caeterarumque partium rubor.* Ex copia globulorum rubrorum inſolita vaſa capillaria permeante, cui ob partium mollitiem nullum datur obſtaculum: E contrario, *Venarum intumeſcentia*, e ſanguinis quantitate nimia, ob aliarum rigiditatem ac vim, in venas laxiores coacta oriri videtur.

*Demiſſo, &c. capite, vertigo, &c.* ſitui mutato ſanguinis reditum oppugnanti debentur; unde in capite accumulatio, cerebrique compreſſio, ex qua innaſcuntur effectus.

*Plethorici ad exercitationem inepti.* Nihil ex omnibus, quae mihi hactenus innotuere, adeo impenſe ſanguinis circuitum promovet ac exercitium; nihil vero corporis calorem tam efficaciter adauget ac circulationis velocitas, et a calore maxima fluidorum rarefactio, quibus magnopere agitantur plethorici.

*Dolor contuſivus rheumatici inſtar*, a diſtenſione vaſorum inſolita, ex ſanguinis vera copia, aut potius ejus volumine adaucto, pendere videtur; quippe dolor eum referens, brachii venas ſubcutaneas ligamine comprimendo, ac in eas ſanguinem accumulando, gigni poſſit.

*Vini, liquorum ſtimulantium*, &c. quippe etenim ex ſtimulis circuitus citatior, et rarefactio, ex quibus proflnunt cutis et muſculorum tumor mollis, manuum et digitorum claudendi inabilitas, &c.

*In ſomnum proclivitas, et invitus ſomnus*, forſan ex ſanguinis in cerebri vaſis coacervatione, nervorum originem comprimente, ut et animo ſolicitudinum experte, aut ab iis quae ad mentis ſeu corporis exercitationem ſpectant vacuitate *.

*Inſomnia quae perterrent* cerebri excitationi impari tribuenda ſunt: Inter cauſas etenim vigiliarum ſeu excitationis Cl. Culleno recenſitas, enumeratur ſanguinis in cerebri vaſis impetus adauctus, ſuo irritamine agens; ſimili effectu ſtipatur quantitatis augmen †. Utriſque in plethoricis favent ſyſtematis plenitudo, corpuſque reclinans.

*Corpore quieſcente, aegre ac tarde ſpirant.* Uti ſanguinis circulus, ita fere tempor ſpiritus; quandoquidem in pletho-

* Cull. inſt. § 126. 128. † Inſt. § 133.

ricis

ricis nullo ſtimulo commotis tardior evenit circulatio, ſequitur, ut ſeguior itaque evaderet reſpiratio. Sed in iis, ob congeſtionem, in pulmonum aeque ac aliarum partium vaſis, praeternaturalem, ſentiuntur anxietas, moleſtia, ac praecordiorum aegritudo; ad quas tollendas, inſpirationes altae atque profundae ſubinde excitantur. Cur ideoque ex calore, pondere atmoſphaerae ſubito imminuto, enaſcatur anxietas, liquido conſtat.

*Plethorici magna ex parte obeſuli.* Ex iiſdem fere cauſis oriuntur plethora ac polyſarcia. Prior nutrimenti in ſyſtemate ſanguifero abundantia; poſterior depoſitio potius hujuſce in tela celluloſa ſecretio, habeatur. Cur itaque obeſuli plerumque evadant, clare patebit.

*Alvi excreta pauca, indurata,* ingeſtorum ſolutioni ac abſorptioni vegetioribus debentur.

*Mentis indoles.* De mentis et corporis actione reciproca nihil fere certi deprehendimus; operationis modi vero prorſus inſcii. Experientia noſcimus, quod haec ita inter ſe connexa ſunt ac conſpirant, ut unum alterius ope et auxilio in hac vita egeat, unumque in alterum agat, et invicem quoque patiantur; ultraque vero tenebrae. Sanguineum, aeque ac alia temperamenta, quavis animi indole dotavit inſtruxitque natura; quorſum autem, caligine ac dubiis, nunquam forſitan colluſtrandis, implicaverat.

## CAUSAE.

I. Qui temperamento ſanguineo, ideoque partium mollitie, ſpongioſa textura, utpote plenitudinis incremento maxime commodis praediti, ſunt plethorae opportuni: Nec ſunt ii, qui temperie ſanguinea melancholica gaudent, ab hacce omnino incolumes *.

II. Chylopoieticorum viſcerum, atque haematopoieticorum vigor ac robur, inſtante ſimul aliarum partium laxitate; prioribus chyli blandi magna paratur copia, poſteriore vero hujuſce ingreſſui minus praebetur propugnaculum †.

III. Junior aetas ‡, ſeu potius ea intra annos decimum tertium ac triceſimum quintum degens: Tunc enim ſolida laxiora ſunt, ac fluidorum coacervationi minus obſiſtunt. Praeterea in illa, ſapientia ſummae miranda, corporis incremento per ſtabilem plethorae exiſtentiam ſtudioſe ſuppeditavit alma rerum Genetrix, quae uſque ad evolutionem partium ſyſtematis omnium, ac ultra, conſuetudinis vi, perdurat; ea vero

* Junck. conſp. tab. 2.
† V. Swiet. aph. 106.
‡ Junck. conſp. tab. 2.

peracta,

peracta, ista sanguinis pars ei accommodata nunc accumulatur; et exinde plethora.

IV. Sexus sequior *. In hoc etenim maxime viget temperamentum sanguineum; etiamque in foeminis plethorae generationi ansam non infoecundam praebet mensium subinde suppressio; iis singulis mensibus naturali lege evacuatur superfluus sanguis, eodem iterum temporis intervallo novo sanguine turgent; qui, nisi exigatur, plenitudinem creat. Denique, foeminae, propter quod vitam sedentariam, magnaque ex parte curis vacuam, degunt, quam homines frequentius plethora tentantur.

V. Iners vita, solicitudinis expers †. Quantum accumulationi ingravescenti obsecundet quies musculosa, ab exercitii effectibus, postea recensendis, liquido constabit. Docet etenim observantia, quod, quo minus exerceatur corpus, eo minus evadent succorum dilapidatio ac dispersus, solidorum prodigentia et attritus; eo magis vero, ex eadem nutrimenti copia, retentio ac congestus. Accipe Gaubii verba, nimiam quietem objurgantis, " Ex hoc fonte igitur polychymia, plethora, obesitas, profluunt; quae sarcinis corpus gravant, firmarum partium mole ac vi majoribus ‡." Qui effectus multo graviores, si ad vitam otiosam subito confugiunt duris laboribus assueti. Quantum valeat vita curis vacua ex luctus diuturni ac pathematum animi deprimentium effectibus, corpus emaciando, chylopoiesin praecipue vitiando, judicandum sit.

VI. Somnus multus ||. Hic causae praedictae, utpote ei multum affinis, forsan referri debet; quantum ad fluidorum coacervationem conducat, facile intellectu. Tempore somni optime restituuntur illa quae vigiliarum actionibus perierant; tunc apprime perficitur totius corporis refectio; sit in exemplum infantilis aetas, quo tempore solidorum incrementum ac prolatio velocius quam toto vitae decursu progrediuntur: Quippe tunc magis in cunabulis, quam exinde in lectis, somnum dominari foventem, compertum est. Non desunt etiamque ferarum exempla, quae vitam, hieme vigente dormientes, sine pabulo sustentant. Luce durante, cum corporis negotiis tum animi studiis difflantur, quae quiescentibus horis congeruntur. Ex illis itaque imminutis, aut hisce productis, exoriretur plethora. Corpus laxando, vasorum robur imminuendo, ibique fluidorum augmini propugnaculum sublevando, multum praestat in longum protractus somnus. Si quotidie etenim, in exercitantibus, tantum dissipetur, quantum ingeratur, otiosi

* Gaub. et V. Swiet. ib. † Gaub. et V. Swiet. ib.
‡ Gaub. § 514. || V. Swiet.

facti

facti ſequitur ut plethorici evaderent, praeſertim cum cauſae, quae ſanguinis boni abundantiam inducunt, ſuam ſymbolam eo conferunt.

VII Cibus nutrimento pollens *. Hocce ſub titulo cibaria omnia, quae molis ratione chyli maxima quantitate ſcatent, comprehenduntur. Primas tenent carnes adipe redundantes, quia minime perſpirabiles, et plus nutrimenti † ſeu materiei forſan globulorum rubrorum glutiniſque fabricationi accommodatae continent; ideoque caeteris, ac vegetabilibus, anteponendae; quod teſtantur Sanctorii aph. xxiv. xlv Vegetabili ex regno, oleo et ſaccharo affluentia aliis praeripiunt palmam. Eorum ſub pleno ac diuturno uſu magnopere creſcit, et, opitulantibus cauſis praedictis, novas acquirit vires plethora.

VIII. Excretiones ſecundum aut praeter naturam ſolita quantitate deficientes. Ad primam pertinet perſpiratio inſenſibilis, menſes, lactatio; ad ſecundam, ſanguinis fluxus, tum factitii aeque ac ſpontanei, fontanellae, &c. De quibus in ordine.

1. *Perſpiratio.* Hancce ſtaticis experimentis ad calculum redegit laborum amans, multumque laudandus, Sanctorius; cujus verba: "In homine utente moderato victu, perſpiratio nocturna aliquando aſcendit ad tres libras; in utente pleniſſimo, ſtomacho praeexiſtente vacuo et robuſto, poteſt aſcendere ad quinque libras ‡." An hunc, quoniam inhalationis per cutim prorſus ignarus, ad amuſſim ſtatuerit, dubitari liceat. Si corpus etenim, tempore matutino, quinque libris heſterni ponderis deficeret, non ergo dicendum eſt, tantum per inſenſibilem perſpirationem duntaxat evaſiſſe; quoniam de inhalatione noctis, quae ad unam, duas, vel alteras libras aſcendiſſet, omnino tacemus. An hiſce regionibus conveniret, in dubium necnon vocaretur. Quippe quia hujus loci clima, victus, hominumque mores, a quibus valde afficitur calculus, ab illis ubi facta eſſent experimenta multum diſcrepant.

Nihilominus, etiam in hiſce regionibus per cutim evacuatio, quoniam magna evadit, magni momenti habenda eſt; praeſertim quod, ob coeli lubricam inſtabilemque temperiem, ſaepe ſaepius ſupprimitur; et exinde, eadem ingeſtorum copia manente, nulla vero alia excretione ſuum ſuppeditante auxilium, ſarcina gravatur corpus. An verum periculum inferat, an per longum invaleat, ſeu ad polyaimiae genus pertineat, necne, in medio derelinquendum eſt.

2. *Menſes.* Horum ſuppreſſione, utpote feraci ex fonte, profluit plenitudo ‖. An initio fluxus menſtrui origo plethorae

* V. Swiet. ib. † De cib. et pot. aph. 69.
‡ De cib. et pot. aph. 69. ‖ V. Swieten aph. 106.

rae generali, petiuſve topicae, tribuenda ſit, adhuc ſub judice; quod autem ejus diuturnitas priori debeatur, omnibus fere conceſſum. Quamobrem ex menſtruis ergo ſuppreſſis, citra lactationem ſeu alteram evacuationem, conſequi oporteret plethoram, facile intelligitur; an paucos ultra menſes ſaepe duraret, incerti ſumus: Quippe quia eorum retentio diu perſtare non poteſt, quin multis variis, ac plethorae repugnantibus noxis, ſtipetur.

3. *Lactatus*, infantis morte, graviditate, animi pathematibus, &c. ſubito aut immature ſuppreſſus, eundem praeſtat effectum. Viciſſitudini tam repentinae ſeſe ex improviſo accommodare non poteſt ſyſtema: Solita ideoque progrediente refectione, deficiente autem ſumptu, exſurgit accumulatio.

4. *Sanguinis fluxus, ſeu ſpontanei, ſeu factitii*, ubi in longum perduravere, ſimili ac menſium modo, plenitudinem efficiendo, ſuas vires exercent. Nihil retulit, unde ſuam priores deducant originem; quoniam, utrum ex plethora an morbo, eorum recurſum ſanguinis redundantiae plerumque adſcribendum eſſe, ac ſyſtematis valetudini ſecundae neceſſarium evadere, conſtat. Ab his aut illis impeditis, nec aliter exaequatis, profluunt multi ſaepe pergraves effectus, inter quos eminet plethora. Uti naturalis, ita ſanguinis educendi conſuetudo artificialis, praetermiſſa, idem ſuperpondii genus gignit. Sit in exemplum homo, quem, petulanter, urgente aut cauſa, ſanguinis miſſionibus utentem, quibuſdam ac forſan intervallis eas iterantem, plethora periodica demum adoritur; pariterque ſanguinis detrahendi conſuetudo non niſi ſummo ſanitatis periculo derepente deponenda: Ex obſervatis enim conſtat, quo ſaepius ſanguinis detractionem patiatur homo, modo non penitus inde debilitetur, eo citius ac certius poſtea novo ſanguine turgere *. Lege quadam naturali, uti jacturis tum fortuitis aeque ac naturalibus ſuppeditationem accommodaret, noſtrum, vigente ſanitate, comparatum eſt ſyſtema. Quandoquidem id, quod ſanguinis miſſionibus conſumptum eſt, intervallis renovari conſuevit, atque, ſolitum circa venaeſectionis tempus, eadem patiuntur mala, ac ea quibus, retentis aliis, aſt ſpontaneis excretis, affligi ſoleant homines; opus eſt, ut in illis, pariter ac his, idem ab evacuatione proveniret levamen. Unde inevitablis evadit venaeſectio, quae, aut procraſtinata, ſeu omnino praetermiſſa, plenitudini anſam praebeat. Necnon ſanguinis detractiones iteratae, vaſorum atoniam laxitatemque concitando, ſyſtema plethorae opportunius reddunt.

* Swiet. aph. 1066.

5 *Fonticuli et ulcera ſubito ſuppreſſa*, quomodo ſuos edant effectus, ex praedictis rite perpenſis facile intelligatur

IX. *Moles corporis imminuta.* Docent obſervata chirurgica, quod ſaepe ex dearturitione conſectetur plethora: Quippe ex membrorum truncatione imminuitur corporis menſura, ideoque ſuppeditationis conſumptio. Humores igitur, qui artus abſciſſos adire ſolebant, alveis ſuis ſumptuque conſuetis privati, in ſyſtema coacervantur *.

## DIAGNOSIS.

A corpulentia, ſeu Sauvageſii polyſarcia adipoſa, ſolummodo hancce ſecernere, pro merito haberetur Priuſquam hoc peragere conaremur, obſervare haud abſonum foret, quod opus ex ſe non multum adferat commodi; quoniam ſignis tantummodo, iiſque parumper, diſſimiles, cauſis rationeque medendi ſibi ſunt valde affines. Plethora etenim ea eſt materies nutritioni apta, in ſyſtemate circulatorio retenta; adeps vero ejus in membranam celluloſam depoſitio, potius ſecretio. Hic eaſdem fere cauſas ac illa ex origine agnoſcit. Cautelam quandam, quoad curationem, poſtulat, ſcil. ne ſtatum obeſum per venaeſectionem unquam avocare conaremur; quippe etenim hujuſce tametſi quadam cum adminiſtratione, plethoram ſublevare, nullam tamen periculo vacuam, quae corpulentiae mederi, tentaremus, adhuc detectam comperimus. E contrario, venaeſectio ad talem corporis ſtatum alliciendum efficaciſſima evadit, teſte laniorum praxi, qui, ut vitulos reddant pinguiores, ſanguinis millionem iterant. Medicorum ſcripta, ejuſdem effectus in ſyſtema humanum, praxi eadem inducti, haud exemplis deficiunt. Ad diagnoſin ſtabiliendam, in auxilium imprimis vocanda polyſarciae moles. Quidam illius gradus, utpote earundem cauſarum effectus, plethoram plerumque comitatur †; ſed nunquam ſtatum iſtum periculo aut moleſtia praeditum aſſequitur: Etenim ſanae pinguedinis exceſſum duntaxat conſignant quae ſuffocationem minantur, functionibuſque obſtant. Haec, plethora adſtante, nunquam adeſſe credenda; quippe, quo adeps maxima, ibi ſanguinem minima pollere quantitate, repertum eſt ‡. Contra, plethora mole abnormi, quae ne minimam quidem largitur deformitatem, nunquam conſociatur. Hacce, nihilominus, multo magis opprimuntur obruunturque ſyſtematis functiones, quam ſarcina obeſitatis notabili.

Cutis color quoque diſcrepantiam indigitat. In obeſo,

* Boerh. praelect. Hall. aph. 781. † Gaub. § 394. Junck. tab. 2.
‡ Boerh. praelect. acad. 476. Lieutaud prec. de la med. chap. de pleth.

propter

propter vasa compressa, adipe involuta, aliquantulum imminuta, insignis obtinet pallor; plethorico rubor *: Ille haudquaquam vel minime temperiei vicissitudine, hic maxime, afficitur. Opimi istam aegritudinem, seu dolorem contusivum, ac plethorici, nunquam experiuntur. In illis pulsus parvus, tactu vix sensilis, aliquando incompertus; his vero plenus, validus, et ante oculos, nonnunquam evadit. Huicce vero haud semper credendum. Ad diagnosin certiorem stabiliendam multa alia adsunt signa, quibus ac affatim scatet plethorae historia.

## CURA.

Nunc ad ultimam hujusce dissertatiunculae partem, seu plethoram curandi ac praevertendi methodum, perventum est. Consilia hisce aptissime accommodata in duo sese resolvunt.

I. Fluidorum in corpore excessum avocare,
   1. Sanguinis missionibus;
   2. Alvum ducentibus.

II. Ejus recursui oppugnare,
   1. Causas occasionales evitando;
   2. Diaeta parca, temperata;
   3. Exercitio commodo utendo.

De singulis pauca in ordine.

I. Alveos inclusis exonerare, nihil aeque proficit ac,

1. *Sanguinis detractio*; quae quia, cito morbo adstanti auxilium praebens, globulos rubros, a quorum exuberantia pendent fere omnia mala recensita, efficaciter alliciens, salutifera naturae conamina referens, facile usurpanda, denique periculi expertissima, caeteris evacuationibus longe praeripit palmam. Quantitatem detrahendam symptomatum rationi accommodemus oportet. Quibusdam etenim in casibus, ob vasorum summam exquisitamque tensionem, ineffabile, ab evacuatione licet mitissima, levamen persentiscunt. Veruntamen etiam, ut in his, tam impigram sanguinis regenerationem, ac venaesectionis, quoad possumus, iterationem declinaremus, majorem sanguinis copiam semel exhaurire opus est. Quippe Dodartii experimentis †, uncias sedecim sanguinis venaesectione expromptas, intra quinque dierum spatium, homine sano, adulto, victu laudabili utente, renovari compertum est ‡. Unde in promptu erunt levis eductionis in-

 commoda.

* Boerh. praelect. 591.
† Hist. de l'acad. des scien. l'an. 1707. p. 234.
‡ Ejusmodi quantitatis jacturam iteratam intra tot dierum spatium saepenumero

commoda. Quo citius farciatur damnum, eo maturius, farcinam ad compescendam, altera instituenda est venaesectio.

At si plethoram instantem avocando, valentissima, recursui tamen obsistendo incertissima, nonnunquam evadit venaesectio. Sit in exemplum homo, qui, ut statum plethoricum tolleret, sanguinis missionem ad xvi uncias, cum levamento expetito patiatur; sex sive quinque post diebus, victu ut solito utente, reparatur dispendium, novo sanguine turget, iterumque praedictum a chirurgo levamen postulat: ac in usum hujusce oblectamenti, pro re nata, donec venaesectionibus repetitis plethora habitualis, quibusdam et recte dispositis intervallis revertens, evanescat, perseverat: quae, ni majore cum periculo, saltem pluribus fortioribusque incommodis consociatur: Quia, ut jamjam investigavimus, sanguinis eductiones iteratae, corpus laxando, id plenitudini reddunt obnoxius. In systema sanguiferum, tensionem ejus sublevando, praecipue suas vires intendunt. Robur itaque ac tonum debellando, excretiones ab hisce pendentes fortiter impeditant, quibus vero imminutis, eadem ciborum quantitate assumpta, gradatim exuberat sanguis; qui, propter quod vasa excretoria, evacuationem inter ac systematis congestum, contractionis ac constrictionis aliquod, quibus ansam praebebat vis distendentis imminutio, affecta sunt, usque adeo, copia potestasque quibus antea distensa fuerunt, nunc pensu impares sunt, molem assequitur, quam prius nunquam attigerat; unde accumulatio quam ante, post singulas venaesectiones, grandior evadet *.

Haecce incommoda sola non metuenda sunt. Quippe etenim ex hoc fonte haud infrequenter profluunt polysarcia ac dirus hydrops; quorum exemplar hisce verbis depingit Cl. V. Swieten: "Vidi foeminam, cui, ob validissimos et saepissime renatos animi affectus, sexagesies et ultra vena fuerat secta intra anni spatium, quae obesissima facta, pancorum mensium spatio, 150 librarum pondere aucta fuerat; et dum continuo turgeret renato sanguine, nova sanguinis mittendi necessitas urgebat magis quotidie; donec tandem, soluto omni corporis robore, in hydropem incideret †."

Ex hisce rite perpensis, quod instantis plethorae tametsi curam efficiendo maxime, nihilominus recursui ejus obsistendo, huicce methodo ut minime credendum sit, in proclivi erit; hoc tamen quadam sub administratione quod effici queat, pro certo habeatur. Haecce sententia adimplenda est,

numero renasci haudquaquam volumus: Nam crebrae sanguinis secessiones corpus nostrum ita imbecillo, ejusque functiones tam languidas, reddant, ut impediantur chylopoiesis et haematopoiesis.

* Cul. prael. † Comm. aph. 106.

sanguinem

ſanguinem ad optatum uſque ſyſtematis ſolatium educendo; tunc ineuntis plethorae, debito poſt tempore, ſigna diligenter perſcrutando, quorum exortu vena, minoris autem quantitatis, ſpolianda; ab incepto diaetam quantitate ſeu qualitate deficientem ſedulo proſequendo; qua conferente in longius procraſtinatur plethorae recurſus, ideoque depletionis neceſſitas; ſic intervalla adaugeſcendo, quantitates vero minuendo, donec ad ſtatum priſtinum plenitudinemque valentem tandem pervenerit corpus, iterantur venaeſectiones; in quo, exercitio victuque commodis poſtea recenſendis conſervandum eſt. Methodus haecce, quoniam non ſine magna ſedulitate ac cura exequenda ſit, ad curam potius inchoandam, quam eam adamuſſim conſummandam, uſurpari oportet.

Cautelas ſequentes, hujuſce remedii uſui accommodatas, in medium conferre haud abſonum videtur. Sunt corpora quae, ob vaſorum ſummam tenſionem, ac ſyſtematis nervoſi mobilitatem irritabilitatemque, ex ſubito vel magno ſanguinis diſpendio, ſyncopen, interdum convulſiones moleſtas, adipiſcuntur; quibus ut oppugnaretur, ac vaſorum laxatio eximia, quae in plethoricis pro emolumento noxas infert, evitaretur, ſanguis, ſitu recubante, ore minus patulo, nonnunquam brevi interpellato, chirurgo detrahendus eſt. Hoc perfecto, liberum per alveolas tranſitum, ligamine cunctatim ſolvendo, ſanguini praebere oportet.

Quantitas, ratione aetatis, ſexus, habitus, climatis, conſuetudinis ſanguinem mittendi, prae caeteris vero ſymptomatum vis, ſtatuenda eſt; quae, prout in diverſis admodum diverſa, normae generali minime ergo obnoxia, medici judicio permittenda ſunt.

2. *Alvum ducentia.* An multum hocce ad malum antevertendum conducant cathartica, propterea quod ſanguinis ſerum aut gluten tantummodo exhaurirunt, ſub judice haeret. Plethoram globulorum rubrorum redundantiam eſſe jamjam indigitavimus, qui vaſis rubris coacervantur, ac iis ſolis gyrum perficiunt. Cathartica ideoque, quoniam, muci e glandulis ac ſeri ex vaſis exhalantibus quantitatem adauctam ſolicitando, vaſcula minora partem ſanguinis decolorem vehentia duntaxat exinaniunt, ad plethoram tollendam, ſeu vaſa ſanguifera exoneranda, haud multum conferant veriſimile videtur. Quatenus vero plethoram adjuvat quicquid ingeſtorum morae, ideoque chyli aſſimptioni favet, eatenus hiſce obviam eundo cum fructu ac laude uſurpantur laxantia.

Haud immerito, ejus inſultum praevertere, in auxilium advocatur alvi ſolutio; quae et optime catharticis, ſuas vires leniſſimo cum ſtimulo exercentibus, peragitur. Haec ſunt

ſales

ſales omnes, ſulphuris flores, ac ricini oleum: Caeteris vero fructus acidi dulces, quia lenius ac dulcius eundem praeſtant effectum, longe ante[p]onendi. [H]iſce deficientibus, illiſque faſtidium cientibus, ad methodum Boerhavianam confugiendum eſt; cujus verba: "Si vero neceſſe habueris alvum mollire, id efficere poteris, aucto potu, diminuto cibo, vel omiſſo prandio, et motu ante paſtum paulo majori *;" pro prandio derelicto vegetabilium uſus forſan aeque juvabit, aegroque minus invite aſſentietur.

II. Plethorae recurſui obviam ire.

1. Priuſquam hoc abſolveremus, Idiopathicam inter et Symptomaticam Plethoram diſcernere haud inutile videtur; propter quod hujuſce in praeſentia amandatae inſultus, affectionis primariae ſublevatione, ſolummodo praecavendus eſt. Symptomatica cum plethora ad Volumen, ſeu Spuria, minime confundenda: Illa etenim imminutae, ſeu ſuppreſſae cuidam excretioni fluidorum, molem amplificanti, debetur; haec ex calore, aliave cauſa eorum volumen adaugente, pendet. Ex quibus, quid per idiopathicam intelligendum, in aprico eſt. Si pro cauſis agnoſcantur perſpirationis ac menſtruae purgationis imminutio aut retentio, tunc earum reſtitutioni, utpote ſecundae ac valetudinis integrae perceptioni perneceſſariarum, conatus ac medici remedia dirigenda ſunt. Si, e contrario, haemorrhagiae aeque ſpontaneae ac factitiae plenitudini anſam praebuiſſent, tunc eas, quoniam periculo variiſque incommodis ſcatentes, dirimere, earumque defectui ſyſtema gradatim componere, illum oportet.

Hiſce, ſub cauſis relatis, parum adjici reſtat. Inter plethorae ſcaturigines enumerabantur ſomnus nimius, ſolitaeque excretiones repreſſae. Hujuſce indulgentiam procul arcendi neceſſitas, praeter mala inde profluentia, jamjam recenſita, ex opprobrio eo in juventute digne annexo, et ejus declinatione abſque incommodo peracta, nova aſſequitur incitamenta. Harum primas tenent muliebris purgatio ac perſpiratio inſenſibilis; quarum fontes prohibitionis omnes, ac medendi conſilia tradere, nec ſcopo nec viribus conveniat. Omnino forſan ineptum eſſet, pauca tantummodo proferre de rebus ita inter ſe momentoſis; quandoquidem ut hocce opus perficere conaremur noſtrum non nunc eſt, ad alias plethorae origines flocci faciendas tranſeundum eſt. Inter nimiae plenitudinis cauſas recenſebatur et cibus nimio nutrimento pollens. Diaeta tenuis ac parca, prout diſſimilem praeſtans effectum, ejus loco ſuccenturienda eſt. Conſiliorum omnium vero valetudini ſecundae conferentium, nullum aeque ac abſtinentia, victuque

* Prael. acad. § 1055.

dura

dura temperantia, ditioribus haud minus vegetioribus auditu tam difficile, ac abuſui ita obnoxium, evadit. Prioribus, nempe, luxuriis indulgere, feſtivas dapes celebrare, quam ſuave, quam dulce! deponere ergo quam difficile! Idque peragere, plus exigunt quam medici ſolicitatio, aut periclitantis mali formido, efficere poſſint; praecipue, quando levamen a venaeſectione, ſine ullo negotio, et tam expedite, aſſequi poſſimus. Neque vegetioribus, aut illis uſque ad ſatietatem indulgentibus, facilius perſequenda. In utriſque nihilominus commoda et utilis mutatio effici queat; illis etenim quantitatis, hiſce ciborum qualitatis, imminutio lubentius ferenda ſit. Ex utraque parte vero plenitudinis recurſus in longius protrahitur; poſteriore, ob cibariorum numerum multiformem, quam priore, melius perficitur. Inter vegetabile ac regnum animale magnum obtinet diſcrimen. Ex hoc quae petuntur, plus iſtius materiae, globulorum rubrorum ac glutinis generationi accommodatae, minus per cutim evehi praebent. Plethorae itaque multo magis favent, quam haec ex illo ſegregata. Unde, in omni plethorae caſu, victus vegetabilis in uſum revocandus, animaliſque quam maxime fugiendus; praecipue caro, minime quia perſpirabilis, ut teſtatur Sanctorius: "Corpus magis ponderoſum redditur quatuor unciis cibi multi nutrimenti, qualis eſt caro porcina, et pinguia omnia, quam ſex unciis cibi pauci nutrimenti, ut ſunt piſciculi, pulli, aviculae, et alia id genus. Ex uſu carnis ſuillae triente minus ſolito corpus magna ex parte perſpirat *." Earum loco, ſi toti a carne abſtinentiae aſſentiri nequeat, eae quae digeſtionem perſpirationemque faciles patiuntur ſupponendae Cavendum eſt tamen, ne a diaeta opipara ad parciorem nimis ſubita fiat tranſitio; ne ſyſtema, mutationi tam repentinae inaſſuetum, quid detrimenti accipiat. Conſuetudinis aegroti, ut et cibi ventriculo convenientis, ratio habenda eſt. Ineptum eſſet dicere, quod victus ſumendi tempus naturae rogatibus conveniret; quoniam mos, conſortiique deſiderium, certos praeſcripſere limites, quos ultra citraque decorum conſiſtere nequit. Attamen, ut quam raro et parce comederent, moneremus; vel, ſi hoc fieri non poteſt, cibus ſaepe, et reſtricte, potius capiendus. Etenim mali multum aliquando epularum exceſſum conſequitur; eo quod ventriculus nimiam quantitatem ſat cito digerendi incapax eſt: Unde debilitate, oppreſſione, faſtidioque, languet ſyſtema; ſicque per noctem, aut vigilia, aut ſomnus interpellatus, febriſque temporanea, laceſſunt. Hujuſce inculcatio, quia raro multumque comedere minus nutrire, nobis forſan objiciatur;

* De cib. et pot. § 45. 24.

teſte

teste Sanctorio, " qui comedit magis quam oportet, alitur minus quam oportet *." Multa veruntamen incommoda, hancce concomitantia, nostram sat stabilirent sententiam; ex duobus enim pessimum fugiendum est malum. Coena gravis, deliciarumque diversitas magna, utpote ad satietatem semper vergens, praecavendae. " Tria mala (dicit Sanctorius) eveniunt ob ciborum varietatem; nimium comeditur, minus concoquitur, et minus perspiratur †." Victus intemperantia exercitio parum utentibus sedulo arcenda: in illis enim effectus multo graviores diuturnioresque evadunt. " Ciborum plenitudo magis nocet in otioso quam in exercitato ‡."

Haecce prophylaxeos pars, abstinentia peracta, aetate paululum provecta, quam tenera, tutius exequenda. Illa ad defectum suppetiarum ferendum melius adaptatur, eo quod minus fere exercet: in ea atque circulatio languidior, calor corporis temperatior, ideoque et partium dissatio minor. Praeterea, in illa non amplius requiritur nutrimenti quam quod ad solidorum dispendium suppeditandum sufficiat; in hac vero, aliud exigitur supplementum, ad corporis incrementum subministrandum.

Hactenus de cibo solummodo tractavimus: De potu vero pauca sufficient. Ejus excessum, praecipue plethora existente, nocere quis non videt? Liquida vinoso spiritu scatentia sedulo vitanda, minusque stimulo gaudentia substituenda, vel priora aqua prolixe temperata. Fortiores brasii liquores, vel magnam solubilis farinae copiam tenentes, utpote nimis nutrimenti praebentes, etiam omittendi; eorumque loco, lympha, aut succo pomis expresso, quandocunque convenient, uti debemus. Haecce juventutem, absque remixu, exequi oportet; senectuti autem, vel Bacchо libare assuetis, diaeta tam austera haud omnino injungenda.

2. *Exercitio commodo.* Omnia ab hoc profluentia ampliter tractare, nos longius eveheret; quare, facta considerare, paucaque in illustrationem dicere, nobis sufficiat.

Exercitium cor mechanice stimulat; validiores frequentioresque concitat contractiones; fluidaque remotissimis systematis partibus expedit; excretiones omnes ejus vim recognoscentes, praecipue cutaneam, promovet; istam nutrimenti quantitatem, quae in pigro necessario coacervaretur, dispellit; vi et iteratione, densitatem, vigorem, tonumque systematis, universaliter adauget. De his pauca sigillatim dicenda sunt.

1. *Cor mechanice stimulat.* Sanguinis reditus, diversis musculorum ad corpus movendum conatibus, magnopere ad-

* De cib. et pot. § 54. † Ib. 51. ‡ Sanct. ib.

juvatur,

juvatur, deproperaturque, quibus venae eorum inter fibras dispositae, ut et adjacentes, eorum turgente mole, motuque variante, comprimuntur, inclusa majori solito copia, per venas valvulis instructas, citius ac fortius urgentur pelluntrque; cor irritando, iteratas contractiones, eoque celeriorem circuitum, instigant. Istiusque vigore haudquaquam imminuto,

2. *Remotissimis systematis partibus fluida expedit.* Sic congestiones locales, nocivosque effectus, plethorae haud infrequenter devenientes, praevenit; tonum vasorum adaugendo, ut fortius in fluida agant, facit. Circuitu quoque accelerato,

3. *Excretiones, praecipueque cutaneam, quoniam haec prae caeteris sanguinis motui alligatur, promovet.* Vasis superficiei excretoriis cedere coactis, quantitas fluidi innsitatior transmittitur; cui etiam calor corporis auctus, humorum putredinem accelerando, sicque majorem copiam illac inclinando, magnopere favet. Quibus omnibus modis valde augetur perspiratio, cujus momentum ad plethorae obviam eundum utilissimum ex jam dictis clare apparebit.

4. *Istam nutrimenti quantitatem, &c. dispellit.* Corporis exercitio inassueti, quale est plethorici, solida, dispendio parum obnoxia, minus ad jacturam reficiendam nutrimenti exigunt; ideoque, pari ex ingestorum copia, in otioso quam in exercito fit major accumulatio. Exercitatio, certum ad gradum impulsa, adipem, plethorae consortem, inminuit; macilentum corporis vero sanum statum gignit. Tametsi majorem cibi appetentiam praestat, jactura refectionem plusquam exaequat; quod testantur Van Swieteni verba: "Quotidie duris laboribus exercitatos, licet voraciissimi simul fuerint, plethoricos tamen rariissime quis inveniet."

5. *Densitatem, &c. systematis adauget.* Quoniam hi effectus non statim post subitum exercitii usum sentiuntur, "vi iterationique" anneximus. In solidi simplicis aggregationem agit, ejusque densitatem, partem aquae ejus formationem subeuntis dispellendo, variisque extensionis et compressionis gradibus caeterarum partium motu subjiciendo, adauget. Vigorem contractilitatemque solidi vivi, ut et facilitatem qua sese contrahit, suo stimulo augmentat. Quatenus atque ad plethoram promovendam multum conducat laxitas, ejusque viam sternat systematis vascularis imminuta cohaesio, exercitium, hisce obviam eundo, oppugnaculum fluidis faciendo, eatenus potenter, ne dicamus totaliter, plenitudinis regressum arcebit. Quando vasorum tonus per diuturniorem distensionem diruitur, exercitium remedium valde idoneum evadit.

Nunc ad varias exercitationis species, proposito maxime idoneas, transeundum est; quae in activas passivasque com-

mode dividuntur. Priori, motus multiformes, corpore ipso peracti; posteriori, varii gestationis modi quibus impellitur corpus, visque externae actioni subjicitur, cui frictio relegenda, referri debent. In classe activa, species ad hancce sententiam adimplendam utilissimae praecipue petendae sunt. Ex diversis motus generibus, ambulatio et frequentissima et efficacissima est. Illam ad perficiendam plerique adhibentur corporis musculi: Attamen lenis est, diuque haud magno cum labore protrahi potest; iterationis capax, et ad gradum, instaurationi systematis toni, excretionumque promotioni, necessarium, adaugeri queat. Alia pleraque exercitia activa ab hoc vi et gradu tantummodo discrepant; quales sunt cursus, saltatio, &c.: quapropter omnia ab illis profluentia commoda ab idoneo hujusce usu hauriri possunt. Tempore quo scriptores vocis exercitio tantas congessere laudes, *ars dicendi* magnopere fuit exculta; tunc. propter varios gestus, pathemata exprimendo, verba, sermonis intermissiones, ornando, peractos, violenta ac operosa fuit exercitatio, cujus labor audientium numero ambitusque multum adauctus fuit: Sed nunc tantopere derelicta, pauci, aut nulli, ad sospitandum, ea utuntur. In hac classe *natatio*, quae in aestate tam maxime restaurat recreatque, dummodo certos frequentiae ac durationis limites observare praecaveamus, non est praetermittenda. Ubi, ob vasorum distensionem diu existentem, atonia obtineret, cum motus muscularis, tum lavationis frigidae commoda secum ducit, gratoque calore ab illa profluente perspirationem multum adjuvat, augmentatque.

In classe passiva, *equo vehi* potentissima habetur, propterea quod equum ad imperandum, ephippiumque recte tenendum, multi occupantur musculi. Effectibus ambulationis maxime appropinquat, nonnullisque optabilior, quoniam lassitudinis expertior, videtur. Objectorum varietate animus alacer hilarisque efficitur. Sydenhamus magna ei tribuit praeconia, ac dicit: "At vero nihil, ex omnibus quae mihi hactenus innotuere, adeo impense sanguinem spiritumque fovet firmatque, ac diu multumque singulis fere diebus equo vehi *." Ex verbis Hoffmanni perspirationem valde procreare videtur. "Gradaria equitatio universo corpori proficua est, perspirationem imprimis aequaliter promovendo; unde vultus vivido colore suffunditur, et animus quasi nova alacritate exsurgit †." Omne ideoque fert punctum, quia utili admiscet dulce. Laeta animi conditio, transpirationi insensili favendo, multum prodesse aestimatur; quod clarius ex Sanctorii dictis adparebit: "Corpus quiescens magis per-

* Pag. 414. † Tit. 1. l. 2. c. 9.

spirat,

ſpirat, et minoris ponderis fit, ſi animus vehementer agitatur, quam ſi celerrime moveatur corpus, animo manente otioſo *." Equo vehi, quoniam ad hancce animi actionem, ut et conſolationem concitandam, maxime idoneum, caeteris hujuſce ſaltem claſſis longe praeripit palmam.

*Geſtatio*, ſeu curru vel rheda vehi, lenior eſt quam ut magnos edat effectus; et in auxilium tantummodo advocanda, quando vel per ſe, vel coeli intemperie, ingrata auſteraque fiat *Navigatio*, niſi quod perſpirationi magnopere favet, plethoricis haud multum adfert commodi.

*Frictio*, ultima hujuſce ſpecies, uſu haud vacua eſt. Cutis vaſorum enim actio, corporiſque calor, illa augentur, acceleratur circuitus, excretoriorum ora vaſorum magis pervia, perſpirationiſque tranſmiſſioni, nunc majori copia evolantis, aptiora redduntur. In aetate provecta, aut quando ſtaminum mollities vehementiori, etſi efficaciori, uti exercitatione vetet, caeteris etiam, quia quoquo tempore, abſque coeli viciſſitudinis aut aliorum periculo, uſurpari queat, anteponenda. Quo univerſalior corpori applicatio, eo inſigniores ejus effectus.

*Quaedam de Exercitationis Uſu Praecepta.*

1. Omnes exercitii jam memoratae ſpecies cum ſalute ac fructu uſurpari poſſint, evacuationibus, quales ſunt venaeſectio, et purgatio, modo praemiſſis: Hiſce autem neglectis, omnis corporis niſus vehementior, ſeu circuitus incrementum, periculo ſtipetur.

2. Quaecunque aegroto melius adaptatur ſpecies, initio lenis, ac parum protracta, eſſe debet, uſque dum iteratione majores ferre queat conatus.

3. Non eo uſque, ut fatiget, perſequenda. Ad debilitatem aut fatigationem producta, imminuit perſpirationem, ac commodis obſtat effectibus Ejus ultimi limites laſſitudinem perquam levem tantummodo attingerent.

4. Sub Jove peragenda: Ubi frigoris tonica vis, circulatioque minime interrupta tranſpirationis copiae ſuccurrunt, frigidus humiduſque aer, utpote cutaneae excretioni inimicus, ſedulo vitandus.

5. Vel ante cibum, vel longe poſt, exercitium opportunius habetur. Omnibus fere conceſſum, ventriculum plenum incommodo, vacuum utilitate, haud carere. Teſtatur Hoffmannus, "Sicut corporis agitatio ante cibum inſtituta ſanitati egregie patrocinatur; ita quae ſumptum cibum ſtatim ſubſequitur, cum ſumma pernicie conjuncta eſt †." Quo quadrat Sanctorii aph. "Exercitium, poſt ſeptimam, uſque ad duo-

* De an. aff. § 35. † Ib.

decimam horam, ab assumpto cibo, magis resolvit insensibiliter horae spatio, quam tribus horis alterius temporis *."

6. Per activae exercitationis usum aeger haud nimis vestiendus; postque, si necessarium videtur, vestes permutandae. Matutinum verspertinumque tempus huicce optime inserviunt. Haec attamen, aeque ac species et duratio, aetate, consuetudineque, &c. valetudinarii, ut et tempestate climateque, ordinanda.

Inter praedisponentes plethorae causas recensita fuit animi inertia. Oppositus itaque status in prophylaxin usui adhortandus; idcoque aliquam mereri attentionem videtur. Quoniam autem animi auspicium parum penes medicum sit, magnumque cum vita habeat nexum; de hac re, in cujus tractatione plus ingenii quam utilitatis exponeretur, tacere consultius putavimus.

* De ex. ac qui. § 7.

---

# DE HAEMORRHAGIIS.

*AUCTORE G. CLAPHAM.*

SUPER hoc argumento verba facere incepturi, intellectum vocabuli *Haemorrhagia*, apud alios auctores, alium esse notemus oportet. Hoc nomen quidem Sauvagesius, in Nosologia sua methodica, fluxu sanguinis e naribus solo circumscripsit. Sub eo Stahlius vero et alii profusiones sanguineas e corpore humano universas comprehenderunt, et has in Activas et Passivas diviserunt; per priores eas, quae ab actione vasorum adaucta; per posteriores, quae ab injuria externa vel erosione, oriuntur, significantes. Cum inter has nihil affinitatis pathologicae intersit, Cullenus, in Nosologia sua methodica, eas separavit, e prioribus ordinem primae classis Pyrexiarum, e posterioribus genus tertii ordinis quartae classis Localium, componens Illas *Haemorrhagiae*, has *Profusiones*, appellavit De illis, sub quibus haec genera complectimur, viz. *Epistaxis*, *Haemoptysis*, *Haemorrhois*, et *Menorrhagia*, in pauculis, quae sequuntur, paginis, differere decrevimus.

Haemorrhagia Activa hoc modo definitur: "Pyrexia cum profusione sanguinis absque vi externa; sanguis missus, et jam concretus, superficiem coriaceam albam ostendens *."

* Culleni Synopsis, pag. 296.

SIGNA.

## SIGNA.

Sanguis, abſque ullis notis inſignibus, profluvium antecedentibus vel concomitantibus, nonnunquam prorumpit; plerumque tamen plura vel paucioia e ſignis ſequentibus ſemet oſtendunt. In primis in conſpectum ſe dare conſuerunt plenitudo et tenſio, dolore partis ipſius, vel viciniae ejus, unde ſanguis erupturus eſt, majore minoreve, ſemper obtuſo, ſtipatae. Cum haec ſigna aliquandiu manſerunt, frigoris ſenſus plerumque accedit; quem tamen, modo leviorem, modo graviorem, modica tantum laſſitudo vel debilitas praecedit Eum concomitantur plus minuſve horroris et rigoris, aliquando nauſea et vomitus, pulſus celeres, ſpiritus frequens et gravis, et ſitis plerumque magna. Cutis quoque, ſub hoc tempus, areſcit; facies palleſcit; urina limpida fit; et quae excerni ſolent, et ex ulceribus effluunt, multum imminuuntur. Haec ſigna cum in aliquantum temporis adfuerunt, horror, rigor, &c. ſenſim decedunt, et ea excipit calor praeter naturam adauctus. Pulſus fit plenus, validus, durus; ſpiritus plenior et expeditior; ſitis major. Colorem ſolitum facies ſibi reſumit, praeter conſuetudinem rubeſcit, et aliquantum tumeſcit. Quinetiam hoc tempore urina fit colorata, adhuc tamen ſedimenti expers. Quae ſecerni conſueverunt, ea hucuſque ſupprimuntur, et parum nihilve puris ex ulceribus effertur, quae, praeter ſolitum, inflammantur. Si ſanguis, his ſignis manentibus, fuerit emiſſus, cruſta coriacea, tenax, craſſa, ſuperficiem ejus coacti obducit. Plenitudo et tenſio partis primum affectae non modice, hoc tempore, intenduntur; et, cum haec ſigna, calorem deſignantia, aliquod ſpatii habuerunt, ſanguis prorumpit.

Quantitas ſanguinis profuſa in aliis, et etiam in eodem, temporibus diverſis, alia eſt. Effuſio quoque, modo tardiſſima, ſanguine tantum guttatim elato; modo admodum ſubita, ſanguine pleno rivo profluente.

Quae quantitas effluit, ſi ea modica ſit, et eruptio ejuſdem non violenta et repentina, ſigna ſupra relata, nullis indiciis morbidis eis protinus ſupervenientibus, plerumque tolluntur. Certo tamen temporis ſpatio praeterito, haemorrhagia, pluribus aut paucioribus ſignorum jam comprehenſorum antecedentibus, ſaepe repetit; et igitur ſyſtema recurſu ejus, temporibus ſtatis, quorum intervalla nunc longiora, nunc breviora, inſueſcit.

Contra, ſi ſanguis rapide copioſeque proruperit, non raro excipiunt pulſus debiles, frequentes, abnormes; vertigo, ſyncope, ſudores frigidi, convulſiones, &c.; nec deſunt exempla, quae

quae posteris medici prodiderint, ubi aegrotus, quasi momento, raptus est. Quod si non accidat, debilitas inducta plerumque talis est, qualis aliis morbis, velut cachexiae, hydropi, &c. notissimis profusionum sanguinis immodicarum sequelis, quae aegroto tandem saepe exitio sunt, fundamenta jacit.

## CAUSA PROXIMA.

Hanc autem totius systematis sanguiferi, praesertim vasorum partis certae, actionem adauctam esse, cum congestione, vel insolita sanguinis in eadem, unde per anastomosin rupturamve effluat, accumulatione, phaenomena, quae supra recensuimus, clare manifesteque testantur.

Accumulationem, loco propriam, plenitudo, tensio, dolorque partis ipsius, viciniaeve ejus, unde sanguis prorumpit, aperte designant; et, cum haec signa ea, quae pyrexiam adesse significant, semper praecedant, congestionem paroxysmi febrilis causam esse patet. Quomodo autem congestio pyrexiam ei supervenientem faciat, explicatu difficillimum esse fatemur. Haud difficulter quidem intelligetur, quomodo distensio vasorum partis certae insolita, a cursu sanguinis ad ea facto oriunda, actionem eorum, tandemque systematis sanguiferi universi, stimulando possit augere. Hoc vero ad omnia signa explicanda non sufficit. Frigus notas, congestionem indicantes, semper subsequi compertum habemus; et solitae excretiones suppressae spasmum arteriolis extremis, praesertim superficiei corporeae, ubique illatum esse demonstrant. Hic cor et arterias amplius etiamnum irritat, et in unoquoque nisu systematis adaucto nunquam non necessarius esse videtur. Caeterum, quomodo accumulatio loco propria eum inducat, expositu non facile; cum nihil mechanici nexus hunc inter et illam videre possimus. Igitur ad vim naturae medicatricem solam, vel, ut alia verba adhibeam, legem systemati humano insitam, unde fit, ut aberrationes a commoda valetudine certae tales motus faciant, quales ad eas tollendas sint accommodatissimi, decurrendum est.

## SEMINIA.

I. Plethora universa.

Quandocunque systema sanguiferum praeter naturam distenditur, qua ratione quaelibet partis certae relaxatio vel strictura fortuita ad statum impetus sanguinei mutandum, et itaque ad accumulationes et earum sequelas creandas, possit conferre, haud difficulter mente concipies. Quicquid igitur

plethoram

plethoram dat, cauſis haemorrhagiae remotis merito annumeratur; et, cum harum notitia non parum luminis viae curandi offundat, praecipue ſaltem hic loci referri debent.

1. Animi corporiſque inertia.—Quantitas humorum in corporibus noſtris ei rationi ratae, quae ingeſta inter et excreta intereſt, ſemper reſpondet; i. e. ſi excreta ingeſta excedant, quantitas minor erit; ſin ingeſta excreta, major. Ex hoc patet, omnia quae excreta, ingeſtis immutatis, minora reddant, ad accumulationem humorum in ſyſtemate angendam collatura, et cauſam plethorae potentiſſimam evaſura eſſe. E cauſis autem excretiones imminuentibus, nulla forſitan plus poteſt quam vita iners et deſidioſa. quae, diu continuata, toti ſyſtemati arterioſo vigorem fere ſemper convellit, a quo conſervatio excretionum, potiſſimum cutanearum, quae, cum ſint copioſiſſimae, plurimum poſſunt, magnopere pendet.

2. Cibus multum alimenti praebens.—Sub hoc omnia victum ſpectantia complectimur, quae plurimum nutrimenti, pro mole ſua, continent, velut cibum animalem potius quam vegetabilem, et illius genera quae perſpirationi minimum faveant. Quomodo hic plethoram creet, non opus eſt ut multis exponam, cum res per ſe ſatis clara ſit.

3. Evacuationes ſolitae, ſive naturales, ſive praeter naturam ſunt, et ab arte originem ducunt, imminutae vel ſuppreſſae —Ad illas attinent perſpiratio et menſes; ad has haemorrhagiae ſpontaneae vel per artem inductae, et fonticuli.

Quanam eae ratione humores in ſyſtemate ſanguifero accumulent, plenitudinemque faciant, manifeſte intelligetur.

4. Miſſiones ſanguinis crebrae.—Has plethoram facturas eſſe equiſones et pecuarios minime fugit, qui ad ſanguinis detractionem ſemper decurrunt, cum equos ſuos, boves, vel alia domeſtica animalia, plena efficere volunt. Omnis ſanguinis rubri emiſſio ſyſtematis ſanguiferi tenſionem, et igitur ejus tonum, et denique actionem ejus ab hoc pendentem, imminuit. Itaque cum actio ſyſtematis ſanguiferi eſt diminuta, excretiones quoque diminuantur neceſſe eſt; namque hae magis minuſve copioſae erunt, prout vis a tergo intenditur vel diminuitur. Quo parciores autem excretiones ſunt, eo major erit accumulatio in vaſis majoribus; praeſertim ſi ingeſta immutata maneant, vel evacuatio non tanta ſit, quanta ſyſtematis tonum debilitaverit, et viribus aſſimilantibus nocuerit. Hoc accumulationis incrementum maneat oportet, donec ea ſyſtematis ſanguiferi tenſio, tonus, et actio fuerint reſtituta, quae rurſus excernentia poſſint aperire. Ad hoc autem efficiendum, major accumulatio, quam ante evacuationem, plerumque neceſſaria

neceſſaria erit. Namque, dum recens accumulatio fit, vaſcula excernentia, quod minus ſolito dilatantur, aliquantulum forſitan conſtringentur; unde majorem firmitatem, tantamque reſiſtendi facultatem ſibi adquirent, ut a quantitate ſanguinis eadem, quae ad ea, ante evacuationem, aperienda ſufficerit, amplius patefieri nequeant. Ita unaquaeque nova ſanguinis profuſio, cum iis limitibus continetur, ut nullam poteſtatibus aſſimilantibus injuriam poſſit inferre, accumulationem ſanguinis rubri auctiorem faciet, et non tantum plethoram jam inductam augebit, ſed ab arte pendentem dabit.

II. Conformatio partium prava, a ſtaminibus primariis oriunda, caſuve inducta.

Natura, in quoſdam oeconomiae uſus, aliam ante aliam partem explicari voluit; et quo hoc fiat, quandam inter partes ſyſtematis ſanguiferi diverſas inaequalitatem ab initio uſque dedit, unde vaſis cujuſlibet partis ſingularis, quam aliarum, amplioribus, laxioribus, diſtenſuque facilioribus, major ſanguinis copia in eam diffunditur, ut maturius celeriuſque increſcat, et acmen attingat. Stamina primaria plerumque ita formata et conſtituta ſunt, ut nihil in circuitu ſanguineo abnorme, quod non idoneo incremento et explicationibus partium ſyſtematis, ſibi invicem ſuccedentibus, conveniat, per longae etiam vitae decurſum, fiat. Nihil tamen in ſyſtemate animali ſemper prorſus abſolutum, nullumque auxilium in certos, quibus ſit obnoxium, errores paratum; quandocunque enim ratio partium prava, quandocunque major in hac laxitas, in illa rigiditas, quam quae ad explicationes partium ſyſtematis diverſarum, ſe invicem ordine quodam ſubſequentes, rite abſolvendas neceſſaria ſit, idonea humorum diſtributio mutabitur, et plethora loco propria facile progignetur.

Non alia ratione poſſumus explicare, cur quaedam haemorrhagiae, certis vitae temporibus, invadere conſueverint. Notiſſimum eſt, epiſtaxin ſemet oſtendere plerumque ſolere, corpore pubertatem verſus accedente; haemoptyſin ab eo tempore ad annum vitae trigeſimum quintum aut circiter uſque, et haemorrhoidem, aetate provectiore. Quare autem hae, ſtatis vitae temporibus, mortales infeſtent, proximum eſt ut plenius exponamus.

Cerebrum, utpote quod vitae motuſque organum, et fons quoque forſitan nutrimenti ſit, citius ad acmen ſuam, quam pars corporis quaelibet alia, pervenire reperitur. Quo hoc revera contingat, natura creatrix id reliquo corpore, pro rata parte, amplius effecit, ut quantitas ſanguinis quoque ad id miſſi, pro eadem ratione, major ſit. Hanc ob cauſam, incrementum ſuum maturrime inchoat et abſolvit, ejuſque ſolida caeteris

teris denſiora fiunt; et igitur maturrime impetui humorum ad ſe facto obſiſtere incipiunt. Quamprimum igitur vaſa capitis tantam denſitatem ſibi compararunt, ut impetui ſanguinis non amplius poſſint cedere, accumulatione humorum ibidem adhuc manente, plethora topica eveniat neceſſe eſt. Haec autem, quo minus admodum morbida fiat, obſtant vaſa aliarum corporis partium impetui ſanguineo gradatim cedentia. Quandocunque vero ratio partium haud idonea eſt, et aorta ejuſdemque rami non facile dilatantur, accumulatio in capite diutius manebit, et plethora ejus morbida evadet. Hinc clare conſtat, cur epiſtaxis, tempore ſupra comprehenſo, plerumque invadat. Sanguis e naribus profunditur, propterea quod vaſa ejus partis, ob ſitum laxum, et ſuperficiei quam proximum, facillime dilatantur aut rumpuntur.

Inter explicandum, cur haemoptyſis a pubertate, uſque ad annum vitae triceſimum quintum aut circiter, invadat, neceſſarium erit notare, plenitudinem morbidam, ſub aetatem priorem, in corpore plerumque oriri. Ante hoc tempus, vaſa ſemper plena, et in eo ſtatu ſunt, qui ſtricte plethoricus appellari poteſt, at hucuſque raro morbidus eſt. Quamvis enim ad explicationem ſyſtematis nunquam non neceſſarium, vaſa ultra cum contractionis gradum, in quem ſponte inciderent, dilatari; hoc tamen, eam plenitudinem et tenſionem morbidas fieri prohibet, quod, tunc temporis, in nonnullis ſaltem corporis partibus, amplius expandi poſſunt. Igitur haec plenitudo univerſa, ſub tempus tantummodo, quo corpus acmen attingit, maxima et talis eſt, qualis, paulo ulterius provecta, morbum conſtitueret; quod, hoc tempore, totum ſyſtema arterioſum eam ſibi denſitatem, quae ulteriorem diſtenſionem non patiatur, adepta eſt, et, incremento corporeo, quod olim copiam humorum majorem deſideravit, finito, ſyſtema auctui humorum non facile ſeſe accommodat. Cum igitur haec tenſio vaſorum et plenitudo morbidae factae ſunt, noxae earundem in ſyſtemate pulmonum potiſſimum ſentiuntur; propterea quod hoc inter et totum reliquum ſyſtema aequilibrium intercedit, eadem ſanguinis quantitate, eodem temporis ſpatio, in utrumque diffuſa; quamvis ſyſtema pulmonicum, non aeque, ac aortae, capax eſſe compertum eſt. Si res ita ſe habeat, ſanguis per pulmones motu ibi rapidiore, quam in ſyſtemate aortae, tantummodo poteſt tranſmitti. Hinc evidenter patet, cur ſanguis, poſt pubertatem, facilius e pulmonibus, quam aliunde, prorumpat. Quanquam autem haec inaequalitas pulmones inter et reliquum corpus interſit, effectus morbidi rariſſime exinde oriuntur, niſi ſimul adfuerit prava thoracis conformatio vel anguſtia, unde pulmones coarctantur

et inaequalitas augetur; impetus enim major, rebus ita se habentibus, necessarius evadit.

Cur proclivitas ad haemoptysin ultra annum aetatis trigesimum maneat, in causa est arteriosa plethora, ad id tempus usque, in systemate magis minusve invalescens. Illustris Wintringhamius * densitatem venarum et firmitatem, si arterias cum eis comparaveris, in animalibus junioribus, quam in aetate magis provectis, majores esse, et illas, in eis quibus multum aetatis nondum accesserit, impetui sanguineo magis resistere, et idcirco humores in arteriis accumulare; caeterum arterias, prout animal aetate progreditur, plus densitatis, quam venas, gradatim sibi acquirere; et igitur aequilibrium, certo tempore, immutari, rigiditatem arteriosam, venosae aequalem eademve majorem, fieri, et accumulationem plenitudinemve, qua arteriae antea laboraverant, ad systema venosum nunc transferri, manifestum e demonstravit. Hacc aequilibrii mutatio plerumque sub annum trigesimum quintum fit; unde hoc tempus meridies vitae, si ita loqui liceat, a medicis diu appellatum est.

Hoc igitur exponit, cur haemoptysis eo vitae spatio, quod supra comprehenderimus, potissimum contineatur; et quoque, cur venosae congestiones, ut in haemorrhoide, et apoplexia sanguinea, vel haemorrhagia cerebri Hoffmanniana, vita ultra meridiem suum provecta, saepissime accedant.

Quae accumulationes magis in venis capitis, vel haemorrhoidalibus, quam in qualibet alia systematis venosi parte, incidunt, eae modo, quo sanguis harum partium venosus redeat, singulari, circuitum sanguinis ibi languidiorem, quam alibi, reddenti, debentur.

Hanc ultimam aequilibrii mutationem, et priores quoque supra positas, raro subsequuntur morbi; et venosae congestiones tantum oriri solent, cum stamina primaria aliquo vitio laborant, et major inaequalitas, quam quae ad mutationes oeconomiae necessaria sit, arterias inter et venas data fuit.

Quaelibet partium quoque prava conformatio, casu inducta, proclivitatem ad haemorrhagias dabit.—Quandocunque laxitas et debilitas ullius partis singularis, nulla staminum primariorum labe subsistante, per quamlibet causam inductae sunt, impetui sanguinis ibi minus obsistetur, et hinc accumulationes in ea parte facilius incident. Ita haemoptysis eos potissimum, quibus pulmones per tussim convulsivam aliosve morbos antea debilitati sint, fertur occupare: debilitas intestini recti causis haemorrhoidos a Hoffmanno celeberrimo accensetur †; et eae mulieres, quibus uterus partubus difficilioribus, abortu, cae-

* Vide Wintringhamii experimenta. † Hoffman. tom. 2. p. 221.

terisque,

teriſque, olim infirmus factus ſit, in primis menorrhagiae patent *. Quinetiam ſupra diximus, haemorrhagias, quae ſemel alicubi inciderint, ibidem rurſus non difficulter moveri: quod hinc tantum exponi poteſt, quod prior congeſtio vaſa magnopere diſtendit, et non parum debilitata et relaxata dimiſit; unde accumulatio facilius redit, et recens congeſtio, cum omnibus ſuis ſequelis, inducitur.

## POTESTATES NOCENTES.

I. Quicquid obſtructionem quamlibet ſanguini venoſo arterioſove, non parvam, dat.

Si quando ſanguinis quantitas non modica curſum ſolitum tenere nequit, retro pellitur, aequilibrium circuitus mutatur, quod ſanguinis obſtacula offenderat, ad alia, praeſertim ad ea, loca avertitur, quae ei minime obſiſtunt, quaeque ſimul parti, ubi obſtructio ſit, proxima ſunt, et congeſtio exinde oritur. Hoc modo obſtructiones hepatis vel lienis, uterus gravidus, aqua in abdominis cavo, quaelibet coli e ſpiritu, faecibus, &c. diſtenſio, haemorrhoidem ſaepe movent, et, venam portarum aliquoſve e ramis ejuſdem praecipuis comprimendo, et inde reditum quantitatis ſanguinis venoſi non parvae praeveniendo, agere videntur. Epiſtaxis a hepate vel liene ſcirrhoſo †, vel haemoptyſis a pulmonum tumoribus ‡, proficiſcentes, hinc tantum illuſtrari poſſunt, quod curſum ſanguinis ſolitum impediunt, majoremque copiam alio deducunt. Haemorrhagiae quoque a frigore, vel a moerore animum exedente, oriundae ||, ab his ipſis ſtricturam extremis totius, partiſve, ſuperficiei corporeae vaſis ſpaſmodicam inferentibus, et ita obſtructionem non parvam dantibus, unde ſanguinis impetus ad partes internas et congeſtiones fiunt, concitari videntur.

II. Omnes hae cauſae quae vim ſanguinis in toto ſyſtemate adaugent, quales ſunt aromatica, liquores ſpirituoſi, et omnis qui ſtimulo eſt cibus; exercitatio violenta et ſubita, vel quilibet niſus inſoliti; remedia acria; calor externus; et affectus animi concitatiores, velut ira, gaudium repentinum, &c.; quae omnia, circuitionem ſanguinis accelerando, ad haemorrhagias inducendas quam plurimum conferunt.

III. Ea quae partem quamlibet certam, prae reliquis, ſtimulant.

Omnia, quae partem quamlibet irritant, actionem ejus vaſorum auctura, curſum ſanguinis majorem eodem factura, et haemorrhagiam vel inflammationem, prout ſtructura partis

* Hall diſput. prac. tom. 4. † Hoffman. tom. 2. p. 192.
‡ Hom. prin. med. p. 231. || Hoffman. tom. 2. p. 219.

ejuſque vaſa magis minuſve laxa, et dilatatu facilia ſunt, motura compertum habetur. Quandocunque igitur ſtimulus naribus, pulmonibus, inteſtinis, utcrove, ubi vaſa propius ſuperficiem, vel in textura laxiore, ſedent, diſtenſuque faciliora ſunt, admovetur, ſanguis ex hiſce partibus ſaepiſſime profunditur. Stimulus autem hujuſcemodi eſt quodvis acre ad partem certam applicatum, vel quilibet niſus ejuſdem violentior. Ita acria remedia, quae ſupra comprehenderimus, velut cathartica, emmenagoga, cantharides, &c. vel ſtercus acre et induratum inteſtinis retentum, haemorrhoidem menorrhagiamve ſaepe movent. Clamor, cantus, tuſſis, &c. frequenter haemoptyſin; ſternutatio epiſtaxin nonnunquam, inducunt; venus immodica cauſis menorrhagiae annumeratur; et haemorrhois quemlibet niſum, inter alvum evacuandam, vinis violentum non raro ſubſequitur. Haec omnia ad claſſem eorum, quae circuitum ſanguinis univerſum accelerent, poſſunt referri; caeterum effectus horum proprii in partibus, quibus protinus admoveantur, ſeſe potiſſimum oſtendunt.

## CURATIO.

Stahlius ejuſque aemuli pleroſque morborum, quibus corpus humanum ſit opportunum, a plenitudine proficiſci, et animum praeſidem ei conſtanter, morbos depellendi cauſa, invigilare, putarunt. Igitur haemorrhagias, ut auxilium plethorae a natura comparatum, ideoque univerſam morborum ſeriem ab ea oriundam tollere valens, ſemper ſaluti eſſe contenderunt. Hinc, quantum in ſeſe eſt, omnes medicos, ne iis conentur occurrere, dehortantur. Quinetiam non pauca proferunt, quae periculum, quod ab haemorrhagia, cum adeſt, cohibita profluat, oſtendunt; quodque animum rationalem omnia corpus ſpectantia adminiſtrare credunt, quantitatem ſanguinis effuſi ſaluti ſyſtematis ſemper accommodatum iri tradunt.

Quantum ad ſuppreſſionem haemorrhagiarum ſubitam attinet, eam, multis in exemplis, perniciоſam fuiſſe, et uſum aſtringentium praematurum ſaepe nocere poſſe, fatemur. Quod vero aſtringentibus praemature adhibitis Stahliani objicere conſueverunt, id haud dubie eorum remediorum, quae haemorrhagias non repente et ex toto ſiſtunt, ſed ſolummodo magna ex parte nimias eſſe prohibent, utilitatem nec infirmat nec diluit. Quantitas autem ſanguinis prorumpens valetudini ſyſtemati commodae nequaquam ſemper accommodatur. Namque, ut in hiſtoria obſervavimus, tantum ſanguinis nonnunquam effunditur, ut animi deliquium, nervorum diſtenſiones,

more

mors subitanea, accedant ; et multa exempla non desunt, ubi debilitas, hinc inducta. talis fuit, qualis morbis pessimis, velut cachexiae, hydropi, caeterisque jecerit fundamenta. Tanta utique sanguinis jactura ad conservationem systematis nunquam conferre potest; et si quando metus est ne fiat, ei quam primum occurrere, etiam per astringentia, haud dubie medici prudentis erit.

Quantum rationem reditui haemorrhagiarum occurrendi spectat, Stahliani in hoc potissimum erravisse videntur, quod eruptiones sanguinis a statu plethorico, qui pars constitutionis corporeae primariae, et igitur inevitabilis, esset, semper pendere sunt opinati. Haemorhagiae, ut supra positum, a causis excitantibus, distributionem sanguinis admodum repente mutantibus, saepissime oriuntur Cum aequilibrium partium systematis diversarum non semper aequale sit, quaelibet exercitatio nimis violenta, nisus insoliti, affectus animi concitati, &c. cursum sanguinis, impetum ejus praeter solitum augendo, ad partes, prae aliis, alias facere, et omnia activae haemorrhagiae signa movere, possunt. Profecto igitur, in exemplis hujuscemodi, potestates nocentes tollere vel vitare, eoque haemorrhagiam arcere, non tantum licet, sed omnino necessarium est.

Caeterum, haemorrhagiam a plethora oriri pone, haec non semper a conditione systematis primaria et immutabili pendet. Saepissime per artem, uti supra dictum, inducitur, per consuetudinem confirmatur, et, multis in exemplis, talis est, qualis tolli potest. Haemorrhagia, a plethora hujusmodi orta, levamen quidem, in tempus, systemati praebere potest ; quamdiu vero prius ei, quam revera haemorrhagiam moverit (ut saepe et tuto fit), occurrere possumus, systema haud dubie nullo hoc genus levamine indiget, et haemorrhagia hujusmodi ei nunquam necessaria est. Si igitur his, modo positis, incommoda haemorrhagias concomitantia ; noxas a fluxu nimio, vel quilibet fortuita ejusdem, cum inveteravit, suppressione oriundas ; et tubercula, scirrhos, fistulas, &c. quae nonnullae earum inducere consueverint, adjicias, eis venientibus occurrere, si tuto fieri possit, non tantum licere, sed omnino necessarium esse, concludas oportet.

His litibus compositis, manifestissime patet, consilia haemorrhagiis medendi praecipua esse,

I. Ne fluxus sanguinis immodicus sit ;

II. Ne redeat, cavere.

Consilio priori duo respondent,

1. Impetum sanguinis in toto systemate sanguifero, potissimum vero in parte unde profundatur, imminuere :

2. Vasa

2. Vasa relaxata vel rupta constringere.

Indicationi priori conveniunt remedia quae sequuntur.

A. Regimen antiphlogisticum.—Sub hoc comprehendenda sunt,

*a.* Alimentum quam minime stimulans.—Cum recens alimentum in ventriculo inest, systemati nunquam non stimulo est. ut pulsus arteriarum, post cibum liberaliter sumptum, frequentiores semper redditi, plane testantur. Quocirca stimulum alimenti, quantum possumus, delectu ejus, quod minime stimulat, habito, perpetuo fugiamus necesse est. Quo magis minusve alkalescentia sunt alimenta, eo magis minusve stimulant. Igitur omnis cibus animalis vitandus, et vegetabilis solus adhibendus E vegetabilibus autem, farinacea omnibus aliis antepones, utpote quae magis dissolubilia sint, et igitur minus, quam radices et olera, stimulent.

Quinetiam stimulus potus cavendus est. Itaque omnibus liquoribus aromaticis, spirituosis, et fermentatis, aegrotus cautus abstineat, et in locum eorundem aquosos, gratiores palato per acida eis admista redditos, substituat.

*b.* Frigus modicum.—Omnium stimulorum, qui systemati animali admoveantur, potentissimus est calor, qui, cum humores quoque rarefacere soleat, in haemorrhagiis quam maxime semper vitandus est. Quantum temperaturam cubiculi aegrotantis spectat, ne gradum thermometri Fahrenheiteani sexagesimum secundum unquam excedat, magnopere cavendum est. Quaelibet caloris in superficie corporis aegroti accumulatio quoque diligenter praecaveatur, cum effectus potestatis ejus generatricis inde adaugerentur. Cubile igitur levicule tegatur, et stragula linea, non lanea, sint; cum illa calorem facilius, quam haec, ad aerem externum transire permittant. Quanquam autem stimulus caloris omnino defugiendus; admissio tamen aeris frigidi ad corpus limitibus certis circumscribenda. Quinam vero hi sint, dictu quidem difficile. Exploratum habetur frigus, ad certum gradum usque, et quibusdam substantibus, vim tonicam potentissimam habere; et ideo diathesin phlogisticam jam nimiam, eoque nisum haemorrhagicum, augere posse. Cum vis procreatrix hic nimis magna sit, temperies forsitan, quam cum valetudo commoda est, frigidior esse debet, ut aequilibrium externam temperiem inter et facultatem generatricem rite conservetur Quantum autem frigoris sit adhibendum, statuere non possumus.

*c.* Corporis animique requies.—Quilibet motus corporeus sanguinis venosi ad cor reditum accelerat; ideoque huic stimulo non parvo est, contractiones hujus frequentiores efficiens. Requies igitur absoluta aegrotis injungetur, et loquela etiam,

utpote

utpote quae reſpirationem acceleret, et tranſitum ſanguinis per cor et pulmones velociorem reddat, quam maxime vitabitur. Exercitatio animi corpus quoque irritat. Idcirco impreſſiones, quae in cauſa cogitationis eſſe ſoleant, praeſertim eae, quae affectus animi violentos moveant, diligenter cavendae ſunt.

*d.* Poſitura corporis idonea.—Impetus ſanguinis in qualibet ſyſtematis parte vel augebitur vel diminuetur, prout ſanguinis gravitas humorum in parte motui favet vel adverſatur *. Igitur, in omnibus haemorrhagicis congeſtionibus, motui ſanguinis in parte laborante, per gravitatem ſuam, quantum poſſit fieri, obſiſtatur. Ad hoc autem efficiendum, ſemper neceſſarium eſt, ut pars affecta caeteris altius collocetur. Itaque, in haemorrhagiis e naribus, poſitura erecta; contra, in haemorrhagiis ex utero, &c. horizontalis, clunibus trunco paulo altius poſitis, ſemper plurimum prodeſſe reperiuntur.

*e.* Laxantia lenia.—Stercus in inteſtinis retentum et induratum, mole et acrimonia ſua, totum ſyſtema non parum ſaepe ſtimulat; et in haemorrhoide ſanguis ab hoc fonte ſolo non raro promanat. Hanc ob cauſam, alvus perpetuo ſoluta teneatur; quod praeſtant enemata emollientia, et ea laxantia, ore ſumpta, quae minime ſtimulant, velut manna, tamarindi, ſales medii, ſulphur, oleum ricini, &c.

B. Sanguinis detractio.

Cum actio ſyſtematis ſanguiferi a tono vaſorum, et hic a tenſione, per quantitatem humorum, quam contineant, iis data, magna ex parte pendeat; copiam fluidorum, ſanguinis miſſione diminutam, actionem quoque ejus ſyſtematis, ideoque ſanguinis impetum, imminuere oportere, manifeſtiſſime conſtat. Lis tamen nuper mota eſt, utrum eadem ſanguinis quantitas per haemorrhagiam ſpontaneam, an per aperturam, in alio corporis loco arte factam, emiſſa, idem levamentum necne afferret †. Priore modo detractam non tantum profuturam eſſe contendimus. Effectus ſanguinis miſſionis ſalutares ab eodem repente detracto, et inde totum ſyſtema ſanguiferum ſubito relaxante, potiſſimum oriuntur; namque neminem latet, paucas uncias hoc modo, quam copiam duplo majorem tarde, emiſſas, magis proficere ſolere. Si ſanguis autem, in haemorrhagia ſpontanea, e vaſis parvulis effluat, et, quod ſaepiſſime accidit, lente profundatur, quantitas multo major, quam in evacuatione ab arte petita, prius effundetur, quam impetum anctum minuere, et haemorrhagiam compeſcere vel ſiſtere, poſſit. Cur igitur majorem ſanguinis miſſionem minori ante-

* Cull. phyſiol. clxxvii. 3.
† Vide Lond. med. tranſact. vol. 2. p. 529.

poneres,

poneres, cum minor magis posset? Sin profusionem, haemorrhagia spontanea, satis subitam, et non minus ad tensionem et diathesin phlogisticam tollendas, quam detractionem per artem factam, efficacem esse poneres, haec tamen illi longe praestaret; quod metus nunquam deest, ne haemorrhagia naturalis, in hisce exemplis, nimia fiat, praesertim si in pulmonibus inciderit, ubi sanguis effusus tussim perpetuam dabit, quae vascula rupta coire prohibebit, et profusionem multo diutius, quam salus et commodum systematis postulant, manere coget.

C. Quaedam sedantia.

*a.* Refrigerantia.—Remedia, sub his comprehensa, sunt acida salesque medii, quae, cum potestatem certam sedantem, qua actionem systemati sanguifero imminuunt, possideant, in omnibus activae haemorrhagiae exemplis merito laudantur, et nostrae indicationi quam optime respondent. Modus eorum, ut sedantium, agendi non facile explicatur; at sufficit, quod experientia ea hoc modo agere demonstraverit. Quinetiam alvum modice solvunt, et cursum humorum ab internis partibus ad externas potenter avertunt. Quantum, ut laxantia, prodesse possint, e supra comprehensis clare intelligetur; et, cum spasmus arteriarum extremarum remissum systematis potissimum faciat et conservet, potestis, qui praedita sint, humores ad superficiem evocandi, huic et simul cuilibet humorum cursui, ad interiora facto, tollendis plane accommodatur et inservit.

Ex acidis, quae potissimum adhibentur, ea sunt vitriolicum et vegetabile; hoc autem illi, utpote quod majore quantitate dari possit, et facilius in totum systema diffundatur, anteponendum putamus.

Neutrale, ad quod potissimum decurritur, est nitrum; sed omnia reliqua, e vitriolicis, nitrosis, aut vegetabilibus acidis cum alkalinis conflata, plus minusve earundem dotium evidenter habent.

Quinquam autem commoda, supra posita, ab acidis et neutralibus haud dubie oriantur; pulmones tamen, quod silentio non praetereundum videtur, frequenter irritant, tussimque movent. Hoc notavit Chenotius, cui acidum vegetabile in peste adhibendi occasiones crebrae subministratae sint. Quinetiam Cullenus exemplum, in praelectionibus suis, proferendum curavit, ubi quantitas nitri parvula, ut enema, in anum immitti non potuit, quin irritationem pulmonibus et molestiam non parvam inferret. Quotiescunque igitur sanguis e pulmonibus fuerit profusus, acida hoc genus caute adhibeamus oportet.

*b.* Aqua frigida ventriculo recepta.—De effectibus aeris frigidi, superficiei corporis admoti, salutaribus, inter regimen anti-

antiphlogiſticum exponendum, ſatis jam diximus. Igitur hic loci folummodo de uſu frigidae interno verba faciemus. Haec eſt remedium ab auctoribus compluribus, potiſſimum vero a Hoffmanno * celeberrimo, qui eam frequenter et liberaliter adhibitam quam plurimum prodeſſe compertus eſt, laudatum. Frigida tamen in ventriculum, certis quantitatibus, et quibuſdam ſubſtantibus, recepta, vim tonicam evidenter habet, et igitur in haemorrhagiis activis periculo eſſe poteſt. Exploratum tamen habetur, quodlibet frigus, non modicum, ſeu ventriculo ſeu ſuperficiei corporis admotum, non raro potentiſſime ſedare; et poteſtatem ejus tonicam pro effectu tantum ſecundario habendam eſſe, et a vi medicatrici naturae ſola, quam poteſtates ejus primariae ſedantes moverant, oriri opinamur. Quandocunque igitur frigida magna quantitate, eaque ſaepe iterata, datur, adeo ut vires vitales non parum imminuat, et eo reniſum ſubſequi ſolitum praeveniat, tonicae ejus poteſtates vitabuntur, et ſedantes tantum agent. Per adminiſtrationem hujuſcemodi potiſſimum, noſtro judicio, in haemorrhagiis profuit, et in pleriſque exemplorum, quae noverimus, ubi profecerit, haud dubie liberaliter data eſt.

*c.* Opium.—Hoc eſt remedium quod a nonnullis medicis plurimum eſt collaudatum. Trallius, qui de opio pleniſſime conſcripſit, ſe utilitatem ejus in haemorrhagiis activis ſaepe expertum eſſe affirmat; et Whyttius celeberrimus, in libro ſuo, qui *De Morbis Nervoſis* inſcribitur, in eandem ſententiam concedit. Opium non citius ſumptum eſt, quam haud dubie ſedat, et actionem totius ſyſtematis ſanguiferi diminuit; quam primum vero effectus ejus ſedantes ex toto ceſſarunt, ſyſtema plerumque magis irritabile dimittit, et, ut multi auctores, quibus ſumma fides habenda ſit, teſtantur, diatheſin phlogiſticam adauget; quod in cauſa eſt, cur eo, donec haec ex toto, ſaltemve magna ex parte, fuerit ſublata, abſtinere debeamus.

D. Epiſpaſtica.

Si epiſpaſtica pro ſtimulantibus tantum, ut multis placet, habenda ſint, ea haud dubie in haemorrhagiis adhibere nolemus. Caeterum utilitas eorum in morbis inflammatoriis, vires ſtimulantes non multum timendas eſſe, et vi antiſpaſmodica, qua diatheſin phlogiſticam tollant, et impetum humorum in ſyſtemate auctum imminuant, ex toto penſari, evidenter oſtendit. Hinc autem, cur in auxilium haemorrhagiarum, quod experientia jam confirmavit, tam prompta ſint, facile videbis.

Hic, ut in aliis morbis inflammatoriis, ubi ſimul adeſt topicus affectus, plurimum prodeſſe reperiuntur, quam proxime

* Hoff. vol. 2. p. 199.

partem laborantem admota. Cum ſtranguria univerſum ſyſtema magnopere irritet, abſorptio cantharidum, unde oriatur, diligenter cavenda. Vitabitur autem, 1. Si nulli cutis parti, quae, vel minima ex parte, lacerata aut exulcerata eſt, admoveantur; vel ſi cutis, parum integra, quolibet emplaſtro idoneo tegatur: 2. Si cutis per aliquid ſindonis interpoſitum defendatur, quod faciet, ut emplaſtrum, nec ulla ejus parte relicta, nec cuticula ſimul avulſa, poſſit removeri: 3. Si emplaſtrum, quam primum cutem exulceravit, tollatur: 4. Si diluentia liberaliter adhibeantur.

E. Emetica.

Agitationem ſyſtemati per vomitionem illatam non rite conſideranti emetica in haemorrhagiis omnino aliena eſſe viderentur. Rem autem aliter ſeſe habere, experimenta teſtantur; namque a Robinſonio *, medico Dublinienſi, in exemplis etiam haemoptoes, ſummis cum commodis, data fuiſſe diſcimus. Ille operationem eorum a conſtrictione omnibus extremis arteriis, per tempus, quo nauſea et aegritudo accedant, et actio cordis magnopere debilitetur, inducta, pendere exiſtimat. Caeterum, quamprimum plena vomitio mota eſt, actio cordis arteriarumque manifeſte augetur, et ſpaſmus, ſi quis fuerit inductus, omnino tollitur; igitur non ab ulla vi aſtringente, ſed ab hoc, effectus eorum boni plane oriuntur, quod, ut omnes probe noverunt, humores ad ſuperficiem corpoream evocant; ſpaſmum febrilem, quo impetus ſanguinis potiſſimum conſervetur, reſolvunt, et ſimul quemlibet curſum humorum, ad interiora factum, unde haemorrhagia pendeat, alio avertunt.

F. Ligaturae artubus injectae.

Hae conſilio venas aliquatenus comprimendi, eoque reditum ſanguinis ad dextrum cordis ventriculum, ex aliqua parte, retardandi, adeo ut hujus actio, et inde impetus totius circuitus imminuatur, adhibentur. Hoc autem remedium, in medicinam prius invectum, quam mortales circuitum ſanguineum rite perſpectum habuerint, objectionibus, quae non facile poſſint refelli, manifeſte patet. Primum, ligaturam ita adhibere, ut venae, non arteriae ſimul, comprimantur, difficile eſt; namque alioquin non minus ſanguini a corde profluenti obſiſtendo noceres, quam reditum ejus retardando prodeſſes. Secundum vero, venas ſolas poſſe comprimi pone, effectus, inde exſpectandi, diuturni eſſe non poſſunt; etenim compreſſio hujuſcemodi, diu adhibita, non minus arteriis, quam ſi vinculum eis revera injectum foret, obſiſtat neceſſe eſt.

Praecipuis remediorum quibus impetus ſanguinis auctus imminuatur, hoc modo percurſis, proximum eſt, ut eorum quo-

* On the virtues and operations of medicines.

que,

que, quae haemorrhagias vasis relaxatis ruptisve constringendis cohibeant, mentionem faciamus.

Remedia quae huic indicationi conveniunt, sunt,

Astringentia.—Haec autem vel interne vel externe adhibentur. Quae interne, ea sunt vegetabilia, aut fossilia. Quantum ad illa attinet, operatio eorum, quam fossilium, minus subita est, et, quamvis in primis viis agant, effectus tamen suos in systema multo tardius diffundunt. Quam ob rem ad ea, haemorrhagias sistendi causa, periculosis in exemplis, medici raro decurrerunt. E fossilibus, chalybeata, e plumbo praeparata, et alumen, in usu potissimum fuerunt. Chalybeata non multum astringunt, et, cum vim tonicam habeant, diathesin phlogisticam augere possunt, et igitur, in haemorrhagiis activis, sunt anceps remedium.

Quod plumbi praeparata spectat, haud dubie astringunt; quod vero praesidium haemorrhagia laborantibus praebent, id ex toto fere potestati eorum sedanti tribuendum est, quoniam nunquam ea quantitate, quae profluvium fibris corrugandis valeat sistere, dantur. Quousque adhiberi debeant, nondum, me judice, compertum est. Certa quantitate sumpta venenum potentissimum evadunt; igitur semper cautissime danda. Alumen efficacius tutiusque adhiberi potest, illudque adstringens est, quo potissimum debeamus confidere. Actionem suam celerius in systema universum, quam astringentia vegetabilia, diffundit; dum astringit, quoque sedat, et hinc impetum humorum imminuit, virium plumbi nocivarum propemodum expers.

Astringentium externorum praecipuum et potentissimum est applicatio frigoris. Haec aliquatenus, et sub certis limitibus, manifeste potenter astringit, contractionem vasis superficiei corporis inferens. Hoc modo haud dubie in haemorrhagiis profecit. Ita aqua frigida, cervicibus admota, haemorrhagiam e naribus coercere reperta est; haemoptysin saepe, manibus et pedibus in eam demissis, sustulit; eadem in vaginam, non raro cum commodo, in menorrhagia injecta est. Ad eam tamen non prius decurri oportere opinor, quam diathesis phlogistica, magna ex parte, fuerit sublata, ne potestas ejus tonica, quae ab astringente aegre separatur, illam forsitan non parum adaugeat.

II. Plerisque remediorum, quae haemorrhagiae substanti compescendae inserviant, memoratis, ad ea, quae reditui ejus praecavendo accommodantur, dicenda transsilimus.

Huic consilio respondet plenitudinem universam locove propriam, quantum possumus, praevenire vel removere.

A. Diaeta parciore minusque nutriente.

Indoles oeconomiae humanae plerumque talis eſt, ut inter ingeſta et excreta aequilibrium accuratiſſimum interſit. Res vero non ſemper ita ſeſe habet, et quoties aequilibrium amiſſum eſt, quoties ratio ingeſtorum, quam excretorum, major, toties inſolita humorum in ſyſtemate accumulatio ſubſequatur oportet. Quo hoc aequilibrium, perquam neceſſarium, rite conſervetur, cibus quod ad copiam diminuatur. Caeterum praeceptum hujuſmodi cum aegroto plerumque fuerit neglectum, propoſito noſtro certius reſpondebit id alimentum, quod minus nutrit. Quantum hoc ſpectat, natura alimenti magnopere variat. Exploratum habemus, animale quantitatem globulorum rubrorum et glutinis majorem progignere, minus perſpirabile eſſe, difficiliuſque per excernentia propemodum univerſa, quam vegetabile, tranſire. Hoc igitur aegrotantibus curioſe quaerendum, illud quam maxime cavendum. Agendum eſt, ut tranſitus a victu pleno et lauto ad contrarium non nimis ſubitus ſit, ne vitiis plenitudine ipſa pejoribus fundamentum jaciat.

Hic nobis objici poteſt, quod copia doteſve cibi nutrientes diminutae ad plethoram, loco propriam, praecavendam nihil conferent, quae a ſtaminibus primariis aliiſve rebus, cum nulla plenitudine morbida conjunctis, oriri poteſt. Hoc tamen ex toto forſitan non verum eſt; congeſtiones enim loco propriae eo minus facile fient, quo magis plenitudini univerſae fuerit occurſum, et quamvis non penitus, aliquatenus tamen, ſtatu plethorico limitibus anguſtioribus circumſcripto, vitari poterunt. Sed congeſtiones, unde unde oriantur, raro prius notabiles ſunt, quam diatheſeos phlogiſticae plus minuſve ediderint, quae accumulationem, loco propriam, auctumque ſanguinis impetum, amplius etiammum intendit. Cum autem huic diatheſi phlogiſticae per diaetam parciorem, haud dubie quoque, ex aliqua parte ſaltem, congeſtioni, occurrimus.

B. Exercitatione.

E rationibus plethorae occurrendi, exercitatio forſitan optima eſt, et in plurimis exemplis abhiberi poteſt. Mortales ad vitam actuoſam natura manifeſte deſtinavit; etenim abſque exercitatione circuitus langueſcit, excretiones neceſſariae minuuntur, et plenitudo, cum omnibus ſuis ſequelis, inducitur. Hoc abunde probat obſervatio quotidiana, quae mulieres, quae parum exercitationis adhibeant, licet diaeta parca ſit, et non multum nutrimenti praebeat, fere ſemper plenitudine laborare teſtatur. Exercitatio, praeſertim ea quae multum actionis deſiderat, reditum ſanguinis venoſi accelerando cor ſtimulat, et contractiones ejus frequentiores reddit, unde ſanguis ad partes corporis remotiſſimas vi majore propellitur, et excretiones,

tiones, praeſertim cutaneae, utpote quae a ſtatu circuitus ſanguinei multo magis, quam reliquae, pendeant, non parum augentur. Quam potenter igitur plethorae occurrat, hinc clare perſpicueque conſtabit.

In eis exercitationis generibus, quae multum actionis exigant, vel iis corporis motibus, qui per vires ejus internas cieantur. fiducia noſtra potiſſimum collocanda.

Quae exercitatio corporea adhibetur, ea nunquam violenta eſſe debet; quod ad eam, in tempus breve tantum, decurri poteſt, et requies mox neceſſaria evadit, unde excretiones, quo magis copioſae fuerunt, eo magis ſubſidunt, et perſpiratio tantum, infra menſuram conſuetam, imminuitur, quantum antea eam exceſſerat. Igitur ſemper modica ſit, quo conſtantius, ſaltem aeque conſtanter ac ſyſtematis neceſſitas poſtulabit, et aegroti conſuetudo patietur, adhibeatur. Si aegrotus exercitatione non conſueverit, a remiſſiore incipiat, et deinde ad ampliorem tranſeat. Exercitatio citra defatigationem ſemper erit; alioquin perſpiratio exinde diminuetur, et conſilio noſtro non reſpondebitur, immo, contra, obviam ibitur.

Quanquam commoda plurima, et non dubia, ab exercitatione idonea, quae praecipuas excretiones conſervet et promoveat, eoque plethorae occurrat, promanant; ei tamen in his congeſtionibus et haemorrhagiis, quae potius a ſtructura partium ſingulari, quam ab ulla plenitudine ſyſtematis generali, pendeant, multa objecta ſunt. Eoſdem quidem effectus ſalutares, in hiſce exemplis, ab ea non exſpectandos eſſe, et exercitationem corpoream, perinde ac omnes alias impetum ſanguineum augendi rationes, cum curſus humorum, ad locum certum factus, per minimum auctum, ad haemorrhagiam uſque pervenire periclitatur, nocivas eſſe fatemur. Caeterum, nec accumulatione adhuc longe provecta, nec curſu humorum plene conſtituto, exercitationem corporis profuturam, et cuivis ſanguinis ad locum quemlibet impetui occurſuram eſſe contendimus. Hoc medicorum celeberrimorum experientia confirmat, et facultas oeconomiae humanae ſingularis explicat, unde quilibet univerſus actionis cordis arteriarumque auctus ſanguinem ad arterias ſuperficiei corporeae extremas, quam ad partes internas, magis copioſe deducit *.

C. Sanguinis miſſione.

Haec, quae maſſam humorum circumeuntem brevi imminuit, et globulos rubros ei potiſſimum detrahit, ad plethoram praeſentem et hujus ſequelas tollendas haud dubie efficaciſſima eſt. Quanquam vero hoc remedium in praeſentem plethoram tantum poſſit; attamen ad ejus recurſum praecavendum pa-

* Cull. Inſt. clxxx. 4.

rum

rum conferre videtur. Contra, ei potius, ut ſatis, me judice, demonſtravi, favet; et, ob accumulationem brevi renovatam, recens ſanguinem rurſus mittendi neceſſitas redit; unde oritur plenitudo, a conſuetudine pendens, et, poſt certa intervala, rediens. Igitur, ſi haemorrhagiae per alias rationes poſſit occurri, ſanguinis miſſionem omittendam puto. Nihilominus autem, cum congeſtio plethorica manifeſte jam facta, et metus eſt ne ſanguis ſponte erumpat, eum per artem potius, quam per evacuationem naturalem, emittes; et hoc, rebus rite adminiſtratis, forſitan impune fiet. Quantum ſit detrahendum, docebunt ſignorum gravitas, aetas, anni tempeſtas, regio, ſexus, tamperamentum, ſanguinis mittendi conſuetudo. Poſt primam ſanguinis detractionem, ad ſigna ſtatus plethorici renovati prima animos diligenter attendendum, et evacuationem, ſed parcius quam prius, iterandum. Summa abſtinentiae ratio habeatur, quae recurſum in diem longinquiorem differet, quo ſanguis rurſus mittendus. Intervallis hoc modo longioribus redditis, et quantitate imminuta, ſanguinem detrahere pergimus, unde reditus ſtatus plethorici minus minuſque inſignis fit, donec tandem, ſaltem quatenus a miſſione ſanguinis pendeat, omnino evaneſcat.

---

## DE ADMINISTRATIONE ANTIPHLOGISTICA.

*AUCTORE R. SCOTT BYAM.*

### *Adminiſtrationis Antiphlogiſticae Notio.*

ADMINISTRATIONEM antiphlogiſticam medici, regimen antiphlogiſticum vulgo nominatam, paulo latiore vocis ſignificatione, medicamenta quoque antiphlogiſtica comprehendere, et ſic Primi Conſilii Culleniani, nimiae actioni febrili moderandi *, partem priorem totam † ad hanc rem pertinere, exiſtimaverunt. Verum, quia vocabuli Adminiſtratio ſenſus medicamenta omnia, omnem apparatum pharmaceuticum, manifeſto excludit, remque ad antiquam medicinae diviſionem, quae Pars Diaetetica appellabatur ‡, fere revocat; igitur, quicquid ex officina petitur, id omne, cujuſmodi ſunt refrigerantia || medicamenta et alvum purgantia §, et chirurgi ma-

* Prim. Lin. cxix. † Ibid. cxx. 1. cxxi. 1. 2. 3. ‡ Celſ. Praefat.
|| Cullen. Pr. Lin. cxxvii. cxxviii. cxxix. § Ibid. cxxxvii. ad cxliii.

nus,

nus *, rejiciendum eſt. Denique, haec curationis pars ea eſt, quae nihil ipſa faciat, nullum auxilium adferat, et tantum, quod ad unam rem, nempe nimiam corporis actionem febrilem, attinet, hanc augentia vitet, eoque eatenus tantum cavenda caveat. Quod ſi medicamentis quibuſvis, et nominatim refrigerantibus, rejectis, poteſtatem tamen refrigerantem, nempe frigoris uſum †, recipere videamur, in ea re, nihil adverſus normam noſtram noſmet peccare; contra, ob id ipſum, hanc religioſe obſervare, et etiam nihil facere eum, qui adminiſtrationem antiphlogiſticam tractat, contendimus: Quin et, de ſupra et infra purgatione, quam ſtimuli cavendi cauſa poſtea tractabimus, idem fere dicendum eſt. Quis enim adeo Muſſchenbroeckii, de frigore, ut poteſtate activa, placito imbutus eſt, et caloris verae naturae ignarus, ut ſummum, quod aut notitia aut conceptu comprehendimus, frigus, tantum imminutum calorem eſſe, neſciat? Praecipiendo igitur frigus, calorem vetamus. Sic adminiſtratio antiphlogiſtica quid non ſit praefatus, ut quid ſit dicam;

Eſt irritamenta, quae pauciora aut plura, magiſque aut minus, corpora noſtra ſemper fere exercent, vitare.

*Ejus Partes, ſive Irritamenta vitanda.*

Irritamenta vitanda, ſunt, impulſus ſenſus noſtros afficientes, corpuſve aut animum commoventes, quoſve alimentum aſſumptum dat. Hi conſtantius, nec omni ex parte vitandi, eoque intra modum tantummodo retinendi, urgent: Sed et alii, minus perpetuo, et caſu tantum, aut occaſione febris exortae data, occurrentes, eandem medici curam poſtulant.

Conſtantiores, et minus ex toto evitabiles, impulſus ſunt ii, qui, 1. Organa ſentiendi; 2. Motricia corporis, afficiunt: 3. Animum commoventes: 4. Ex cibo et potione orientes. Ex minus perpetuis impulſibus; 5. Sitis; 6. Crudorum ventriculo; 7. Stercoris inteſtinis, retentorum; 8. Communis humorum acrimoniae, ſtimuli fugiendi ſunt ‡. Hi omnes cum corporis humani actionum neceſſitatibus conjunguntur, aut ex motibus ejus ſponte ſua profluunt: Nam, ut corpus noſtrum non poteſtatibus ſibi propriis inſitiſque continetur ‖, id eſt, non merum αυτοματον eſt, ſed innumerarum rerum externarum, inter quas verſatur, impulſibus, quibus excitetur, aſſidue eget, et ſine quibus non ſomno ſolum, ſed et morte, exciperetur §; id eſt, ut cerebri actio, licet reliquarum fons et origo ſit, tamen, corporeis, quos ipſa gignit, motibus, invicem ad ſe ſuſtentan-

* Cullen. Pr. Lin. cxxx. ad cxxxvii.
† Ibid. cxxvi.
‡ Cullen de febris curatione, paſſim.
‖ Gaub. Pathol. 4. 5.
§ Ibid. 6. et Cullen. praelect.

dum,

dum, hique externis illis impulſibus, egent; et quoniam hi, prout parum nimiſve, aut juſto modo, praveque aut recte, admoventur, ſic motus ex iis pendentes juſto minores aut majores, aut alioquin inordinatiores, contrave, debito modo, edent, adverſamque aut ſecundam valetudinem dabunt; ideo, iidem impulſus, ſic inevitabiles, et, pro modo aut ratione agendi, ſalutares aut pernicioſae, ſummam medici curam poſtulant, et nuſquam quam in febrili motu magis, ubi cerebri actio, et omnes ab eo pendentes corpori proprii motus, ſponte ſua ad pernicioſum exceſſum vergunt,

" Egent moderamine forti."

Horum impulſuum adminiſtratio, ut ad quos morbos affectuſve morboſos pertineat, uno verbo dicam, adverſus diatheſin phlogiſticam, ubicunque, ſive idiopathice, ſive ſymptomatice, incidit, dirigitur; ideoque, omnia dehinc dicenda unum conſilium ſpectant; nempe cerebri actionem, ſponte nimiam, augentia quaedam, ſcilicet irritamenta jam enumerata, qua datur, vitare; id eſt, iis rite moderare.

## CAPUT I.

### *Impulſus Organa ſentiendi afficientes eſſe vitandos.*

Externorum ſenſuum impulſus, ut corpus ſtimulantes, ejuſque vim agendi ſuſtentantes, iique potiſſimum qui conſtantius fiunt, vehementiores ſunt, doloremque aut moleſtiam creant, imprimis ſunt vitandi.

Licet impulſus externi, aut in ſentiendi inſtrumenta agentes, non omnium noſtrorum motuum origo ſint; tamen, ut dictum eſt, quia hos maxime ſuſtentant, mutationumque plerarumque in corporibus noſtris motuum cauſa exiſtunt, et ſic potenti ſtimulo non eſſe non poſſunt; ideo, maximeque cum ad doloris aut moleſtiae modum aſſurgunt, vitandi cavendique ſunt. Hoc conſilio, tactus irritamento moderandum eſt, corpore, quoties morbi genus poſtulat, aequaliter et molliter diſpoſito; et quoties ulla capitis pars, aut inflammatione, aut ad hanc vergente vaſorum plenitudine, afficitur, adverſus eum affectum poſitura erecta juvat. Contrarium affectum, ſcilicet ubi deficiente impetu ſanguis per carotides aſcendit, quod ſaepe in typho fit, ſupinus corporis habitus ſublevat; hicque pedes aeque ac caput altae ſervandae ſunt. Sapor negligi poteſt, quia, qua noceat, rara vixve ulla occaſio ſeſe offert. In febrilibus morbis tenuendus quoque odor eſt, niſi quatenus ejus cauſarum unam, quae hujus loci non eſt, nempe putredinem, fugi oportebit. Qui utique ſenſus in magna corporis mobilitate

inobilitate, qualis hyſteriam continet, aut in aſthmate et epilepſia fit, noxae, et aliis aliarum rerum odor, eſt. Item in hujuſmodi affectibus, et extra eos, tales nonnullorum temperamenti proprietates ſunt, ut rerum non male, contra ſaepe bene, aut etiam ſuave, olentium, cujuſmodi roſa eſt, odor ſaepe offendat. Ejus rei cauſam non hic loci attingam. Quod quoties fit, nocentium odorum effectus irritans omni cura cavendus eſt. Viſus quoque et auditus, quia magno ſaepe irritamento ſunt, in iis omnibus affectibus, qui cerebri irritationem eſſe, aut ſanguinem in ejus vaſis percitari, indicant, fugiendi, tenebraeque et ſilentium quaerenda. Eſtque his in ophthalmia, licet unus tantum oculus laboret, eo etiam opus, quod oculi integri lucique patentis motiones alterum obligatum afficiunt. Hujus rei cautio, in calore febrium, quibus omnibus, aut illa irritatio et ſanguinis incitatio, aut earum periculum plerumque ſubeſt, ſemper fere prodeſt. Eadem, in affectibus nervoſis, nimia mobilitate et ſenſibilitate conſtantibus, ubi aut morbi pars eſt, aut ad acceſſiones reducendas, illorum ſenſuum exceſſus, pertinet, utilis eſſe ſolet.

### *Caloris Senſum vitandum eſſe.*

Quoniam calor nimius, in omni corporis, ſive totius ſive partis, irritatione et ſanguinis incitatione, has ſummopere adauget, eoque omnium ſtimulorum nocentiſſimus eſt; ergo, ejus in hac parte ratio ſumma habenda eſt.

Cum calor animalium corporum ſtimulus ille ſit, quo vita ipſa excitata eſt, et ſemper deinceps praecipue continetur, ideoque eum procreandi facultate corpora noſtra praedita ſint; quia tamen nimius, niſi ei externus moderaretur, facile exoriretur, ergo multo minore externo opus eſt. Idoneus calor externus is eſt, qui gratus ſenſui eſt, et ſine incommodo perfertur. Gratus is commoduſque calor, in aliis orbis regionibus alius, in hac LXII thermometri Farenheitiani gradu notatur. Quem infra, omnis coeli temperies frigus, ſupra, calor adpellatur. Ex hoc externi caloris gradu, eoque quem corpora noſtra viribus ſuis generant, conſtans ille noſter, qui XCVIII ejuſdem thermometri gradu notatur, ita conſtat, ut, ſi externus infra gratum gradum, quem, alibi alium, punctum frigori et calori medium dicas, decidat, niſi igne, veſte, domo, defendatur, genitus corpori cum periculo aut noxa imminuatur: Et, e contrario, temperiem externam punctum medium ſuperantem, altera incommoda et noxae, haud tam facile medenda, ſubſequuntur. Caloris igitur noſtri juſta ratio, ea eſt, quae ex medio illo externo, eoque quem ſanum corpus edit, compoſita; utrovis aucto, mutatur. Si corporeus, vi gene-

ratrice excitata, augetur, externum non solum non augendum, sed, quo certius libramen servetur, imminuendum esse, appareret. In calidis regionibus, ubi solitus calor medium punctum superat, id difficile factu est. Ibique, adversus calorem externum, vix aliud quidquam experiendi copia datur, quam ut locum, ubi aegrotans est, aqua frigida spargas, plantarum foliis recentibus, humorem exhalantibus, obducas, et immisso aere perfles. Hic aliquis forte aegrotantium, praeque caeteris febricitantium, in calidis regionibus ardentibusve, qualis illa plagae Torridae est, miseram sortem esse existimet; a quibus, magni caloris externi arcendi, tam tenuis sit potestas. Verum is, id, ut videatur, incommodi, aliis rebus satis forsitan superque, in plerisque casibus, pensari, et saltem, quod rei praesentis refert, actionem corporis nimiam, rarius quam hic, incidere, attentius reputando, comperiet. Nam illic neque insitus corpori calor tantus, quantus hic, et in similibus orbis tractibus, est, neque morborum genera tam in reactionem caloremque febrilem vehementem, quam in collapsum seu incitationem deficientem, et generis nervosi debilitatem, inclinant. Cumque ubique fere, quae fuit doctrinae alexipharmacae permanens, estque adhuc anilis pervicaciae, contagio, plus detrimenti a corporis circa se calore accumulato, quam a rectis Phoebi radiis, accipiatur; videamus deinceps, qua ratione insito hominum animis praejudicio obviam iri, et, quisquis sit externus, aut quoquo modo libretur, calori interno nimio resisti possit. Ergo, data externa temperie, scias, potestatis genetricis effectum, nempe calorem genitum, eo majorem aut minorem fore, quo magis corpus tegatur, aut aeri aperto magis objiciatur; item, prout vestis materia magis aut minus cohibeat calorem; tum quo strictius aut laxius ei vestis circumdetur; denique, ratione vestis corpus tegentis data, prout vapores e corpore dimanantes longius, aut contra, ab omni in corpus redeundi periculo prohibiti, auferantur. Ad caloris igitur irritamentum arcendum, leviter homo tegendus est; cujus rei ratio temperiei coelestis ratione dirigenda est: Dein, quod ad vestis materiam pertinet, linea quam lanea minus calorem retinebit: Tum laxius circumdanda vestis est, et pars aliqua, ut manus, quo spiraculo aufugiat calor, denudanda: Denique, sive ambiens calor, sive arte factus, ut ignis, exiguum cubiculum, fenestrae opertae, adstans turba, vapores circa aegrotantem concludit, et aera corrumpit; purgato cubiculo, aut homine e lecto educto, qui mos Sydenhamianus fuit, tollenda talis noxa est. Verum haec caloris fugiendi cura, tum solum adhibenda est, cum consilium est, ut nunc, vim stimulatricem et caloris nimii effectus cavere, nec aliud

eum

eum uſum vetat. Itaque, in febribus cum habitu inflammatorio, in phlegmaſiis et haemorrhagiis, maximeque omnium in variola, ſic aegrotanti conſulendum eſt; ubi, poſtquam calor febrilis coepit, et quamdiu durabit ſummam frigoris rationem haberi convenit: Et quoties, ut in phthiſi pulmonali, et quibuſdam aliis caſibus, fit, perſpirationem ſuſtentare conſilium eſt, frigori et calori media temperies requiritur. Quid in frigore febrili, aut incipiente tantum calore, faciendum ſit, quantumque caloris, cujus aliquanto certe opus eſt, adverſus incipientem, quem omne frigus auget, ſpaſmum, conveniat, non noſtrum dicere eſt. Verum, ab hoc vitandi caloris praecepto, duo excipiuntur; ſudoris, ubi eo opus eſt, et balnei uſus. Cum per vim medicatricem res eo pervenit, ut ſudor ſponte coeperit, is, eo caloris, quod alioquin noxae foret, adhibito, firmandus videtur. Qua in re, plus boni vaſorum extremorum repletio, relaxatio, et ſic ſpaſmi atoniaeque, hunc firmantis et reducere periclitantis, ſolutio, quam calor mali, praeſtat. Neque balnei, quod ad eadem vaſa extrema humores alliciat, et ad totum ſummum corpus relaxandum plurimum poteſt, calor, eo commodo facile penſandus, metui eſſe debet. His exceptis, non ſolum ad punctum medium, ſed, quo magis vis genetrix penſetur, etiam infra, calor deducendus, et abſoluti frigoris aliquantum adhibendum, in pleriſque caſibus, videtur.

## CAPUT II.

### *Corporis Motum vitandum.*

Praeter irritamenta, quae impulſus ſentiendi organa adficientes et calor objiciunt, corporis motum omnem, maximeque eum quem ipſius muſculi peragunt, vitare, ejuſdem eſt conſilii. Motus muſcularis ſanguinem per venas reducem, et ſic toto corpore, percitando, vaſiſque ubique tenſionem dando, vim ſtimulatricem augeat neceſſe eſt: Eo autem magis nocebit, quo plures in actionem muſculi conjiciuntur: ideoque, peſſima ambulatio, minus mala ſtatio, melior, ubi pauciſſimi muſculi exercentur, jacendi habitus reperitur. Cumque omnis hujuſmodi motus irritamento ſit, idque ſemper in cor rectum directum, tanto magis irritet, quanto debilitatis plus inſeſt; ideo, incipiente omni febre, ſive ea inflammatoria, ſive nervoſa, futura eſt, quam maxime motu abſtinuiſſe, ſaluti, contra, uſum eo eſſe, noxae, et forſitan perniciei etiam, erit. Eſtque haec prima a regula Sydenhamiana exceptio; nam in omni typho, licet eo magnitudinis ut defectio animae ſequatur, ha-

bitus erectus effectu non procedat; tamen nocenti irritamento est, et in eadem febre, quantumvis adversus habitum inflammatorium frigus, cujus causa requiritur, fere valeat, minime permittendus est. Quodque ad omnem motum attinet, quoniam nunquam pejores et exitiales magis typhi, quam post primorum dierum exercitationem laboremve, exoriuntur; ideo, quamprimum quamque maxime quievisse, salutis futurae plurimum intererit. Adeoque omnis motus nocet, ut ipsum loquendi negotium, quod exiguam corporis partem, nempe spirando inservientes musculos, movet; tamen sanguinem per pulmones corque percitando, magno irritamento sit. Ob quam causam, hujus consilii pars, tacere est.

## CAPUT III.

### *Animum moventes Impulsus vitandos aut fugandos.*

Mentis quoque exercitatio corpus stimulat; ideoque omnes ad cogitationem, maximeque ad animi motus aut perturbationes, ducentes impulsus, quanta fieri potest cura, fugandi sunt. Difficile hoc omnino factu; tantummodo rebus cogitandi tenorem inducentibus, aut animum commoventibus, remotis, fieri potest. Commotionis aut perturbationis causae facillimae sublatu sunt. Cogitationis vero tenor solum rerum varietate oblata mutatur. Quod praeceptum, de omni impulsuum genere vitando, unam exceptionem recipit. Delirium ita incipit; primum difficile, labascente memoria, cogitatur, quale in somnum incidenti fit, ubi aliquid forte loquens homo, priusquam ad sermonis finem pervenit, primam partem, eoque sententiae nexum, obliviscitur: Dein, praeter hoc, animi notiones, a re de qua mens agit alienae, interveniunt: Postremo, nihil ordine, omnia perturbate animo feruntur, et,

> ——— velut aegri somnia, vanae
> Finguntur species.

Hoc delirium est in quod maxime proni aegrotantes sunt, cum rerum externarum impulsibus destituuntur, ut in tenebris et silentio relicti, et solita neque audientes, neque videntes. Cujus advenientis initiis occurrunt solita eorum sensibus iterum objecta, ut proximorum iis redditus conspectus, vocis familiaris sonus auditus, lecti et cubiculi nota species: Cui utique solitorum impulsuum renovationi certi fines statuti sunt, quae, nisi dextere administrata fuerit, ad animi species, delirium aucturas, ducet.

## CAPUT IV.

### *Alimenti Stimulum vitandum.*

Alia quoque irritamenta victus dat. Digeſtionis opus manifeſto corpus ſtimulat; qui ſtimulus, toties quoties recens materia aſſumpta eſt, renovatur. In nemine non pulſus, et in multis ad febris modum, poſt alimentum acceptum, percitantur. Hic igitur, ut noxius ſtimulus, in juſta febre, ne febri febris quaſi addita, omnia in majus conturbet, quantum fieri poteſt, vitandus eſt.

Quod ad cibum attinet; eo toto, in aliquod tempus, abſtinuiſſe, uſui eſſe poteſt. Antiqui tridui abſtinentiam febrium initiis praeceperunt: Quod utique, in febribus diu permanſuris, coporis debilitatem augendo, noxae eſſe periclitatur. Poſt igitur eam, quam res ferat, abſtinentiam, quoniam duobus nominibus, ad irritamentum, quod cibi deſiderium creat, tollendum, vireſque in morbi longitudinem reſervandas, cibi aliquantum recte indulgetur; ejus tamen ſtimulus, materiae generis delectu habito, cavendus eſt. Ideoque, cum caro et ex ea parata materia, ut magis alcaleſcens, magis ſtimulet, ita, ei e plantarum genere paratam materiam anteponere, conſultius eſt. Naturam quoque ipſam a carne abhorrere, plerorumque febricitantium faſtidium ejus docet. Stimulat quoque cibus magis aut minus, prout minus magiſve ſolubili materia eſt. Hujus rei, ut in materia ex animalibus ſumpta nullus, ita, in plantarum genere aliquis, delectus haberi poteſt. Rejiciendaque ſunt olera, radices, et fructus, utpote quae minus ſolubilia ſint, et farinacea eligenda videntur. Stimulat porro magis extra primas vias cibus, quo, altius corpus penetrans, ejus vaſa magis adimplet. Alium addit ſtimulum difficilior ejuſdem e corpore tandem tranſitus. Igitur caro, et ex hac parata, propter alcaleſcentiorem, alentiorem, et imperſpirabiliorem naturam, fugienda ſunt, iiſque e plantarum genere paratae materiae, quarum contraria natura eſt, anteferendae; eoque magis, quod hoc cibi genus praeparatione ſolubilius fit. Quae praeparatio dilutio eſt. Sic farinacea diluta, et uvis paſſis et rebus aceſcentibus condita, huic rei accommodatiſſima, victus febricitantium ubique eſt. Quae hic de cibo dicta ſunt, ad omnes morbos febriles, quos diatheſis phlogiſtica, aut plethora communis, turgenſve in cerebri vaſis ſanguis, continet, febreſque continuas, pertinet. Quod ad intermittentes attinet, in iis, tempore apyrexiae, neque diaeriton, neque nobis praecepta abſtinentia, ullum locum obtinet;

net; et, e contrario, quam pleniſſimus victus tonicis, illarum curationi convenientibus, annumerandus eſt *.

Potionum quoque ſtimulus cavendus eſt. Hujuſmodi ſtimulum poſſident, potiones aromaticae et ſpirituoſae, vinoſae, item fermentatae, niſi maxime imbecillae. Quarum omnium uſu interdicendum omnibus eſt, niſi iis, quorum prior conſuetudo aliquantum, quod rarum eſt, hujuſmodi potionis, neceſſarium reddit. Ac, ne tectum quidem, id eſt, dilutum, alcohol, tutum eſt; niſi quod, ſi ciborum et potionum comparationem inſtituas, vini cyathus impune magis, quam carnis uncia, feretur, et breviori ſtimulo erit. Hoc conceſſo, ſi quando potionis meracis quid dandum eſt, id, acidi aut materiae aceſcentis copia, corrigendum eſt. Quoniam autem, propter ſtimulum, potiones vetamus; igitur, quae minimum ſtimuli habent, quales, ſitis extinguendae cauſa, quotidie adhibentur, earum uſu nemini interdicendi cauſa eſt. Hinc recte in variola Sydenhamus cereviſiam imbecillam permiſit. Verum, neque hujuſmodi potiones abſque cautione ſunt; ſiquidem et qui non iis aſſuevit, copia modica, et aſſueto, immodica, nocere poteſt. Tutiuſque ab omni parte, ut quam maxime mitia, dummodo ſiti reſtinguendae accommodentur, potui dentur. Cui rei nihil aqua, cui acidi aliquid, quo gratior ſit, adjectum, aptius repertum eſt. Neque eo ab acidis, quod nonnullis ſanis noceant, metuendum eſt, ſiquidem in morbis febrilibus facillime omnibus tolerantur.

Hae omnes irritationis cauſae, quo conſtantius admoventur, et ad plures morbos pertinent, eo majori cura cavendae videbantur; ſed, praeter eas, aliae in febribus per occaſionem ita ſuborientes, ut ultra illas vix reperiantur, animadverſionem quoque merentur.

## CAPUT V.

### *Sitis Stimulum vitandum.*

Irritamentorum hujuſmodi in numero ſitis eſt. Ea, ut potens ſtimulus, fugenda procul dubio eſt; neque antiquorum, qui, circa febrium initia, ad ſummum ſaepe cruciatum, potionem negaverunt, nec ante ſudorem coeptum, aut calorem ſaltem provectum, in febribus intermittentibus dederunt, conſuetudo imitanda eſt. Quin et, ſtimuli tollendi cauſa, non potio ſolum, ſed ea quae ſitim maxime demit, nempe frigida, et libera manu, permittenda eſt. Haec de ſiti obſervatio, in uno etiam caſu, ubi aegrotans illam non queritur, nempe delirio, locum habet; in quo, ſi cauſa ſitis ſubeſt, licet ejus non

* Cullen. Pr. Lin. ccxxvi.

conſcius

conſcius homo ſit, aut non roget, aut ultro oblatam reſpuat potionem, ſumere tamen cogendus eſt. Praeceptum de ſiti reſtinguenda, alioquin perpetuum, duas cautiones habet: Nam, in hac et ſimilibus regionibus frigidis, adverſus eos affectus, quos habitus inflammatorius ſuſtinet, perquam frigida, ne eum habitum augeat, abſtinendum, et tepida potio danda. Quae ulterius inculcanda non eſt, neque ad eos caſus febrium, ubi aut debilitas praevalet, aut putredo, hujuſve periculum ſubeſt, is uſus extendendus. Quod ad alteram cautionem attinet, licet largas potiones convenire dictum ſit, tamen neque hoc praeceptum exceptione caret; ſiquidem tanta ſaepe ſitis eſt, ut, ſi deſiderium explere velis, ſpiritui ventriculi plenitudine officiendi, et rerum per pylorum tranſmiſſum prohibendi, adeas periculum; quod, ubi fiet, parcius, ſed ſaepius, ingeri frigidam oportet.

## CAPUT VI.

### *Cruda et corruptos Humores Ventriculo ejiciendos.*

Cruda, aut humores in ventriculo corrupti, memorabiliter quoque ſtimulant. Quae, licet non, ut nonnullis placet, juſtam febrem faciant; tamen, quia aliunde factam augent, decedentem reducunt, et ipſa febrilem ſtatum ſatis manifeſtum inferunt, emeticis et diluentibus rejici oportet. Quam late cum reliquo corpore ventriculus conſentiat, quantumque cum ſummi illius vaſis hujus fibrae motrices mutua actione conjungantur, neminem, medicinae paulo peritiorem, latet: Ideoque, quomodo cruditatum cauſa ſolita, nempe ventriculi atonia, aut idiopathica aut ſymptomatica, ſimilem in ſummo corpore atoniam indicet, aeque manifeſtum eſt. Vomitus autem, ventriculi fibris tonum reſtituendo, ſummi corporis vaſculis reſtituet.

## CAPUT VII.

### *Stercus durum dejiciendum.*

Tertium ſtimulo eſt, ſtercus praeter naturam inteſtinis retentum et dureſcens. Non ſolum totus canalis alimentarius cum toto corpore, cum alias, tum tenſione mutua, ſed hac quoque, et inſigniter, exiguus inteſtinorum amplorum tractus, connectitur. Paululum venti inteſtinis concluſum quantae moleſtiae ſit, emiſſum quanto levamini, nullus non expertus eſt. Verum, ut moleſtiam tenſio juſto major, ita, imminuta levamen, adfert. Similique, ſed vehementiore, modo, ſtercus

dureſcens,

dureſcens, in inteſtinis retentum, ſtimulet, ablatum, ſimile levamen det, neceſſe eſt. Adverſus igitur hunc, in febribus et febrilibus malis, ſtimulum, clyſteres laxantes utendi ſunt; qui materiam, mole et acrimonia offendentem, ejiciendo, utiliſſima adminiſtrationis pars ſunt, nec unquam, quoties iis opus eſt, prudenti medico negligendi.

## CAPUT VIII.

### *Communem Humorum Acrimoniam vitandam.*

Quartus ſtimulus, in febribus et febrilibus malis ſemper ſuſpicandus, eſt humorum acrimonia communis, hinc motu et calore aucto, illinc excretionibus imminutis, genita. Ad hujus tollendae curam pertinet, ejuſdem in canali alimentario curandae ratio. Ita prima ſpaſmi vaſorum cutis formatio ventriculi actionem impedit, cibique faſtidium, aut nullum deſiderium, nauſeamque excitat. Hinc, quamdiu ſpaſmus manet, impeditus ventriculus nihil ejiciet, indigeſta in eo manebunt, proprii ei liquores cumulabuntur, et affundetur ſaepe bilis. Quorum, praeterquam quod vomitu, ut nocens ſtimulus et febrem augens, ſicut jam relatum eſt, rejicienda ſunt, acrimonia diluendo frangi debet. Item, duri ſtercoris et aliarum in inteſtinis haerentium rerum, qualis liquor inteſtinalis, humores corrupti ventriculo elapſi, et bilis affuſa ſtagnanſque, quod ſaepe fit in febribus, acrimoniam, clyſteribus aut dilutione, modo memoratis, obtundere utile eſt. Communi quoque humorum in vaſis fluentium acrimoniae eadem dilutio, vaſa ad extremos fines implendo, et excretiones expediendo, remedio eſt. Quae autem ejus temperies eſſe debeat, et quomodo agat, ſupra, in capite primo, dictum eſt.

DE

# DE EPISTAXI.

EX ſupra dictis, natura hujus caeterarumque haemorrhagiarum facilior intellectu erit. Epiſtaxis per capitis dolorem vel gravitatem, faciei ruborem, profuſionem ſanguinis e naribus, definitur *.

Membrana tenuiſſima, Schneideriana dicta, arteriolis minimis et frequentiſſimis a carotidibus internis et externis ſcatens, huic omnium haemorrhagiarum vulgatiſſimae, raro periculoſae, ſaepe ſalutari, febres aliquando ſolventi, maxime favet. Cum a vi externa, aut a vaſorum debilitate proficiſcitur, nulla ſigna praecedere ſolent. Cum autem a cauſa omnino interna pendet, gravitas aut dolor in capite, praeſertim in frontis finibus, aurium tinnitus, oculorum et facici rubor, objectibus rubris ſeſe oculis offerentibus, temporum pulſatio inuſitata, plenitudinis ſenſus circa naſum, nariumque ariditas, calor et prurigo, profluvium inſtans vulgo praenunciant. Alvus aſtricta, urina pallida, pedum frigus, rigorque univerſus, cum niſi ſyſtematis febrili, inter alia ſeſe oſtendunt. Sexum maſculinum, habitum plethoricum, et temperamentum ſanguineum praecipue afficit. Raro, ſed nonnunquam, poſt acmen occurrit; quo tempore, a plenitudine arterioſa in narium vaſa per conſuetudinem exquiſitius inclinata, aut ab iiſdem debilitatis; at, in ſenectute, a plenitudine venoſa, morbum pendere veriſimile eſt. Sanguis plerumque ex una nare tantum profluit, tali profluvio congeſtionem vicinam ſat reſolvente; ex utraque vero profluens morbum graviorem indicat. In pueritia rariſſime periculo eſt. Quo frequentius et copioſius autem repetit, virili in primis aetate, plethoram augens viamque ſternens, aetate provectiore, cerebri haemorrhagiae, apoplexiam, paralyſin, &c. inducenti, eo periculoſior, ideoque in ſenectute hic morbus periculoſiſſimus eſt. Quanquam a ſanguinis e naribus profluvii ſuppreſſione temeraria in corpore plethorico multa et gravia mala oriri dicuntur, huic tamen ſaepius repetenti, aut ſyſtema in debilitatis lethalis periculum rapturae, ſemper et quovis vitae tempore ſuccurrendum eſt. Ut dijudicare poſſimus anne profluvium ſiſtendum ſit, ſanguinis effluentis quantitatem, ejuſque formam, aegroti habitum, praecipue vero ſymptomata fluxum conſequentia ſedulo obſervare oportet. Si eo uſque progrediatur epiſtaxis, ut magna virium proſtratio, vultus pallidus, ad ſyncopen proclivitas, pulſuſque celer, debilis et parvus, conſequantur, quam ocyſſime coercenda eſt. In

* Cull. Gen. Morb.

tali rerum ſitu, ad finem propoſitum aſſequendum, principia haec generalia a Duncano celeberrimo traduntur *.

I. Ut minuatur vis ſanguinem ad vaſa dirupta propellens.

II. Ut augeatur renixus ſanguinis tranſitui per eadem vaſa.

Vis, ſanguinem ad vaſa rupta impellens, imminui poteſt,

1. Circuitus, impetum generalem cohibendo:

a. Sanguinis quantitatem minuendo;

b. Cordis et arteriarum vires coercendo.

2. Sanguinis impetum ad nares praecipue refraenando:

a. Imminuendo cauſas quae narium vaſa ad actionem cieant;

b. Vaſa narium minus ſentientia efficiendo.

Sanguinis per vaſa rupta tranſitui ita obnitendum eſt:

1. Situ vaſorum erecto;

2. Vi mechanica, vaſa rupta comprimente;

3. Conſtrictione ſpaſmodica vaſorum finibus inducta;

4. Sanguinem in vaſorum oribus congelando.

Propoſita haec diverſa optime aſſequenda ſunt aere et potu frigidis, corpore et capite erectis, irritatione omni vitanda, nare ex qua fluit ſanguis comprimenda, facie aliiſque partibus aqua frigida aſpergendis, alvo quoque ſolvenda. Si haec nihil praeſtant, ad venaeſectionem veniendum eſt, caute tamen repetendam, quandoquidem plethorae favet. Aliis incaſſum tentatis, aſtringentia non ſolum interne adhibentur, ſed in nares ipſas injiciuntur, ita ut vaſis hiantibus quam proxime applicari poſſint. Linteola quoque in nares, funiculi ope, ex ore attolluntur. D. Duncan, cum aeger in ultimo vitae diſcrimine videbatur, veſicatorium amplum, haud ſemel cum eventu feliciſſimo, dorſo applicatum fuiſſe, me certiorem fecit; talemque praxin in aliis haemorrhagiae ſpeciebus commendat.

Ad reditum epiſtaxeos cavendum, regimen antiphlogiſticum et omnia plethorae occurrentia neceſſaria evadunt. Evacuationes ſuppreſſae, ut reducantur, curam quam maximam requirunt.

* Heads of Lectures.

DE

# DE HAEMOPTOE.

*AUCTORE T. CAW.*

HAEMOPTOE eſt ſanguinis rutili plerumque et ſpumei, cum pyrexia, tuſſi comitante, ſputum *.

Sub ſputi primam acceſſionem univerſae cutis horror, extremorumque artuum, praecipue pedum, frigus ſentitur. Tergum dolet, membra laſſa gravantur. Ventris murmura, inflatio, et durities ſunt. In imo pectore motus undulans cum gravitatis ſenſu percipitur. Ad quae circa praecordia anxietas et nauſea, item pectoris anguſtia et tuſſiendi cupiditas, accedunt. Os ſalem ſapit; et in aſperae arteriae tractu titillans pruritus ſanguinem jam ad exitum vicinum praemonet. Poſtremo is, ſtrepente pulmone, anhelante ſpiritu, cum arteriarum percuſſibus celeribus, mollibus, et undoſis, ſpumeus, rutilus, ac coccineus ore erumpit. Quae tamen non omnibus omnia, ſed aliis hominibus aliter uſu veniunt.

Quae ipſa, ſuppreſſo jam ſputo, eadem, fere cum eodem pulſuum habitu huncque calore comitante, rurſus redeunt. Nonnunquam etiam cum magna febre perque circuitus repetunt. Ea autem febris ſub veſperam plerumque recurrit. Cui frigus intermittentium febrium inſtar, ſubſequente calore et ſputum referente, interpoſito integritatis intervallo, praeit. Neque ejuſdem febris bis die revertentis exempla etiam deſunt.

Peracto ſputo, anxietas et circa praecordia gravitas fere levantur. Urget tamen tuſſis, eo ſaevior, quo profundius pruritus de quo relatum eſt intus ſubſentitur. Neque et ſomnus non infincerus ſubinde interpellatur. Poſtremo decedens ſputum pituitae viſcidae multum aliquando ore rejectum ſequitur.

Definitio ſupra tradita ad haemoptoen a ſimili quovis malo diſtinguendam ſufficere videtur. Verum nequid, quo illuſtrior ejus natura reddatur, deſit, a tribus aliis haemorrhagiae generibus quemadmodum diſcernenda ſit, oſtendam. A narium haemorrhagia, ubi aliquando exſpuitur quoque ſanguis, in hoc diſtat, quod is non cum tuſſi prorumpit. Idemque ſimul e naſo profluens diſcrimen certum addit. Eandem a ſtomacace, in quo morbo ore etiam ſanguis promanat, pyrexiae ſigna ab-

* Cruorum rubor; moleſtiae aut doloris, et aliquando caloris, in pectore ſenſus; dyſpnoea; titillatio faucium; tuſſis aut tuſſicula ſanguinem floridum, ſaepe ſpumoſum, rejiciens. Cull. Gen. Morb.

ſentia, neque tuſſis, ſi qua ſimul incidit, ſputum agens, diſtinguunt. Quin et eadem pyrexiae indicia non adparentia, et ſanguis cum vomendi manifeſto impetu niger, alimentive reliquiis commixtis, et ſine tuſſi effluens, haemoptoen ab haematemeſi ſatis ſuperque ſegregant *. Cum reliquis vero, quotquot ſunt, morbis nihil commune, ſimilitudinis nihil habet.

E ſeptemdecim ſpeciebus quas Sauvageſius conſtituit, nos duodecim, traumaticam ipſius, catamenialem, ſcorbuticam, varioloſam, aſciticam, catarrhalem Bontii, ab hirudine ortam, periodicam, traumaticam HOLLERII, calculoſam, ſphacelo pulmonis natam, et ſpleneticam, rejicimus; catarrhalem Galenianam ſeu haemoptyſin Indicam Bontii, ex tuberculo pulmonum genitam, et forſan phthiſicam addubitamus. Accidentalem et habitualem retinemus. Traumaticam Sauvageſianam, ab hirudine ortam, traumaticam HOLLERII, calculoſam, et pulmonum ſphacelo natam, qui nihil aliud quam eorum textura reſoluta aut laxata eſt, quis non e pulmonum corpore vulnerato, contuſo, laeſo, aut relaxato, ideoque vitio organico ortas, nec in ſanguine ad pulmones per cauſas toti corpori communes percito poſitas, primo intuitu cernat? Neque in iis omnibus cum morbo, ac vix poſt eum quidem, pyrexiam, ideoque aliunde ſiquando innaſcitur, natam video. Igitur omnes hae ſpecies cum paſſivum ſputum tantummodo edant, non ſolum ab hoc genere, ſed et toto haemorrhagiarum ordine, alienae ſunt.

Porro, quia ſcorbutica, varioloſa, aſcitica, catarrhalis Bontiana, periodica, et ſpleneticа ſunt vel ſymptomata vel effecta aliorum morborum, pro morbis non ſunt habeudae, nedum pro haemoptoe juſta habeantur. E quibus inſuper ſcorbutica et aſcitica, ad firmorum laxitatem et extremam horum, ut et humorum, diſſolutionem relegandae, praeterquam quod haec hydropis extremi, illa mali ſcorbuti, ſymptomata ſunt, in paſſivo ſanguinis exitu omnino conſiſtunt. Varioloſam denique, catarrhalem BONTII, periodicam et ſpleneticam, quia prior a variolis confluentibus; altera a catarrho, tuſſi ferina, pleuritide, aut peripneumonia; tertia a haemorrhoide ſuppreſſa; noviſſima ab impedimentis duriſve lienis aliorumve viſcerum tumoribus, pendent; ſui quamque unde ortus eſt morbi ſymptomata aut effectum eſſe, quis non fatebitur? Praeterque hoc, quoniam reliquae tres quibuſlibet pulmonibus et qualibet aetate, dempta communi corporis cauſa ad juſtam haemoptoen neceſſaria, periodica vero poſt aetatem haemoptoe verae arterioſae propriam, eveniunt, hoc etiam nomine

* Sauvag. noſ. meth. de haemoptyſi.

ad

ad noſtrum morbum nihil pertinere ducendae ſunt. Quod ſi in nonnullis his ſpeciebus, ut varioloſa, catarrhali, periodica, ſpleneticaque, ſanguis ad pulmones percitatus videatur; tamen, quia id tantummodo caſu et pro tempore, et ex aliena ab haemoptoe cauſa fit, idcirco nihilo magis illae ſpecies pro haemoptoicis veris agnoſcendae ſunt. Quin et, merum ſanguinis ad pulmones impetum auctum non ſatis ad haemoptoen dandam eſſe, poſt modo dicetur.

Quod autem ad catamenialem ſpeciem attinet, mirum mihi videtur, quod vir gravis morbis adnumerarit id, quod ne morbum quidem eſſe ipſe non negavit. Praeterea ut morbus ſit, menſtruorum ſuppreſſorum effectus tantum erit, reductiſque unde ortus eſt menſtruis protinus deſiturus. Rejectis igitur reliquis,

E tribus ſpeciebus Sauvageſianis quas addubitavimus, phthiſicam, catarrhalem Gallenianam, quaeque ex tuberculo pulmonum oritur, dubitandi cauſas accipe. Si prius ſigna haemoptoes propria adparuerunt, in ruptam vomicam tuberculumve illa deſinere, ac ſic quoque cum iis conjungi potuit; ſi nihil haemoptoicum praeiit, tam phthiſicam ſpeciem, quam ex tuberculo natam, rejicio. Nam, ut vomicam haemoptoe ſubeſſe et ab ea ipſa gigni, mox oſtendere conabor, ita morbo et ſignis ejus praeiens vomica, magnam creat ſuſpicionem, ſputi cauſam ex organico pulmonis vitio ſolo ortam, et haemoptoes verae activae non eſſe originem. Catarrhalis ſpecies, licet veram haemoptoen plurimum ſignis referat, tamen, ſi cauſam ſpectes, eo anceps reperietur, quod catarrhus, diverſus morbus, vel fecit ſputum, vel una cum eo incidens propria ſecum ſigna traxit. Neque aliter lis dirimenda eſt, quam ſigna haemoptoes praeierint necne, et aetatis et corporis habitus ratione habita.

Ergo, ut ſententiam meam de omnium viri illuſtris ſpecierum cauſis uno aut altero verbo concludam, tertiae, decimae, duodecimae, decimae tertiae, decimaeque ſextae, cauſas ut in pulmonum propria noxa conſiſtentes, et a communi corporis, haemoptoes propria, alienas, item quintae et octavae cauſam, quia inſuper a diverſis vitiis pendet, prorſus rejiciendas arbitror. Item e reliquarum quas rejeci ſpecierum originibus ſextam, nonam, undecimam, decimam ſeptimam, decimam quartam, decimam quintam, ita e numero hujus morbi cauſarum tollo, ut nonnullas earum pro cauſis coadjutricibus agnoſcam, et dato habitu in haemoptoen prono, quodammodo occaſionem hujus poſſe offerre, fatear. Sic catarrhus, ſic impedimenta viſcerum, aut ſuppreſſa haemorrhagia, morbum jam aliunde incaſurum impellere poſſunt. Quo autem

modo

modo variolae haemoptoen, nisi pulmones obruendo, absoluta vi agendo, omnia pessumdando, ac forsitan venenosa noxa jugulando, cernere non possum. Ergo e tanta specierum farragine a viro claro agnita ego primam et secundam solas agnoscendas ita judico, ut has ne duas quidem esse, sed in unam referendas, contendam. Atque unam tantummodo haemoptoes speciem esse, quaeve ejus natura aut causa proxima sit, ad demonstrandum jam progredior.

## DE CAUSA PROXIMA.

Haemoptoes verae activae scilicet phthisicae naturam more mathematico prius negando, deinde rem ipsam explorando, constituere conabor.

Primum igitur haemoptoe quam noxa externa fecit, nisi ea tanta est ut ad morbum absoluta sit, nullum fere periculum adfert. Aut si quando violentiae magnitudine nocet, alia mala, non hunc morbum, adferendo nocet. Nam ad veram haemoptoen phthisicam creandam habitu haemorrhagico aliisque phthiseos notis simul adparentibus opus est.

Deinde ne haemorrhagica quidem conditio, ubi casu ea subest, neque in pulmonibus quicquam vitiatum est, morbum dat. Siquidem aliarum partium sanguinis impedimenta hunc ad pulmones percitare, et rupto vase etiam effundere, sed impune satis, si impedimenta tolluntur, nota sunt *. Itaque impedita menstrua leviter nocere, nec haemoptoen phthisicam dare reperiuntur.

Postremo, neque justus habitus haemorrhagicus totiusque corporis communis, ubi in pulmones etiam vitiatos aut male conformatos, sanguis, seminio mali alte in corpore sito, percitatur, hunc morbum procreat †.

Ut igitur habitu haemorrhagico, ut pulmonum vitio aut prava conformatione opus quidem est; ita alia conditio mox exploranda, sine qua morbus esse nequit, insuper requiritur.

Quae conditio qualis sit, aut an a medicis explorata, paucis requiram. Medici nonnulli nihil aliud fere ad haemoptoen et phthisin creandam, quam ulcus, ex vulnere per pulmonum mobilitatem biduum aut triduum aperto servato, natum requisiverunt. Quod ita tamen non est. Siquidem vulnus pulmonis saepe in ulcus lene, et ubi suppuratio aeque facile, ac quidlibet qualibet in parte vulnus, conglutinatur, vertitur; idque nullo phthiseos periculo. Quam rem praeceptor noster Cullenus, ut et peripneumoniae suppuratae, et congestionum non peripneumonicarum, item cystidum plurima exempla, ubi hu-

* Id. ibid. † Id. ibid.

mor

mor procreatus bonae notae fuit, aegrotantesque plerumque convaluerunt, saepenumero observavit.

Cujus rei alii medici non ignari, vulnerata vasa ideo non conglutinari, quia aeri pars aegrotans pateret, nihilo verius existimarunt. Siquidem et externa vulnera, aeri objecta, tamen sanescunt; et si vel maxime aer nocere putandus sit, tamen ab eo pulmones ita tegi, ut occasio sanescendi detur, tot ulcerum vulnerumque, et ipsius haemoptoes, sanatorum exempla satis superque probant. Ergo alia rei ratio quaerenda est.

Percitato ad pulmones sanguine, nec rubrum vas perrumpere valente, exhalatur in corpus pulmonum vapor. Quod cum ab habitu haemorrhagico et sanguine percitato pendeat, si quando hic quoque perruptis vasis exit, ut illud eo magis ac certius fiat necesse est. Quem vaporem exhalatum nihil cum bronchiis habere commune, stagnantemque varie mutari posse, anatomica cognitio docet.

Porro idem hic vapor in loca vasis absorbentibus privata exire potest. Nam talia loca ex cellulosa natura constantia varia in corpore subesse, tumores membranulis, quas *cystidas* Graece dicas, obvoluti, humoremque absorptioni habilem habentes, argumento sunt.

Quin et humor effusus absorptioni inhabilis esse potest. Nam stagnando, cum materiae cellulosae ad illum capiendum aptae portione coire, ea includi, et sic tubercula pulmonum efficere, potest. Quae quidem tuberculorum, alioquin non bene explicatorum, origo verisimilis est. Estque haec una ratio haemoptoes, quae in tabem pulmonum definit, explicandae. Nam in longe plurimis exemplis haemoptoe una cum tuberculis esse, et ab iis cum haemorrhagico habitu proficisci, reperitur.

Sed, cum et tubercula diversa et humor iis conclusus diversus videantur, qualia utraque sint deinceps anquiratur.

Quod ad tubercula attinet; cum humor scrophulosus toties glandulas conglobatas alibi occupet, et sic tubercula creet, ita tubercula pulmonum totidem glandulae conglobatae esse dici possunt. Neque vera glandulae tales, quae asperam arteriam ibi, ubi bronchialis esse incipit, circumstent, et inferius etiam prosequantur, non quidem desunt. Eaedem saepe inflammatae et exulceratae esse, pulmonesque labis participes effeciisse, et veram tabem dedisse, sunt repertae. Ea igitur tenus glandulae pulmonum conglobatae, tuberculorum et tabis sedes ita esse fatendae sunt, ut hoc non saepius fieri memineris. Nam

Nullus adhuc anatomicus per totum pulmonum corpus istas glandulas aut tot saltem numero subesse, quot tubercula subsunt,

ſubſunt, deprehendit. Quocirca inter medicos et pathologos nunc conſtat, tubercula extra glandulas conglobatas eſſe plerumque ſita.

Rurſus humor, qui ſive in glandulis iſtis, ſive in tuberculis ineſt, ut conſideretur; quin is ſcrophuloſus ſaepiſſime ſit, non eſt dubitandi locus. Nam et humor ſcrophuloſus, praeterquam quod eas glandulas effuſus ſtimulat, cum in varias alias partes, tum in membranam pulmonum celluloſam ſaepe effunditur, et una cum habitu haemorrhagico tuberculorum fundamentum jacit. Quibus tuberculis ſimiles ipſi tumores ſcrophuloſi eſſe queunt.

Verum, quod ad tumores cyſtidibus ſeu membranulis concluſos attinet, prorſus diverſus humor, ac neque ſcrophuloſus neque ſuppurationi aptus, ſed multo potentior et acrior ſtagnando vehementem fermentationem patitur, exulcerat, et a conglutinatione et ſanatione alienus, ob propriam naturam et mutationem quam ſubit multiplicem, non etiam propter pulmonum mobilitatem aut aegram partem aeri objectam eſſe permanet.

Haec de tuberculis, tabis pulmonum origine, dicta ſint. Quae ſicubi explicatu difficiliora ſunt, hac opinione poſita, apte explicabilia videntur; ſcilicet ab effuſionibus quae aliqua ex parte in eodem haemorrhagico habitu, in quo haemoptoe, conſiſtunt, illa quoque pendere. Unde, quare una cum tuberculis haemoptoe incidat, haud inepta ratio redditur. Et ſic quoque tubercula ante haemorrhagiam exiſtere, poſtque eam, gliſcente jam inflammatione, verſis in ulcera tuberculis, et impetu ſanguinis ad vaſa perrumpenda ſatis demum valente, frequentiora eſſe poſſunt. Tumores membranulis concluſos humor, quem in aliis partibus vix explicare audeo, in pulmonibus peculiaris creare, habitus haemoptoen inducens, tuberculorum initium dare, hi permanentes irritare et habitum morbo opportunum ipſumque illum procreare, videntur. Et praeter tubercula et ulcera habitus cacochimicus pulmonum ex eadem cauſa forſitan eſſe poteſt.

## SEMINIA.

In haemoptoen prae caeteris proni ſunt ii qui mala thoracis conformatione aut natura ſanguinea et plena ſunt. Quales ſunt candidi, roſeis genis labriſque, cute molli et per quam ſanguinis rubor amabiliter traluceat, oculis coeruleis praediti; virilis quam muliebris ſexus; priore vita haemorrhagiam pati conſueti; animi adfectibus aut perturbationibus impotenter dediti; hyſterici; a decimo ſexto aut octavo aetatis anno ad trigeſimum

trigeſimum quintum agentes; poſtremo quilibet ſorte naſcendi labem a parentibus acceptam nacti.

## POTESTATES NOCENTES.

Licet multas noxas quas pro cauſis Sauvageſius habuit rejecero, tamen alias reſtrictiore ſenſu, et noſtrae morbi naturae opinioni magis conſentaneo, retinere non dubitavi. Ergo, ubi jam aliunde haemoptoes periculum ſubeſt, id auget, et imminentem ultro morbum impellit, quicquid aut ſanguinem percitat aut genus nervoſum ſtimulat. Hujuſcemodi ſunt impedimenta aliarum partium, aut haemorrhagia alibi aut profluvia quaelibet ſuppreſſa; vicina viſcera aut ipſum jecur infarcta; animi adfectiones vehementiores aut ſubitae, aut perturbationes graves; vita quieta; victus plenus ac lautus; labor omnis qui nimius ſed non diuturnior eſt, luctantium aut onera tollentium niſus; venus ante tempus aut ſupra vires; extremorum artuum aut corporis ſummi ſpaſmus, aut imminuta perſpiratio et pedum frigus; item cibi acres, ut aromata aut condimenta; potiones ſpirituoſae; poſtremo vernorum dierum effectus, quo per novum calorem humores magis rareſcunt quam firma conſtricta iis cedunt; et ſi qua regio aut coeli tractus huic ſimilem effectum praeſtat.

## PROGNOSIS.

Haemoptoe, haemorrhagiarum activarum propria, ſicque a nobis tractata, non eundem quem mixta a ſcriptoribus deſcripta eventum habet. Incipiens enim, ut lenior et adminiſtratu facilior eſt, ita non periculo caret; quia, vel antequam ſputum adpareat, tubercula aut ulcera mala fere ſemper ſubſunt; quae difficillime et ſummo negotio, artis et naturae viribus conjunctis, ſuperantur. Provectiore autem morbo, et rubris jam perruptis vaſis, cum illa tanto et majora et deterioris naturae ſint, ſalutis minor ſpes eſt. Verum, et ante ſputum et poſt id, rejecti ſacci humorem malum concludentis, et vel ſublati radicitus morbi vel leniti, vitaeque productae, non exempla deſunt.

## CURANDI RATIO.

Licet haemoptoen in anguſtius ſpatium quam priores ſcriptores, paſſivis ſpeciebus reciſis, coegerimus, et ad unam ſpeciem quae in ſanguinis abundantia, eaque pulmones praecipue, atque cum haemorrhagico impetu, laceſſente, et tubercula

gignente aut ſervante, collocaverimus, ideoque ſanatu ancipitem morbum curandum deſumpſerimus; tamen, ſive venturo malo occurrendi ſive praeſens ſublevandi, ſeu, ſi id quoque fieri potuerit, tollendi ſpes erit, de curandi aliqua, utut miſerabili, ratione nunc agendum eſt.

Curationis tria conſilia mihi ad animum adcurrunt: primum cauſas remotas devitare aut vim earum infringere; tum plenum corporis reliqui habitum ſolvere; poſtremo ſanguinem ad pulmones percitatum tardare atque inde revocare, conari.

Primum conſilium in iis prae caeteris, qui vel ſorte naſcendi vel pectoris conformatione, aliiſve notis evidentioribus, in periculo morbi verſari videantur, probabilem locum habet. Ergo ii, cum in pueritia et a primis annis, tum maxime, ubi jam formidabiles pubertatis anni imminebunt, ab omnibus poteſtatibus nocentibus, quae in noſtra manu magis ſunt, cum cura contineantur. Omniaque, quae vel ſanguinem percitent vel genus nervoſum irritent, procul amoveantur. Animus quam maxime quietus, ſerenus, et tranquillus ſervetur, et, ne quando turbetur, curae ſit. Leni ſemper ac modicae exercitationi, ſubito labore aut conatibus nimiis vitatis, conſulatur. E cujus generibus ambulatio, quae citra laſſitudinem aut cordis percuſſus citatos ſit, bona; melior vectio in equo, melior etiam in rheda eſt. Navigandi enim, quod optimum genus eſt, in morbi jam adparentis tempus, neceſſitas differatur. Calor omnis, inſitum augens, aut cor ſtimulans, magiſque etiam hunc excipiens frigus, extimeſcantur. Cibi lenes e modica materia nec ſtimulantes, potioneſque conſimiles, ſumantur. Et ante omnia ab exitiali conſuetudine, qua plurimos quotidie, aliter ſervandos, e medio rapi videmus, ad ebrietatem et crapulam meraca bibendi, veneno magis et angue, abſtineatur. Nimius veneris ſtimulus caveatur. Haemorrhagiarum et profluviorum quorumlibet, niſi quod morbidis moderandum et obviam eundum erit, ſuppreſſiones prohibeantur aut tollantur. Omnes excretiones, praecipue quae per alvum et cutis ſummae foramina perficiuntur, faciles et apertae ſerventur. "Haec ſanis adhuc," ut Celſus ait, "ita ſervanda ſunt, ut curandum" ſit, ne nimis iis inſiſtendo, aut intempeſtivo et temerario de ſani hominis vita ſtudio injecto terrore, "in ſecunda valetudine adverſae remedia conſumantur."

Secundo et tertio medendi conſiliis reſpondent eadem fere quae ad morbo occurrendum praecepta ſunt; ſed eo accuratius ac diligentius obſervanda, quo magis in praecipite is eſt, qui jam cum peſſimo morbo conflictatur, quam cui tantummodo ex longinquo periculum metuendum eſt. Hic igitur victus parci exquiſita ratio habeatur; ſiquidem nihil ad corpus attenuandum,

nuandum, et ſanguinis in quolibet corporis loco ſive abundantiam minuendam, ſive ex eodem illius impetum avertendum, quam victus tenuis conſuetudo, efficacius eſt. Quae ſi adverſus tubercula, quo minus decreſcant aut ſolvantur, minus valet aut ſpei minus promittit; tamen per vitae tempus quo haemoptoe et tabis periculum vigent obſervata hoc promittit; ne illa, ſi nondum in aliquid magnitudinis, quae ſpem ſalutis tollat, jam ante excreverint, in amplius deinceps creſcant, et ut vita producatur, efficit. Materia vero phthiſicis maxime conveniens lactea eſt; quippe quae et ſatis alat, et blanda ſua vi corpus minime irritet. Cujus quod ad temperiem attinet, is calor, qui recens excepti eſt, optimus videtur; ſiquidem frigori et calori nimio medius, et nobis gratus, omni noxae periculo caret. Ob quam cauſam ex matre animante, ſive ea vacca, ſive ovis, ſive capella, ſive equa, ſive mulier eſt, recens exceptum lac ſumendi conſuetudo, arte calefaciendi conſuetudini praeſtat. Cui cibi generi, ſi quod, praeſertim aeſtivo tempore, addendum eſt, id ex herbarum genere, quae et concoctu faciles, neque corpus calefaciunt, et febriculam inter concoquendum minus excitant, trahatur. Sauvageſius cremores dilutos ex oryza, hordeo, avena, pane aqua cocto, potui recte praecipit. Idem in acceſſione "febrilem aeſtum componendum, quietem conciliandam, et tempus vaſis ſanguinem perdentibus quo conglutinentur dandum, per juſcula e carne vitulina, vel pullina cum lactuca, vinca, plantagine, ſymphyti radice confecta," quoque admonet.

Item acidi paululo dilutae potiones, quibus refrigeratus aeger recreetur, conveniunt; neque enim tantillum diluti acidi, quantillum permitti ſolet, ac ne major copia quidem ad ulcus aut vulnus conglutinandum, poſſe videtur.

Ex exercitationis generibus hoc in loco geſtatio, ſeu corporis totius, quieſcentibus quam maxime muſculis, motus motui horum anteponendus eſt. Ineunte igitur morbo, iter calidis diebus in hac regione, modo ne calor, quod hic quoque aliquando fit, nimius ſit, facere equo utile eſt, utilius rheda; nam omnis laſſitudo nocet, quae pleriſque imbecillis equo vectis tamen contingit. Nave vero vehi, quo corpus aſſidue noctes atque dies, quietiſſima vi muſculoſa, agitatur, quodque corpus eo motu minime inſuper aeſtuat, in iiſdem calidis tempeſtatibus, omnibus geſtationis generibus antecellit. Neque hoc ratio non probat, et experientia et uſus firmant

Neque per victus et exercitationis rationem calor, ſed et coeleſtis, dempta eorum ratione, vitetur; maximeque ejus ac frigoris inter ſe viciſſitudines. Ab iis ergo, quibus ex hac inſula valetudinis cauſa, hoc morbo laborantibus, proficiſcen-

dum eſt, praecipite aeſtate aut ineunte autumno in Galliam, Italiam, aut Luſitaniam, migretur, illic hyems exigatur, ubi patriae frigus hyemale cum commodo vitabitur. Redeundumque vere novo domum, ubi frigore patriae pejorem, illorum locorum ardorem, cum pari aut majore fructu, fugiendi copia dabitur. Nihil enim eorum conſilio inconſultius eſt, qui, praeter hiemes in illis continentis tractibus exactas, etiam aeſtatem cum certa et ſubita pernicie, licet in patria per annos forſitan ſuperſtitibus eſſe licuerit, tranſigere non metuunt.

Porro, ſanguinis detractione pulmonum turbas et ſputum levare convenit. Nam adeo ſaepe haemorrhagia inſtat, idque periculi intentat, ut praeſentis hujus auxilii neceſſitas exiſtat. E brachio inciſa vena ſanguinem quarta quavis hora adimendum Sauvageſius judicavit. Cujus utique nulla certa hujuſmodi norma eſſe poteſt, cum plus aut minus pro mali vehementia et hominis viribus, ſaepiuſque aut rarius, auferri oportere manifeſtum ſit, reſque e medici praeſentis judicio pendere fere ſoleat; niſi quod, praeter virium rationem, donec cruſta ſanguinis detracti decedat, et vel ſputi vehementia vel hoc ex toto deſinat, ab opere non deſiſtendum videatur.

Sanguinem etiam a pulmonibus avertunt, et ad ſummum corpus emetica derivant *. In quem finem compluribus, quae conveniunt hoc tempore, tartarum emeticum anteponitur; quippe quod parvis doſibus, ſed ſaepius datum, ſine vomitu, hic inutili, nauſeam movendo ad cutis foramina potenter, ſanguinem, vixque citatum, a pulmonibus derivat. Praeter autem ſupra purgantia, etiam

Infra quae leniter purgant, aut alvum ſaltem facilem mollemve ſervant, non vituperandum ſunt auxilium. Quem in uſum pulpa caſſiae, tamarindi, flores perſicorum, ſulphuris, manna, et oleum ricini, haud improſpere adhibentur. Eo autem magis a dura alvo metuendum eſt, quod nihil magis ad pulmones ſanguinem impellit, nihil eos magis adimplet. Ergo et liquoribus in eam immiſſis mollitiei ejus conſulendum eſt.

Neque ſanguinis non impetum in pulmones imminuunt veſicatoria. Quae, quo propius partem laborantem imponuntur, eo plus auxilii promittunt.

Poſtremo, ad conſuetudinem qua ſanguis ad pulmones ruit demendam, fonticuli accommodantur. Quae, ut quam diutiſſime permanent, ita maxime optatum effectum et certiſſime praeſtant. Neque utrorumvis, ſive veſicatoriorum niſi mora breviſſima, ſive fonticulorum, ſtimulus incommodo ulli fere, moleſtiae ulli reperitur; utpote qui, parti exiguae objectus, ad univerſum nervorum genus, ideoque ad cor, non perveniat.

* Cull. loc. cit.

DE

# DE HAEMORRHOIDE.

*AUCTORE F. CLAXTON.*

## HAEMORRHOIDIS DEFINITIO.

"CAPITIS gravitas vel dolor; vertigo; lumborum dolor; dolor ani; circa anum tubercula livida dolentia, e quibus profluit sanguis, qui aliquando etiam, nullo tumore apparente, ex ano stillat."

## HISTORIA.

Quanquam notae pyrexiae et plenitudinis universae, locove propriae, in definitione Culleniana comprehensae, morbum plerumque praecedunt; aliquando tamen invadit, accessione ejus per nulla, si duritiem alvi excipias, signa praenunciata. Haemorrhoidem in iis, quibus systema nervosum mobile, nonnunquam antecedunt, magnus frigoris extremorum sensus, inflatio, urinae pallidae excretio, stranguria, vel urina suppressa, hypochondriasis, colica. Sanguis vix unquam, nisi inter alvum evacuandam, profunditur. Stercus modo praecedit, modo subsequitur; hoc vero saepissime incidit. Saepe colore floridus et ruber, saepius niger et coactus. Effusus omnia signa levat. Si vero partes circa anum non parum tenduntur, si nihil sanguinis tamen prorumpit, sique remedia in auxilium morbi non prompta sunt; dolor ingravescere, calor admodum increscere, et sitis, aversatio alimenti, nausea, pulsus arteriarum frequentes et pleni, oriri solent. Aegrotanti urina difficile redditur, aut ex toto supprimitur; diaphragma convellitur, aures tinniunt. Nec cessant haec signa febrilia, donec tumor circa anum ad suppurationem perveniat. Hoc facto, dolor magnopere levatur, pusque una cum stercore descendit. Quae tubercula in ulcera verterint, ea fistulas saepe faciunt; quae tamen nec aeque profunde sedent, nec aeque sublatu difficiles sunt, ac eae quae causis ab aliis proficiscuntur.

Tumor nonnunquam, signis febrilibus subsantibus, non suppuratione, sed gangraena finitur. Hoc autem accidisse testantur, stercus admodum foetidum et saniosum, ictus arteriarum debiles, celeres, abnormes.

Si tubercula sunt externa, sanguis rarius profunditur, minusque doloris subest.

Haemorrhois interdum statis temporibus, in morem menstruorum, repetere solet; hoc vero potissimum incidit, tuber-

culis

culis intra rectum ſitis, vel in iis mulieribus, quibus menſes ſunt ſuppreſſi. Aegrotos plerumque ſemel ſpatio duorum triumve menſium, aliquando ſemel biſve tantum, ſingulis annis, exercet.

Cum tubercula, ut ita dicam, caeca ſunt, vel nihil ſanguinis ex iis profluit, morbus ſaepe non aliter, aç febris intermittens, accedit.

Quantitas ſanguinis profuſi in aliis alia eſt. Modo vix unciam adaequat, modo libram excedit.

## DIAGNOSIS.

Pauciſſimi quidem morbi ſunt, quos inter et haemorrhoidem multum ſimilitudinis intereſt. Hanc magis forſitan reddit dyſenteria, quam quilibet alius. Igitur dyſenteriam ab haemorrhoide, per omnes quibus poſſumus notas, ſecernendam putamus. Illa conflictantes febris levior graviorve, eaque contagioſa, cum torminibus ſemper infeſtant. Qui ſanguis profunditur, is ſemper muco magis minuſve admiſcetur, et ſigna minime levat. Hac, contra, laborantibus tormina omnino deſunt. Qui ſanguis effunditur, is purus eſt, cumque nullis aliis rebus commiſcetur, dolorem aliaque ſigna levat, vel ex toto tollit.

Quinetiam haemorrhois a melaena Sauvageſiana morbove nigro, diſtingui debet. Hoc quidem non difficile; namque ſigna melaenae praecipua ab haemorrhoidis propriis longe differunt. Tumores nulli ſunt externi vel interni, qui oculis videri digitiſve ſentiri poſſunt, et ſanguis, nullo ani dolore profuſionem ejus antecedente, deſcendit. Nonnulli forſitan alii morbi haemorrhoidi aliqua ex parte ſimiles ſunt; ſimilitudo tamen eſt talis, qualis nullam medicinam facientibus errorem poteſt creare. Igitur non opus eſt, ut in haemorrhoide morbis ab aliis ſecernenda plus temporis operaeque ponamus.

## CAUSA PROXIMA.

Haec ſanguinis in vaſis extremi recti propriis, vel haemorrhoidalibus, uti appellantur, cum arteriis tum venis, his vero potiſſimum, congeſtio eſt, actionem arteriarum adauctam faciens. Rem ita ſeſe habere, teſtantur, omnia fere ſigna, quae effuſionem ſanguinis praecedunt, ut lumborum anique dolor, partium circa anum tenſio inſignis, ſenſus ponderis qui plerumque adeſt, &c. et levamen quod ſanguis profuſus aegroto adfert. Quinetiam inciſiones Morgagnii celeberrimi venas haemorrhoidales nonnullis, qui vivi haemorrhoide diu graviterque

terque fuerint conflictati, admodum dilatatas esse, et magnitudinem vere mirandam, si exilitatem earundem sanarum rite consideres, sibi adeptas esse demonstrant. Quod nunquam accidisset, nisi sanguis in eis fuisset accumulatus. Hic autem in venis, quae arteriis magis dilatabiles, congestus per pondus molemque suam magnitudinem morbidam non difficulter dare valeret.

## SEMINIA.

Mortales hunc ad morbum proclives reddere videntur sequentia:

1. *Aetas provecta.* Haemorrhois quidem homines ab anno aetatis quadragesimo ad septuagesimum usque, potissimum infestat. Ei infantes nunquam, juvenes raro, qui annum trigesimum nondum transgressi, patent. Exempla tamen non desunt, ubi sex septemve annos natos invasit. Cur vero seniores in primis occupet, plenitudo venosa, ad senium vergentibus propria, satis exponit.

2. *Sexus virilis.* Multi medicorum, viros huic morbo mulieribus opportuniores esse, asserere non dubitarunt. Res autem apud Britannos, celeberrimis Gregorio et Culleno testibus, se aliter habet; namque foeminae haemorrhoidi magis, quam viri, objici videntur. Quod ob causas complures incidere potest, ob menstrua ex toto suppressa parciusve provenientia, quae plenitudinem universam, igiturque sanguinis circa rectum extremum congestionem, facere possunt; ob uterum gravidum, cujus pondus comprimere potest venas haemorrhoidales; et denique, ob alvum, mulieribus vita sedentaria, quam plerumque agant, quam viris, astrictiorem saepissime redditam.

3. *Ver.*—Hic morbus, in morem aliarum haemorrhagiarum, Vere saepius, quam quolibet alio tempore, semet ostendere consuevit, quod plenitudo, ob excretiones diversas per hiemem imminutas, tunc temporis oritur, quodque reditus caloris verni humores magis, quam vasa quae eosdem contineant, expandit, et ita plenitudinem ad volumen, uti appellatur, facit.

4. *Labes haereditaria.*—Si ab hac causa oritur, fero accedit.

5. *Aliae sanguinis profusiones.*—Qui pueri epistaxi, quique juvenes haemoptysi fuerunt objecti, ii senescentes haemorrhoide saepe laborant. Hujus autem causa patet.

6. *Temperamentum melancholicum et habitus corporei laxitas.*—Illud motum totius corporis, praesertim venae portarum, sanguineum tardando, proclivitatem ad congestiones plane

plane facit; et haec accumulationibus ſanguineis nunquam non amiciſſima.

7. *Conſuetudo.*—Quicunque morbo ſemel correptus eſt, is ſemper, in poſterum, poteſtate nocente agente, facilius eodem tentabitur.

## POTESTATES NOCENTES.

Hae duplices ſunt: I. Eae quae plenitudinem univerſam faciunt. II. Eae quae plenitudinem recti extremi, partiumve ei proximarum, creant.

I. Plenitudinem autem univerſam faciunt cauſae ſequentes, quarum modus agendi ſupra fuit expoſitus: 1. *Cibus et potio immodice ſumpta.*—Hoc praecipue in cauſa eſſe videtur, cur haemorrhois divites et luxurioſe epulantes, quam pauperculos, ſaepius exerceat 2. *Corporis inertia.*—Exercitatio neglecta ſecretiones diverſas imminuit, idque aequilibrium, quod ſemper ingeſta inter et excreta intereſſe debet, et ad conſervationem ſanitatis omnino neceſſarium eſt, tollit, et haud dubie facit, ut haemorrhois vitam ſedentariam agentes tam ſaepe tamque graviter infeſtet. 3. *Evacuationes naturales ſuppreſſae*, vel per artem factae, ut fonticuli, &c. exſiccatae, praeſertim ſi quod ex his profundi ſolebat, copioſum erat. Menſtrua, exempli gratia, poſt annum aetatis quadrageſimum quintum ſextumve, provenire ceſſantia, mulieres, in poſterum, huic morbo in primis opportunas reddunt.

Proximum vero eſt, ut quaeramus, quomodo plenitudo univerſa morbum poſſit movere? Cum plenitudo utrinſque aortae aequa facta eſt, et tempus praeteriit, quo aliae ſanguinis profuſiones, ut epiſtaxis et haemoptyſis, ſemet oſtendere conſuerunt; ſanguis in vaſis haemorrhoidalibus multo facilius, quam alibi, accumulabitur. Namque poſitura corporis uſitatiſſima, ſcilicet erecta, facit ut impetus humorum ad ea, quam ad alia, major fere ſemper fiat. Inſuper, ſanguis ab iis, in parte corporis pinguedinoſa ſitis, contra gravitatem ſuam aſcendat oportet, muſculorum et valvularum, quae omnibus venae portarum ramis ex toto deſunt, auxilio deſtitutus Et denique, cum ad hepar ipſum pervenit, hic quoque, actione arteriarum, ad ſe propellendum perquam neceſſaria, magna ex parte caret. Igitur non mirandum, ſanguinem, praeſertim ſub mediam aetatem, quo tempore aliae haemorrhagiae plenitudinem non imminuunt, in venis haemorrhoidalibus accumulari, et arteriis reſiſtendo actionem earum adauctam movere, quae facit ut ſanguis tandem, per venarum aut arteriarum exhalantium rupturam, harumve anaſtamoſin, effundatur.

II. Eae

II. Eae quae plenitudinem recti extremi, partiumve ei proximarum, nulla plethora universa subsistante, creant.

1. *Plenitudo ramorum venae portarum topica*, vel cum plenitudine reliqui systematis venosi conjuncta, vel ab ea semota. Circiter annum aetatis trigesimum sextum, plenitudo ab arteriis ad venas transfertur. Plenitudo vero totius systematis venosi, venaeve portarum solius, praesertim si plenitudinem hujus perpetuam fere reddiderit hepatis scirrhus, &c. haemorrhoidem eodem fere modo, quo plenitudo universa, excitare potest. Non tantum revera tubercula livida, extra vel intra anum, sanguinem in telam cellulosam effundendo, facit, sed quamplurima idem genus in liene et pancreate, et denique toto in canali alimentario, ut incisiones cadaverum plane testantur, saepissime concitat. Haec autem non solum circa anum, sed per tota intestina, rumpuntur, sanguinemque effundunt, qui vomitu rejicitur alvove evacuatur, idque, quod atrabilis antiquiorum, morbusve niger aut melaena recentiorum, appellatur, constituit.

2. *Alvi durities.*—Haec haemorrhoidis saepissime causa est; namque morbus raro, nisi in illis quibus alvus astricta est, semet ostendit. Et quicunque alvum nimis diutiusque durescere patiuntur, eos plus minusve haemorrhoidis fere semper infestat. Quanta pressura faeces in recto liberaliter accumulatae diuque retentae superficiem hujus interiorem, et igitur venas haemorrhoidales, afficiant, quanto arteriis eodem tempore stimulo sint, quantamque harum actionem moveant, et denique quantum sanguinis in vasis extremi recti accumulent, neminem potest latere. Haec omnia quidem praestare potest stercoris indurati accumulatio, nulla totius systematis venaeve portarum plenitudine subsistante. Quinetiam, eodem fere modo, venas haemorrhoidales comprimendo, &c. agit uterus gravidarum, et morbum saepe movet. Namque non paucae mulieres, quae totam per vitam haemorrhoide ante vacarunt, ea uterum gerentes conflictari incipiunt.

3. *Prolapsus ani.*—Unicuique forsitan, si id modo rotaverit, magnam stercoris, praesertim indurati, molem difficulter excernenti tunicae recti internae aliqua ex parte extra anum protrusae sunt. Nonnullis, inter alvum evacuandam, stercore non indurato, duos digitos aut circiter assidue procidunt; celerius tardiusve vero, pro majore aut minore fibrarum intestinorum longitudinalium debilitate, in rectum retrahuntur. Si tardius, sphincter ani se prius contrahere, quam in rectum redierint, et partem earum constringere, et ita perpetuum ani prolapsum, vel exaniam, ut morbum Sauvagesius vocat, facere potest. Haec autem tunicarum recti internarum strangulatio

gulatio reditum sanguinis venosi impedit, tandemque, ut haemorrhois accedat, vel sanguis e parte protrusa profundatur facit. Hoc, nec toto corpore nec ramis venae portarum praeter consuetudinem plenis, incidere potest. His inductus, Cullenus haemorrhoidem duas in species divisit, unam quae a marisicis, alteram quae ab exania proficiscitur.

4. *Usus purgantium immodicus.*—Haec tunicam intestinorum villosam stimulo evidenter afficiunt, motum peristalticum augent, et ut major humorum quantitas in canalem alimentarium effundatur faciunt. Hanc ob causam, cursus humorum a capite et partibus corporis superioribus ad intestina, locaque eis proxima, fiat oportet. Quinetiam, purgantia, in morem omnium aliorum stimulantium nimis diu adhibitorum, vires partibus, quibus applicentur, convellunt, et ita intestina, praesertim rectum, ad sanguinis accumulationes magis proclivia efficiunt. Hoc autem in primis praestant aloetica, quae in rectum potissimum agunt, idque violenter irritant. Mercurius, si perspirationem auctam sputumve non moveat, eodem modo saepe agit. Qua ratione igitur purgantia, saepius justo adhibita, haemorrhoidem faciant, non intellectu difficile.

5. *Dysenteriae et diarrhoeae diuturnae.*—Hae haemorrhoidem, et eodem fere modo, concitant.

6. *Vina nonnulla.*—Tockaviense, id Anglice *claret* appellatum, &c. morbum movere feruntur. Quidam aliquam his proprietatem, qua morbum excitent, inesse putant; cum morbus, aliis non minus meracis et stimulantibus adhibitis, non accedat. Caeterum non aliter, quam alvum firmando, eum movere videntur.

7. *Hirudines ano nimis frequenter admotae.*—Hae ano, signa levandi consilio, applicatae eadem pejora nonnunquam reddunt. Hoc autem cursum humorum ad partes affectas augendo haud dubie faciunt; et igitur, non absque ratione, causis excitantibus annumerantur.

8. *Concussiones viscerum abdominis, ut inter saltandum, currendum, equitandum, &c. violentae et frequentes.*—Hae ad morbum concitandum, impetum humorum ad anum, et igitur plenitudinem ibi topicam faciendo, haud dubie conferunt; nisi humores alio, nempe ad cutem, avertant, quod tantum, vestimentis et anni tempestate calidis, potest incidere.

9. *Morbi nonnulli, qui profusionibus sanguinis criticis tolli solent.*—Hujusmodi sunt mania, cephalalgia, &c. quae haemorrhoide finiri consuerunt, si aegrotus alioquin huic sit opportunus.

10. *Affectus animi vehementiores.*—Ira, exempli gratia, non tantum circuitum sanguinis accelerat, sed externa corporis

poris ſpaſmo ſaepius afficit. Rem ita ſeſe habere, teſtatur is faciei pallor, qui iram non minus ſaepe, quam rubor, ſubſequitur. Spaſmus autem ortus curſum ſanguinis ad omnes partes internas, et ad rectum in reliquis, faciat, et idcirco haemorrhoidem moveat oportet.

11. *Lues venerea.*—Haec tubercula circa anum non raro excitat, quae venas haemorrhoidales comprimere, &c. et igitur ut ſanguis profundatur, facere poſſunt.

12. *Denique, quaecunque alia ad plenitudinem recti, &c. topicam, reditum ſanguinis venoſi impediendo, vel motum ſanguinis in viſceribus abdominis languidum reddendo, faciendam conferunt, ea omnia haemorrhoidem poſſunt movere.*—Hujuſcemodi ſunt, auctus hepatis morbidus, ſcirrhuſve ejuſdem; inteſtina aere, ut in hypochondriaſi incidit, diſtenſa; niſus inter faeces excernendas nimis violenti; humor in aſcite, &c. hydropicus; varii veſicae urinariae, &c. affectus, ut calculi, ſcirrhi, &c.; moeror magnus et diuturnus, qui totum ſyſtema haud dubie debilitat, et viſcera abdominis tanto torpore ſaepe afficit, ut obſtructio oriatur, quae haemorrhoidem, omneſque ejus ſequelas, facile poteſt creare.

In his, quae ſupra poſuerimus, opiniones plerorumque medicorum ſumus ſecuti; ſed Monroius celeberrimus, anatomicorum hujus ſeculi facile princeps, longe alia tradit *.

Rectum extremum anumve, ſedem morbi maxime communem, ſanguinem ſuum ab arteria iliaca interna accipere, et eundem venae iliacae internae remittere, demonſtrat. Igitur cauſam, cur morbus tam frequenter invadat, non, in morem auctorum, a curſu ſanguinis in vena portarum ſingulari, ſed ab indole ſtercoris acri, et diſtenſione parum aequali per id facta, deducendam putat. His adjicienda ſunt, ſitus partis devexus et depreſſus, et preſſura cui, inter ſedendum, objicitur. Morbum autem ab hiſce cauſis proficiſci, hoc evidenter teſtatur, quod alvus dura multo ſaepius, quam omnes aliae cauſae conjunctae, haemorrhoidem excitare ſolet.

Quantum ad modum, quo partes afficiantur, attinet, notat, ſe paucis in exemplis, in quibus multum ſanguinis, temporibus diverſis, ex ano profuſum fuerat, nullum omnino tumorem videre, vel digitis in anum immiſſis, ſentire potuiſſe. Igitur ſanguinem in nonnullis e recto interno, per vaſcula rupta leviterve eroſa, effundi arbitratur. Caſus vero hujuſmodi rariores eſſe, cum tumores plerumque viderit, confitetur. Hos, in aliis exemplis, externos eſſe; in aliis, contra, digitum ampliuſve intra anum, ſaepiſſime partim extra partim intra, in ipſo margine, ſedere teſtatur.

* Anat. praelect.

Cauſis, quae morbum excitent, hoc modo percurſis et expoſitis, proximum eſt ut naturam quoque ſignorum exponamus.

## RATIO SIGNORUM.

1. " Capitis gravitas vel dolor, vertigo, lumborum dolor." —Haec a diſtenſione ſyſtematis arterioſi oriri videntur; namque ſigna hujuſmodi a diſtenſione mere venoſa nunquam proficiſci notamus. Quanquam ſanguinis accumulatio in venis ſolis ſub initium incidit: arteriis tamen tantum reſiſtit, ut brevi nonnihil ſanguinis in iis quoque congeratur, actio earum aucta moveatur, et niſus, uti appellatur, haemorrhagicus oriatur. Hic denique eo uſque ſaepe procedit, ut omnia pyrexiae, antequam ſanguis prorumpat, ſigna ſemet oſtendant. Igitur non mirandum " capitis gravitatem vel dolorem," &c. quae nunquam fere, arteriis nimis diſtenſis violentiuſque micantibus, deſunt, in haemorrhoide oriri.

2. " Dolor ani."—Hic, et aliquando acutiſſimus et lancinans eſt, a partibus circa anum, per accumulationem ſanguineam nimis tenſis, et actione arteriarum nihilominus pergente, oriri videtur. Etenim, ut omnia corporis humani vaſa ſanguifera, vaſa vaſorum, uti nominantur, quoque habent; ſic omnes partes nervulis ſuis quoque ſunt inſtructae. Idcirco nec vaſa haemorrhoidalia, nec tunicae inteſtinorum ſenſiles, vel diſtendi vel rumpi, abſque dolore acutiſſimo, poſſunt.

3. " Circa anum tubercula livida dolentia, e quibus profluit ſanguis, qui aliquando etiam, nullo tumore apparente, ex ano ſtillat." Haec tubercula olim pro diſtenſionibus venarum haemorrhoidalium varicoſis habita fuerunt; has vero, utpote quae exiles ſint, tantopere, et in omni fere haemorrhoidis exemplo, dilatari et augeri poſſe, improbabile. A ſanguine in telam celluloſam effuſo proficiſci videntur. Rem ita ſe habere multi teſtantur, qui ea incidenda curarunt. Colorem lividum a ſanguine, quem contineant, ſibi adipiſcuntur. Congeſtio ſanguinea ſaepe adeo augetur, ut tubercula tandem rumpantur, et ſanguis ex iis profundatur. Nulla horum interdum in partibus externis ſemet oſtendunt. Intra rectum extremum tamen ſita, et per tenſionem nimiam vinque ſtercoris deſcendentis rupta, faciunt, ut ſanguis, nullo tumore apparente, ex ano ſtillet.

Monroius vero accuratiſſimus de hiſce tuberculis modo ſequente loquitur: Non pro varicibus venarum, in morem Morgagnii et Halleri, ea habet, quod molem iis, nec poſitura horizontalis, nec preſſura inſigniter imminuit. Inſuper, ſpiſſitudinis durae et inaequalis eſſe ſemper obſervavit. In uno duobuſve

duobuſve cadaveribus, ſubſtantiam eorum fere eandem eſſe, quam Morgagnius epiſtola 32da deſcripſit, compertus eſt; ſed longe alia inde cogi poſſe exiſtimat. Saccos ſanguine coacto plenos reperit; nullas vero venas eos ingredientes aut egredientes. Eos idcirco non pro varicibus, ſed pro ſanguine per vaſcula in telam celluloſam effuſo, habuit. Sacci autem non totam molem inſolitam, ſed partes tantum durorum et inaequalium tumorum, conſtituerunt. Denique, tumores, qui in haemorrhoide ſemet oſtendunt, tumoribus vel polypis, qui in faucibus, naribus, vel vagina, oriuntur, comparat. Eaſdem ob cauſas creſcere, inflammari, ſubito intumeſcere, et ſanguinem profundere, opinatur. Quanquam fluxus ſanguinis aliquando ſtatis temporibus inciderit; eum tamen plerumque multo magis abnormem, quam pleriſque placet, et fortuitum eſſe, refert. Quinetiam, ſanguis e tuberculis hujuſmodi effuſus eoſdem fere effectus in corpus, ut notat, quos e tumoribus alibi ſitis prorumpens, edit.

Poſtremo, in exemplis hoc genus, ut ad operationem chirurgicam ſaepius ſolito confugiatur, ſuadet. Quae utilitatem hujus probent, compluria exempla memorat, in quibus tumores hujuſmodi, quanquam plures annos manſerant, et ſanguinem profuderant, cum inſigni aegrotantis levamine, et abſque ſequelis nocivis, eo monente, radicitus fuerunt extirpati. Duos tumores potiſſimum rei anatomicae operam navantibus oſtendit, qui diverſis in aegrotantibus exciſi ſunt, et quadriennium manſerant. Quorum unus cervicem tenuiorem habet, et digitum ampliuſve intra anum ſedebat; quorum alter baſin latiſſimam habet, et intra rectum quoque, ſed quam proxime marginem ſphincteris, ſedebat.

4. " Stercus modo praecedit, modo ſubſequitur ſanguis."—Cum alvus admodum aſtricta eſt, niſus inter alvum evacuandam tam violenti oriuntur, ut per eos ſolos vaſa vel tubercula videantur rumpi, et deſcenſus ſtercoris tam tardus eſt, ut ſanguis prius ex ano deſtillet, quam hoc ad rectum extremum pervenerit; contra, cum alvus minus dura eſt, preſſura ſtercoris ſola rupturam facere videtur, quod celerius deſcendens oſtia vaſis tuberculiſve, quae ruperit, in aliquantum temporis claudit, adeo ut profuſio ſanguinis excretionem alvinam neceſſario ſubſequatur, non praecedat.

5. " Saepe colore ruber, ſaepius niger et coactus."—Si ſanguis non e tuberculis in quibus coiverit et aliquamdiu manſerit, ſed protinus ex arteriis veniſve fuerit profuſus, ruber eſt; ſi vero e tuberculis, in quibus per ſpatium non breve fuerit collectus, niger et coactus eſt, ſeroſitate, ut ita dicam, abſorpta,

abſorpta, et craſſamento et glutine, inter ſeſe commiſtis, ſolis reſtantibus.

6. " Effuſus omnia ſigna levat."—Profuſio ſanguinis in omni haemorrhagia tenſionem partis laborantis, actionem vaſorum adauctam, ſpaſmum, &c. tollit, et igitur ſigna non levare non poteſt.

Caetera ſigna, haudquaquam obſcura, nullius omnino explicationis videntur indigere. Igitur proximum eſt ut hoc in loco quam breviſſime conſideremus, utrum ſanguis ex arteriis veniſve profluat. Quantum hoc ſpectat, viri ſummi in ſententias longe diverſas iverunt.

Qui ſanguinem ex arteriis profundi contendunt, ii hoc modo ratiocinantur. Omnes arteriarum, ut anatomia docet, ſaltem plerique, fines ramis exhalantibus ſunt inſtructi, qui in ſuperficiem corporis, cavum aliquod vel ſubſtantiam celluloſam deſinunt, non longe, ut probabile, progreſſi. Humores autem in arterias immiſſi, quod neminem fugit, per hos ramos exhalantes ſaepe effundumtur. Igitur, ſi ſanguis, quod in haemorrhoide fit, in venis ita accumuletur, ut arteriis non parum obſiſtatur, actione earundem etiamnum pergente, humores haud dubie ramos exhalantes petent, et per anaſtamoſin eorum, vel, ſi actio ſyſtematis arterioſi fuerit violenta, per rupturam eorum arteriarumve ipſarum effundentur; namque venae facile dilatari, aegerrime rumpi, poſſunt.

Qui vero, contra, ſanguinem ex venis profluere credunt, ii opinioni ſuae argumentis ſequentibus fidem facere conantur.

Haemorrhois ſeniores plerumque infeſtat, quibus plenitudo, non arterioſa, ſed venoſa, eſt. Quinetiam arteriae eorum venis denſiores firmioreſque ſunt. Igitur hae, non illae, accumulatione ſanguinis facta, rumpi periclitabuntur.

Caeterum, utrum ſanguis ex arteriis veniſve effundatur, non multum refert, cum morbi curatio utroque in exemplo omnino eadem foret.

Ad eventum morbi animum proxime attendendum.

## PROGNOSIS.

Si morbus nuper acceſſit, et ſyſtema reditu ejus nondum inſuevit, facile ſaepe tollitur. Si a cauſis quae agere ex certo tempore ceſſant, graviditate, ex. gr. pendeat, ſponte decedet. Si a morbis aliis, ut aſcite, exania, &c. idiopathicis depulſis, ille quoque depelletur. Si a plenitudine recti extremi, nec univerſae, nec venoſae ſoli adjuncta, medicinae plerumque facile; ſi ab univerſa, venoſave ſola, difficilius; ſi a ſcirrho hepatis, vel obſtructionibus aliorum abdominis viſcerum, vix

omnino

omnino parebit. Si profusiones sanguinis immodicae sint, aegrotus non in tuto versatur. Si tubercula suppuratione finiantur, eidem periculum, saltem quam plurimum molestiae, si gangraena, mortem intentant.

## RATIO MEDENDI.

Consilia autem huic morbo medendi duo esse videntur.

I. Plenitudini universae, si adest, occurrere.

II. Irritamenta, quae ad plenitudinem recto extremo propriam faciendam possunt conferre, vitare.

In primis vero quaerendum, utrum haemorrhoidi mederi necne conari conveniat. Namque Stahlius, omnesque ejus aemuli, nullas haemorrhagias absque periculo, hanc vero non absque exitio certo et inevitabili, sisti posse contendunt. Erroris eo usque processerunt, ut nullum haemorrhoide donum majus praestantiusve a Deo mortalibus datum esse opinentur. Magna, illis judicibus, salutis humanae praeses et conservatrix est. Etenim hypochondriasin, maniam, arthritidem, sciaticam, asthma, colicam, obstructiones abdominis, haematuriam, &c. depellit. Hos autem morbos, cum adsunt, ab ea levari, cum nondum semet ostenderunt, arceri; quod tamen pro certo affirmare haudquaquam audemus, ponamus. Nonne, contra, plurimi, qui admodum molesti, semper periculosi, et tandem saepe funesti sunt, ab eadem excitantur? Namque, si repetere consuescat, et profusio sanguinis immodica fiat, debilitate summa, vel animi deliquio, hydrope, cachexia, febri hectica lenta; vel, si fluxus, quod non rarum, fuerit suppressus, quolibet e morbis plurimis, qui a plenitudine oriantur, potest finiri. Tubercula in fistulas, scirrhos, cancrosve vertere possunt. Denique, si nihil mali ab ea prius oriatur, quam aegrotus ad annum aetatis sexagesimum vel septuagesimum pervenerit, sub id tempus, ut Cullenus in praelectionibus suis notat, fluxus sponte plerumque cessat, et, quod nimis solitum, paralysin apoplexiamve lethalem facit. Igitur haemorrhoidi, plerisque in exemplis, et venienti et substanti occurramus oportet.

I. Plenitudini universae, si adest, occurrere. Hoc autem praestant,

1. Sanguinis missio. Ad hanc autem non decurratur, nisi aegrotus validus sit, et diathesis phlogistica sese evidenter ostendat; namque periculum est, ne plenitudinem, quam per eam imminuere velimus, adaugeat. Si ad eam vero confugere omnino necessarium sit, prius liberaliter, deinde parcius, postremo parcissime, adhibeatur, donec plenitudo per eam, et alia remedia

remedia idonea, ut cibum vegetabilem et exercitationem, ei adjuncta, ex toto fuerit ſublata.

2. Diaeta vegetabilis et lactea. Haec, utpote quae diverſa per excernentia facillime tranſeat, et non multum cruoris et glutinis ſanguini ſuppeditet, plenitudinem potenter imminuit, praeſertim ſi aegrotus cibo animali conſtanter ante inſueverit. Praeceptor noſter illuſtriſſimus Cullenus multorum inſignis diaetae hujuſmodi utilitatis exemplorum meminit.

3. Exercitatio. Haec ſecretiones, potiſſimum perſpirationem, auget, humorem circumeuntium quantitatem imminuit, totumque ſyſtema corroborat, adeo ut vaſa ſanguifera ipſa tenſu minus facilia evadant, et eam firmitatem, quae plenitudini prorſus adverſatur, ſibi adipiſcantur. Equitatio, cum viſcera abdominis crebris ſuccuſſionibus objiciat, per poſituram corporis arteriam femoris comprimat, et nimium igitur ſanguinis impetum ad vaſa haemorrhoidalia faciat, alvum multis aſtringat, et morbum ſaepe moveat, minus idonea eſſe videtur, quam rheda aut ambulatio. Exercitatio autem adverſus morbum nunquam ſatis efficax erit, niſi conſtanter adhibeatur. Ea vero, congeſtione ſanguinis circa anum jam facta, abſtineatur. Quinetiam, veſtimentorum calidorum, utpote quae perſpirationem aequabilem ſervent, ratio nunquam non habeatur. Induſium laneum proxime cutem gerere, quam plurimum proderit. Caeterum, altero quoque tertiove die, exuatur recenſque lotum induatur; cum id diutius ut moris communis eſt, gerere magis noxae, quam ſaluti, ſit. Namque materia perſpirabili poſt ſpatium non longum adimpletur, vim abſorbendi ex toto amittit, odorem intolerabilem emittit, et ſuperficies cutis tandem quaſi glutine tenaci tegitur, et perſpiratio igitur ex toto fere ceſſat.

II. Irritamenta, quae ad plenitudinem recto extremo propriam faciendam poſſunt conferre, vitare.

Duorum ex hiſce tantum, duritiei alvinae anique prolapſus, mentionem faciemus; namque omnia fere reliqua multo facilius poſſunt caveri. Admodum autem neceſſarium eſt, ut conſtanter cauteque vitetur, utpote quae morbum ſaepiſſime moveat,

1. Alvi durities. In hanc autem poſſunt laxantia mitiſſima, quae abſque vi ſtimulante agunt, alvum ſolutam tenent, et eandem ſemel biſve tantum movent. Hujuſmodi ſunt, ſulphur, quod quidem liberaliter ſumptum leniter purgat; at per nullam virtutem ſpecificam, ut nonnullis placuit, adverſus morbum efficax eſt, et multis inflationem ſummamque moleſtiam movet, magnam aeris fixi in ventriculo quantitatem nunquam non explicans; manna, cremor tartari, oleum ricini,

ni, quod forſitan reliquis praeſtat, &c. Si tubercula ſint interna, oleum, lac, infuſum lini, aliaſve mucilagines, in alvum ſummo cum commodo immittes, ſi ani conſtrictio hoc fieri permittat. Alvum autem ſolutam optime tenent fructus maturi, et radices vel folia eorum olerum, quae ſuccoſa ſunt. Liberaliter, non parce, ſumantur; namque obſervationes quam plurimae abſtinentiam niniam alvum nunquam non pertinaciter aſtringere teſtantur.

2. Ani prolapſus. Quae pars tunicarum recti internarum, inter ſtercus excernendum, procidit, ea in locum ſuum quamprimum reſtituatur, et antequam ſphincter ani ſeſe contrahat, et partis prolapſae ſtrangulationem faciat. Hoc optime praeſtabunt digiti aegrotantis ipſius, oleo inuncti, ne aliquid injuriae tunicis protruſis inferatur. Quinetiam annuli, a chirurgis laudati, prolapſum praecavendi cauſa poſſunt adhiberi.

Si ulla tuberculorum admodum dura maneant, multumque doloris moveant, ea ſcalpello incidere conveniet; quod tutius, quam hirudines eiſdem admovere, quae aliquando, quamvis minime ſemper, magnum ſanguinis ad partem laborantem curſum faciunt. Caeterum, podicem vaporibus calidae e vaſe anguſtiore aſcendentibus objicere, praeſertim ſi tubercula ſanguinem non fundant, dolorem efficaciſſime omnium levare conſuevit. Si tubercula in ſcirrhos vertant, ad unguentum mercuriale confugiatur, quod ea forſitan diſcutiet; ſi ad cancros vergant, radicitus extirpentur, quod medicinam facientium votis nonnunquam reſpondit.

Denique, via medendi tutiſſima eſt, gravitatem ſignorum, congeſtione ſubſtante, levare conari, et, per intervalla, reditui morbi per victum idoneum pro virili occurrere.

---

## DE MENNORRHAGIA IN NON GRAVIDIS NEC PUERPERIS.

*AUCTORE D. DALY.*

ANTEQUAM menſtruorum exceſſum pertractare incipiamus, haud abſonum erit, quandam eorum in ſtatu naturali proferre notionem; quippe quorum cauſas plerique perſcrutare conati ſunt medici, ex quo e muliebri ſinu, quando apta eſt ut concipiat, ſanguinem prodire incipere viderunt. Statis plerumque temporibus eundem redire ſanguinis effluxum, qui

Menſtruus vocatur, et per maximam vitae partem, ſanguinem certas periodos ſervantem ſic exire, abſque ſanitatis detrimento, immo potius cum emolumento, notarunt. Periodicam hanccce purgationem ſignum praebere, quo noſcitur mulierem aptam eſſe ut concipiat, et concepta nutriat foetum, donec novem menſium ſpatio, ex minima molecula in notabilem molem perventus, tandem excludatur, exiſtimarunt.

Ex phaenomenôn, inquam, jam recenſitorum obſervatione, ad cauſam inveſtigandam medici laboravere, et varii varia cenſuere.

Inter antiquos, Aſclepiades menſtruorum cauſam in Lunae imperio poſuit. Sed iſta ſententia abhinc neglecta fuit, uſquedum Meadius eruditiſſimus in lucem iterum revocavit; baſis vero hujus ſententiae fragilis apparebit, animadvertendo, mulieres ubique gentium, omni lunae periodo, menſtruare.

Iſta conjectura everſa, altera erupit, nempe, in mulieribus adeſſe quoddam fermentum periodice agens, et ſub menſtruorum forma erumpens; quoniam vero neque unquam experimentis demonſtratum, nec ratiocinio probabile redditum fuit tale quoddam fermentum, neceſſario corruit.

Binis prioribus rejectis, alii ad oeſtrum venereum confugere; ex eo, aiunt, quod mulieres ſalaciores citius et copioſius menſtruant, guttaeque ſanguineae muco commixtae, ex brutorum pudendis, dum oeſtrum patiuntur venereum, ſtillare videntur; ſed haecce ſtillatio menſtruorum faciem nuſquam gentium induit. "Vereor omnino," inquit Hallerus, "ne ſanguinis ſub tempora cupidinis venereae, in animalibus diverſis, exſtillatio, pro menſtrua purgatione habita ſit; et tamen hoc raro occurrit." Neque etiam verum, mulieres ſalaciores citius et copioſius menſes pati; nullus eſt qui dubitat, multas adeſſe mulieres quas dereliquere menſes, libidinis maxime avidas, et puellas ante pubertatem menſtruantes, oeſtri venerei adhuc ignaras; Van Swieten, experientia probe verſatus, plures rite menſtruantes, in venerem adeo ſegnes, ut maritorum recuſabant complexus, cognovit.

Recentiores vero, ſententiis jam ante adductis, utpote ad phaenomena menſtruae purgationis enodanda haud valentibus, derelictis, plethoram pro menſium cauſa quam proprie ſtatuunt: Anne vero iſta ſit localis, vel univerſalis, ſummis viribus adhuc litigant. Argumenta quoniam hinc et inde multifaria exponere, longius eſſet, quam ut in diſſertatiuncula tam brevi coarctetur, lite derelicta, eam plethorae ſpeciem, quae nobis magis arridet, hic tantummodo proferre tentabimus; quod ut clarius fiat, ab incremento et evolutione foetus incipere oportet.

Probe

Probe conſtat experientia, arterias in foetu minori venis pollere denſitate; quare, venarum propter renixum ſanguinis recurſui, plus in arteriis neceſſario accumulatur; ideoque, vitae ab initio ad acmen uſque, plethoram arteriae patiuntur; unde earum diſtenſio, quae cordis et arteriarum majorum vi, ſanguiniſque impetu, magis magiſque augeri queat, uſquedum arteriarum denſitas haſce adaequet poteſtates; et plethorico huicce ſtatui incrementum evolutioque corporis gradaria debentur, et haec a partibus incipiunt ſuperioribus, (ex eo forſan quod ibi adſunt organa vitae maxime neceſſaria); quare vaſa ſuperiora ad denſitatem aequilibrio ſyſtematis neceſſariam citius perveniunt; tuncque fluida majori verſus inferiora propellentur quantitate, pudenda pubeſcere incipient, eodemque quo in ſuperioribus modo perget evolutio, uſquedum idem aſſequuntur aequilibrium: Nunc uterus ad quoddam, cum reliquo corpore, aequilibrium perventus, in iſto ſtatu maneret, niſi quod ejus ſtructura laxa et vaſculoſa diſtenſioni adhuc favet, qua fit, ut arteriarum extremitates in uterum aperientes dilatantur, et ex iis ſanguis progreditur.

Gradariae iſti vaſorum uteri dilatationi, haud forſan omnino debetur ſanguinis effluxio; probabile videtur, talem evenire uteri congeſtionem, qualis, vaſa ſtimulando, eorum concitet actionem, ſicque, reniſu exſurgente, ſanguis erumpere cogitur; et haucce ſententiam ſymptomata febrilia fluxum antecedentia confirmare videntur.

Sic primus erumpit fluor, quo durante, vaſa jam diſtenſa relaxantur, tonum, actionemque auctam a diſtenſione orientes, amittunt, et extremitates eorum, impetum ſanguinis non amplius experientes, ſeſe contrahunt, ſiſtitque haemorrhagia.

Nunc ſyſtema uterinum depletum et relaxatum, non amplius in aequilibrio cum reliquo manet corpore; quare novum ſanguinis congeſtum neceſſario admittit, quo ad ſtatum plenitudinis jam ante dictum pervento, iiſdemque denuo agentibus cauſis, iterum erumpit ſanguis, modoque jamjam expoſito rurſus ſiſtit.

Haecce menſtruorum repetitio, abſque ullius corporis partis, quam uteri, viciſſitudine, conſtanter pergere videtur; ſanguinis enim aucta vel imminuta copia, quando aequalis per vaſa totius ſyſtematis fit ejus diviſio, partem unam quamlibet parum afficit. Sic venae ſectio, etſi larga, parvo eſt morbis mere topicis levamini, et hocce in utero praecipue accidit; quippe cui eſt ſtructura accumulationi maxime fautrix, ut in gravidis videre eſt, in quibus arteriarum truncus hypogaſtricarum parum auctus, rami vero multum ampliati, ſanguineque diſtenſi; ergo, etſi ad uteri evolutionem, primumque menſium

fluorem, opus fit plethora quae dicitur naturalis, aut fi velis univerſalis, ad reliquas explicandum periodos, ſola localis ſufficiet.

Fluorem menſtruum ſtatis rediturum temporibus probabile eſt; pendet enim a vaſorum uteri denſitatis et capacitatis ſtatu quodam, menſiſque vel circum circa requireretur, ut renovetur evacuatio. Etſi paulo citius vel ſerius evenire queat, attamen idem plerumque ſervabit intervallum, et poſtquam aliquod ſic duravit temporis, vis conſuetudinis, quantitati ſanguinis accumulatae neutiquam innitens, eadem certa periodo ſanguinem erumpere efficiet, ut clare illuſtrat analogia eorum, qui ſtato diei tempore foricas petunt, etſi in unaquaque ſede magna adeſt faecum quantitatis diverſitas; ut et qui periodice urinam reddunt, etſi aliquando vix ut reddatur adeſt; et quiſque huic ſeſe aſſueſcere poteſt. Procul dubio uterus, aeque ac reliquum corpus, tali ſubjici poteſt conſuetudini, qualis menſtruorum, invita ſanguinis congeſti copiae varietate, eadem ſervabit intervalla.

Sic breviter expoſita, menſtrui fluoris, quae nobis magis arridet, notione; nunc iſtum, ſexui ſequiori morbum maxime iniquum, qui menorrhagia dicitur, tractare conabimur.

## MENORRHAGIAE DEFINITIO.

Dorſi, lumborum, ventris, parturientium inſtar, dolores; copioſior menſtruorum, vel ſanguinis e vagina, praeter ordinem fluxus.

## MORBI HISTORIA.

Hocce ſanguinis profluvium ſaepe ſubito erumpit; ſed plerumque praecedunt vel concomitantur aliarum haemorrhagiarum ſigna, qualia partium unde proveniendus eſt ſanguis, ut et vicinarum tenſio, inflatio, dolor gravativus et preſſorius, ut et omnia ſpaſmi indicia, qualia extremorum frigus, horror et tremor, color faciei pallidus, vaſorum peripherícorum detumeſcentia, pulſus celer, cum interno ardore, alvus adſtricta, urina parca, anxietas, debilitas, nauſea, vomitus. Sanguis aliquando egreditur purus, aliquando coagulatus, ex eo quod ſaepe in utero diu manet. Hocce profluvium ſyſtema totum, et praecipue nervoſum, debilitat; unde oculorum caligo, pulſus parvus, debilis, frequens, et intermittens, ſyncope, ſudores frigidi, convulſiones; quando autem non ſuperveniunt haecce ſymptomata, quae aegrotam cito e medio tollerent, mala a quaque alia nimia evacuatione orientia, inducere haud

deſinit,

desinit, qualia hysteriae symptomata, tremores, crurum manuumque tumores, cachexia, hydrops, ventriculi et intestinorum vitia, quae nutrimenti assimilationem adeo vetant, ut corpus necessario alimento orbatum, et quodam morborum, a nimio profluvio laxitateque orientium, correptum, tandem succumbit.

## CAUSAE REMOTAE SUNT,

I. Quae in systema totum agunt.
- A. Plethoram ciendo
  - a Victus lautior
  - b Vita sedentaria
  - c Evacuationes solitae suppressae
  - d Venae sectio saepe iterata.
- B. Sanguinis circuitum accelerando.
  - a Cibus potusque stimulans
    - 1 Aromata
    - 2 Liquores spirituosi et fermentati
  - b Exercitium nimium et frequens
    - 1 Equitatio
    - 2 Ambulatio
    - 3 Saltatio, &c.
  - c Nisus violenti
    - 1 Nisus inter faeces ejiciendas
    - 2 Onera gravia levata
    - 3 Tussis
    - 4 Sternutatio
    - 5 Vomitus, &c.
  - d Animi pathemata
    - 1 Ira
    - 2 Laetitia nimia et subita, &c.
  - e Remedia acria
    - 1 Cathartica
    - 2 Diuretica
    - 3 Emenagoga
  - f Morbi acuti
  - g Calor.
- C. Systema laxando et debilitando,
  - a Balnei tepidi usus frequentior
  - b Theae usus immoderatior
  - c Evacuationes nimiae
    - 1 Per alvum
    - 2 Per urethram
    - 3 Per cutem

d Animi

d Animi affectiones deprimentes
1 Metus
2 Moestitia
3 Timor subito incussus.

II. Quae in uterum ipsum agunt.
A. Stimulando.
a Scirrhi
b Polypi
c Ulcera canceroſa
d In venere indulgentia frequens nimiaq;
e Ischuria
f Faeces induratae
g Teneſmus
h Remedia acria, qualia cantharides, &c.
B. Relaxando et debilitando.
a Abortus crebrior
b Partus difficilis
c Leucorrhoea, &c.
d Formatio originalis.

A. *Plethora.* In notione jam ante data de menſtruis, demonſtrare conati ſumus, molem ſanguinis auctam haud eſſe neceſſariam ad evacuationem renovandam; quoniam autem vaſa laxiora citius diſtendit, congeſtionemque majorem procreat, ut et fluida, prout evacuantur, ſuppeditat, ut copioſior diuturniorque ſit, efficere nullus negabit.

B. *Sanguinis circuitus acceleratus,* ad menorrhagiam procreandam multum conducit. Quando enim vaſa uterina laxiora ſunt, tunc ſanguis, minorem propter reſiſtentiam, in ea majori impetu et quantitate infunditur, quam ab illis in venas tranſmitti poteſt; quare congeſtio progignitur, quae ad ſtatum vaſa uteri ſanguifera ſtimulandi, et exhalantia vel rumpendi vel dilatandi, idoneum perventa, haemorrhagiam producere haud deficit.

C. *Syſtematis laxitas et debilitas,* tum plethorae productioni favendo, tum ſtatum corporis magis irritabilem inducendo, in haemorrhagia procreanda partem haud parvam agunt. Conſtat enim, quibus eſt corpus delicatulum, teneliun, et irritabile, et quae morbis nervoſis ſunt opportunae, profluviis quoque maxime objici.

A. *Uterum ipſum ſtimulantia* et congeſtionem, et vaſorum actionem auctam, procreant. Cuicunque enim corporis parti admotus ſit ſtimulus, ad eam fluida majori alliciuntur quantitate, ejuſque vaſorum augetur actio, et vel haemorrhagia vel inflammatio producitur; ſtimuli vero utero applicati, ejus vaſorum,

forum, tum ſanguiferorum, tum exhalantium, ſtructuram propter laxam et diſtenſibilem, haemorrhagiam ſaepius promovent.

B. *Uteri laxitas et debilitas*, minorem ſanguini praebendo repugnantiam, accumulationi, ideoque menorrhagiae, multum favent; et, praeterquam quod a cauſis accidentalibus oriuntur, ideoque acquiſitae dicendae, originem quoque a primaria conformatione ducere poſſunt; ſtamina enim, aliquando ratione qua par eſt, haud formari videntur; et ideo uteri vaſa vel capaciora, vel dilatabiliora, poſſunt eſſe; hocceque ſuffulciunt evolutio et evacuatio, quae quibuſdam citius quam pleriſque aliis ejuſdem climatis contingunt. Ab illuſtriſſimo Culleno, in praelectionibus ſuis practicis, diſcimus, ſe haſce vidiſſe in puellis octo annos natis, et omni fere alia periodo ab inde ad annum duodecimum, quod procul dubio in regione tam ſeptentrionali praematurius eſt; aſſeritque ab uteri primaria formatione pendere; quippe enim ſaepe adeſſe vidit abſque ulla alia cui tribuere potuiſſet cauſa; e. g. horum plerique, quos inſpexit, caſuum in delicatulis potius quam robuſtis evenere; quare non ſolum evacuationem, quando praematura, verum et cum copioſior eſt quam a corporis ſtatura et delicatula textura exſpectanda eſſet, originariae formationi tribuit.

## CAUSA PROXIMA.

Ex menſtruorum praepoſita notione, ut et cauſarum remotarum contemplatione, quarum omnes ſanguinem ad uterum determinant, ejuſque impetum adaugent, menorrhagiae cauſam proximam, uteri vaſorum congeſtioni et auctae actioni relegare inducimur. Hocceque amplius confirmari videtur tenſione, calore, et dolore in regione uteri fluxum antecedentibus. Etſi tamen haucce initio et plerumque eſſe cauſam aſſerimus, haud ideo negamus, poſt certam morbi durationem, corpus totum, uterumque praecipue, adeo debilitari et relaxari, ut fluxus relaxatione ſola alatur, diuturniorque fiat.

## DIAGNOSIS.

Diagnoſin ſtabilire fere ſupervacaneum eſt; ſat enim ab omni alio morbo, ſymptomatis in definitione et hiſtoria recenſitis, diſtingui poteſt; non omnis enim largus ſanguifluxus, qui mulieribus accidit, ut morbidus cenſendus; ſed is qui virium imbecillitate ſtipatur, quemque ſubſequuntur aliae functiones laeſae, ſicuti anorexia, prava digeſtio, foedus faciei color,

color, pulſus languidus et frequens, pedum oedemata, turbatus et minus reficiens ſomnus, &c.

## PROGNOSIS.

Prognoſis erit fauſta vel infauſta, pro fluxus quantitate et celeritate, et pro cauſis unde oritur.

Copia ſanguinis larga, tempore dato effuſa, valde periculoſa. Mulieri, e. g. una ſanguinis libra, ſpatio horae amiſſa, plus noxae infert, quam plures intra diei ſpatium per intervalla et tardius effuſae; hic enim daretur aegrotae facultas jacturam reficiendi, quod illic vix fieri poſſit. Quoque celerior ſanguinis effuſio, eo minus ſpatii auxilio adhibendo relinquitur, et ideo plus periculi.

Menorrhagia a laxitate uteri originaria, vel acquiſita, ut et a ſcirrho, polypo, ulceribus cancroſis, proveniens, prognoſin infauſtiorem admittit. Difficillimum eſt enim laxitatem uteri ab initio natura efformatam arte mederi, difficile etiam conſuetudinem per longum tempus ſtabilitam amovere; praecipueque, quin hicce morbus ſaepe omnino localis, partem remedii extra applicationem occupat, remediaque ſyſtemati univerſo applicata morbum mere topicum haud multum afficiunt. Cur a ſcirrho, &c. oriens infauſtum admittat eventum, a difficultate, ne dicam impoſſibilitate, cauſis medendi ſat apparebit.

## MEDENDI METHODUS.

Antequam indicationes curatorias ponamus, haud alienum forſan notare foret, mulieres, menſtruorum temporis et quantitatis inaequalitati, in ſeipſis, et in aliis, adeo eſſe aſſuetas, ut affectionem etiam morbidam diutius negligant; ideoque medico perito illis inculcare multum incumbit, menſtruorum exceſſum ſterilitatem ſaepiſſime procreare, mulieresque aliis morbis, habitum propter haemorrhagicum, maxime eſſe obnoxias, ideoque tum ſanitatis, tum prolis cauſa, medicinae auxilium citius petere debere.

## INDICATIONES CURATORIAE SUNT,

I. Impetum ſanguinis in ſyſtemate univerſo, et in uterino particulari, imminuere.

II. Vaſa uterina conſtringere.

III. Tonum ſyſtematis reſtituere.

I. Impetum ſanguinis, &c. imminuere.

1. Regimine antiphlogiſtico.

A. *Diaeta.*

A. *Diaeta.* Diaeta parca omnino neceſſaria evadit ad plethoraе obviam eundum, quae, etſi haud neceſſaria ad morbum gignendum, tamen ad magis violentum et diuturnum reddendum concurrere haud deſinit. Objicietur, nos ab extremorum uteri vaſorum laxitate fluxum aliquando pendere aſſeruiſſe, ideoque diaetam parcam vel minus valere, vel omnino impropriam eſſe; attamen, in hoc caſu, aeque ac in aliis haemorrhagiis paſſivis, impetus ſanguinis naturalis extremis vaſorum laxis ſemper nimius ſit, ejuſque quaevis auctio ea multum afficit. Ergo, in hoc, aeque ac in illo caſu, diaeta parca et vegetabilis, qualis olera, fructus maturi, farinacea, cum potu ex aqua frigida, ſucco lemonum, aurantiorum, vel ſpiritu vitrioli acidulata, ſtricte adhibenda.

B. *Laxantibus.* Quando faeces in colo et recto adſunt induratae, quoniam ſanguinis impetum adaugent, et ad uterum determinant, tum irritatione in inteſtinis, tum niſu inter eas ejiciendas, ut foras eliminentur omnino neceſſe eſt; quod enematis emollientibus, cum aliquantulo ſalis medii, primo efficiendum, dein tamarindis, magneſia alba, aut tali quovis leni, alvus ſoluta ſervanda.

C. *Frigore modico.* Calor, principium iſtud vitam omnibus praebens, fluida rariora reddendi, ſolidaque ſtimulandi, vim poſſidet, ideoque in haemorrhagiis ſedulo vitandus; quare aegrota, in cubiculo largo, lecto minus molli, ſtragulis levioribus operta recumbere debet. Aerique per feneſtram ſaepius in die introitus dandus eſt, ita tamen ne recto itinere in lectum perveniat.

D. *Corporis mentiſque quiete.* Omnis corporis motus ſanguinis per venas recurſum feſtinat, ſicque cordis contractiones frequentiores reddit, et ideo haemorrhagiam intendere videtur. Attamen perſpirationis defectu, vitaeque otioſae effectibus, plethoram et congeſtionem procreantibus, perpenſis, liquebit, exercitium, geſtationemque praecipue, menſtruorum exceſſum multum compeſcere poſſe, quod revera aliquando evenire nonnullis aſſeritur. Quoniam autem exercitatio, ſanguinis circuitum accelerando, haemorrhagiam ſaepius adauget quam imminuit, ea caute uti velimus. Animi perturbationes, eandem ob rationem, quantum poteſt cavendae.

E. *Venaeſectione.* Sanguinis miſſione nil citius ac certius plethoram diatheſinque phlogiſticam tollit; ideoque ſanguinem ſemel vel bis extrahere ſaepe conducit, et perneceſſarium evadit. Quoniam tamen menorrhagia a congeſtione locali tam frequenter originem ducit, et ſanguis etiam large miſſus, morbo topico parvo eſt levamini, quoniamque venae ſectio ſaepe

iterata plethoram magnopere inducit, haud ergo tam frequenter in usum avocanda, ac primo intuitu credendum.

F. *Refrigerantibus.* Refrigerantia, qualia acida et sales medii, ad sanguinis impetum imminuendum merito laudantur: Inquit Hoffmannus, "simplex haecce medicina (aqua scilicet frigida spiritu vitrioli acidulata, vel nitri decenti quantitate alterata), aestum restinguendo, plus certe praestat, quam tantopere a medicis, alia varii generis ad hoc malum domandum specifica." Effectus suos edere videntur vi quadam sedativa, qua vasorum compescunt actionem. Anne quid valent vasa extrema implendo, quoniam multum dilata haurinntur, citoque per excretoria transeunt, sicque spasmum, systema in reactionem semper excitantem, amovendo?

2. *Emeticis.* Doctor Robinson Dublini, emetica motum sanguinis mitigandi, haemorrhagiasque cohibendi, vim magnam possidere asserit; inducendo, ut opinatur, dum nausea adest, constrictionem arteriis; non vero vi ulla astringenti, ut arbitratur Doctor Robinson, bonos in haemorrhagiis edunt effectus emetica, sed vi antispasmodica, qua spasmum febrilem amovent, actionem vasorum peripheericorum restituunt, perspirationem adaugent, fluidaque a partibus internis alliciunt. Exiguae ipecacoanhae doses per intervalla datae, et nauseam tantummodo procreantes, emeticis fortioribus, quale vitr. cerat. antim. tartaro emetico forsan etiam ipsi anteponendae sunt.

3. *Epispasticis.* Quando epispastica vi tantum stimulanti prodesse putabantur, raro in morbis inflammatoriis et haemorrhagiis in auxilium evocata erant; nunc vero experientia constat, cum in his tum in illis, perutilia evadere, nec stimulanti tamen nec evacuanti vi, sed quadam alia, antispasmodica dicta, qua diathesin phlogisticam tollunt, impetumque sanguinis coercent. Nec stranguriae timor eorum in haemorrhagiis uterinis usum prohibere debet; quippe quae, nebula lintea cutem inter et emplastrum posita, dilutioneque larga vetari queat.

4. *Anodynis.* Anodyna dum agunt, impetum sanguinis multum cohibent. Quoniam autem, effectibus sedativis peractis, systema irritabilius relinquunt, diathesinque inflammatoriam promovent, haudquaquam praescribenda, donec ista vel ex toto tollitur, vel saltem multum imminuitur; tunc vero, si haemorrhagia sit adhuc violenta, dosi sat larga sunt adhibenda; si enim sanguifluxum ex toto non compescunt, aliquantum tamen spatii alia auxilia petendi praebent.

II. Vasa uterina constringere.

1. *Adstringentibus interne sumptis.* Inter adstringentia interne

terne ſumenda, maxime efficacia ſunt plumbi et aluminis praeparationes; quoniam vero plumbum lethales aeque ac bonas poſſidet qualitates, haſceque inter limites parum cognoſcuntur, ejus uſum haudquaquam periclitari velimus. Pulvis Helvetii ſtipticus, ad haemorrhagiam uterinam coercendam, multum collaudatur; ventriculus vero quantitatem ſufficientem vix ferre poteſt, ex eo quod nauſeam et vomitum creat, ideo opii aliquantulum cum eo conjungere oportet. Aſtruc, effectus ſuos in inteſtinis praecipue edere, alvumque adſtrictam reddere, ſicque plus noxae quam commodi afferre, aſſerit; ſed hoc aliorum experientia, praecipueque illuſtriſſimi Cullenii, qui, cum per ſe tum cum cortice Peruviano conjunctum, perſaepe exhibuit, alvumque potius ſolvere quam adſtringere invenit, contradicitur.

2. *Adſtringentibus externe applicatis.* Ex adſtringentium caterva, aquam frigidam ſolam, vel cum aliquantulo aluminis in ea ſoluti, ad externe admovendum eligimus. Aqua alumiuoſa frigida ſaepius in vaginam injecta multum prodeſſe comperta fuit. Balneum frigidum quoque, vel corpori toti, vel extremitatibus tantummodo inferioribus, applicatum, haemorrhagiam compeſcere uterinam multoties inventum. Cum vero frigus ſtimulat aeque ac ſedat, ad ſtimulantes vitandos effectus, ut ſaepius ac diutius applicemus oportet.

III. Tonum ſyſtematis reſtituere.

1. *Diaeta.* Diaeta debet eſſe nutriens, et digeſtu facilis, qualia juſculum, gelatum pulli gallinacei, vel quicquid denique aegrotae ventriculo magis ſit amicum; et parva ſemel quantitate, ſed ſaepius in die ſumenda, ſuperbibendo vini rubri Portugalliae (Anglice *Red Port*) aliquantulum, vel puri, vel aqua frigida commixti.

2. *Cortice Peruviano.* Hujus loci non eſt in corticis Peruviani rationem operandi penitus inquirere; omnibus conſentitur tonum et vigorem ſolidis optime impertire, ideoque perutile evadit remedium, ad morbis a laxitate, menorrhagiae ſequela, oriundis obviam eundum. Doſis debet eſſe larga, et pulvis vel vini rubri cyatho hauſtus, vel forma boli vel electarii deglutitus, omni alii corticis praeparationi anteponendus. Cum vero in quibuſdam alvum adſtringit, et in aliis diarrhoeam inducit, illis, aliquantulo pulveris rhei, his opii paululo conjunctus, praeſcribendus. Ejus tamen uſus, vel hac vel illa forma, haud diutius proſequendus, ne nocivos edat effectus.

3. *Chalybeatis.* Horum effectus tonici multis magnopere collaudantur. In aqua ſoluta efficaciora videntur, ex eo forſan quod, quae fontem mineralem petunt, plus exercitii, et

plus hilaritatis, consortium propter hosce fontes frequentans, fruuntur.

4. *Balneo frigido.* Balneum frigidum magnam quoque vim tonicam tenet. Ejus vero applicatio transitoria esse debet, alioquin effectus sedantes plus noxae quam commodi afferentes producet, aegrotamque ex aqua emersam linteo arido optime distringi oportet. Lavatio maris potior videtur, tum quia magis tonica experientia invenitur, tum quia aegrotam frigore minus afficit. Anne hoc salis stimulo tribuendum?

5. *Exercitio.* Exercitatio solida condensat, superficiei determinat, et vigorem systemati restituit; initio, et dum adhuc debilis est aegrota, curru aperto, dein aliquanto fortior reddita, equo perficienda, ita tamen ne lassitudinem ultra incipientem protrahatur.

ORDO

# ORDO SECUNDUS.

# MORBI INFLAMMATORII.

## DE PHLEGMASIIS VEL INFLAMMATIONE.

*AUCTORE J. JOHNSTON.*

ETSI eruditorum labores in eo plurimum verſentur, ut morbos omnes ad ordinem perfectum redigant; hactenus tamen parum admodum profecerunt: Morborum enim, haud ſecus quam plantarum, certa diſcriminatio, tempus et repetita tentamina poſtulet. Nihilominus, quae ad hunc finem jam edita ſint, ſpecimina licet imperfecta, inter artis medicae utiliſſima inventa jure numerari poſſunt. Hinc enim non ſolum clarius et certius morbos diſtinguere liceat, ſymptomatibus et ſignis perſpectis; ſed, conſimilibus morbis ad eundem ordinem redactis, regulas quaſdam generales ſtatuere valeamus, ad omnes et ſingulos pertinentes.

Hae, quantumvis multis et variis exceptionibus ſubjiciuntur, praxi tamen medicae aptius accommodantur, quam regulae ſpeciales, quae pro ſingulis morbis tradi ſolent, et memoriam adeo fatigant. Hinc ratio, ut ſperamus, clare patebit cur in ſequentibus pagellis quaſdam generales obſervationes, tam cauſarum quam curae Phlegmaſiarum, exhibuimus, morborum ordo inter omnes frequentiſſimus, et haud minime periculoſus. In hoc pertractando, cum obſervationes noſtrae ad varietates, quae in ſingulis occurrunt, nequaquam ſeſe extendant, nullam diverſorum generum mentionem fecimus; pro quorum definitionibus, et variis diviſionibus, ad Synopſin illuſtriſſimi Profeſſoris noſtri Culleni lectorem remiſimus; cujus doctrinam in omnibus amplexi et ad amuſſim ſequi conati ſumus. Nullum enim contra criticos fortius propugnaculum quam tanti viri auctoritas. Ex alia vero parte, erroribus qui ab experientiae et aetatis defectu in primo conamine oriri poſſunt, candidi et benevoli judices facile ignoſcent.

### DEFINITIO.

Pyrexia; phlegmone vel dolor topicus, ſimul laeſa partis internae

internae functione ; sanguis missus, et jam concretus, superficiem coriaceam albam ostendens.

## MORBI NARRATIO.

Phlegmasiae plerumque exoriuntur, cum sensu frigoris et horroris ; quem etiam quaedam anxietas et oppressio, calor, sitis, cibi fastidium, et pervigilium comitantur. Permanente frigore et tremore, pulsus debilis est, frequens, et saepe inaequalis ; sed, his recedentibus, pulsus fit durus, plenior, et minus frequens ; pars adfecta plena et tensa evadit, cum molesto caloris sensu, et dolore aliquando obtuso, saepius acuto. Si affectio sit externa, rubedo per totam partem diffunditur. Si febris generalis phlegmasias comitetur, unaquaeque secretio et excretio imminuitur, et cutis superficies subarescere solet. Urina rubescit, et post secessum turbulenta ; sanguis hoc in statu missus, et jam concretus, pellicula coriacea plerumque contegitur. Phlegmasiarum exitus sunt varii ; de quibus alibi fusius disseremus.

## CAUSAE PRAEDISPONENTES.

1. Sanguineum temperamentum. In hominibus hujusce temperamenti, fibrae motrices magna irritabilitate praeditae, quocunque stimulo admoto, facillime in actionem excitantur. Vasa in hoc corporis statu magis plena sunt, quae, majorem vasis contractilitatem communicando, huic morbo sternit viam.

2. Quaecunque plethoram ciere tendunt, qualia victus lautior, chylopoieticorum viscerum vigor ac robur, juventas, evacuationes solitae suppressae, somnus multus, &c. Quam facile est intellectu, qua ratione inflammationi favet plethora ; namque tensionem fibrarum muscularium inducendo, contractilitatem illis adauctam conciliat. Talis vasorum conditio in phlegmasiis semper reperitur : Quare concedendum, ullam potestatem nocentem, plethora praevalente, utut levem, inflammationem inferre posse.

## POTESTATES NOCIVAE.

Frigus : Hoc, parti corporis calefacti applicatum, vasorum constrictionem, quae fluidis jamjam distensa sunt, inferendo, actionem vasorum internorum concitat, ad hanc resistentiam superandam ; nunc ad partem constrictam ruunt fluida, quae stimulo suo morbum jam inceptum, vasculorum minimorum actionem adaugendo, sustentant. Sed si frigus, ulli corporis parti,

parti, calori non prius expositae, non tam facile phlegmasias efficiet, quam in casu jam proposito, equidem perdifficillimum fuerit exponere, qui sunt gradus frigoris inflammationem accendentes; sed eousque notatu dignum est, quod unusquisque gradus qui ad gangraenam gignendam, vel motus solidorum inhibendos, non sufficit, ad inflammationem excitandam aptus est.

2. Materia acris, uti cantharides, etiamque totum stimulantium externorum agmen, suos effectus edent, parti affectae determinando, et vasorum tonum augendo.

3. Vis externa: Haec divisio, vulnera, contusiones, luxationes, fracturas, et consimilia, complectitur; haec omnia solida viva stimulant, et vasorum oscillationes insolitas suscitant, quod impetum sanguinis in parte affecta simul adauget. Proinde corpora extranea, quae in quavis corporis parte sita, partes vicinas vi mechanica stimulando, quamvis nulla qualitate acri gaudent, phlegmasias gignent.

4. Quaecunque autem, quoad diaetam sive medicamenta, systema commoveant vel excitent, etiamque valida exercitatio, et perturbationes animi vehementes, huic malo ansam praebent.

## RATIO SYMPTOMATUM.

Nunc ad considerationem symptomatum in hoc morbo, sibi invicem succedentium, nos accingamus.

*Horripilatio*. In parte historiae prima memoratum est, phlegmasias, horroris sensu, et ejus sequela, calore adaucto, frequentissime introduci. Quoniam subita corporis expositio ad aerem solito frigidiorem, est causa inflammationis frequentissima, certa corporis conditione prius data, sequitur, ut hicce frigoris effectus secundarius (scil. horripilatio) ejus applicationem consequatur. Nam, seu frigoris primarii effectus sunt sedativi vel stimulantes secundum gradus, constat, omnes ejus sequelas salutiferas esse, pro ratione spasmi intervenientis.

Hicce spasmus igitur efficit, ut sanguis ex superficie corporis ad partes magis internas propellatur, quod sanguine, naturali caloris fonte et origine, hanc partem privando, frigoris sensationem inducit. Sed nunc sanguinis influxus in cordis cavum, non tantum praeter ordinem auctus est, verum resistentia capillarium, plus sanguinis e venis in cor effunditur, quam dato tempore ab illo ejicitur, quod vires naturae, post aliquantulum temporis, resuscitat, ad resistentiam superficiei vincendam; et quoniam reactio est contraria et aequalis, calor in ratione resistentiae et virium propellentium composita, augetur.

getur. Arteriarum pulsus primo oppressi; sed postea pleniores et celeriores evadunt: Hoc symptoma semper inter primos spasmi effectus consequitur, et forsitan sequela est debilitatis nimiae cordis oppressioni conjunctae. Namque, quoniam constrictione non tantum vasorum cutis, verum etiam omnium excretionum corporis, frigoris applicationem insequente, copia sanguinis, quae antea vascula minima libere perneabat, et aequa eorum dilatatione inducta, stimulum circulatione et secretionibus peragendis sufficientem dabat; jam nunc in vasa majora cohibita, et ejus volumine secretionibus suppressis etiam adaucta; fibrae cordis et arteriarum nimia distensione virium tonicarum aliquantulum amittunt, donec distensione continua vim nervosam hinc advocat, quod cito cordis reactionem promovet, et nunc inter vires naturae, et morbi causam, adest certamen; ab hoc tempore pulsus pleniores, et denique crebriores fiunt.

*Plenitudo atque tumor.* Plenitudinem partis affectae in omni inflammatione semper adesse, pro certo asserere non possumus; sed in quaque externa inflammatione quam maxime symptoma constans sit, et quidem distensionis supra modum consequentia esse videtur: Haec non modo copia sanguinis a majore, sed item volumine, calore adaucto, liquido pendet. Quando haec plenitudo circumscripta fiat, et in fastigium aliquanto elevata, rectius tumor vocatur; hoc superveniente, in telam cellulosam effusionem jure suspicamur.

*Rubedo.* Quando hoc symptoma se offert, facillime explicari potest. Tunicae vasculorum albidae sint, et, in naturali circulationis statu, distensio eorum tam modica est, ut non sint pellucidae; sed, quando sanguinis circuitus vehemens fit, distensio praeternaturalis insequitur: Propter hanc distensionem tunicae pellucidae fiunt, et globulae sanguinis in vasis minimis apparent. Quinetiam actione vasorum, tum minimorum quam majorum, aucta, sanguinis major copia aut congestio adest; et forsitan error loci, vel protrusio sanguinis rubri in vascula pellucida, aliquando incidit.

*Dolor in parte affecta.* Hujus sensatio frequentissime et forsitan semper a nervorum distractione nimia oritur: Vasorum distentio igitur, quae in omni inflammatione adest, et quae sanguinis congestionem comitatur, phaenomenon hocce solvit.

*Partis pulsatio.* In omni febre, tam topicali, quam generali, corporis vel partis affectae sensibilitas multum augetur; sed, quando sensibilitas corporis generalis aequalis manet, arteriolarum pulsus sensus effugiunt, donec quocunque modo partis alicujus irritabilitas augetur; et hinc earum pulsus,

quanquam

quanquam cordis ſyſtole ſynchroni, tamen majore vi contrahuntur, quod ſenſum pulſationis dat.

Quando inflammatio perfecte formatur, cruſta alba in ſanguine apparet, quod medici a morbida ſanguinis conditione provenire exiſtimaverunt; ſed citra obſervationem veram; namque experimentis probatur, quod ſit portio ſanguinis certiſſime naturalis et omnino conſtans, ſed in quibuſdam caſibus, ab aliis ſanguinis partibus ſe disjungere pronior eſt; itaque quandam peculiarem ſyſtematis arterioſi conditionem plane demonſtrat. Ad hoc probandum, dignum eſt notatu, quod in hominibus ſani corporis, ſed ſpecialiter in illis fibrae motricis vigore ac robore gaudentibus, frequentiſſime ſeſe oſtendit. Ergo, ubicunque actio vaſorum adaucta obtinet, talem ſanguinis craſin conciliabit, velut coriaceam ſanguinis ſuperficiem, quae in tenacitate gluten refert. Hoc ſanguinis phaenomenon fuſius explicare, nos nimis longe deduceret.

*Sitis.* A nobis jamjam obſervatum fuit, quod in phlegmaſiis ſpaſmus per vaſa extrema partis affectae pollet. Sed, ſi a cauſis violentis pyrexia fieret generalis, ſpaſmus omnia vaſa corporis extrema obſidebit, atque omnes ſecretiones obſtruet; inde obſtructio ſalivae, et hinc ſitis ſenſatio, oritur.

## CAUSA PROXIMA.

Noſtri ſyſtematis legibus conſentaneum eſt, functiones omnes corporis ſtimulo impreſſionis excitari atque ſuſtentari; ſic ſtimulo ſanguinis vaſa opplentis cor et ſyſtema circulatorium in actionem excitantur, et vaſorum diſtenſio minus aut plus praevalet, pro ratione auctarum ſyſtematis vaſculoſi virium ac energiae. Si plethora inſolita obtineat, vaſorum actio ac tonus magnopere eruut auctae. Talem ſtatum vaſorum partis affectae in inflammatione adeſſe, atque impetum fluidorum inde provenire, rationi valde conſentaneum eſt. Ergo, quodcunque haſce duas conditiones directe promovet, pro cauſa proxima aeſtimandum eſt. Bellinius et Boerhaavius, auctores principes ſyſtematum medicinae ſeminariis nuper pollentium, totam ſuam pathologiam in doctrinam obſtructionis conſtruxerunt; ope hujus phlegmaſias etiam exponere nitebantur. Imprimis horum auctorum theoria erroris loci, ut cauſa obſtructionis, non bene fundata; ſed pone puncto temporis eam adeſſe, inflammationem tamen inferre nequit; nam in vaſibus extremis ſanguinis motus tam debilis et tardus eſt, ullo obſtaculo obſtante, quam maxime facile retrocedat, atque iter ſuum, ad haecce vaſa, quae libera ſunt, tenderet.

2. Obſtructionis altera cauſa in medium his auctoribus pro-

lata, eſt ſanguinis qualitas glutinoſa; celeb. Boerhaavius et Gaubius docent, quod ſanguinis ſpiſſitudinis ſunt plurimae cauſae; ſed, hiſce cauſis exploratis, plane liquet, nullas earum, quae illis proponuntur, ſanguini tam directe admoveri poſſe, quam ad hanc craſin ſanguinis inducendam. Sed tanquam concedatur, obſtructionem ab alterutris cauſis afferri poſſe, non ſatis eſſet effectus gignere qui in phlegmaſiis ſeſe exhibent; namque effectus obſtructionis maxime inſignes fiunt, abſque ullis inflammationis ſignis. In nullo caſu igitur obſtructio, his cauſis orta, ſpectari poteſt ut hujuſce mali cauſa primaria; nihilominus apprime verisimile eſt, obſtructionem quandam levem, vel potius coacervationem quamque, inflammationem plus minuſve comitari, ſed nunquam ullam vim exhiberi, donec inflammatio prius formatur. Nunc obſtructione ſepoſita, alteram cauſam inflammationis nos proponere oportet. In ſana ſyſtematis conditione, per totum corpus ſanguis ad diverſas partes in certa ratione diſtribuitur; ſed, ſi ulla aberratio contigerit, ob impeditam perſpirationem, vel ab ulla alia cauſa, copiam inſolitam ad quandam corporis partem tranſmitti neceſſario oportet, praeſertim ad pulmones et fauces, et in vaſis harum partium actionem adauctam excitabit; ad hanc congeſtionem removendam, vires naturae conſervatrices ulterius actionem horum vaſorum, ſpaſmi formatione in ſuis extremitatibus, adaugebit. Spaſmum ergo vaſorum extremorum, ut actionem vicinorum vaſorum ſuſtinentem, et impetum fluidorum auctum ex ea pendentem, pro cauſa proxima habendum eſſe cenſemus. Quando haec affectio ſpaſmodica pertinax ſit, et actio vaſorum partis affectae quam maxime violens, totum ſyſtema tunc afficietur, et tonus atque contractilitas vaſorum totius machinae magis invaleſcet. Quandocunque talis ſtatus in ſyſtemate praevalet, diatheſis phlogiſtica dicitur. Praeſentia hujuſce affectionis pulſus natura et ſanguinis ſpecie notatur.

Phlegmaſiarum terminationes variae ſunt, ut ex auctorum ſcriptis colligere licet; quarum ſingulas, ut ordo poſtulat, nunc diligenter perpendemus.

## RESOLUTIO.

Haec inflammationis fere communis eſt terminatio: Quae ſemper adfuiſſe intelligitur, ubi morbus, integra partis textura, nec hujus ſitu violato, evaneſcit. et in quocunque levi inflammationis gradu, ubi ſpaſmodica conſtrictio minus eſt vehemens, haec plerumque terminatio morbum tollet, ſine ulla effuſione in texturam cellularem. Ubi vero ſymptomata magis ſint violenta,

lenta, sanguinis impetu, vasis exhalantibus praeter naturam dilatatis, exhalatio magis copiosa fiet in proximam texturam cellularem, aut excretio vicinae partis aucta extremorum vasorum spasmum tollet, et inde auctam actionem minuet, libera fluidi circulatione restituta; pars affecta in pristinum redit statum, materies autem effusa, quae ex serosis et lymphaticis partibus formatur, absorbetur; denique, ubi febris se latius prodit, ubi cordis et arteriarum actio magis invalescit, resolutio oriri potest ab evacuatione e vasis cujusdam partis remotioris. Hoc, sublata vasorum actione, et vehementiori sanguinis motu in ea parte, potest etiam obsistere universi systematis phlogisticae diathesi; et hinc partis inflammatae congestiones et spasmum sublevare. E dictis judicare licet, quando terminatio speranda sit per resolutionem.

## SUPPURATIO.

Supra monuimus, serosa tantummodo parte sanguinis effusa, hanc facile per vasa absorberi posse; cum vero per suppurationem inflammatio terminatur, tum materies deposita crassam nimis naturam induet, ut reabsorberi possit; et hoc plerumque evenit, vel a nimia vasorum distensione, aut saepius fortasse ab ipsorum dirupta textura, quae nimiam distensionem consequitur: Ad hanc doctrinam confirmandam, observare liceat, pulsationem magis frequentem et motum celeriorem se prodere solere in parte affecta, antequam effusio fiat. Si ab ipso exordio inflammationem spectare libeat donec per suppurationem terminetur, iis, quae de causa proxima diximus, omnia consentire videbimus. Imprimis igitur, si stimulus vasis admoveatur, eorum actionem augendo, systemati noxius evadet. Huic vires naturae conservatrices obsistere conantur, et aucta vasorum actione, spasmoque formato, stimulum submovere tentant. Hinc oritur brevis pro tempore obstructio, quae, vasis jam irritatis, ad distensionem promovendam sufficit, seu stimulum prius adhibitum renovavit. Tum sanguis per vasa transitum quaeret, et spasmus huic impetui cedet; in vasis tamen perstabit motus convulsivus, seu fluctus vasorum oscillatorius motus. Nam quod vulgo per motum convulsivum intelligitur, nil aliud videtur, nisi quod vasa praeter solitum majore vi et celeritate contrahantur, et alternae relaxationes crebrius repetantur, quod perfecte congruit oscillatorio motui a D. Whytt stabilito, sed praeter naturam accelerato; nam celeberrimus hic medicus, in suo tractatu physiologico, postquam argumentis dilucide probaverit, nec cordis, nec majorum arteriarum vires de se satis esse validas,

lidas, ut circulationem per vasa cujuscunque ordinis promoveant, luculenter satis ostendit, minima animalium vasa vibratione quadam et motu oscillatorio esse praedita, qui motus praecipua causa est circulationis sanguinis per haec vascula; quod, si Boerhaavio aliisque compertum foret, ad obstructionem non confugissent, ut hujusce effectus causam proximam. Sed ut ad propositum revertamur. Hoc motu oscillatorio jam cognito, cognito pariter, quod ullis stimulis hic motus augeatur, in proclivi erit, caetera explicare, quae ad inflammationem pertinent suppuratione terminandam. Obstructio quae a spasmo in vasis pollente oritur, suo stimulo reactionem solicitat; sanguis inusitata velocitate in minora vasa prorumpit, et oscillatorium in his motum suscitat: Et cum jam majori vi haec vasa agant, majori etiam impetu fertur sanguis, et vasa ipsa admodum distenduntur; et hinc effusio fit in membranam cellularem. Haec, si vasorum ora dirupta fuerint, eo major erit, et eo crebrius per suppurationem terminabitur. Cum huc tandem devenerimus, nunc sedulo perpendendum est, quo pacto materies in pus convertatur. De hac re haud parum inter medicos disputatur, et vix quid in medium proferre ausi sunt; sed, ex Equitis Pringelii et Gaberi experimentis, hic effectus satis apte intelligitur. Hi enim auctores reperierunt, sanguinis serum, quod ex lymphae coagulabilis portione constat, in aquoso vehiculo dissolutae, sub quodam caloris gradu stagnans, graviorem partem in fundo relinquere, quae puris speciem quam proxime induit: Hanc partem Gaberus reperit, eam esse, quae ab aqueis particulis separata, per se coagulo subjici potest. Nonne igitur per analogiam supponere licet, idem fieri in corpore humano? nam serum in membrana cellulari depositum, pari modo puris speciem induet, saltem ad hujus proprietates tantum accedet, ut postea ejusdem naturae haberi possit, ope cujusdam specialis fermentationis, quae cellularis texturae crosionem, nec non extremitatum sanguiferorum vasorum, producere queat. Ex supra dictis hoc rationi consonum argumentum, ut mihi videtur, aperte deducitur. Cum sanguinis pars lymphatica diffundatur, semper speranda est, resolutione inflammationem terminandam esse; cum vero totum id quod serum vulgo appellamus, foras prodit, in hoc casu, finem mali suppurationem fore, judicandum est.

## GANGRAENA.

Si quid hac in re perspicuum tradere velimus, vereor ne in gravissimas difficultates incurramus; est enim res summi laboris, et tenebris involuta; inflammatio hanc terminationem

per

per gangraenam tribus de cauſis habere poteſt, ſecundum tres ſtatus, qui in parte reperiuntur. Oritur enim a putrida fermentatione, qua materies effuſa ita immutatur, ut ſpeciem gangraenae exhibeat; aut ab effuſae materiae ſpeciali natura, quae in putrefactionem magis tendit; hoc fieri poteſt a majori globulorum copia in parte affecta depoſitorum; aut, denique, ab imminuto tono provenire poteſt. Haec toni imminutio ſeu depravatio, ſive ſit cauſa ſive effectus gangraenae, in hac phlegmaſiarum terminatione, aut majus vel minus praevalet. Quo pacto haec toni depravatio ſubeat, ſi ut cauſa ſpectetur, ex ſequentibus patebit. In omni inflammatione violenta, vaſa ultra modum diſtenduntur, antequam effuſio per anaſtomoſen ſeu rupturam accedat; et ex phyſiologiae principiis conſtat, muſculum, vel quamcunque fibram motricem, ſi ultra modum extendatur, tonum deperdere. Pari modo vaſa, quae ex innumera fibrarum ſerie complicantur, nimis diſtenſa tonum amittunt. Cumque hujuſmodi ſit horum conditio, in tunica cellulari ſanguis deponetur, qui ſtagnatione, in putrefactionis proceſſum, convertetur; hinc tonus magis vitiabitur, et hinc gangraena extendetur: Cujus effectus ſi latius pateant, et univerſo ſyſtemati ſe inſinuent, tum ſphacelus nuncupatur; qui ſummus eſt gradus hujus terminationis. Haec phlegmaſiarum terminatio ſemper exſpectanda eſt, quando, rubedine, calore, dolore, et tenſione ſublatis, pars affecta nigrum aut lividum colorem induat, et quoque ſuccedat ſenſilitatis privatio et virium motricium debilitas, cuticula ſimul veſiculis obſita. Omnia haec, inſtare partis affectae diſſolutionem, plane manifeſtant.

## SCIRRHUS.

Hic etiam inflammationis exitus a medicis memoratur, quamvis caſus ſit rariſſimus; cum tumorum pars maxima, qui ſcirrhi nominantur, et qui vulgo in praxi occurrunt, nequaquam ſint inflammationis effectus, nec hanc ullo modo conſequantur; nam ab inflammationis natura minime pendent, ſed potius a ſtatu et partis affectae textura. In partibus parenchymatoſis enim et glanduloſis, hi tumores plerumque reperiuntur, quod a partibus affectis, fluidorum ſtagnationem facilius admittendis, pendere videtur. Hanc phlegmaſiarum terminationem, in tantum obſcuritate involutam, fuſius explicare, ſupervacaneum foret.

Sunt aliae etiam inflammationis terminationes, quarum ab auctoribus vix ulla mentio fit. In peripneumonia, cujus exitus eſt funeſtus, hoc plerumque tribuendum cuidam portioni totius maſſae ſanguinis, in adjunctam texturam cellularem decidentis.

dentis. Hoc igitur haberi potest alia inflammationis terminatio.

Deinde, in externa inflammatione, ubi fluidum effunditur subter cuticulam, per cujus poros, propter suam molem, transire nequit, sed acute divisa pustularum formam induit, inflammatione interea cessante, altera hujusce mali terminatio judicari potest.

Denique, phlegmasiae terminari possunt per exsudationem, quod in internis inflammationibus evenire saepius solet. Partim se prodit viscida quadam concretione in partis superficie; partim tenui et seroso fluido in cavitates effuso, viscera inflammata continentes. Hujus exsudationis natura varia est, prout vasorum actio magis aut minus adaugetur.

## DIAGNOSIS.

Cum in phlegmasiis debilitatis symptomata non aeque ingravescant, ac in febre stricte dicto, hosce duos morbos alium ab alio facile secernere licet, primo etiam aggressu; sed affectio topica, quae nunquam febrem praecurrit, sed ubique phlegmasias comitatur ab initio, utrumque morbum dignoscendi certissimam nobis rationem praebet. Nunc ab exanthematis secernendum est. Hoc tantummodo fieri potest, observando, quod in phlegmasiis febris dolorem topicum praecurrat. In exanthematis vero febrem consequitur eruptio. Sed difficultas distinguendi hunc ordinem a duobus superius memoratis, tam exigua est, ut de hac re plura adjicere supervacaneum et inutile sit.

## PROGNOSIS.

Hic aptissimus videtur locus, quo nonnulla de hujus morbi prognosticis breviter proponamus, quae supra diximus maxime sunt necessaria de morbi eventu ad justam prognosin formandam, hanc sequentibus articulis, quam fieri potest, dilucide absolvemus: 1. Causas phlegmasiarum procreantes spectare oportet. 2. Locum seu sedem, quem occupat. 3. Utrum inflammatio sit interna vel externa.

1. Si igitur causas generantes expendere libeat, cum hae violentae sint, in pari ratione sese habebunt effectus. Nam, si supponamus quemcunque stimulum cuivis nostri corporis parti applicari, hoc procul dubio inflammationem inducet, et quo violentior erit inflammatio, eo minus secundam prognosin inferre liceat. Quando enim ad summum gradum inflammatio exoriatur, verisimilius est, eam per suppurationem terminandam

dam esse; aut fortasse, quod pejus est, per gangraenam; horum utrumque rationi prorsus consentaneum est. Cum vero vasorum actio et sanguinis velocitas multum augetur, effusiones solent succedere, non tantum serositatis, sed ipsius lymphae coagulabilis. Hoc in casu absorptionem sperare non licet, sed potius malum per suppurationem terminandum. At si hic motus vasorum auctus talis sit, ut tonus vitietur, adeo ut sequatur contractionis impotentia in partibus affectis, magna effusio et stagnatio fluidorum fiet, inde putrescentia succedet. Si hac methodo et hac ratione rem perpendamus, morbi prognosin saltem probabilem in promptu erit, et quisnam futurus sit exitus argumentis rationi consonis dijudicare. 2. Sedem inflammationis spectemus. Si pars quaevis inflammatione correpta sit, quae sensationis vi magis praedita est, licet causa sit levis, gravissimi tamen effectus exoriri possunt, ab ipsius partis affectae sensibilitate exquisita. Hinc, antequam prognosin nostram stabilire valeamus, necesse est non modo inflammationis causam habere perspectam, sed ipsius etiam locum seu sedem. Postremo, considerandum an inflammatio sit externa vel interna, unde ingens discrimen orietur. Unusquisque enim scit, internis inflammationibus magis subesse periculum quam externis. Primo quidem partis internae in genere magis sensatiles sint quam externae; denique, quia de partibus internis difficilius judicatur, unde methodus medendi haud ita prompte sese prodit; postremo, quia praxis nostra haud ita facilis et efficax reperitur. Itaque ex iis, quae hoc in articulo memoravimus, judicare licet, quot quantaeque res ponderandae sint, antequam prognosin etiam mediocrem proferre audeamus. A proposito haud erit alienum, si hic etiam moneamus, rationem habendam esse aetatis, virium, et temperamenti uniuscujusque qui hoc malo laborat. Nec non spectanda est coeli soliqne natura, anni tempestas, et nonnulla alia, quorum singula numerare, consilio nostro et institutae hujus operis brevitati haudquaquam conveniret.

## METHODUS MEDENDI.

Priusquam hujusce rei rationem proponamus, causae remotae imprimis removendae sint, si harum vires adhuc sese exerant: Unde effectibus facilius obsistere possumus, et accuratius judicare licebit de indicationibus quae ad resolutionem dirigunt; quae in omnibus phlegmasiis, tam principio quam decursu, medico maxime tentanda est, ut optima inflammationis terminatio.

Indicationes curatoriae sunt,

I. Actionem

I. Actionem vaſorum auctam in parte affecta, et in corpore univerſo, imminuere, tenſionem et ſyſtematis arterioſi tonum ſubmovendo.

II. Fluidorum determinationem a topica affectione cohibere, et ſpaſmo obſiſtere.

Jam ad eas indicationes progrediendum eſt, ut in unaqnaque remedia ſigillatim perpendamus.

1. *Regimine antiphlogiſtico.*

Si in toto inflammationis decurſu ad hoc unicum remedium rite attendatur, quam plurimum proderit, ne aliis ſupervacaneis utamur. Nil enim efficacius reperitur, quo phlogiſtica diatheſis coerceatur, quam irritamentorum omnium applicationem caute effugere. Quodcunque enim fibrarum motricium actionem promovet, idem inflammationem violentius accendet. Hac de cauſa calor externus corpori applicatus, et quodcunque calorem internum adauget, caute evitandum eſt. Lucis etiam in quibuſdam caſibus impreſſio, pernicioſa eſt, et idcirco cavenda. Quicunque corporis motus et agitatio vim ſtimulantem in cor et arterias incitat, et circulationem accelerat; quod in omni inflammatione periculoſiſſimum recte judicatur. Poſtremo, victus ratio curae eſt habenda; victus aceſcentis, refrigerantis, et vegetabilis naturae, maxime prodeſt. Hic quoque, quam fieri poteſt, parce adhibendus; unde minus ſtimulans evadit, et organis aſſimilantibus minus officit.

*Venaeſectione.* Vaſorum ſanguiferorum activa vis ex tono eorum magnopere pendet; tonuſque, tenſione vaſis communicata per quantitatem fluidorum illis incluſam, ſuſtentatur; detractionem ſanguinis ad copiam fluidorum diminuendam, eoque vaſorum vim activam coercendam, conducere exinde manifeſtum eſt. Hoc igitur in omni inflammatione efficaciſſimum remedium habendum eſt; et, ſi ſimul antiphlogiſtici regiminis ratio habeatur, plerumque morbum tollet. In ipſo morbi initio, venaeſectio generalis recte adhibetur. Et ſanguinis ademptio plus valet quum ex patente plaga proſilit ſanguis, et quam breviſſimo fieri poteſt ſpatio propoſita ſanguinis quantitas extrahatur; hinc enim relaxatio facilius conſequetur, qua ſanguinis impetus et velocitas cohiberi poterit. Sed detractio ſanguinis topica utilior erit in omni inflammatione, ubi febris non generalis eſt; quo in caſu ſanguiſugis et cucurbitulis cruentis rectius utimur; unica enim ſanguinis uncia e parte laborante emiſſa, plus proderit, quam ſeptem aut octo unciae e brachio extractae. Quamvis febris latius ingraveſcat et generalis fiat, tamen topica ſanguinis emiſſio, localem affectionem multum ſublevando, probabiliter etiam

tollet

tollet generalem febrem ab ista inflammatione manifeste pendentem.

Ad proximum remedium nunc descendendum, nempe ad *Cathartica*. Haec simili modo operantur, sed minori vi quam sanguinis missio, minuendo nempe tonum. et vascularis systematis tensionem tollendo, et vasa nimis repleta exhauriendo. Ad hunc vero finem missioni sanguinis longe cedunt; ideoque secundum tantummodo locum inter evacuantia sibi vindicant. Nam, quantumvis per purgantia aequa vel fortasse major fluidorum quantitas exhauritur, ad hoc tamen longius temporis spatium requiritur. Quare ut purgatio aequa prosit, necesse est, ut longe major fluidi quantitas evacuetur, quod nisi cum maxima systematis debilitate fieri nequit. Unde notatu dignum est, ad repletioni occurrendum, et inflammationem submovendum, omnium remediorum sanguinis missionem efficacissimum esse. Cathartica autem leniter adhibenda sunt, ne systema nimis opprimatur; satis sit ut per haec nimia repletio sublevetur, et caloris ardor minuatur, quod fit, cum faeces, antequam coacervatae sint, expellantur. In quibusdam casibus, purgantibus parce utendum est, ut in rheumatismo. In quo casu, nonne praestat clysmatibus uti, quibus faeces facilius et sine aegri incommodo extruduntur? Ut uno verbo omnia complectar, si cathartica adhibere libet, eo propinentur modo, quo minus aeger stimuletur, irritetur, aut debilitetur.

*Fomentationibus*. Cum vis inflammationis aliquantulum subsidat, fomentationes usui erunt, si praesertim inflammatio in partibus externis sita sit. Hae autem vasa relaxantes, et tensionem minuentes, opem ferunt. Quo tamen in casu magnopere cavendum est, ne fomentationes nimis ferventes admoveantur; sic enim plus noceret stimulus, quam vis laxativa prodesset.

*Sedativis*. Ea sedativa appellantur, quae tali vi praedita sunt, ut muscularium fibrarum mobilitatem imminuant. In omni autem inflammatione, ea viget corporis conditio. Nam fibrae, seu ipsa vasa quae ex contexta fibrarum serie complicantur, mobiliora et vegetiora fiant, hoc est, motus oscillatorius quam plurimum acceleratur. Inter haec, Refrigerantia sunt praecipua, quorum vis insignis est ad auctum systematis impetum et tonum minuendum. Hoc consilio acida et nitrum olerumque adhibentur; quae tamen in peripneumonia minus apta sunt, cum pulmones et bronchia irritare soleant.

*Saturninis praeparationibus*. Nonnullis abhinc annis omnes plumbi praeparationes a medicis practicis rejectae fuerunt; nuper vero sacchari saturni usus inter chirur-

gos introductus est. Hoc tribuendum Goulardo, chirurgo Gallo, qui libro a se edito suum extractum saturni, in plerisque inflammationibus externis plurimum collaudat, et multa commemorat auctoritate satis munita; quae tamen tam singularis naturae sunt, ut suspecta sint, et fidem pene superent. Ex iis vero, quae ab eo traduntur, inferre licet, in quibusdam casibus, et debita cautela adhibitum, in hoc morbo utiliter usurpari posse. Exempli causa, cum, missione sanguinis praemissa, sanguinis impetus retardatus sit, tuto fortasse saturni praeparationibus utemur.

*Emollientibus.* Haec contrarium effectum, ab illo superius memorato, in solida exerere videntur; nam potius solida relaxant, quae plumbi praeparationes adstringunt; nihilominus, his aequaliter, tonum imminuunt. In his eadem cautio adhibenda, quam de fomentationibus jam tradidimus.

II. Fluidorum determinationem a topica affectione cohibere, et spasmo obsistere.

*Emeticis.* Fortasse primo aspectu parum constabit, quare emetica hic inseruntur. Nam haec non operantur per determinationem ab affecta parte, cum eorum operatio sit potius versus superficiem. Jam observavimus, spasmum in parte affecta subsistere, et per sympathiam reliquum systema eodem spasmo corripi. Hinc videre licet, circulationem non esse liberam, hoc spasmo obtinente, nec non eo aliquatenus devicto, sanguinis motus tamen in quibusdam partibus erit velocior, quam in aliis, in iis praesertim ubi inflammatio sita est. Si enim vero sanguinis motus per quasdam corporis partes acceleretur, copia sanguinis per eas delata, in quovis dato temporis spatio, major erit, quantitate per caeteras partes transeunte. Si igitur emetica administrando aequalis fiat circulatio per omnes systematis partes, nulla poterit determinatio esse ad unam partem magis quam ad alteram; vel, aliis verbis, superabundans fluidorum pars per systema distribuitur. His rite perpensis, emeticorum utilitas satis clare evincitur. Tart. emet. aliis praeparationibus antepouendum est, quia ad mensuram facilius redigatur, et portiones idoneas certius exhibeamus.

*Balneo calido.* Balnei calidi effectus salutiferi referendi videntur ad relaxandi vim, qua fluidorum impetus a parte affecta saepius avertitur. Cum ea, quae de fomentationibus et emollientibus jam diximus, huc quoque referri possint, nil opus est ut hac de re plura adjiciamus.

*Vesicatoriis.* Haec tantummodo in internis inflammationibus adhibenda sunt, quibus quam maxime prosint. Non hic differendum

rendum est de modo quo vesicatoria effectus exerunt; sed, ex iis quae ab auctoribus hac de re traduntur, nobis concludere liceat, vesicatoria antispasmodica esse, quae simul fluidorum impetum a partibus affectis avertunt, et hac ratione vasa profundius in corpore latentia multum sublevare possunt. Alia medicamenta ut antispasmodica accepta, multum laudata sunt, scil. opium et camphora; prior in rheumatismo curando secundos habet effectus, in pulv. Dov. forma adhibitus. Nihilominus per se solum opium propinare non licet, propter periculum augendae inflammationis.

Quod vero ad camphoram attinet, hujus effectus nondum satis investigati magna ex parte nos latent, quantumvis, sedativa vi praeditam, et applicatam rheumaticos et arthriticos dolores sedasse, usu compertum est.

---

# DE CYNANCHE TONSILLARI.

*AUCTORE G. HOGGART TOULMIN.*

CUM, in laureae petitione, de Cynanche Tonsillari scribere decrevissem, et neque res veras, neque ab his fluentes rationes, dicendorum explicationi et morbi propositi cognitioni necessarias, sine communi phlegmasiarum, ac totius morborum phlogisticorum generis doctrina, tractari posse viderem; hanc igitur non excludere, sed cum propriis communia conjungere, et in una phlegmasia omnes alias, in uno morbo omnes phlogisticos, illustrare statui. Quod si recte perfecero, non leviorem rem attigisse, sed dimidiam, qui genus humanum male habent, affectuum partem exposuisse, et in novo magna ex parte monumento, ut spero, posuisse, videbor.

## DEFINITIO.

Cynanches tonsillaris vel anginae inflammatoriae haec praecipua indicia sunt; membranae faucium, et maxime tonsillaris, rubor, dolor, et tumor; devorandi difficultas; angustiarum in faucibus sensus; febre inflammatoria vel synocha illis praecedente, nunquam succedente.

## HISTORIA.

Ante inchoatum, interque inchoandum, morbum pulſus ſolito frequentiores et validiores ſunt. Calor augetur, cutis praeter conſuetudinem areſcit, et frigeſcere prius, dein caleſcere, aegrotanti ſentitur. Paulo poſt haec, vel cum ils protinus, inſolitus faucium ſenſus eſt. Quem rubedinis, ſupra memoratae, aliquantum, cum tumore illius magnitudini reſpondente, excipit, primum vulgo in alterutra tonſilla, ubi decreſcens in alteram tranſit. Cum devorandi, maxime humores aut ipſam ſalivam, difficultate, oris et faucium viſcoſitas, difficiliſque, ſed aſſidua et moleſta, nuci ſecretio, conjunguntur. Quibus ſymptomatis pro ratione pyrexiae creſcentibus, pulſus eadem ratione, praeter frequentiam et robur, magis magiſque dureſcunt, ſitis accenditur, et caetera febris augentur.

Ubi magnus morbus eſt, devorandi poteſtas, aliquando ex parte, e toto rariſſime, perit, redeunte per os, propter obſtructionem et magnum cruciatum, materia devoranda. Simul auris intus, inde ad fauces iter, nempe tubus Euſtachianus, acute dolent. Interque devorandum crepat quandoque auris aut obſurdeſcit; rarius quoque, ſed aliquando tamen, accidit, ut ad cervicem et maxillae inferioris angulum tumor pertineat. Eoque magnitudinis inflammatio nonnunquam procedit, ut ſpiritui aliquantum officiat.

Tempus anni, quo morbus potiſſimum incidit, vernum aut autumnale eſt; regiones, quae ei prae caeteris patent, frigidae ſunt, et habituum, quod adfectat, genus phlogiſticum agnoſcitur, florente aetate maxime periclitans. Quae omnia ei cum reliquis juſtis phlegmaſiis, nempe peripneumonia, ſub qua pleuritis et carditis comprehenduntur, ſynocha, ad quam phrenitis pertinet, rheumatiſmo, qui acutus tantum intelligitur, catarrho acuto, et eryſipelate, communia ſunt. Cumque his eidem commune quoque eſt, ut careat contagione, ab iiſdem noxis antecedentibus oriatur, ab eadem cauſa contineatur, et iiſdem tollatur auxiliis. Denique, communiter cum aliis phlegmaſiis, haec diatheſin phlogiſticam, tanquam proprium ſui feminium, valetudini aliquamdiu congruam, ſemper ſequitur, in eadem, ubi juſti morbi formam attigit, ad morbi magnitudinem aucta, conſiſtens. Poſtremo, ut reſolutio, ſuppuratio, et gangraena, reliquas, ſed alia aliam magis, ita hanc quoque phlegmaſiam, finiunt. Quarum ſi hoc in morbo ratio ſpectatur, is ſaepiſſime reſolvitur, rarius in ſuppurationem, vix unquam in gangraenam, deſinit.

SEMI-

## SEMINIUM.

Seminium, seu corporis status viam ad morbum faciens, idem status, qui morbi causa, est, nempe diathesis phlogistica, non genere, sed gradu, eoque, qui valetudini, sed non omni ex parte absolutae, accordat, discrepans. Haec, sive seminium, sive causam faciens, est aucta supra modum toto corpore incitatio nervosa, in faucibus, quam alibi magis, fibrarum muscularium tonum et densitatem pari cum ipsa, pari inter se, ratione augens *. Praecipua hujus diathesos, cum seminium est, signa sunt, pulsuum cum magnitudine robur et modica frequentia, calor, quam in contrario habitu, et sanguinis abundantia, major: Quae omnia in parte, inflammationem passura, non tam cernuntur, quam intelliguntur.

## CAUSA.

Eadem, ita aucta, ut corporis et animi actionibus officiant, et statum injucundum ac vitae officiis obeundis inidoneum, qui morbus audit, creent, ex causa profluunt. Sic pulsus majores, frequentiores, et validiores, intensior calor et abundantior sanguis, quam in seminio, sunt. Jamque cutis, qui ante suberat, sed minus apparebat, status suppressa perspiratio esse demum manifestatur. Jam faucium inflammationis signa, rubor, dolor, calor, tumor, prodeuntia, causam sui, scilicet auctiorem ibidem, quam alibi corporis, incitationem, tonumque et densitatem auctiora, etiam seminio non defuisse declarant. Est igitur causa incitatio nervosa ubique corporis, tonusque et densitas majora, quam ut valetudini amplius conveniant; ita jam in faucibus, quam alibi, etiam majora, eoque magnitudinis provecta, ut inflammationi excitandae et sustentandae habilia sint. Uno verbo, pyrexia cum partis inflammatione morbum; ad pyrexiam et inflammationem vicinitas, tanto major, quanto majus seminium et morbo propius est, hoc efficiunt.

## NOXAE ANTECEDENTES.

Quae noxae aut seminium aut causam creant, eae, quoties sine distinctione sermo est, eodem vocabulo designantur, et noxae antecedentes nuncupantur. Quin et ex effectu earum, qui, sive seminium sive causa exstitit, unus idemque est, ipsae quoque una et eadem esse, facile intelliguntur; nihil inter se nisi solo gradu, ut affectus quoque docet, differentes. Quo-

* Praelect. Brunon.

niam

niam igitur eaedem genere operis et natura sunt, ita omnes sub uno titulo sine discrimine prius memoraturus; dein, quo modo ita agant, ut minorem majoremve effectum praestent seminiumve aut causam faciant, separatim commonstraturus, recte et bono ordine videor.

Ut ante omnia enumerem; coeli frigus et calor, in summum corpus stimulando agentia, victus stimulans et replens, nempe, ex carne cibus, condimenta, et potio merax aut valida, ventriculum et canalem alimentarium afficientia, et, quam cibus potissimum parit, sanguinis abundantia, item animi affectus incitantes, et cogitandi contentio, noxae sunt, cum huic, tum aliis phlegmasiis justis, antecedentes. Hae omnes potestates incitationem nervosam supra modum, valetudini perfectae convenientem, toto corpore attollunt, et sic diathesin phlogisticam, sive ejus magnitudinis, quae seminium, seu ejus, quae causa fit, efficiunt. Hinc fibrae musculares pro vivis habitae, tono, pro simplicibus aestimatae, densitate, adaugentur. Et omnia seminii, omnia morbi, quae supra sunt relata, pro effectus magnitudine consequuntur.

Caloris id, quod stimulat, modicum et breve est. Nam magnus, aut minor diutius permanens, stimuli summo validior est, quam ut potestas nervosa, quae certis finibus continetur, eum perferre possit. Hinc idem effectus, ac si nullus omnino admoveretur, sequitur. Eodem enim pertinet, sive nullus stimulus potestati nervosae adjicitur, sive haec ab illo nequit excitari. Exhauritur ab omni stimulo excitabilitas tanto magis, quanto intenditur magis incitatio. Contra, integra manet excitabilitas tanto magis, quanto minor incumbit stimulus, incitationem adaugens. Illud actiones nostrae diurnae, somnum finem recipientes, et omnes stimuli magni; hoc frigida lavatio, quam auctus vigor sequitur, et omnes non satis magni stimuli, qui sedantia dicuntur, declarant. Post quietem magna cursus cupiditas, post cursum magna quietis. Illa cum potentia, haec cum impotentia conjungitur. Illum integra excitabilitas, quippe quae a stimulo motus non exhausta sit, facili excitanda; hanc exhausta stimulo excitabilitas, et non amplius excitanda, praestant. Eo integra magis excitabilitas semper, quo minus stimuli, et eo exhausta magis, quo magis egerint, erit. Cumque incitatio stimuli, ex quo pendet, magnitudini respondeat; igitur inversa erga excitabilitatem ratione erit, minima cum haec maxima, et contra. Hoc principium, ut omnibus aliis stimulis, ita calori quoque, convenit. Qui primum, ubi summus gradu non est, stimulat, quia, nondum exhausta per nimiam vim excitabilitate, excitari corpus potest. Postea, permanente quamvis stimulo, incitatio non amplius augetur, contra imminuitur,

quia

quia excitabilitas pro tempore consumpta est, et corpus in eodem statu, ac si nullus admoveretur stimulus.

Sed, quoniam stimulans caloris proprietas cito contrario effectui cedit, et diu hunc relinquit, ut calidarum regionum exemplum docet; ideo brevis tantum noxa, hujus et similium morborum genetrix, esse potest. Quod et verum confessumque est.

Frigus, stimulando quoque nocens, ad hanc et aliis phlegmasias viam facit. Qui effectus ejus opus eo sequitur, quod humili gradu stimulans, (quo fit ut sedare videatur), excitabilitatem perquam integram relinquit. Hinc, postquam levis ejus stimulus subtractus est, reliquae potestates stimulantes eo majore effectu agunt, quo major excitabilitas est, id est, quo facilius, stimulo dato, potestas nervosa excitari potest. Hoc verum esse frigidae lavationis notus effectus arguit. Antequam in aquam aliquis descendit, eaedem potestates, quae postquam inde exierit, stimulatrices in eum agunt, eadem stimulantis potestatis summa est. Sed harum tamen, quam illarum, haud paulo major effectus. Quae hujus rei causa est? Non frigoris admoti, quaecunque sit, proprietas; quia ea praeteriit, et aut non amplius, aut, sedando, ut aiunt, id est, non satis, sed perquam maligne, stimulando ageret. Non potest igitur auctae actionis, incitationis auctae esse causa. Rursus, aliae potestates non in causa sunt, quia eae eaedem sunt ac ante. Nihil igitur effectum notabile praestat, praeter aliquid in corpore, quo, externo stimulo seu potestate excitante datis, id facilius excitari potest. Quod excitabilitas major manifeste est. Ex hoc principio praeceptum, frigidae lavationis usum dirigens, obiter tradere liceat. Quoniam hujus remedii virtus in imminuenda prius incitatione, vel potius minore justo danda, eoque excitabilitate integriore, et minus per stimulans opus exhausta relinquenda, consistit, et reliquae vires stimulatrices, pro stimuli sui mensura, agunt; igitur, quo haec major sit, tempus, quo excitabilitas etiam ex aliorum stimulorum cessatione integrior sit, eligendum videtur: Quod matutinum prae caeteris est. Cujus praecepti utilitatem experientia, sine lege et communi sensu impulsa, confirmavit. Quod autem corpus calefactum aut sudore diductum non aquae committendum, communi quoque usu receptum est; id eodem principio explicabile. Post enim fatigationem, quae ex nimii caloris aut sudoris causa sequitur, excitabilitas adeo exhausta stimulante opere esse solet, ut stimulantis operis, per frigoris opus suspensio, renovandis viribus minus habilis evadat. Excitabilitatis quod ex lenium stimulorum actione reliquum est, per minorem etiam illam, quam frigus dat, auctius,

majorem

majorem inexhauſtae excitabilitatis ſummam faciet, quam id excitabilitatis, quod frigoris exiguam vim ſtimulatricis ſequitur, excitabilitati, ſtimulantis operis magnitudine prope exhauſtae, additum.

Hac ratione in frigidis regionibus frigus ſtimulantium poteſtatum effectum, excitabilitatem exhaurientem, dum agit, ſuſpendens, et, poſtquam egit, integriorem excitabilitatem relinquens, perque hanc, ut ſtimulantium effectus major ſit, efficiens, quamvis ſuo opere excitationem recta imminuit, et delere nititur, tamen hanc fortius, quam ea, quae recta ſtimulant, niſi minium forte eſt, ſuſtentat, et omnium, quocunque modo ſtimulantium, potentiſſimum evadit.

Agit autem, ut et calor ſtimulando agens, in eam generis nervoſi partem, quae in ſummo corpore eſt, et inde facile in totum, quia totum unum et indiviſum eſt, qua ratione corporum externorum actionem recipit.

Caro, et ex carne parata, condimenta, et potio merax aut valida, per aliquam ſuae naturae adverſus generis nervoſi, in ventriculo poſiti, partem adfinitatem, in hanc, ac proinde in univerſum, eadem, quae modo dicta eſt, ratione agunt. Qui ſtimulus, quia manifeſte per totum hoc genus diffunditur, ideo, quo commodius ab alio, qui minus aut non omnino ſic latius diffunditur, diſtinguatur, diffuſibilis recte dicitur. Hujus diffuſibilitatis magnitudine et diuturnitate res, de quibus agitur, ſic variant, ut, prout cujuſque ſtimulus citiſſime diffunditur, ita minime diu duret, et contra. Caro minime, condimenta magis, potio merax maxime cito, ſtimulum diffundunt; ſed haec minime, condimenta magis, caro maxime diu, eundem ſervant. Ex his materiis compoſitus victus, et hoc modo nocens, potentiſſima noxa, cynanche tonſillari et reliquis phlegmaſiis antecedens, eſt.

Rerum alimenti nomine ventriculo receptarum, e carne maxime et inde parata materia, ſanguinis abundantia potiſſimum eſt. Nihil memorabile aliae duae conferunt, quia perexigua earum moles eſt, et aqua, quae longe maxima potionis validiſſimae pars eſt, per excretiones aquoſas corpore cito ejicitur. Sed alia abundantiae ſanguinis origo eſt cohibita aut imminuta perſpiratio. Quod etiam, ubi diatheſeos phlogiſticae aliquantum ſubeſt, accidere ex una re poteſt. Sic, quamvis aliae poteſtates, incitationem intendentes, ſatis valide agere non ceſſant, ſola tamen corporis quies, qua ſanguis in venis, muſculis relaxatis, non, eoque in corde et arteriis, ſatis percitatur, et hinc harum languens actio, vaſculorum perſpiratoriorum actionem, quae ab illa tota pendet, langueſcere ſinit, perſpirationem multum imminutam dabit. Unde in vaſis interioribus ſanguinis abundantia augebitur. Denique,

parem,

parem, pro tempore abundantiae, effectum moles aucta praestat. Auget molem calor externus, sanguinem rarefaciens. Hoc igitur modo, quamdiu stimulat, eoque in his morbis nocet, calor quoque agit. Sanguinis abundantia distendit vasa, eoque fibras eorum musculares. Hinc potestas his insita nervosa, quae inhaerens dicitur, excitata, contractiones validiores et crebriores peragit. Quae cordis, arteriarum omniumque irritabilium vasorum aucta actio, in his ubique per totum genus nervosum, quod unum indivisumque, ratione, qua incitationis mutationem recipit, est, ubique protinus augetur. Estque haec, ut omnes etiam tonsores et lippae norunt, potentissima huic et omnibus phlegmasiis antecedens noxa.

Animi affectiones incitantes, quales ira, terror, quandoque gaudium sunt, et cogitatio vehemens, quae mentis actio est, in cerebrum, animi et mentis sedem, agentes, totum genus nervosum potentissime adficiunt, et phlegmasias concitant. Vidi ipse gravissimam cynanchen tonsillarem ex irarum suppressarum mole protinus sriboriri. Quae res, quam hoc morborum genus a totius potestatis nervosae statu pendeat, et non ex inflammatione, tanquam principe adfectu, primum oriri, ostendit *.

## NOXAE SEMINIUM FACIENTES.

Noxae antecedentes, paulatim et leniter agentes, et quasi aliquid in singulos dies et horas usque conferentes, seminium faciunt. Hinc, quia nihil memorabile quovis tempore efficiunt, temporis longinquitate ad seminium creandum opus est. Eaedem, hac ratione procedentes, in dies quasi et horas agentes, et nunquam memorabiliter corpus commoventes, sed placidius usque euntes, et omni quasi temporis puncto incitationi niniae aliquid adjicientes, nullo vehementiore opere interposito, morbum tandem efficere, id est, seminii summam, qua causae magnitudinem attingit, absolvere possunt, nec non quandoque absolvunt.

## NOXAE EXCITANTES.

Saepius tamen accidit, ut, postquam noxae seminii partem, citra causae justam magnitudinem subsistentem, sic, ut modo dixi, fecerint, eaedem repente, magna vi incumbentes, uno quasi impetu, seminium ad causae magnitudinem attollant, et morbum, si leniori operi supra relato relictus foret, non ali-

* Doctrina incitationis et excitabilitatis ex praelectionibus relatis recepta est.

quamdiu, aut forſitan non omnino, futurum, excitent. Noxae genere et natura eaedem, ſed vehementiore opere agentes, ab aliis poteſtates nocentes haud idoneo, ab aliis cauſae occaſionales, parum latino, et a ſenſu alieno vocabulo; ab aliis et rectius, noxae excitantes, adpellantur.

Quamvis igitur noxis antecedentibus diverſa nomina, prout feminium, aut prout morbi cauſam creant, impoſuimus; id tamen, habita tantum magnitudinis operis, et inde pendentis effectus, quae magnitudine quoque tantum variat, differentiae ratione, non quia noxae natura diverſae erant, quae notio plurimum invaluit, factum eſt Quibus vocabulis ut ſolo hoc ſenſu utendum, ita iiſdem abſtinendum, ubi noxae ſine operis, magnitudine differentis, diſcrimine, contra pari tenore ab initio ad finem agentes, feminium et cauſam creant, aut, quod rarius uſu venit, ubi magna vehementia ſubito ingruentes, nullo feminio praecedente, morbum concitant. Quo utrovis caſu ſimpliciter noxae antecedentes dicendae ſunt.

## DIAGNOSIS.

Quoniam hic morbus phlegmaſia eſt, id eſt, pyrexia cum partis inflammatione a diatheſi phlogiſtica pendens, et propriis huic diatheſi ſignis manifeſtata; ergo ab omnibus diverſae naturae morbis illae notae hanc clare diſcriminant.

Inter alios morbos, ſic diverſa natura dignoſcendos, a cynanche gangraenoſa iiſdem diſtinguitur. Primum diſcrimen pyrexia praebet. Quae in hoc morbo ſynocha eſt, in cynanche gangraenoſa typhus; ut omnes noxae antecedentes, quae debilitando agunt, omnia ſymptomata, quae debilitatem ſubeſſe declarant, et omnia remedia, quae tono et ſtimulo ſunt, nec a typhi aut peſtis remediis, ſaltem genere tenus, differunt, luculentiſſime arguunt. Ut caetera omittam, ſolae pulſuum in utraque pyrexia res ad diagnoſin peragendam ſufficiunt. Sic in cynanche tonſillari, dum pulſus tales ſunt, quales ſupra eos retulimus, in gangraenoſa, parvi, debiles, et longe frequentiores reperiuntur. Quo illorum ſtatu, diverſam morbi naturam intus eſſe, et ab inflammatoria longe remotam, haud obſcure diſcitur. Aetatis quoque ratio ad hanc rem illuſtrandam pertinet. Itaque, ut hic morbus qualibet aetate accidere poteſt, ſed florente longe ſaepiſſime accidit, et tum vehementiſſimus eſt, ita cynanche gangraenoſa longe ſaepiſſime pueris, aut nondum puberibus, uſu venit. Sed quid opus verbis? Anni temporis, ſexus, habitus et temperamenti, omniumque rerum, quae ad diatheſin phlogiſticam aut contrariam pertinent, ratio diſcrimina, quae requiruntur, ſuggerunt. Debilitantia omnia

omnia cynanchen gangraenoſam, ſtimulantia et implentia tonſillarem praecedunt. Cumque nunquam haec, ſemper illa contagioſa ſit; inde quoque haud anceps nota ſuppetit. Poſtremo, ut vix niſi in ſumma morbi ſaevitia, et ne in hac quidem protinus ab initio, ſanguinis detractione, quod mox dicetur, in cynanche noſtra, opus eſt, et aut reſpuit illud remedium alter morbus, aut dilatione ejuſdem nihil detrimenti accipit; ita ea per brevem moram dilatio majorem oppoſitae intus naturae diſcernendae copiam dabit, et nihil incerti, nihil quod anceps eſſe poſſit, relinquet.

Cruſtae quoque documento dant, in gangraenoſa perpetuo, in tonſillari rariſſime, incidentes, et, ubi incidunt, in hac fixae, in illa ſerpentes.

## EVENTUS JUDICIUM.

Cynanche tonſillaris, quae imperitiori formidabilis quandoque videatur, neutiquam periculo eſſe ſolet; in hoc ab aliis quibuſdam phlegmaſiis, ut peripneumonia, et quandoque erytipelate, differens, cum reliquis fere congruens. Quod ideo fit, quia, cum hoc quoque ei cum aliis commune ſit, ut a diatheſi phlogiſtica omnino pendens, pro hujus magnitudine major ſit, minorve, lenis diatheſis plerumque exiſtens, lenem ſuum effectum morbum praeſtat.

## CURATIO.

Quoniam corporis, in quo morbus poſitus eſt, ſtatus aucta ſupra modum toto corpore incitatio nervoſa, in faucibus, quam alibi, magis eſt, fibrarum muſculorum tonum et denſitatem, pari cum ipſa, pari inter ſe ratione, augens; quae cauſa omnibus phlegmaſiis, mutata tantum inflammationis ſede, et in alio caſu alia exiſtente, nec iis ſolis, ſed et, excepta ſedis et formae affectionis localis perexigua varietate, omnibus morbis totius corporis phlogiſticis, quales haemorrhagiae et exanthemata phlogiſtica * ſunt, communis eſt: Ideo non huic morbo proprium, ſed illis omnibus commune, medendi conſilium eſt, incitationem toto corpore, eoque in parte, nimiam imminuere †. Non memoratis tono et denſitate opus eſt, quippe quae incitationis magnitudinem ſequantur, eoque conceptis conſilii

* Haemorrhagiae, quo vocabulo activae intelliguntur, ſunt epiſtaxis, menorrhagia, haemorrhois, cataphora, cataphora paralytodes, cataphora epileptodes, ſeu apoplexia, paralyſis, et epilepſia ex plethora, uti dicitur, pendentes. Exanthemata phlogiſtica, memoria digna, variola, rubeola, et ſcarlatina.

† Auctor relat.

verbis comprehendantur. Nec commune remediorum opus in partem laborantem ſolam, ac ne praecipue quidem, aut magis, quam in quamlibet aliam, ut vulgari opinione receptum eſt, dirigi intelligitur. Uno verbo, ut toto corpore diffuſa morbum cauſa continens eſt, ita in curatione, quae illam ſublatura ſunt, eorum in totum corpus vis convertenda. Id quod familiari imagine illuſtrabo. Pone incitationis ſummam ſecundiſſimae illi et exquiſitae, quae raro tenui et caducae hominum vitae contingit, valetudini convenientem, et hanc praeſtantem, eſſe in reliquo corpore ut xii, in parte laborante ut xviii; auctaeque in morbo incitationis ſummam toto corpore ut xviii, in parte laborante ut xxiv. Dein, quanta pars laborans ſit, reliquo corpori comparata, reputa. Sit unum ad mille. Quae ratio, non reliquo corpori parum, parti adfectae nimium, tribuit. Contra hujus ad illud collata ratio manifeſte vero major eſt.

Quoniam igitur totum reliquum corpus et partem magis laborantem morbus ea, qua poſitum, ratione adficit; ſequitur, tertiam incitationis totius, ſive in reliquo corpore, ſive in loco laborante, partem morboſam eſſe, idque agi, non ut in parte, ſed toto corpore, ſuperans incitatio imminuatur, et tertia ejus pars ubique corporis tollatur. Tertia autem incitationis per reliquum corpus pars eſt ut mille per ſex, in parte ut unum per ſex, multiplicatum. Quicquid igitur ſuperantem et nocentem incitationem tollit, id extra partem in totum corpus magna ſex millium, in partem ſola ſex, ratione agit. Hac imagine cum ſupra tradita doctrina comparata, de phlegmaſiae, adeoque morbi phlogiſtici cujuſvis, natura judicari, et quantus quamque late patens eorum error ſit, qui totum morbum, aut praecipuam ejus partem, in loco laborante collocant, perſpicere, et non ſermonem ſolum medicum, ſed et ſententiam ſaepe corrigere, licebit. Indidem etiam morborum, toti corpori humano communium, et parte ſive ampliore ſive angſtiore contentorum, differentia quodam tenus patebit. Quae morborum toti corpori communium notio, et a localibus diſtinctio, non poteſt, judice me, ad uſum medendi non aliquem fructum adferre. Qui aditum ſibi in peripneumonia ad morbi ſedem negari dolent, quaſi, hinc ſanguine protinus ablato, et ſucciſa morbi radice, celerius ſalutem et certius reducturi, nae illi plurimum a vero aberrant. Phlegmaſiarum, qualia mox in hujus curatione exponentur, remediis, peripneumonia cum majore tumultu quidem et formidine, ſed aeque certo, ac quaevis alia phlegmaſia, tollitur; quamvis remedia non magis inflammatam partem, quam aliam quamlibet, adficiunt. Contra, rheumatiſmus, qui omnium phlegmaſiarum difficillime ſaepe vincitur,

vincitur, ſanguinis e parte inflammata, cui nihil obſtat, detractio nihil auxilii adfert, ſaepe detrimento eſt. His exemplis cum abſoluto jam ſermone, moxque peragendo, collatis, et in accurata rerum verarum trutina perpenſis; propoſitum medendi conſilium, incitationem toto corpore, nulla aut vix ulla partis ratione habita, imminuere, verum eſſe et juſtum adparebit.

## AUXILIA.

Quoniam noxae antecedentes, ſupra relatae, cauſam ſic, ut relatum quoque eſt, faciunt; ita iis contrarias, ſaltem ratione, qua incitationem adficiunt, poteſtates, ad contrarium ſtatum dandum, nempe incitationem imminuendam, quaerendas manifeſtum eſt. Quas eodem, quo ante, ordine ſervato, exponemus.

Ob cauſas ſupra, ubi explicatus eſt, expoſitas, caloris ſtimulus fugiendus, et, quaquam eundem hunc ſtimulum, ubi magnus eſt, aut ubi diutius permanet admotus, ob id ipſum, quod nimis, pluſque quam poteſtas nervoſa toleret, ſtimulat, idem effectus, qui humilem et parum corpori ſufficientem ſtimulum, nempe incitatio deficiens, quod ſedans vis vulgo vocatur, ſequitur; hic tamen effectus non in remedium quaerendus, quia longior ſtimulus praecedens eſt, quam ut ſuccedens ei incitationis diminutio exſpectanda videatur, et quia, etiamſi brevior foret, major tamen eſt, quam ut nimio jam praevalentis intus ſtimuli effectui recte aut tuto ſuperaddatur. Quodque de incitationis, nimium hunc ſtimulum ſequentis, deminutione dictum, idem de eadem, quemvis alium nimium et rectum excipiente, dicendum. Eodem prorſus modo non cibi, non condimentorum, non potionis validae, non opii, non motus corporis, ſummus ſtimulus, et, quia nimius eſt, incitationem, exhauſta per ipſum excitabilitate, concidere ſinens, in phlegmaſiis, diminutae, quae quaeritur, incitationis conſequendae ſpe periclitandus. Unde patet, noxas excitantes omni ex parte, ſive quatenus ſtimulant, ſive quatenus, ultra modum ſtimulando, et ſic excitabilitatem exhauriendo, amplius ſtimulo afficere corpus deſinunt, fugiendas et cavendas. Ut vitandus caloris, ob cauſas relatas, reliquarumque noxarum antecedentium, eoque et frigoris, ſtimulus eſt, ita

Sedans frigoris, uti habetur et vocatur opus, nempe id, quo parum ſufficiente ad vitae actiones ſtimulo, eoque incitationem multum concidere ſinente, agit; non contra phlegmaſiis medendi conſilium eſt. Frigoris, ſic agentis, in variola virtus explorata eſt. Eodemque pertinet, quod nudum corpus, ſynocha gravi

gravi laborantis, jovi congelanti et ningenti objectum, magnam delirii vim et phrenitica ſymptomata dicitur ſuſtuliſſe. Ea exempla, quam noſtro conſilio frigoris haec actio conveniat, oſtendunt. Et magnitudo frigoris cum aliqua operis mora eſt, quae hunc effectum praeſtat. Sed et minus ejus cum longiore mora ſimilem trahit. Hinc plebecula pauperc-la, quae melioris conditionis hominibus frigori magis et conſueto objicitur, multum debilitatur. Unde in debilitate poſitis morbis magis opportuni eſſe animum advertuntur. Quod ideo fit, quia proprietas ejus recta et prima haec exiguam incitationem dandi, nunquam aliorum ſtimulorum uſu. ea ratione, quae mox exponetur, attollitur. Verum ejuſdem in frigida lavatione effectus, quam ad ſtimulandum eventu primum magnum frigus, ſed breve ſit, pari documento ſunt. Sed, ne ſic quidam recta ſtimulat, contra manifeſte ſedat, ſeu minimo illo gradu ſtimulat, qui ad corporis actiones non ſufficit. Quod rectum frigoris et princeps ſemper opus eſt. Poſt quod ſtimulans magna vis relinquitur, id eſt, aliae poteſtates, quae ante aquam admotam in corpus egerunt, nunc validius agunt. Non anget igitur in hoc exemplo, ſed imminuit incitationis ſummam frigus, aliarumque poteſtatum ſtimulatricum effectum ſuſpendendo, ut eo minus exhauſta et integrior excitabilitas ſit, efficit. Hinc ſtimulatrices, quae ante fuerunt, poteſtates reſtitutae, ideo validius agunt, et auctiorem incitationem dant, quia poteſtas nervoſa illam actionem magis recipit, id eſt, excitabilitas ejus augetur. Similique opere in frigidioribus locis, ubi alii ſtimuli, ifque inter eos, quem proprius corporis vapor calidus et concluſus dat, corpori admoventur, frigus eo, quod in frigida lavatione adhibetur, minus, ſed per conſuetudinem ad corpus admiſſum, majorem vim ſtimulatricem ſubinde ſuſpendendo, et ſic excitabilitati parcendo, ut illa reſtituta per hanc integriorem validius agat, et incitationem ſuſtentet, efficit; qui gradus tonica ejus vis adpellatur.

Stimulans autem ejus, ſive tonico, ſive quolibet alio, gradu agens, facultas, ab omnium phlogiſticorum morborum, maximeque phlegmaſiarum, coque cynanches tonſillaris, curatione rejicitur, nec pro remedio id, quod noxae eſſe dictum eſt, adhibendum, intelligitur. Sedans autem, id eſt, non ſatis, aut tenuiſſime excitans, opus, morando et per conſuetudinem agens, eorundem morborum brevitas et acuta natura non recipit. Nam, quanquam vitare caloris ſtimulum, quod ante praeceptum eſt, poteſt talis temperiei uſus eſſe videri; non tamen ei, ut valido auxilio, fidendam. Nec eo modo, quo in variola prodeſt, in phlegmaſiis frigoris uſui inſiſtendum, duobus nominibus, eſt, quia difficilis ejus adminiſtratio

ſtratio et incerta eſſe dicitur, et quia, in tanta reliquorum adverſus phlegmaſias remediorum efficacia, nulla hoc periclitandi neceſſitas eſt. Aquae majus et diutius admotum, quam in frigida lavatione vulgo fit, frigus, ſi ſtimulantium rerum, in qua lavationis vis tonica conſiſtit, actioni parcetur, poſſe ingentem in peripneumonia totius poteſtatis nervoſae incitationem cum fructu imminuere, ut, doctrinae propoſitae illuſtrandae ergo, dicendum; ita, ob cauſam modo relatam, non in uſum detorquendum, nec pro praecepto inculcandum videtur. Maniam, quam magna incitatio pro cauſa continet, haec infra aqua, quae ſemper frigida adhibetur, immerſio, ſemiextincto homine, aliquando tollens, cum doctrina ſupra propoſita comparata, dictum illud illuſtrat. Sic enim, quae quaeritur, incitationis deminutio conſequitur, et, ne eadem rurſus augeatur, cautis, qui in integram excitabilitatem agunt, ſtimulis, prohiberi poteſt. Nec pileum terreſtre recens, phreniticorum capiti impoſitum, alio pertinet.

De credita frigoris adſtringendi, et ſic perſpirationem cohibendi, facultate, inter noxas excitantes nihil dixi; quia per eam in viva corpora agere frigus minime poſſe videbatur. Aut ſtimulat, aut ſedat *. Si ſtimulat, incitationem, tonum, et denſitatem auget. Hinc vaſorum imminnit diametros. Quod, in magna diatheſi phlogiſtica, poteſt, uſque ad extremorum occluſionem fieri, fitque in phlegmaſiis. Eundemque effectum caloris et aliarum noxarum, ibi morbificarum, ſtimulus edit. Si igitur is extremorum vaſorum ſtatus conſtrictio ſit, eam non ſolum frigus, ſed calor, ſed victus plenus, et reliquae noxae, diatheſin phlogiſticam facientes, faciunt, tolluntque omnia, quae hanc tollere explorata ſunt. Ea vero, quae et nocent omnia et proſunt, in poteſtatem nervoſam agendo, adfectioni firmorum ſimplicium aut faciendae aut ſolvendae accommodari, non eſt veriſimile. Verum, argumenti cauſa, pauliſper concedatur, frigus extrema vaſa viva conſtringere, ut, ubi aliquis ſub divo eſt, et vero frigori objicitur. An poſtquam is domum traductus eſt, jamque non amplius friget, frigus tamen ſervare conſtrictionem, id eſt, abſens agere, dicendum eſt? Nemo, qui rem reputavit, ſic dixit, aut dehinc reputans dicet. Sed, quod a conſtrictione coeptum eſt, id ſpaſmi forma ſervari, forſan dices. Quid autem dicere porro habebis? Cum affectionem quoque iſtam, quam pro ſpaſmo habeas, ſimili modo a noxis, diatheſin phlogiſticam facientibus, fieri, ab ejus remediis ſolvi, audieris, et ipſe inficias ire nequeas? An eaſdem poteſtates aliter in longe maxima cor-

* Quid ſibi velit noſtra mente ſedare ſatis explicatum, ut non explicatione porro opus ſit.

poris

poris parte, aliter in ſummo eo, ſive nocendo, ſive juvando, agere, perſuadere cuipiam ſperabis? Finge aliquem, ſit conſul Londinenſis, aut praetorum quilibet, ex magna crapula in peripneumoniam aut ſynocham (nihil enim refert) incidiſſe, et cum aliis morbi propriis notis in cute areſcere, detractoque ſanguine, cum alias levari, tum in corporis ambitu madere. An cibos lautiores et pocula generoſa, ſpaſmum in cute, diatheſeos phlogiſticae in reliquo corpore indicia, feciſſe, et ſanguinis detractionem illum ſimul et haec, ſi diverſa ſint, tollere, id eſt, eandem cauſam diverſa efficere, contendes? Num quis ſpaſmum ullo argumento, nulla re vera, ſtabilivit? Si neque eſſe ſpaſmum quiſquam, neque quae eum faciant, quae tollant, dixerit, an aequum erat, eum praecipuorum corporis humani morborum, et inter ſe quoque diverſiſſimorum, cauſam proponere? Poteſtates relatae, noxque referendae, diatheſin phlogiſticam in phlegmaſiis, haemorrhagiis, et iis, quorum ſtatus morboſus ab illa potiſſimum pendet, exanthematis, auferunt; ſed an unum eorum eſt, quod ad ſpaſmum, ſi ab illa diatheſi diverſum quidpiam ſit, ſolvendum pertineat, et non eodem modo, quo reliqua, agat, eodem vaſa extrema et reliquum corpus opere expediat? Si igitur phlegmaſiarum et morborum phlogiſticorum cauſa ſpaſmus ſit, effecti expers cauſa eſt: Quod abſurdum. Porro, ſi illorum morborum cauſa eſſe vel maxime concederetur, quomodo diverſorum et prorſus contrariorum, quales typhus, cynanche gangraenoſa, et peſtis ſunt, cauſa eſſe poſſet? Nam hoc eſt, eandem cauſam diverſa et contraria efficere poſſe, contendere; quod certiſſimo et ſimpliciſſimo humanae ſcientiae principio adverſa fronte repugnat. Hae febres in debilitate conſiſtunt, per quam, quo modo ſicca cutis palleat, ſcilicet, corde ad extrema uſque vaſa humores percitare nequeunte, facile intelligitur. Rurſus, ubi ſudor et diarrhoea colliquens, provecto morbo, apparet, id manente, immo aucta jam debilitate, explicabile eſt; utpote cum, propter auctam vaſorum irritabilium debilitatem, qua ſanguis non ſatis permiſcetur, fluentiores a viſcidioribus, nulla vi a tergo partes, ſponte ſecedentes, per extrema foramina diffluant. Verum, cum vaſculorum, quibus in ſecunda valetudine vapor tranſpirabilis dimanat, diametri minimae ſint oportet, et ſpaſmus minores etiam, immo deletas, neceſſario ponat; quo pacto fieri poteſt, ut, quae vaſa vapori tenuiſſimo trajicieudo inhabilia eſſe proponantur, iis, manente etiam, immo jam auctiore, ſpaſmo, nec ulla a tergo vi impellente, ſpiſſiſſimae ſanguinis partes, et ipſe hic integer, effugiat? Cutis pallor et ſiccitas, debilitate pro cauſa recepta,

recepta, et ſpaſmo rejecto, explicata ſunt. Sed accipe, quaeſo, quod reliquum eſt, ſpaſmum tuentium argumentorum.

Ulcerum conglutinatio et tumorum ſolutio vel decrementum a ſpaſmo pendere putantur, et pro indiciis ejus adferuntur. Verum hoc ſit necne, ut cognoſcatur, res ipſas reſpice. Finge igitur ulceris aut tumoris oras extremas ſpaſmo obtineri, et quid ſequatur reputa: Nonne, ſi ſpaſmus ſic obtineat, et vis a tergo, quantula quantula ſit, perſtare non ceſſet, eo magis tumorem, cumulato intus humore, et non effluere ſito, oriturum, et ulcus, ſuperato ſpaſmo, uberius diſfluxurum expectares? Sed res vera utraque haec, debilitate pro cauſa recepta, et vi a tergo inde languere intellecta, facile explicabilis. Ejus igitur explicatio ſpaſmi opinionem refutat, noſtram luculenter confirmat.

Denique, ſi ſpaſmus ſummum corpus in variola, quod contenditur, occupet, quoniam eruptionis magnitudo perſpirationis retentioni, quod omnes fatentur, reſpondet, et nullus niſi per cutis foramina materiae morbiferae exitus datur; nonne, obſtructis per ſpaſmum foraminibus, et retenta infra cuticulum materia, omnis variola confluens eſſe, omnes aegrotantes emori debeant? Si vero raro nunc variola confluens eſt, pauci moriuntur; contra perſpiratio, bene procedens, longe maximam materiae morbificae partem, una cum vapore perſpirabili caeco, aufert, idque omne exquiſita curatio antiphlogiſtica efficit; nonne ſpaſmus, in eo etiam morbo receptus, cauſa otioſa eſt, agenti et effectum continenti parum philoſophice addita? Poſtremo, Hoffmanni, atoniam ſpaſmos gignere dictitantis, adagium contra ſpaſmi, in morbis phlogiſticis occurrentis, opinionem totum eſt; utpote in quibus nulla atonia ſit, ſed nimium vigorem omnia coarguant. Indidem Hippocratis non ablutit aphoriſmus, "qui acidum eructant, eos pleuritidi non opportunos," aſſerens. Eodem pertinet, ſcilicet, non ſolum in morbis phlogiſticis ſed febribus, a vaſis ſanguiferis et minoribus horum finibus alienum ſpaſmum eſſe, ſubmoneus, ſpaſmi veri cauſa nuper explorata. Si haec eſt ex imminuta ubique generis nervoſi incitatione, ubique generis muſculoſi tonum imminuente, fibrarum muſcularium, ſpaſmo obtentarum, atonia, et huic reſpondens laxitas, poteſtate tendente, aut aliqua re, huic ratione et effectu conſimili, contractiones excitantibus *, inde etiam contra ſpaſmum, cujus opinio nuper invalere coepit, argumentum, haud facile diluendum, ſuppetit. Sic in febribus, quamvis a debilitate, id eſt, incitationis imminutione, atonia et laxitate pendentibus, quia tendens poteſtas, eaque intus, quae ratione et effectu il-

* Jacob. Stewart, Diſp. Inaug. de Spaſmo, hac aeſtate in lucem edita.

lam refert, absunt, ideo spasmus non incidit, aut incidere quidem potest. Voluntas enim, quae potestas opere, distentionis opus referente, esse haud dubia est, imperii in vasa nihil obtinet Et haec extrema adeo humores non supra modum nimisve distendunt, ut, e contrario, haud parva morbi pars sit, quod non satis, immo, non omnino, distendunt. Id quod supra monstratum, et alias manifestum est. Nec in phlogisticis morbis spasmo, qui eadem vasa extrema obtineat, locus est, quia, quamvis humorum, quae distendat, copia non deest, adeo tamen incitationis defectus atonia et laxitas desunt, ut, e contrario, haec omnia supra secundae valetudinis modum contendantur, et in ea contentione morbi natura consistat. Ut ad reliqua remedia procedam; carne, et ex hac paratis, magisque conditis, et potione meraca aut valida, quae noxae antecedentes esse dictae sunt, quia sunt et sic nocent, abstinendum. Quod praeceptum, in omnibus morbis phlogisticis frugiferum, ubi diathesis, eos causa continens, paulo major forte subest, etiam necessarium est. Proque hac cibi materia, ea, quae ex plantis petitur, fluens, et aquosa potui data, sufficienda. Quin et, ubi viget diathesis, partisve vitae necessariae, ut pulmonum aut cerebri, inflammationem, vel statum ad hanc vicinum, trahit; donec illae subactae fuerint, justa inedia praestabit. Hac victus ratione chyli minus, eoque sanguinis, conficietur, et prius confecta abundantia eminuetur.

In gravioribus morbis phlogisticis et phlegmasiis quietem, et exercitatione ac labore abstinere, praecipere, cum id quacunque faciendi necessitatem morbus imponat, supervacuum est, in levioribus ejuscemodi morbis, qualis is de quo agitur plerumque est, necessarium. Eoque magis in his quies inculcanda, quo proniores quandoque aegrotantes ad movendum corpus, seque Jovi committendum, esse solent. Quo, saepe non sine periculo, et semper cum incommodo, morbus exasperatur. Quiete autem non solum stimulus, quo vasa irritabilia prius, dein totum genus nervosum commovetur, et incitatio, eoque diathesis phlogistica, augetur; sed alter ille, qui ex aucto sanguinis impetu occurrit, et similiter ac abundantia agit, probe evitabitur Nec is quietis effectus, quo vasorum irritabilium actio, et sic perspiratio, imminui dictae sunt, hic metuendus. Ut enim consuetudo quietis nocet, ita in brevi acutorum morborum cursu par ejus brevitas non sic nocet, contra, stimulo motus vitato, multum prodest.

Caloris id, quod stimulat, hic quoque cavendum; quippe sanguinem rarefaciens, et sic ejus pro tempore molem, similiter abundantiae noctiuram, adaugens. Quae observatio ad omnes morbos phlogisticos sine exceptione pertinet.

Verum

Verum abundantia ſanguinis recta quoque tollenda eſt. Quod facientia ſudor, alvi purgatio, et ſanguinis detractio ſunt.

Sudor, in morborum phlogiſticorum curatione, omni tempore laudatus, ſeculo alexipharmaco cum magnis ſtimulis pernicioſe conjunctus, nuper ex alio praejudicio, in contrarium currente, et omne, quod alexipharmacum ſapit, ſtudioſe fugiente, omitti ex toto, niſi quantum, pulvere Doveriano, et in ſolo rheumatiſmo, movetur, conſuevit. Qui tamen ſponte, aut adjecta veſte et potione diluta data, ſuboriens, leviorem quamque phlegmaſiam, aliquot horas, ut noctis ſpatium, permanens, auxilio eſſe ſolet. Hoc ejus modo ſynocha ſimplex, hoc catarrhus non pertinax, hoc cynanche tonſillaris levior quoque, ſolo ſunt ſublata. In rheumatiſmo autem, propter diatheſeos, morbum ſuſtentantis, magnitudinem, largo ſudore, praeſertim, ubi ſolo eo tollere morbum aliquis velit, quia opus eſt, igitur ad medicinam, quae ante omnes hunc effectum edit, decurritur. Largum ea ſudorem movet, quia diffuſibilis opii ſtimulus, cito totum genus nervoſum pervagatus, ad hujus pariter, et ſanguiferi generis extrema, effectum facile perfert. Quem deficientem renovata doſis renovat. Quod eo uſque fieri poteſt, dum ſudore continuato opus ſit. Stimulus autem opii hic perfertur, quia cito diffuſus, pariter cito deſinit, quia ſubſequens eum ſudor ſtimulanti effectui contrarium inducit, et diatheſeos magnitudo, in nullum vitae neceſſarium inſtrumentum inflammationem declinando, periculi nihil intentat. Ob quas cauſas, ubicunque incitatio ſeu diatheſis phlogiſtica maxima non eſt, nec in partem vitae neceſſariam inflammationem dirigit, ſudor, eodem remedio motus, uſui eſſe poteſt. Idem ſponte oboriens nunquam reprimendus, contra fovendus et ducendus; quia quicquid a praecedente cum ſtimulo metuendum ſit, id omne, poſt ſudorem coeptum, praeteriiſſe, et amplius nocere non poſſe, intelligitur. Quod praeceptum ad ipſam peripneumoniam, ipſum eryſipelas, cum capitis interiore affectione conjunctum, ubi diatheſis maxima eſſe ſolet, pertinet.

Nam, ſi ſtimuli prioris noxam pertulerit incitatio, ea noxa utcunque praeterita, remedii, incitationem imminuentis, fructus non eſt recuſandus. Quibus utique in caſibus ſudor arte non ſollicitandus, nec in ſynocha, comitante capitis adfectu graviore, ob eandem cauſam, videtur. In reliquis omnibus phlegmaſiis, vel ſponte ſuborientem ſudorem augeri, vel arte excitari, ut, vel uno eo, vel aliis cum remediis, ſolvatur morbus, nihil obſtare video. Quantum haec obſervatio ad haemorrhagias

morrhagias et exanthemata phlogiſtica pertineat, ne longius a propoſito excurrere videar, in praeſentia tacebo.

Sudoris actio extremiorum, quibus is diffluit, vaſculorum relaxatione evidente, majores horum ramos, et omnia alia, relaxata eſſe, eoque tonum omnium imminui, ac proinde toto genere nervoſo incitationem decreviſſe, plane oſtendit. Diatheſin igitur phlogiſticam potenter ab eodem ſolvi, manifeſtum eſt. Si igitur ei imminuta perſpiratio, uti vulgo creditur, vel maxime ſuccedat; tamen in phlegmaſiis, qui brevi curſum finiunt, nec per acceſſiones dein repetunt, plus boni ab humoris excretione ſperandum, quam mali a ſequente ſuppreſſione reformidandum; eoque magis, quod, continuata diaphoreſi vel aliis remediis humorem corpore auferentibus, ſolum malum, quod a ſuppreſſione oriri poteſt, nempe, humoris, vaſculis tranſpiratoriis alias effluxuri, intus retentionem, penſare in manu medici eſt.

Alvi purgatio alia ſanguinis abundantiae imminuendae, et non ineffica, poteſtas eſt. Quam Sydenhamiana ſagacitas et experientia prope cum ſanguinis detractione exaequavit, cum hac alternis diebus utens. Ea in omnibus phlegmaſiis et morbis phlogiſticis, ubi diatheſis non ita lenis eſt, ut temperiei idoneae, inedieve aliquantiſper, aut victui tenui cedat, adhibenda; nec in maxima diatheſeos vi, quo certius ſanguinis detractioni modus aliquis ponatur, et viribus, quae etiam in nimia incitatione aliquando exhauriri poſſunt, parcatur, non omittenda. Nuper aliqui negare ejus virtutem, ambigue praedicare, in dubitationem trahere, et, quaſi adverſus capitis aut partium ſupra canalem alimentarium, circave ſummum hunc poſitarum, congeſtiones, uti aiunt, ſolas bonam eſſe, in omnibus aliis, ſaltem longe pleriſque caſibus, alvi quandam facilitatem ſeu duritiei abſentiam, ſtimuli vitandi cauſa, ſufficere, opinari, ejuſdem uſui ſanguinis detractionem, ut diatheſi phlogiſticae ſolvendae habiliorem, objicere, eam a capitis tantum vaſis derivando prodeſſe, contendere; denique, parum ſibi conſtante oratione, ita de eadem ſubinde, ut alii fere omnes, loqui, vimque ejus antiphlogiſticam agnoſcere. Ad quae, nihil antiphlogiſticam diatheſin certius, et, praeter ſanguinis miſſionem, potentius, ſolvere, eaque virtute in plurimis caſibus uſui eſſe, reſpondendum. Non variola, non rubeola, non ſcarlatina, nulla haemorrhagia, phlegmaſia nulla, ab hoc dicto excipitur. Diatheſis, ut ſupra retuli, poteſt ita lenis, et morbus levis eſſe, ut ea vix vel non omnino egeat. Sed in omnibus caſibus, ubi ea paulo major et morbus gravior eſt, nullo titulorum diſcrimine, plus minuſve purganda alvus eſt. Quae purgatio ſanguinis detractioni ſaepe ſuperſedebit, neceſſariae,

cum

cum magno saepe commodo, moderabitur. Id autem agit, eumque praestat usum, humorum omnium, eoque sanguinis, copiam imminuendo, ac proinde incitationem nervosam in vasis, ac, ob id ipsum, in toto genere nervoso minorem, ac sanitatis modo propiorem, reddendo, et sic ad medendi consilii scopum communem conferendo. Certe, sive humoris serosi, exhalati, mucosive, per hoc remedium infinito vasculorum numero secreti excretique, copia spectetur, sive, quid in calore imminuendo, pulsus tardando, symptomatum vehementiam leniendo, ipsum praestet, consideretur, nulla alia ratione actio ejus explicabilis videbitur. Post vero, quam derivationis et revulsionis doctrina, sanguinis detractionem respiciens, diu repudiata erat, cum omnes res et rationes, quae contra illam, contra hanc quoque, faciebant, quare opinio in hac retenta sit, ratio reddi non potest. Si sanguinis ex talis detractio, eo consilio facta, ut abundantiam in capite imminueret, jure ex usu a prudentissimo quoque medico rejecta est; quia vasa humana, non, rigidorum more, totam humoris columnam moveri, partem remotam vacuefieri, et eam, unde proxime humor abstrahitur, plenam perstare, recipiunt; nonne ea ratio in humoris per alvi purgationem detractione perinde valere debebat? Quare mesentericarum arteriarum, et non cruralium, finibus detractio, ab aortae ascendentis ramis sanguinem revocare, et capitis aut superiorum partium vasa levare, credatur?

Remediorum relatorum sanguinis detractio novissima est. Haec, quoties ea opus sit, primum adhibeatur oportet. Quoniam enim recta in ipsis vasis sanguinis abundantiam imminuit, et sic potentissimum stimulum per omnia vasa irritabilia vigentem, et incitationem ubique intus sustentantem primo opere componit; cum reliqua, jam exposita, remedia imbecillius, tardius, ac longiore mora eundem effectum praestent; ideo, urgente necessitate, ad id, quod maxime in auxilium valet, protinus decurrendum, et sanguis detrahendus. Hoc posito principio, in cynanche tonsillari solum, ubi diathesis phlogistica vehemens inflammationem cum tumore magnam minitatur, in synocha aut vultus erysipelate, utrumque casum graviore capitis affectione comitante, item in peripneumonia, scalpellus stringendus. Haec una regula de hujus remedii usu sit. Altera autem esse potest, ut, si qui casus leviores, primum et minus hoc remedium requirere visi, adhibitis aliis non satis cedere comperiantur, in iis quoque sanguis detrahatur, ea detractione cessantem aliorum effectum expletura. Quod omni in casu et omni tempore, manente morbo, observandum est. Pro tertia regula recte instituitur, ut, licet potentissimum auxilium

xilium ſanguinis detractio omnium ſit, ſatiſque fere ad diathe-
ſin phlogiſticam quantamvis ſuccidendam efficax; nullius tamen
caſus curatio ſoli ei credatur; quia, ſi modica diatheſis eſt,
ſine eo alia remedia, aut eo modice adhibito, conſilium explere
poſſunt: Et in maxima diatheſi, quoniam diverſi mali facien-
di periculum ea ſanguinis profuſio, quae ad totius morbi mo-
lem amovendam valeat, habet, ejuſque uſus, aliorum remedi-
orum, lenius agentium, uſu temperatus, ei periculo occurrit;
ita ſalutem reducere, quam, ſublato morbo, in alium incur-
rere, aut manifeſta incommoda accerſere, praeſtabit. Sic
rheumatiſmo, qui modo ſanguinis detractione, modo ſudore,
modo victus tenuitate, in unoquoque idonea aeris temperie
ſervata, ſeparatim ſanatur, omnia haec invicem, ſed modice
magis, certius ſimul et commodius medebuntur. Quin et, ſine
larga ſanguinis detractione licet tollenda peripneumonia non
ſit, inter detractiones alvi purgatio, ut modicae magis reſpon-
deant, efficiet. Nec, poſt detractum ſanguinem et diatheſin
imminutam, ſudor, cui praeiens ſtimulus ante metuendus, ob
incitationis magnitudinem, fuerit, non quoque ſanguinis edu-
cti effectum adjuvare, et copiae trahendae neceſſitati moderari
poſſe videtur. Quod quo modo fiat, ſupra dictum videbis. A-
lia autem ſanguinis profuſioni parcendi cauſa eſt, ad rheuma-
tiſmum et cynanchen noſtram et totam haemorrhagiarum
ſpeciem pertinens; ſcilicet, ubi praeter ſolitum trahitur mor-
bus, aut repetere periclitatur, tamdiu aut toties redintegrata
detractio, ac occaſio poſtulare videatur, pro tempore prodeſſe,
ſed ad ſummam obeſſe, explorata eſt. Unaquaeque enim de-
tractio, cordis et arteriarum actionem imminuendo, perſpira-
tionem imminuit, et, ut imminuta perſtet, efficit. Hinc, hu-
more perſpirabili cohibito, ſi idem cibi, quod ante, ſumatur
et digeratur, quod et fieri poteſt, et ſaepe fit, ex hac cauſa
abundantia in vaſis ſanguiferis, recrudeſcet. Pauxillum autem
indies ſupra modum aſſumptum et digeſtum, non reſpondente
perſpiratione, poſt aliquantum temporis, ſanguinem intus cu-
mulabit. Eſt enim cibi capiendi et digerendi latitudo quae-
dam, ita ut, cum aliquid virium ſupereſt, plus, cum hae deſi-
ciunt, minus, debito adhibeatur. Illinc femininum phlegmaſia-
rum et haemorrhagiarum, hinc morborum in debilitate et pe-
nuria ſanguinis, maximeque profluviorum ſanguincorum paſſi-
vorum eſt; quae haemorrhagiae paſſivae, quo certius ab
alteris haemorrhagiis, quae ideo activae nuncupantur, diſtin-
guantur, ſed rectius haemorrhoeae dicendae ſunt *.

Utrumque hunc effectum ſanguinis detractio ſuo effectu
imitatur. Poſt quam, ubi id virium, quo plus juſto eli ſu-

* Hoc iis nomen auct. relat. aptiſſime in ſuis praelectionibus indidit.

mendi

mendi potestas permanet, supereſt, ſic, ut modo dixi, abundantia tempore ſuccreſcit. Verum, ſi aut corpus jam ante debile ſit, aut detractio eo proceſſerit, ut paulo magis debilitet, tum, cum reliquarum omnium partium debilitate, vires concoctrices uſque adeo debilitari incipiunt, ut reliquis partibus etiam magis langueat ventriculus, ſuoque officio minus, quam pro communis cauſae debilitantis vi, fungatur. Hinc, ut in phlogiſticis aliis morbis et haemorrhagiis, ex frequentiore et parciore ſanguinis detractione, plethora gignitur, ita non in morbis contrarii generis, e debilitate pendentibus, et haemorrhoeis, quae malo errore ſaepe cum haemorrhagiis confunduntur, ut vulgo creditur, plethora, ſed ſanguinis penuria cum debilitatis augmine, naſcitur. Quo modo autem in his adfectibus abundantia ſanguinis ſubnaſcatur, ubi nihil virium ſubeſt, quod ſatis ſanguinis, nedum nimium, faciat? Ut igitur in his caſibus non ſanguinis, quantumvis parca, miſſio, ſed victus tonicus, exercitatio lenior, conſtantior, viribus accommodata, eoque tono futura, et, ubi opus erit, tonica et modice ſtimulantia auxilio ſunt; ita, in morbis phlogiſticis, non cito deſinentibus, aut per acceſſiones repetentibus, ſanguis quam rariſſime et parciſſime mittendus, et in aliis antiphlogiſticis remediis, tanquam cardine, curatio vertenda. Denique, quicquid ſanguinis, aut quotieſcunque, mittendum videatur, per inediam aut victus tenuitatem, alvique purgationem, quae, ut ingeſta, ut aiunt, egeſtis exaequentur, faciunt, abundantiae intus naſciturae periculo occurrendum.

De omnibus remediis haec ultima regula ſtatuatur: Ut, quoniam omnia incitationem plus minuſve, pro ſua quodque vi propria, imminuunt, et ad eum gradum, qui ſecundae valetudini convenit, deducunt; ita, quae id potiſſimum efficiant, et neque ultra ſcopum tendant, neque citra ſubſiſtant, iis, alioque aliter, inſiſtatur. Hac regula in cynanche tonſillari, ubi non vehementiſſima eſt, ſanguinis, quae ultra metam procedere periclitatur, miſſioni parcendum, inediaque prius, dein tenuiſſimo victu, ac ſubinde alvo purgata, ſtandum. Quod ei morbo cum omnibus phlegmaſiis aliis, et variola, et ſcarlatina, item, acceſſionibus occurrendi cauſa, haemorrhagiis, commune eſt. Quibus etiam lenioribus, ſine purgatione victus modicus, cum idonea temperie, quae ſemper neceſſaria intelligitur, ſufficiet. In magna autem earundem morborum vi, ſaeviente diatheſi, et in cynanche per magnitudinem tumoris ſuffocationem, in ſynocha aut eryſipelate vultus, cerebri inflammationem, in catarrho, pulmonum parenchymatis inflammationem, in horum phthiſin deſituram, minitante, tantum ſanguinis detrahendum eſt, quantum incitationis deminuendae ſummam,

ex

ex reliquorum remediorum imbecilliore opere deficientem, expleat. Quam plerique rem. cum, reliquorum auxiliorum tanquam negligentes, et de sola sanguinis profusione agitantes, mensurae regulas magna sollicitudine proponerent, parum perspexisse videntur. Si jure Gallos, nullum profundendi finem facientes, damnaverunt, an ipsi, reliqua, eaque valida, auxilia leviter et incuriose, administrationis vocabulo, memorata praetereuntes, et summa sermonis auditores aut lectores ad sanguinis iterum iterumque missionem, quasi nulla fere alia re ad levandum morbum pertinente, hortantes et impellentes, sunt laudandi? Nihilne igitur in peripneumonia ipsa, cum sanguinis, necessario quidem larga, detractione, ad salutem operae relata alia conferunt? Si, initio morbi, sudor, praeeunte stimulo, incitationem instantem augere periclitans, periculo sit, an, post quoque, imminuta jam magno remedio incitatione, ad hanc porro imminuendam cum illo operam non conjuncturus putandus? Certe, cum leviorem morbi vim sudore tolli exploratum sit, graviorem eodem ex parte tolli sequitur.

Sed illud experientia firmavit, hoc rationi dandum? Porro, si non sine incommodis, saepe magnis, vehementem phlegmasiam, aut alium morbum phlogisticum, sola sanguinis jactura tollit; nonne minor haec, qua incommodis occurritur, cum alvi purgatione, quae communem effectum salutiferum maximo sanguinis detracti separato aequiparat, conjuncta, soli ei anteponenda?

Quotidiana hoc experientia confirmatum Sydenhamiana mens, sno pondere roborans, non est vilis habenda, nec solus seculi totius rectum videns, vix sapientiori hominum generi, sed in contraria parte erranti, postponendus. Si aut sanguinis detractio, aut sudor, aut inedia vel victus parcissimus, vi separatim rheumatismum solvit, cur conjunctorum fructus recusetur? Cumque sanguinis mittendi frequentia in haemorrhagüs plethoram augere comperta sit, cur non ei temperandum, et reliquis auxiliis plenius utendum, experientiae simul et rationi concedatur? Reperiri principium, quo, quod neque sanguis missus, neque quodvis aliud diatheseos phlogisticae remedium, sine reliquis satis valeat, explicabile sit, optandum. An hoc sufficiet? Cum noxae antecedentes diathesin phlogisticam faciant, toto genere nervoso quidem, sed magis in aliqua parte, incitationem in nimium tollendo, et auxilia, haec toto quoque genere nervoso, sed magis in parte, deminuendo, diathesin tollant, atque utraque, aliud in aliam partem, sic agentia, incumbant; nonne, in quam partem quodque remedium magis incumbat, et prius admoveatur, id in eadem, potestatem nervosam magis quoque, et minus in remotioribus,

adfic-re

ndficere putandum? Et poſtquam ex quavis una parte poteſtas nervoſa omnis quidem aliquantum, ſed minus in remotiore aliquo loco, imminuta eſt, nonne, ſi huic quoque loco aut juxta eum poteſtas imminuens admoveatur, et in eo nervoſam, quam alibi, magis imminuat, tertiaque et quarta poteſtas, totidem partes remotas, a prima minus adfectas, ſimiliter adficiat; tota incitatio plus ad ſummam, et aequalius imminutum iri credenda? Nonne haec ad ſanguinis detractionem ſolam pro remedio adhibitam, aut cum aliis remediis ſupra relatis conjunctam, transferri poteſt imago? Sanguinis detractio in vaſis irritabilibus majoribus magis, minus in mininis et remotiori generis nervoſi tractu; purgatio et ſudor magis in aortae extremis finibus et minimis vaſis irritabilibus, illa intus, hic extrinſecus, minus in magnis vaſis et diſſitis a prima actionis ſede regionibus, agunt. Tenuis victus, ut horum quolibet totum corpus aequalius, ita magis tamen ventriculum, quam reliqua corporis, afficit. Omnia autem, inter ſe invicem ſuccedentia, per totum genus nervoſum incitationem, quam quodlibet unum, certius et aequalius deminutura, magiſque profutura, credendum *.

* Auct. relat.

---

# DE CYNANCHE TRACHEALI.

*AUCTORE AND. MEASE, M. B. T. C. D.*

APUD antiquos pauca de hoc morbo inveniuntur, niſi vis ad hunc referri debere Hippocratis in prognoſticis iſtud, "Ex anginis vero graviſſimae ſunt, et celerrime interimunt, quae neque in faucibus, vel in cervice, conſpicuum quidquam faciunt, plurimum vero doloris et orthopnoeae inducunt."

Apud Ellerum inveniuntur hiſtoriae quaedam morbi hujus in adultis occurrentis; apud nos vero in infantibus ſolummodo conſpicitur. Primus accuratam de eo hiſtoriam tradidit profeſſor noſter celeberrimus Home, anno 1765. Poſt quem nonnulli alii mentionem de eo fecere; non vero exinde concludendum eſt, novum eſſe morbum. Ex hiſtoria infra tradenda evidenter apparebit neceſſe eſſe, ut omni aevo in regionibus borealibus exiſtat: multae vero cauſae effeciſſe videntur, cur pauci ad eum ſatis attenderunt; morbus rarior, aetas

aegrotorum infantilis, decurſus morbi rapidus, ſymptomatum facies fallax, eorundem cum aliis ſymptomatibus catarrhalibus et pneumonicis ſimilitudo.

## HISTORIA MORBI.

Duo diverſa a medicis in hoc morbo ſtadia deſignantur. Adoritur plerumque infantes, lactationis tempore peracto, ex illa periodo, uſque ad annum decimum ſecundum vel tertium; quo magis proxime ablactatio praeceſſerit, eo magis morbo obnoxii fiunt; nonnunquam abſque ullo indicio praeeunte ſubito invadit; ſaepius vero ſub inſidioſa forma cynanches tonſillaris, vel catarrhi vulgaris, nullum periculum minitantis, clam obrepit. Aegrotus, ſi ad eam aetatem pervenerit, ut querimonias edere poſſit, conqueritur de dolore obtuſo ad ſuperiorem partem tracheae, quae nonnunquam tumere cernitur; ſupervenit raucedo quaedam clangoſa, loquelam vel tuſſim comitans, quaſi ex tubo metallico vox prodiret, quam praeceptor Home galli cantui confert. Huic accedit reſpirationis difficultas, cum inſpiratione ſtrepente, laborioſa; tuſſis aliquando abeſt, ſaepius vero urget, brevis et interrupta, cum qua raro aliquid exſpuitur; ſi quando adſit expectoratio, ejicitur materies purulenta, cum fibris vel membranulis miſta, quae ex marginibus fimbriatis membranae majoris portiones eſſe declarant.

Hiſce ſymptomatibus adjungitur pulſus frequens, aliquando durus, praeſertim ad initium; progreſſu vero, mollis et debilis; ſanguis, ſi miſſus fuerit, plerumque cruſta inflammatoria obducitur; facies aliquando livida vel rubra fit; adeſt ſitis magna, caloris ſenſus ingratus et inquietudo aegrum miſerum vexat; alvus plerumque adſtricta eſt, et ſimul abdomen inflatum, pedes manuſque oedematoſae fiunt; urina pauca, initio limpida, poſtea ſedimentum dejicit albidum vel coenoſum; membranae Schneiderianae mucus debita quantitate non ſecernitur; cutiſque ſicca perſpirationem imminutam oſtendit; in fauchus nihil morbidi ut plurimum conſpicitur; aliquando tamen rubor et tumor circa glottidis partem ſuperiorem cernuntur, et radix linguae et amygdalae materie operiuntur ſimili iſti quae per ſcreatum ejicitur; deglutitio vix ſolito difficilior fit. Haecce ſymptomatum facies ad hebdomadem vel ultra perſtare aliquando ſolet; ſaepius vero die ſecundo vel tertio in deterius omnia ruunt, augetur dyſpnoea, reſpirat aegrotus cum crocitatione quadam, ad diſtantiam notabilem audibili; intermittit pulſus, et ita frequens et debilis eſt, ut vix numerari aut tangi poſſit; ad omnem inſpirationem attol-

luntur

luntur humeri, et exſpiratio ſuſpirioſa fit; abdomen convellitur; caput et pectus ſudore glutinoſo gelido obteguntur; pedes manuſque frigent; oculi languent; augetur ſitis, quam tamen infans explere non audet; per totum morbi decurſum, mente et ſenſibus illaeſis fruitur aegrotus. Omnia haec ſymptomata paulo ante mortem aliquando mirum in modum mitigantur; adeo ut vel proximo ante eam minuto alimentum devoret, nihilominus inſtat pernicies inevitabilis, magnoque cum ſtrangulationis in faucibus ſenſu aeger ſubito abripitur. Huic ſymptomatum enarrationi pauca de diſſectionibus ex egregio viro antea dicto ſubjungenda judico. Tota ſuperficies interna ſuperioris tracheae partis membrana albida craſſa praeter naturam inveſtiebatur, quam inter et membranam tracheae materies plurima purulenta interpoſita fuit, adeo ut membrana morbida facile ſeparabilis eſſet; partes ſubjacentes rubebant paululum; deorſum indagatio facta, per tracheae ramos eandem fere membranam, teneriorem tamen, inveniebat; omnes bronchiorum cellulae pure repletae videbantur, quod facile erat ex omnibus partibus circumpoſitis exprimere; pulmones caeteroquin ſani conſpiciebantur, neque per totum tractum tracheae vel bronchiorum ullum ſignum eroſionis vel ulcerationis apparebat. Talis eſt uſitatiſſima rerum facies; nonnunquam vero aliquantum diverſa eſt. In quinto caſu memorato, membrana ſuperiorem et poſteriorem ſolummodo partem verſus oeſophagum occupabat; in ſexto caſu, nihil morbidi conſpectum fuiſſe dicitur, praeter materiem paucam purulentam paulo infra glottidis aperturam; auctor vero ingenioſus contendit, eandem in pulmonibus fuiſſe, alioquin morti non occubuiſſet aeger.

In caſu octavo, membrana non ad tracheam adhaerebat, ſed tubi formam induebat, ſiniſtri pulmonum lobi pure ſpiſſo flaveſcente repleti erant, quod in aquam conjectum fundum petebat; membrana tenacitatem haud parvam nacta erat, atque etiam per dies duos aqua tepida macerata aliquam cohaeſionem ſervabat, nulla in ea ſtructura fibroſa apparuit. In caſu undecimo, pulmones aliquantum erubuiſſe dicuntur. In duodecimo, pars membranae tracheae ad digitos ab origine duos gangraenoſa inveniebatur.

## DEFINITIO.

Cynanche cum reſpiratione difficili, inſpiratione ſtrepente, voce rauca, tuſſi clangoſa, tumore fere nullo in faucibus apparente, deglutitione parum difficili, et febre ſynocha.

## DIAGNOSIS.

In primo morbi ſtadio ſaepe a catarrho difficillimum eſt diſtinguere, ſi ad ſymptomata ſolummodo attendamus; ex cognitione vero epidemiae pro tempore graſſantis conjecturam haud improbabilem facere poſſumus. Inter morbum noſtrum et cynanchen tonſillarem facilis eſt diagnoſis, ex tumore tonſillarum et faucium deglutitionem in hac impediente. A cynanche maligna facile eſt diſtinguere; nam in hac adſunt faucium tumor et rubor, cruſtae mucoſae albeſcentes vel cineritiae, quae decedentes ulcuſcula ſubjacentia oſtendunt, una cum febre typhode et exanthematibus, qualia in ſcarlatina cernuntur. Scio bene quoſdam aſſeruiſſe, ulcuſcula et febrem typhodem noſtrum etiam morbum comitari; de qua opinione infra ſententiam noſtram dabimus. A cynanche pharyngaea diſtinguitur iiſdem ſignis quae ad diſtinctionem ab angina tonſillari inſerviunt; a parotidaea, ob tumorem glandularum ſalivalium et reſpirationem illaeſam; a pneumonia, ex eo quod aeger non conqueritur de dolore in quavis thoracis parte, per tuſſim aucto; denique a diverſis aſthmatis ſpeciebus, dyſpnoea, orthopnoea, &c. ut et a pertuſſi, ex pyrexia cynanchen trachealem comitante.

## SEMINIA MORBI.

Antea obſervatum fuit, infantes et pueros, antequam ad pubertatem pervenerint, mali hujus praecipue victimas eſſe; unde ſuſpicare poſſumus, diatheſin illis eſſe ſibi ipſis propriam, quae ad morbum excitandum valeat. De hac vero nobis non liquet; fortaſſe alia explicatio admittenda eſt. Ex obſervationibus patet, in eos imprimis impetum ejus fieri qui catarrho vel pertuſſi diuturnis laboraverunt, vel qui ex variola vel rubeola adhuc convaleſcunt. Quantum hi morbi reſpirationis organis inimici ſunt, omnibus medicinae ſcientia vel paullulum imbutis bene notum eſt; facile ergo eſt intellectu, quomodo ex ſtimulo iterato vel perſtante ſanguinis in vaſa laryngis, vel tracheae determinati, vaſa haec iterum atque iterum laceſſita oneri tandem ſuccumbunt, tonumque ſuum pene admittunt, adeo ut ne vel leni cauſae impetum ſanguinis verſus ſe angenti reſiſtere poſſunt; quod fieri quoque videmus in aliis phlegmaſiis ophthalmia, viz. rheumatiſmo, cynanche tonſillari; nam horum morborum impetus frequentes ipſorum recurſui viam ſtruere; haud abſurdum videtur, effectu debilitante, etiam hoc efficere, praeſertim quum in corporibus natura

cura plethoricis, qualia ut plurima infantum corpora sunt, incidunt. Gaubius celeberrimus, in aphorismo 391. de plethorae specie ista quae ad vires nominatur, haec habet verba: "In debilibus, exiguum quoque sanguinis superpondium valentiori facile tolerandum, superatis canalium viribus incommodat, et congestione, oppletione, &c. gravat; naturis irritabilibus, levis humorum excessus pro stimulo est, cujus dum sentiunt molestiam, in motus inordinatos ruunt, ut amoliantur, et semetipsas prodactis incassum viribus fatigant." Quo circa quomodo tale superpondium evenire possit, proxime inquirendum est. Sanitas corporis, ut illibata servetur, requiritur debita inter ingesta et egesta, vel inter excreta et retenta, proportio; ad hunc finem mirifica potestate praeditum est corpus, qua efficitur ut, excretione quavis impedita, una vel plures aliae auctae vicem ejus quae deficit supplere queant; hoc vero non absque limitibus certis est; si quovis igitur modo humoris perspirabilis excretio obstructionem magnam passa fuerit, vel etiam si solito multo minor fiat, neque per vias urinarias, neque alias quaslibet, excernitur, omne id quod per cutem exire debuit, sed magna pars ejus in vasa organorum internorum conjicitur; quandoquidem vero systema pulmonum, ut plurimum, materiem, ejusdem naturae ac illius quae per cutem transfertur, secernit: Hinc patebit in hoc praecipue irrituram humorum molem. Alia fortasse quoque causa est, cur in infantibus larynx, prae caeteris istius systematis partibus, afficiatur, nempe, ob vociferationem qua in ludis suis saepissime gaudent. Ellerus casum refert foeminae adultae quae, cantui nimium indulgendo, in hunc morbum inciderat.

Quomodo mucum naturalem abradendo hoc efficit cantus, videre facile est.

## POTENTIAE NOCENTES.

Quum morbus hicce saepissime epidemicus sit, existimaverunt inde medici non mediocris famae per contagium propagari. Home illustris putabat, ad quasdam prae aliis regiones vim ejus lethiferam circumscriptam esse, atque oris praecipue maritimis infestam, causamque quare ita necessario fiat, assignat, nempe, una cum humiditate a mari per ventos advecta, ingentem salis marini quantitatem adferri, qui tracheam stimulando inflammationem excitare possit; observatio vero docuit, saepissime etiam in regionibus mediterraneis aeque ac maritimis grassari.

Quoad observationem epidemice nonnunquam vigere, non

ex

ex hoc ſequitur contagioſum eſſe, quum toties ſporadicus ſit; melius pro cauſa agnoſcitur ſubita a calore ad frigus, vel a ſiccitate ad humiditatem atmoſpherae mutatio; videmus enim, tempore hiberno et verno frequentiſſime occurrere, et ſymptomatibus catarrhalibus ſaepiſſime ſeſe comitem adjungere, regionibuſque frigidis maxime infeſtum eſſe. Ex obſervationibus clariſſime patet, cynanchen trachealem non aliam cauſam occaſionalem agnoſcere, ab illa quam plures reliquae phlegmaſiae, viz. frigus corpori, antea per calorem praegreſſum relaxato, applicatum. Quoad modum ejus operandi, in ſequenti ratione, ni fallor, agere videtur.

Quando gradu moderato applicatur, ſolidum ſimplex, vaſorum ſuperficialium ex potentia, quam in omnem materiem inanimatam habet, aſtringit; ſolidum vivum fibrarum muſcularium vaſorum eorundem ſtimulat, et ad contractionem excitat; quorum diametris, eadem manente ſanguinis copia, ſic imminutis, majorem quantitatem verſus cor atque arterias regurgitari neceſſe eſt; haec igitur diſtendentur, diſtentio aucta tonum muſcularem cordis et vaſorum majorum auget; hinc niſum eorum in contractionem validiorem producit; quo melius vaſorum minimorum reſiſtentiam removere poſſint, coradeo validis et repetitis contractionibus ſpaſmum ſolvere conatur, quod, ſi facile fit, morbus non datur, ſin minus, inflammatio in parte ſeminiis praedita oritur.

## CAUSA PROXIMA.

Multum equidem mirandum eſt, inter paucos ſcriptores hodiernos, qui hoc de morbo ſcripſere, tot et tam diverſas de eo opiniones propoſitas eſſe, ut vix plures duobus in eandem ſententiam concurrant. Millar ad ſpaſmodicorum morborum ordinem omnino relegandum eſſe cenſet; quem ſecutus eſt Ruſh Philadelphienſis, in diſſertatione ſua de aſthmate infantum ſpaſmodico.

Sed haec opinio inſtabili fundamento, neque ad phaenomena explicanda ſatis valente, niti videtur. Cujus rei Millar ipſe theoriam ſuam omnino veritus eſſe videtur ad explicationem non ſufficere, cum diſſectiones omnino repudiare conatur; multo equidem probabilior eſt ſententia illa, quae morbum hunc ex genere phlegmaſiarum eſſe, ſimilemque cum caeteris eorum cauſam proximam habere, ponit, nempe membranae laryngis, et tracheae, inflammationem phlegmonodeam, quae pyrexiam accerſit; qualis vero natura eſt pyrexiae iſtius multum inter medicos diſceptatur: Quidam enim non mediocris famae volunt pyrexiam typhodem eſſe, et inflammationem

mationem ſimilem iſti, quae in cynanche maligna occurrit; inter quas celeberrimus Rutty, qui epidemiae per plures Hiberniae partes graſſantis hiſtoriam tradidit, quae cynanches noſtrae ſymptomata quaedam pathognomonica habebat, praecipue ſonum vocis clangoſum, caeterum ulcuſculis, et aliis cynanches malignae ſymptomatibus, ſtipabatur: Veruntamen, ex cauſis remotis, ex ſymptomatibus catarrhalibus comitantibus, denique ex phoenomenis quae in diſſectionibus occurrunt, concludere licet, inflammationem febre ſynocha ſtipatam, cauſam proximam eſſe, quae porro irritatione ſua affectionem ſpaſmodicam glottidis vel laryngis muſculis communicare poteſt. Morbus raro per gangraenam terminatur; ſi enim non cito reſolvitur, ſuffocationem ſubito inducit; probabile quoque videtur, ut clariſſimus Monro obſervavit, morbi hujus vim lethiferam obſtructioni deberi, phlogiſtici veneni ex pulmonibus exhalationem impedienti.

## RATIO SYMPTOMATUM.

Vocis raucedo defectui excretionis mucoſae tribuenda eſt; reſpirationis difficultas anguſtationi glottidis, quam inflammatio efficit; inſpirationis ſtrepitus ſpaſmodicae affectioni tracheae et partium circajacentium; nam ſonum iſtum magna ex parte refert, quem infantes, pertuſſis paroxyſmo laborantes, inſpirationis tempore edunt. Tuſſis clangor explicatione clariore eget; qui attente ſtructuram tracheae et muſculorum glottidis conſiderat, vix negare poteſt, mirabiliter ea adaptari ad fungendum tam chordati quam ventoſi organi officio. In organo quovis chordato, quo magis tenduntur nervi, eo acutior ſonus, quo minus, eo gravior; in flatuoſo vero, quo brevior atque anguſtior terebratio, eo acutior tonus, et vice verſa. Tumor igitur tranſitum aeris arctiorem, et irritatio ſpaſmum partibus inducens, ligamenta magis tenſa reddit, ideoque ſonos acutiores praebet. Tumor nullus in faucibus debetur altiori inflammationis ſedi, quam ut in conſpectum veniat. Deglutitionis facilitas ex eo explicanda eſt, quod pharynx et muſculi deglutitionis morbo non tentantur: Febris ſynocha eadem eſt, quae inflammationem omnem non putridam comitatur. Reſtat etiamnum ut de membranae iſtius, tracheam interiorem inveſtientis, cujus pars aliquando expuitur, origine pauca dicam. Clarus Home muco inſpiſſato tribuendam eſſe cenſet, quem in infantum fluidis abundare ait; ideoque, ſi aliqua remora fiat, quae obſtet quo minus debita ad ſecretionem proportione ejiciatur, partes aquoſiores evaporari, et reſiduum denſatum et ſiccatum in membranam exire. Sed

non

non arridet haec explicatio; potior videtur ſententia quae ponit, hanc membranam ejuſdem naturae eſſe ac cruſta inflammatoria in viſcerum inflammatorum ſuperficiebus reperta, quae ex lympha ſanguinis coagulabili videtur naſci. Haec lympha a muco longe diſtat, nam calore 150° ther. Fahrenh. acidis mineralibus concentratis, alcohole cogitur; mucus nullam talem mutationem patitur.

Membrana ergo pro effectu, non cauſa inflammationis habenda eſt, quam, ſi vel verbo amovere poſſemus, iterum renovatam fore, aeque ac antea periculoſam, timendum eſt.

## PROGNOSIS.

Morbum hunc in omni ſtadio periculoſiſſimum eſſe, docet experientia; plus tamen ſpei in initio quam in progreſſu affulget. Si pulſus adhuc firmus eſt, ſi reſpiratio paulum laeditur, ſi aegrotus largum potum haurire audet, ſi vox haud multum mutatur, vel ſi mutatio in niſubus fortioribus, uti tuſſi, vel vagitu percipitur, fauſtum eventum ſperare datur; ſi vero pulſus debilis et intermittens evadit, ſi aeger ſumma cum difficultate et anxietate reſpirat, ſi ſitim explere non audet, ſi denique ad omnem inſpirationem editur ſtrepitus, eventus infelix expectandus eſt. Veruntamen, quando cruſtam jam penitus formatam eſſe ſuſpicare eſt, ſi expectoratio ſupervenit, cruſtulas et purulentam ſimul materiem ejiciens, feliciter terminatum fore ſperandum eſt; ſi vero convulſionibus violentis vexatur aeger, ſi extremitates frigent, abſque ullo dubio penitus jam conclamatum eſt.

## CONSILIA MEDENDI

Tria ſunt. I. Inflammationem topicam, ideoque et diatheſin phlogiſticam, auferre.

II. Suffocationi obviam ire.

III. Recurſui morbi praevenire.

I. Inflammatio topica et diatheſis phlogiſtica auferuntur.

1. Adminiſtratione antiphlogiſtica.
2. Tenſionem ſyſtematis arterioſi minuendo.
   - A. Sanguinis detractione.
     - a. Generali.
     - b. Topica.
   - B. Purgatione.
3. Epiſpaſticis.
4. Diaphoreticis.

A. Emeticis.

A. Emeticis.
B. Sudorificis.
C. Salibus neutris.
D. Diluentibus.
E. Lavatione calida.
5. Expectorantibus.
6. Refrigerantibus.

II. Suffocationi obviam ire.
1. Antispasmodicis.
2. Bronchotomia.

III. Recursui morbi praevenire.
1. Tonicis.
A. Cortice Peruviano.
B. Lavatione frigida.
C. Exercitatione.

## CONSILIUM I.

1. *Administratione Antiphlogistica.*

Objectorum, qui stimulo valentiori pollent in sensus externos, impressio caute evitanda est, calor praecipue externus cavendus est, vel etiam corporis calor nativus ne augeatur, omni modo curare debemus, motus omnis muscularis quam maxime fieri potest aufugiendus est, et quando organa loquelae peculiari modo nunc laborant, aegrotus ad loquendum non solicitandus est; victus animalis, et liquores fermentati, omnino prohibendi sunt, et sitis ad libitum potionibus acidulatis explenda est, faecum in intestinis accumulatio enematibus laxativis frequentibus praecavenda est.

2. *Tensionem systematis arterioſi minuendo,*

A. *Sanguinis detractione.*

Quantum valeat hoc remedium ad exquisitam systematis sanguiferi tensionem auferendam, ideoque quantum in phlegmasiarum curatione prosit, haud opus est ut dicam: An vero nostro in morbo eadem latitudine qua in pluribus aliis, administrandum est, dubitari potest; quum enim in systematibus irritabilibus et debilitatis saepissime occurrit, fortasse satis erit, si semel, vel ad summum bis, de brachio sanguinis uncias quatuor ad octo, pro aegroti aetate et morbi violentia, extrahamus, ne aegrotum nimis debilitando convalescentiam tardam reddamus, et ut morbus revertatur faciamus. Quum

ſanguis educitur, in ſitu horizontali detineatur aeger, ab omni irritatione liber, et ſanguis ex amplo orificio fluat. Interea evacuatione topica, minori cum ſyſtematis impendio, plurimum auxilii ferri poteſt. Hirudinibus parti affectae quam prope applicatis, quae, ſanguinem ex vaſis inflammatis detrahendo, congeſtionem eorum levant, et ſpaſmum quem inflammationis proximam cauſam eſſe cenſemus, auferunt, et tonum debitum recuperare ſinunt. Sanguinis fluxus, ſi opus fuerit, fomentationibus tepidis promovendus eſt; ut plurimum vero ſanguinis diſtillationem cohibere moleſtiſſimum eſt, et medico plurimum faceſſit negotii; et hinc fortaſſe hirudinibus aliquando anteponendae ſunt cucurbitulae cum ferro, quae, plura orificia ſimul aperiendo, ſanguinem celerius abſtrahere, derivationem et relaxationem magis ſubitaneam inferre ſolent, et praeterea, quaevis quantitas requiſita ad amuſſim detrahi poteſt, quod per hirudines fieri nequit.

B. *Purgatione.*

Quicunque reputet ingentem fluidorum molem quae in tubo alimentario omni tempore adeſt, innumera vaſa excretoria per longum inteſtinorum tractum, humores ſuos ſemper exhalantia, haud poteſt quin percipiat, evacuationem ſatis magnam hacce methodo inſtitui poſſe, quae, ſi per remedium ſtimulo in ſyſtema univerſum minori praeditum fit, relaxationem notabilem inducere poteſt; quando autem fluida, tam illa quae in inteſtinorum cavo, quam quae ex extremitatibus excernentium eliminantur, non omnia ab arterioſo ſyſtemate immediate abſtrahuntur; et quum abſtractio iſta cunctanter admodum fit, depletio exinde ſyſtemati ſanguifero inducta haud aeque ſubitanea fiet, ac illa quae per venaeſectionem. Veruntamen, debilitas nimia ſic ſupervenire poteſt, quae in corporibus debilibus plurimum damni inferre poteſt. His adde, quod dum aegrotus ſaepius e lecto exſurgere cogitur, vix poteſt ab aere frigido ſatis defendi, quod morbum potius confirmaret, propoſitum quoque non minoris momenti, viz. aequabilem verſus ſuperficiem determinationem promovendi, irritum redderet. Melius clyſmatibus lenibus, aquoſo-oleoſis, alvus ſubducenda eſt; quum autem haec magis foeculentam partem ſolum canalis alimentaris contentorum ex inteſtinis craſſis evacuant, neceſſe eſt, ut laxativo aliquo leni, inteſtina tenuia ad dejectionem ſolicitentur, quod ſapore grato, infantem abſque compulſione aliqua capere perſuadeat; ſi enim aegrotus ad ejulandum vexatus erit, periculum eſt ne ſubita ſuffocatione pereat; ſaltem irritatio, quam vagitus infert, inflammationem augebit. Profeſſor noſter Home, tabellis e magneſia

magnesia alba saccharo edulcoratis utebatur; sales neutros refrigerantes quoque. Sero lactis solutos, commendat, si modo aegrotus sumere vult. Fortasse utile erit, si diathesis phlogistica penitus ablata fuerit, aromaticum vel carminativum lene medicamento laxanti adjungere, quo flatus corrigantur.

3. *Epispasticis.*

Opiniones praecipuas de modo eorum operandi breviter, Culleni vestigia prementes, percurremus. Baglivius cantharides humano sanguine admiscuit, quo facto, tota massa in liquamen tenue abiit; unde existimatum est, eas eandem vim liquefacientem in corpore exserere; sed ex iis quae extra corpus sanguini accidunt, de operatione in sanguinem circulantem, nulla conclusio certa oritur. Exigua ex emplastro absorpta cantharidum portio, in quadraginta vel quinquaginta libras sanguinis diffusa, mutationem talem inducere haud potest; praeterea fundamento instabili niti videtur theoria, viz. lentorem sanguinis in phlegmasiis dari; quum Hewsoni experimentis contrarium verosimilius est. Opinio alia probabilior est, quae effectus eorum bonos vi stimulanti tribuit; vesicatio cuticulae, quam admotae ei inducunt, vel stranguria quae earum receptionem in systema consequitur, vim stimulantem extra dubium ponunt; sed non exinde sequitur stimulo universo praeditas esse. Clarissimus Whytt invenit pulsus frequentiam, in peripneumonia et pleuritide, per vesicatoria minui; eorum ergo stimulus pro topico solummodo habendus est; etiam hac ratione, auxilium non mediocre adferre possunt, juxta Hippocratis illud: "Duobus doloribus simul obortis, non in eodem loco, violentior obscurat alterum." Haec opinio praeterea fulcimentum non exiguum ex hoc recipit, quod rubefacentia quoque utilitatis magnae esse saepe inveniuntur, ad partem dolentem admota; cum vero nec locum vesicatoriorum supplere, nec tam insignes effectus efferre queunt, argumentum est, haec non vi stimulanti tantummodo agere. Restat etiam altera theoria notatu digna, nempe, epispastica viribus evacuantibus morbos inflammatorios curare. Si per vires evacuantes intelligitur, ea materiem aliquam morbificam e systemate universo, vel etiam ex parte dolente eliminare, assentire nequeo. Non constat materiem aliquam morbificam, pro causa inflammationis proxima habendam esse; neque, etiamsi concedatur, in sanguine existere, perceptu facile est, materiam per totam massam, circulationem obeuntem, diffusam, ex una exigua porta eliminari posse: Nostra ergo opinio est, utilitatem vesicatoriorum in phlegmasiis tribuendam esse junctis viribus stimulantibus et evacuantibus;

cuantibus: Stimulus affluxum ad externam ſuperficiem provocat, evacuatio ex vaſis cutaneis facta relaxationem per totam cutem producit, et derivationem a vaſis inflammatione tactis profert, quod ſpaſmum eorum ſolvit, quae reſolutio per totum ſyſtema communicatur

Quoad adminiſtrationem epiſpaſticorum, ſatis eſt obſervare, quam prope parti inflammatae admoveri debere, et, ne abſorptio minima ſtranguriam excitet, carbaſo ſubtili, Angl. *gauze*, defendi (praemiſſa venaeſectione), et poſt horas circiter duodecim amoveri.

4. *Diaphoreticis*

Medicamentis, quae determinationem verſus ſuperficiem excitare, et excitatam ſuſtentare poſſunt, inter quae primum obtinent locum

A. *Emetica*,

Quorum operatio non minus quam epiſpaſticorum, permultis inter medicos diſputationibus ortum, dedit: Non locus eſt nobis omnes opiniones perpendere; ſufficiat igitur dicere, emetica vulgo uſitata, ex pulſus debilitate, et irregularitate, quas in initio operationis videmus, vi quadam ſedativa gaudere, probabile eſſe: Quoad effectus, ventriculi contenta evacuant, immo, motu periſtaltico ipſum duodenum et portionem jejuni adjacentem agitant; denique viſcera abdominalia omnia, et ſecretiones eorum, et ex abdominis cavo abſorptionem, augent: Quod vero ea maximae utilitatis reddit, eſt, quod in thoracicis viſceribus curſum ſanguinis, ſecretioneſque inde natas, adjuvant; agitatione et ſucceſſivis inſpirationis et exſpirationis niſibus, bronchiorum cava emulgent, humores ex intimis eorum receſſibus eliciunt, ubique excretionem mucoſam excitant, et ſic expectorantium omnium valentiſſima ſunt. Nec theoria tantum nixus, ea collaudare auſus ſum. Dixit Cullenus, vomitum primo inſultu morbi, venaeſectione praemiſſa, ſubito enim aliquando fugaſſe; et refert, ſe ex amico ſuo audiſſe, plebeculam in quadam Scotiae plaga, qua hic morbus frequentiſſime occurrit, experientia iterata cognoſcere, ſi modo vomitionem maturius excitare poterint, plerumque morbum profligatum fore: An ad hoc propoſitum perficiendum ipecacuanha caeteris omnibus anteponenda eſt?

Verum non hac ſolum ratione utilia ſunt emetica; nam parvis et iteratis doſibus adminiſtrata, ad nauſeam excitandam, (praeſertim antimonialia), determinationem verſus ſuperficiem (quod etiam in doſibus vomitum provocantibus aliquatenus

quatenus faciunt) summopere promovent; adeo ut, hacce methodo propinata, inter sudorifica emineant; et, utrum consideremus evacuationem, quae hoc modo instituti potest, vel effectus praestantes quos talis tractatio in plurimis aliis phlegmasiis edit, vel denique periculosam morbi naturam, si non cito fugatus sit, procul dubio operae pretium erit, experiri quid ad curationem valeat morbi, qui nimis saepe omnia alia conamina nostra frustranea reddit. Ponamus ergo, nos statuisse sudationem excitandam esse; administratio proxime consideranda venit, quam paucis verbis jam enarrare conabimur. In stragulis laneis vel bombyceis sternendus est aeger, induso laneo obvolutus, vestimentis lecti usitatis tegendus est; pedes culcita superaddita operiendi; sudorificum remedium deinde exhibendum est, quod minimo cum stimulo evacuationem satis magnam, et satis certam, efficere potest; tale est pulvis Doveri dictus, ex opio, ipecacuanha, et tartaro vitriolato compositus; hic igitur parva dosi, a granis duobus ad decem, pro aegroti aetate, exhibendus est, et per horam saltem postea nullus potus propinandus est, ne medicamentum per vomitum rejiciatur. Si sudor facile fluit, tunc plena dilutione per liquores tepidos, aquosos, sustentandus est, per horas saltem duodecim, nisi symptomata, viz. pulsus durities vel frequentia, auxietas, et dyspnoea, pro mitioribus saeveriora fiant, et nisi fluit sudor liquidissimus et universalis; si enim viscidus, et ex superioribus tantum partibus, capite, collo, pectore, emanat, omnino abstinendum est; quo melius ad extremitates pedum perveniat sudatio, utendum est lateribus aqua bulliente antea immersis, vel lagenis eadem repletis, atque pedibus admotis; quo tutior sudatio fiat, melius erit, si simul laxativo leni praemisso utamur, et omni modo cavendum est, ne, frigore corpori subito admoto, sudor interrumpatur: Ne aegrotus quoque somno indulgeat, animum advertendum est; atque idcirco mane, potius quam vesperi, tentamen faciendum. Monendum vero est, hanc tractationem conjectura solum niti.

Quando opium per seipsum exhibitum stimulo nimis gaudere videtur, periculosum apparet eo uti, nisi quando, uti supra, versus cutem dirigitur, vel quando metus est, ne inquietudine nimia plus damni oriri posset, quam ex vi opii stimulante. Tantum sufficiat dicere de sudorificis, salibus neutris, et diluentibus.

Ad eundem effectum fortasse valeret

E. *Lavatio Calida,*

Etiam universalis, si commode fieri potest; quum autem maximae

maximae plerumque difficultatis ſit balneum rite adminiſtrare, ſemicupio vel pediluvio, quae inſignes effectus praebere poſſunt, utendum eſt. Calor certiſſime humani ſyſtematis ſtimulus potentiſſimus eſt, atque tum ex hoc, quum, quia fluida rarefaciendo plethoram ad volumen dictum infert, damni potius quam utilitatis futurus videatur; ſed quando cum humiditate conjunctus, et modico gradu applicatus, gratiſſimam ſenſationem per totum corpus diffundit, et ad ſomnum conciliandum potentiſſimus eſt, et quum nihil aliud datur, quod vi laxanti in fibram mortuam, aequali ei qua polleat aqua calida, praeditum eſt, in ſpaſmo ſolvendo, per totum corpus, effectus praeſtantiſſimos jure exſpectare poſſumus, quamvis etiam parti exiguae ſolummodo applicatur; ne autem ſtimulus ejus vi antiſpaſmodicae praepolleat, cautela utendum eſt, ne ad gradum nimium aqua caleſiat, et ne brevius juſto applicetur fotus; quoad caloris gradum non ultra eum quo corpus humanum gaudet, ſcilicet 98° therm. Fahrenh. excaleſieri debet; et, quoad durationem, per horam ſaltem continuandus eſt; ſi ſublevatur aeger, et ſomnus conciliatur, perſtandum eſt; ſin minus, protinus deſiſtendum.

5. *Expectorantibus.*

Quum, ut ſupra dixi, ab omni ſtimulo ſyſtematis univerſi abſtinendum eſt, qui non praeſtanti quadam vi, ſtimulantem aequiparante, potitur, remedia vulgo expectorantia dicta, effectus admodum dubii ſunt, talia ſunt ammoniacum, ſcilla, &c. Quidam putavere, medicamentorum partem, dum deglutitur, in vias aeriferas tranſire, abſurde procul dubio, minime reputantes, quantum noceat mitiſſimae ſubſtantiae particula in tracheam infortunio aliquo lapſa; omnis ergo eorum effectus, vel ſtimulo generali, quo circulationem accelerando, omnes excretiones augent, tribuendus eſt; vel lubricationi ſuperioris glottidis partis, qua fit, ut irritatione ad tuſſiendum moderata, tempus detur muco in folliculis ſtagnandi, unde partibus tenuioribus reſumptis, vel per aerem ablatis, reſiduum craſſiorem conſiſtentiam adipiſcitur, et ſic facilius ejicitur; ſtimulantia ergo, ob cauſam ſupra allatam, rejicienda ſunt, et demulcentia ſolummodo admittenda; neque timendum eſt, ne aegrum, ad irritationem minus attentum, reddendo, ſuffocationis periculum augerent. Multo tamen efficacior methodus ſputum expediendi adhibenda eſt, viz. per fotus, et lenes vapores aquae calidae, aceto paululo impregnatae, et in os receptos, qui et potentia relaxanti, et mitiſſimo ſimul ſtimulo, membranam iſtam morbidam emollire, et excretoria evacuare poſſunt. Hanc theoriam confirmat experientia praeceptoris

praeceptoris noſtri Home, qui addit, aegrotum ſemper plurimum ſputum poſt fotum rejicere, et pulmones, quantum ex tuſſi conjicere licet, multo humidiores videri.

6. *Refrigerantibus.*

Quum, ut in hiſtoria obſervatum fuit, caloris ſenſus ingratus aegrotum vexat, immo fortaſſe et morbum auget, methodus tuta, qua hic minuatur, multum exoptanda eſt; hoc praeſtant acida, diluta mineralia, et vegetabilia, poſteriora praecipue, ut et ſales neutri omnes, qui acidum muriaticum non continent. Haec omnia in ſtomachum recepta, calorem inſigniter minuere poſſunt; theoria difficilis eſt; non pendet effectus ex poteſtate eorum frigus generandi; nam haec in neutris ſolummodo obtinet, et, etiam in his, tempore tantum ſolutionis. Ii vero jam ſoluti exhibentur; quum vero vis caloris generandi, qua corpus humanum gaudet, conjungi ſaltem videtur, cum proceſſu animali, ſi non putrido, putrido tamen ſimili; fortaſſe refrigerantium effectus, poteſtati antizymicae, qua proceſſui iſti reſiſtunt, tribuendus eſt. De frigore externo, ſatis erit obſervare, ut ſupra dictum, frigus corpori antea calefacto admotum, cauſam morbi excitantem eſſe; haud igitur meliori quam dementis nomine mereretur, qui frigore ad curationem uti cogitaret.

II. Suffocationi obviam ire,

1. *Antiſpaſmodicis.*

Ad inſtantem perniciem ſummovendam, quando alia omnia conamina ad debellandum impotentia ſunt, ad antiſpaſmodica, cum parva equidem ſucceſſus ſpe, confugiendum: Millar quidem moſchum et aſafoetidam praecipue hanc multum commendat; et Ruſh, in diſſertatione caſum tradidit, in quo, aſafoetida ingenti quantitate exhibita, feliciter morbum profligavit; ſemper autem, duabus vel tribus horis poſt exhibitionem, ſuperveniebat vomitio; ex quo concludere licet, bonum effectum ex vomitu pendere. Notatu dignum eſt, neque Ruſh neque Millar opio antiſpaſmodicorum potentiſſimo uſos eſſe. An emeticum fortius aliquid auxilii promittit, quum membrana ethalis illa, a membrana tracheae per pus interpoſitum ſeparatur? Certe tentatu dignum eſt, quamvis minima cum ſpe; Home enim dicit, ſe nunquam aliquem bonum effectum ex tali exhibitione obſervaſſe. An

2. *Bronchotomia*

Inſtituenda eſt? Idem vir cenſet, tentandam eſſe, omnibus

aliis

aliis remediis fruſtra adhibitis ; ſed non ſatis liquet ; maximo enim cum periculo, etiam quando trachea ſana eſt, operatio fieri ſolet ; quanto igitur periculoſior, quum morbo tanto laborat? Ni membrana morbida omnino ſeparata jacet, extrahi nequit ; et, ſi extrahitur, verendum eſt, ne pulmones pure repleti, et mors inde inevitabilis ſit. Ad poſtremum conſilium jam ventum eſt.

### III. Recurſui praevenire.

Quum morbus ita periculoſus eſt, ſi forte fortuna profligatus fuerit, omnibus viribus conari debemus, ne revertatur, quod tonicorum uſu obtinendum eſt, inter quae utiliſſimus eſt,

A. *Cortex Peruvianus*,

Qui, in doſibus ſat magnis, a ſcrupulo ad drachmas duas, vel tres, de die, exhibendus eſt ; omni tertia, vel quarta die, omittendus, ne, ſicut omne aliud per longum tempus uſitatum remedium, aliquid effectus ſui perderet ; ne autem, ob amaritudinem recuſent infantes, Cullenus docuit, in forma boli, cum extracto glycirrhizae, eum adminiſtrare, quo ingratus ejus ſapor involvatur, et lubricitate per fauces facile labatur ; ſi hoc etiam modo admittere nolunt pueri, utantur ſubucula, cujus duplicatura conſuitur pulvis corticis ſubtiliſſimus. Huic adjungenda eſt,

B. *Lavatio frigida*,

Quae mirificis quoque in ſyſtemate corroborando viribus pollet ; de qua, ut de poſteriori, dicendum eſt, uſum ejus identidem interrumpi debere : Plerumque ſuſpicandum eſt, plurimos balneo utentes, longius quam par eſt in eo morari ; per pauca tantum minuta manere debent, aliter metuendum eſt, ne vim ſedativam exſerere incipiat Certum ſignum erit male profeciſſe, ſi ex eo pallidus, languidus, vel deliquio animi paſſuro ſimilis, aeger egrediatur ; ſi vero alacris, vegetus, et membris roboratus exit, denique, ſi frigus brevi excipit calor, per totam corporis ſuperficiem diffuſus, et ſudatione deſinens, bene ſucceſſiſſe ſignum eſt ; poſtremo,

C. *Exercitatione*,

Pro viribus utatur convaleſcens, primo leni et jucunda, qualis eſt geſtatio in curru, ſi permittit res, alioquin modo geſtationi quam ſimili, deinde ad vectionem perveniendum, poſtea gradatim ad ambulandum, atque caetera vitae communia officia, ſemper aureum illud apophthegma in animo tenens, Ne quid nimis.

# DE OPHTHALMIA.

*AUCTORE GUL. WEMYSS.*

LICET Ophthalmia, ut plerique alii morbi, a scriptoribus in Idiopathicam et Symptomaticam vulgo divisa sit; tamen, cum sola idiopathica morbus sit, et casus symptomatici aliorum morborum partes seu symptomata sint; ideo de ophthalmia scripturus, idiopathicam solam tracturus sum, relegatis ad morbos quorum sunt casibus symptomaticis.

## DEFINITIO.

Ophthalmiae signa sunt; rubor et dolor oculi, et partium vicinarum; lucis intolerantia.

## HISTORIA MORBI.

Adveniente morbo, primum rubescit tunica albuginea; tumescunt palpebrae; rigescit, calescit, et arescit oculus; in quo quasi micae pulveris sensus est, et culicum antevolitantium imago. Refugitur lux, quae, procedente morbo, maximeque si inflammatio magna sit, intolerabilior fit; visusque, cornea et humoribus naturalem tralucentiam retinentibus, aliquantum imminuitur. Crescit fere albugineae tunicae rubor, qui interdum totam ejus superficiem, qua cernitur oculis, occupat. Quod ubi fit, eadem manifeste saepe tumens opinionis corneae depressae causa nonnullis fuit. Raro vel nunquam ad corneae vasa pervenit rubor, quae sat saepe magis aut minus obfuscantur. Partes inflammatae semper, alias leviter, alias ita graviter, dolent, quasi spina aut corpus acutum intus sit infixum. Non semper ad oculum aut palpebras dolor, saepe ad tempora aut totum capitis latus, refertur. Siccitas, quae primum esse solet, aliquando per totum morbum permanet: Sed cito plerumque tenuis humoris magna copia profluit: Semperque mane humor viscidus adeo palpebras conglutinat, ut difficile aperiantur. Ophthalmia plerumque localis morbus est; quam utique aliquando auctus toto corpore calor, pulsus frequentior, temporum pulsatio, dolor capitis, et delirium, sed rarius, comitantur.

Solitus ophthalmiae finis resolutio est, rarior suppuratio. Est, ubi maculae in cornea, aliquando humorum, praecipue

lentis cryſtallinae, opacitas, relinquuntur. Et, ſine ullo horum effectuum, in caecitatem interdum deſinit morbus.

## CAUSA PROXIMA.

Omnia morbi, modo dicta, ſymptomata, in vaſis partis affectae auctum ſanguinis impetum oſtendunt Et cauſae, mox memorandae, eae ſunt quae in ea vaſa ſanguinem inſolita copia percitent. Quod praecipua res eſt non ſolum in ophthalmia, ſed in quavis alia inflammatione, et ad quam ſymptomata referenda ſunt. Eandem obſtructionis ſpecies ſubſequitur; et vaſa ultra ſolitum diſtenduntur: Quae diſtenſio ſtimulabit, et vaſorum actionem intendet. Sed ad conſtituendam inflammationem alia re opus eſt: Ea ſpaſmus eſt. Cujus plus minuſve oculi inflammati vaſa adficere hoc apparet, quod omnem inflammationem, paulo majorem, acceſſio febrilis, a frigore incipiens, comitatur. Qua vero ratione ſuboriatur ſpaſmus, aut quare aucto omni ſanguinis impetui neceſſarius ſit, haud explicare audebo, re vera contentus. Ab his duobus, impetu adaucto, et conſtrictione ſpaſmodica, tonus et actio vaſorum augebuntur, naſceturque et ſuſtentabitur inflammatio. Quae, ſicubi vehementior eſt, auctus tonus, et tenſio aucta, ad reliquas perveniet arterias, et communem corpori diatheſin inflammatoriam dabit. Hactenus cum aliis inflammationibus ophthalmia convenit. Cui ſolum proprium hoc eſt, quod membrana, quae ſolita et princeps inflammationis ſedes eſt, nempe adnata, cum membrana adipoſa aut textura cellulari laxiore non connectitur; ideoque humorem eum, qui in pus mutabilis ſit, effundi parum patitur. Quo fieri videtur, ut ſuppuratio, quae non prorſus ab hoc aliena morbo eſt, rarius tamen incidat.

## CAUSAE REMOTAE.

Adeo ſenſibilis oculus eſt, ſingulari apparatu nervoſo in eam rem inſtructus, adeo multos, adeo volubiles et aſſiduos motus peragit, quibus quaſi animi index ſit, totque vaſis ſanguiferis per membranas ejus diſcurrentibus praeditus eſt, ut ophthalmiae frequentia minime debeat cuiquam videri mira; eoque minus, ſi ad has res adjiciat externum oculi ſitum, per quem variis irritamentis et noxis objicitur, ideoque ejus rei, quae proximae cauſae pars praecipua eſt, nempe diſtenſionis inflammatoriae, cauſis.

Cauſae remotae ophthalmiae dividi poſſunt, I. In eas quae in quovis homine morbum concitare valent; II. In eas, quae ſolum,

folum, aut fere ſolum, in jam ante ei opportunis illum ſuſcitant.

I. Primum cauſarum genus multiplex et varium; tamen, ni fallor, ad externam violentiam, aut aliena corpora in oculum inſinuata, commode ſatis redibit. Sub alienis corporibus plurima comprehenduntur: Cujuſmodi ſunt, arena, miculae ferri, nicotiana contrita, et ſimilia, quae aut inter orbem et palpebras inſinuari, aut corneae adhaerere, poſſint; item fumi metallici, aliive, et praecipue rerum ardentium fumus; tum ſpirituoſi, aut alii ſtimulantes liquores oculo affuſi; denique, palpebrarum intus converſi pili; poſtremo, intra palpebras tubercula.

Haec omnia, ut quotidiana experientia docet, ſaepe ophthalmiam faciunt. Et ejuſmodi omnia ſunt, quae quemlibet, utut ſanum, oculum, vaſorum actionem et humorum motum excitando, inflammare queunt. Facta autem inflammatio major aut minor erit, pro vi aut mora noxarum admotarum.

II. Alterae cauſae ſunt ipſae ſua vi minus morbi effectrices; et tantummodo, ubi jam ante, per conditionem aliquam, pronior quis in morbum eſt, una cum ea conditione illum excitant. Ideoque, ut cauſae jam memoratae pro ſimpliciter remotis, quae Principia Gaubio dicuntur, habendae ſunt; ita hae, de quibus nunc agitur, quia ſine conditione nihil agunt, at cum ea morbum vi conjuncta inferunt, Occaſionales, ſeu, ut Gaubio placet, Poteſtates nocentes, aut, ſi Celſum ſequi velis, Noxae vel Offenſae, dicantur. Porro, conditio, per quam fit ut poteſtates nocentes morbum excitent, Praediſpoſitio, ſive, ut melius Gaubius, Seminium, nominetur. Prius igitur excipiam

*Seminia.* Conditionem, de qua loquimur, ſeu ſeminium, hic vari eo apparet, quod nonnulli levibus de cauſis, quaeque alios minime tangant, in morbum prolabuntur. Nec, qualis ea conditio ſit, obſcurum eſt. Ophthalmiae, aliarum more inflammationum, plenus habitus et fibrae tenſiores ſubſunt. Eadem magis cum eo ſtatu, qui ad congeſtiones capitis ducit, connectitur. Sed frequentiſſimum, potentiſſimum, maximeque manifeſtum hujus morbi ſeminium, quodque ſolum forſitan pro ſeminio hic habendum ſit, eſt quaedam vaſorum oculi debilitas, ſeu laxitas. Haec aut congenita eſſe, aut a diverſis relaxantibus rebus induci, nec ab ulla magis, quam priore ophthalmia, poteſt. Quae ubi ſubeſt, ſanguinis in vaſa adauxum, diſtenſionemque horum inflammatoriam, leviores

cauſae, et ſano oculo non nociturae, creabunt. Quem effectum quae edant, ideoque quae hujus morbi

*Poteſtates nocentes* ſint, deinceps inquiramus. Eae ſunt,

1. Res luminoſae; qualia ſunt, jubar Solis, ignis, lucerna diutius contento oculo conſpecta; item, rerum lucem reddentium intuitus intentior, qualis in lectione, ſcriptione, aut ad lucernam tenuioris operis factione, evenit. Quod ſi eadem ad ignem fiunt, ad lucis ſtimulum caloris, de quo mox, ſtimulus accedet: Poſtremo, huic contraria quae videatur rerum minutarum in languida luce inſpectio; quae oculi partes, et praecipue irida, ſenſiliſſimam membranam, nimium diſtendet.

2. Lucnbratio eodem pertinet. Haec, inter quietum vitae genus ſequentes, et literarum ſtudioſos, frequentiſſima ophthalmiae cauſa eſt. Sub qua complura comprehenduntur ad ſanguinis in oculi vaſa impetum urgendum pertinentia. Animi in una aliqua re multum occupati unus effectus eſt ſanguis ad caput prae caeteris partibus percitatus; quod venarum circa caput tumores, ponderis ibidem ſenſus, et aliquando dolor pulſans, indicat. Congeſto vero ad oculum ſanguine, ut pars oneris in multiplicia oculi vaſa inclinet, neceſſe eſt. Cum quo effectu ille alter, jam relatus, conjungetur, ſcilicet lucis a rebus luminoſis reflexae irritamentum; quod, ut illo etiam magis, immittet forſitan in capitis vaſa ſanguinem, ita utrumque conjunctum maxime id efficiet.

3. Eodem pertinet ebrietas. Haec a pleriſque medicis, ut ophthalmiae cauſa, memoratur. Neque frequentior ebrietatis effectus, oculorum rubedine, ullus eſt. Haec noxa conſimilis operis eſt ac lucnbratio: Nam et hic quoque complura alia cum liquorum vinoſorum vi concurrunt, magiſque quam ea effecti fortitan efficacia ſunt. Liberior potatio, inter alia quae efficit, cor et arterias ſtimulat; eoque ad oculorum vaſa, ſi jam ante ad recipiendum eum prona ſint, ſanguinem ſubmittet. Sed ad hoc irritamentum, multae lucis, caloris externi, cantandi contentionis, et ſimilium rerum ſtimulus, vulgo accedit; quo fiet, ut ad capitis vaſa, et praecipue oculorum, copia ſanguinis congeratur. Quae res praecipua forſan ophthalmiae crapulam ſecutae origo eſt.

4. Noxa hic non omittenda, calor aut frigus nimia, aut haec inter ſe alternantia, ſunt. Calorem oculum ſtimulare jam dictum eſt; ſed idem humores illic contentos rarefacit, et utroque modo plenitudinem praeter naturam, et diſtenſionem efficere poteſt. Quod ſi hoc minus futurum videatur, quia relaxat et vaſa calor; reſpondeo, licet vaſa relaxare calor non inficiendus ſit, illud tamen nihilo minus fieri, quia prius humores rarefacit calor, quam relaxat firma. Diſtenſionem

quoque

quoque frigus efficiet, sed diversa ratione, nempe vasa constringendo, et, ut humores arctius amplectantur, efficiendo: Unde aeque efficax, ac a copia aut mole humorum aucta, stimulus suborietur. Quin et constrictio spasmodica, hanc comitans inflammationem, et partem ejus constituens, saepe a frigore, cui oculus multum objicitur, oriri videatur. Verum, licet hoc ita sit, tamen, cum toties sine frigore fiat ophthalmia, non semper spasmi origo frigus esse potest. Cum frigus abest, spasmus inde oriri, unde in interna inflammatione, quo frigus adspirare nequit, credendus est, nempe a stimulo distentionis: Quo fit ut vasa, ut crebrius, ita arctius, et ad modum spasmi, contrahantur. Sed hujus rei plenior explicatio non hujus loci est. Si distensionem inflammatoriam aut calor aut frigus, seorsum, inferre possunt, conjuncta id magis efficient. Ita, exempli ergo, si quis calido cubiculo, ubi paulo longius fuerit, subito sub apertum aera frigido tempore exit, vasa constringentur, et distensio stimulans sequetur. Item, ubi ex frigido aere aliquis in perquam calidum cubiculum venit, aut juxa magnum ignem considet, rarefacto sanguine in vasa constricta ruente, idem effectus nascetur.

5. Ventorum vehementia, ut noxa ophthalmiam faciens, culpata a nonnullis est. Quae utique, aut ut calorem, aut ut frigus, aut ut pulverem et aliena alia corpora, jam supra recensita, perferens, non ut ventus, nocere credenda est. Aut si sic quoque nocet, quomodo noceat nescio.

Licet, ut dictum est, hae omnes potestates, oculos prorsus sanos, et laxitatis morbidae expertes, non fere inflamment; eaedem tamen, etiam ubi nulla laxitas, nullum seminium subest, majorem solito humorum in oculi vasa adfluxum faciendo, laxitatem et inferre possunt, et saepe inferunt; et sic et seminia et potestates nocentes fiunt. Ita lectio ad lucernam oculis prorsus sanis et validis satis diu non nocebit; quae tamen post certum tempus, et certam exercitationem, eosdem debilitatos laxabit: Quo facto, is lucis stimulus, qui antea nihil valuisset, ad impetum humorum, et vasorum distensionem, in quibus inflammatio consistit, faciendum demum valebit.

## SYMPTOMATUM EXPLANATIO.

Ut symptomata quaedam explicare coner, qua in re rubedine, dolore, et lucis impatientia, ero contentus: A rubedine incipiam.

Ut cujuslibet partis corporis rubedo a rubrorum globulorum copia, ita hic quoque, pendet. Vasa tunicae adnatae, partis ejus quae protinus cum oculi orbe conjungitur, sana, rubrum

rubrum ſanguinem minus, humorem decolorem magis, ferunt; id quod non ſolum colorati liquores poſt mortem in ea immiſſi, ſed et hic morbus, declarat. Ideoque hujus membranae inflammationem comitans rubor, a rubris globulis pluribus vaſa illius intrantibus oriatur, erit neceſſe. Quod, cum auctum in vaſis ejuſdem adnatae impetum ſignificet, ſupra dicta in cauſa proxima confirmat.

Eodem dolor oculi referendus eſt: Cum in vaſis oculi ſanguinis plus non eſt, quam quod ſolitae et neceſſariae diſtenſioni neceſſarium eſt, nihil inſoliti ſenſus, ideoque neque doloris, orietur. Verum, ſi copia ſanguinis praeter naturam inſolita eſt, vaſa ultra tonum naturalem diſtendentur, et ſic dolorem excitabunt. Haec igitur nimia vaſorum diſtenſio dolorem, ubi hic externarum magis tunicarum inflammatione continetur, explicat. Sed haec ſola doloris cauſa non eſt. In pleriſque ophthalmiae caſibus, aucti in univerſis oculi vaſis impetus ſatis manifeſtae notae ſunt: Et licet non ideo tunica choroidea et retina, quae aliquando, ſed rarius, inflammantur, ſemper inflammari credendae ſint; tamen, quia in earum vaſis augetur impetus, aliquid ibi inflammationi proximum ſubeſſe judicandum. Qui impetus auctus non ſolum vaſa retinae nimis diſtendet, ſed et fibrillas nervoſas extendet praeter modum; unde, quam a ſimplice vaſorum diſtenſione, doloris plus naſcetur: Qui major uſque erit, prout internas membranas inflammatio propius deſcendat.

Ut, intolerantia lucis quo modo oriatur, paucis dicatur: Si ſola oculi pars, quae lucis impulſus ſentiat, retina eſt, ut inter phyſiologos nunc convenit, ideo hujus cauſa ſymptomatis in retinae affectione aliqua quaerenda eſt. Hanc igitur eruere coner. Cum, aliquamdiu poſtquam impulſus ſeu actio externorum corporum deſierit, ſenſationes ſaepe permaneant; ideo motus, in extremis nervis ſentientibus excitatus, oſcillatorii ſeu vibratorii generis eſſe, et aliquo modo in elaſticae materiae nervos percurrentibus tremoribus conſiſtere, creditur; nec injuria: Nam nullius corporis motus, ab impulſu ortus, ſi eodem loco corpus permanet, poſtquam impulſus deſiit, permanere poteſt, niſi talis, qualem dico, motus ſit. Si hoc verum eſt, ſequitur, ſuam nervis, aeque ac cuivis alii corpori elaſtico, tenſionem quandam eſſe: Verique ſimile eſt, ſentientium nervorum extremorum ſtatum, variante tenſionis ſtatu, varium quoque fore. Sed qui haec iis tenſio datur? In omnibus ſentiendi organis, nervis extremis ſentientibus inſolitam vaſorum ſanguiferorum copiam natura intermiſcuit; quod nuſquam inſignius factum, quam in retina, eſt, ubi vaſa ſanguifera adeo numeroſa ſunt, ut arteriolae ſingulae ſingulas

ſeparatas

feparatas expanfi nervi optici fibrillas comitari videantur. Tot vafa fanguifera nervis horum organorum intermixta in aliquem ufum comparata fint neceffe eft. Neque verifimilius quicquam eft, quam tenfionis nervis dandae, et fenfiliores eos impulfuum quorundam reddendi, caufa, id factum effe. Quam tenfionem dare poffe vafa fanguifera, dubium quidem non eft: Nihil enim certius eft, quam unumquodque noftri corporis vas fanguiferum in majus diftentum humore contento effe, quam fi fuae naturae relinqueretur. Quam diftenfionem majorem aut minorem pro occafione fieri, aeque exploratum eft. Quae varians vaforum fanguiferorum tenfio, fi modo expofita opinio vera eft, nervorum extremorum, vafis intermixtorum, tenfionem variabit. Ideoque, prout alterorum aucta tenfio fit, ita et alterorum adaugebitur. Haec ingenioft imprimis viri, praeceptoris noftri Culleni, doctrina, ophthalmiae rationem illuftrat pariter, et ab ea illuftrabitur. Quo in morbo, aucto in retinae vafis impetu, five inflammationem, five huic vicinum ftatum, oftendente, tenfio, vel, ut alia voce utar, fenfilitas membranae augetur. Qua aucta, fenfationem dolorificam, et impatientiam lucis, haec oculo adnota dabit.

## PROGNOSIS.

Omnis oculi inflammatio eatenus periculofa eft, quod ita organum tenerum et delicatum mutare poteft, ut aut lucis ad retinam aditus intercludatur, aut retina lucis impulfuum infenfibilis reddatur.

Caecitatem denunciant, inflammatio omnes membranas adficiens, partium ficcitas, cornea obfufcata, aut maculis notata, humorum opacitas, aut totus orbis fuppuratus.

Contra, inflammatio non gravis, et ultra adnatam et palpebras vix procedens, cornea et humores pelluciditatem fervantes, oculumque abluens lachrymarum larga fecretio, medicabilem idonea curatione morbum, et omnium partium fervatum ufum, promittunt.

## CURATIO.

Quod ad curationem morbi attinet, remedia eadem fere funt ac inflammationis communis; nifi quod hic refolutio femper fpectanda fit. De idiopathico morbo loquor, fymptomatici curatione neque ad nos pertinente, et morbi primarii curationem, quaecunque ea fit, et quamcunque varians, fequente.

Medendi

Medendi duo consilia sunt.

I. Impetum sanguinis, et vasorum actionem, imminuere.

II. Symptomata quaedam levare.

I. Primo consilio respondent, curatio antiphlogistica, vel irritatio omnis, maxime lucis, vitanda; humorum detractiones, ut sanguinis, sive communis sive localis; alvi purgatio, vesicatoria, fontanelli, et setacea; et quaedam extrinsecus applicata.

Quod ad antiphlogisticam curationem attinet, nulla cura prior esse debet, quam ut omnia quae oculum irritent praesentia tollantur, alia vitentur. Itaque tota curatio antiphlogistica hic requiritur. Amovenda igitur, ante aliam omnem curationem, alioquin frustra futuram, aliena corpora inter oculi orbem et palpebras insinuata, aut corneae adhaerentia. Cujusmodi sunt ferri miculae, insectorum alae, et similia, quae simul ac cernuntur extrahenda sunt; item palpebrarum pili, si introvertuntur, radicitus evellendi; et tubercula intra palpebras enata sunt delenda. Porro, victus lacteus et vegetabilis utendus, carnibus omnium generum, et potionibus fermentatis, maxime si febris aut diathesis phlogistica subest, abstinendum. Cubiculi temperies ita calori et frigori media esse, ut in hoc magis inclinet, et pulvere et fumo carere aer ejusdem, debet. Fugienda studia intensiora sunt, et quicquid aut cerebrum irritare, aut eodem et ad oculos sanguinem impellere, potest.

Verum omnibus curationis antiphlogisticae partibus res major, et in ophthalmia, quam in reliquis phlegmasiis, magis attendenda, est lucem vitare. Intolerantia lucis omnis ophthalmiae symptoma est, quia lux oculum tangere nequit, quin in omni ejus parte motum concitet; nec irida solum, sed omnes oculi orbis et palpebrarum partes, commovet. Nulla corporis humani pars aut assiduos magis, aut tot tamque volubiles motus peragit. Adeo in motum pronus est, ut vel temporis puncto sine conatu sisti non possit. Ideoque, ut tali motus ibi nocentissimus sit, ubi sita inflammatio est, necesse est. Primum igitur vitanda lux est, motus vitandi causa.— Sed et alio nomine vitanda est. Nam, si retinae aucta sensilitas est, lux eam magnopere irritabit. In internis hic inflammationibus, ut tunicae choroideae, maximeque retinae, ubi manifeste aucta sensilitas est, vitandam lucem esse, pariter manifestum est. Sed harum partium, altius sitarum, inflammatio rarior est; ideoque, si in ea sola sensilitas augeretur, vitare accuratius lucem rarius foret necesse. Verum non iis casibus solis praeceptum de luce vitanda continetur. Vel le-

vis

vis adnatae inflammatio, ut ad interiores membranas ſpargere inflammationem non poſſit, id tamen tenſionis et plenitudinis ad eas demittit, quod ſenſilitatem eorum magnopere adaugeat. Quod ubi factum eſt, minimum lucis irritamentum ſummae noxae erit.—Atque, ob eas cauſas, maxima vitandae lucis, inflammato oculo, cauſa eſt. Quod quidem praeceptum, aliqua ex parte reſpiciens, omnis lippus, rectos ſolis, ignis, aut lucernae radios devitat, ſub umbraculo oculos habendo. Sed haec cura minime ſatis eſt: Sic enim licet validiores lucis impulſus caveantur, tamen ſatis lucis ex rebus, ea illuſtratis, ad oculum pervenit ad hujus motus concitandos. Igitur pilei margo demiſſa, umbracula quibus ignis, quibus lucernae lumina avertuntur, invalidam opem praeſtant. Nec alter obtectus oculus, ſi is forte unus inflammatur, ſatis defenditur: Siquidem, utriuſque oculi motu naturaliter conjuncto, tectus aperti motiones conſequetur; nec quicquid noxae in hac adminiſtratione, praeter lucis irritamentum, cavetur. Sed eadem vitandae lucis ratio alio nomine nocet, ſcilicet perſpirationem cohibendo, cumulatoque circa calore oculi calorem augendo: Qua re perniciosius nihil eſt. Ob quam cauſam, ne utriuſque oculi tectio bona eſt.—Sola igitur irritamenti lucis et oculi motionis vitandae ratio tenebrae quam altiſſimae ſunt. Hoc primum et capitale remedium ophthalmiae eſt, et cui ſumma curationis incumbit; cujuſque neglectui ſaepe morbi ſecus procedens curatio tribuenda eſt. Idemque hoc de tenebrarum hic uſu praeceptum, inter alia plurima inventa et monita, quibus artem ſalutiferam auxit, jam relato viro, Culleno noſtro, debemus. Is non ſolum in ſeipſo, ſed in aliis, ſummum tenebrarum in ophthalmia uſum expertum ſeſe dicit. Monendum vero hic praeterea eſt, poſtquam in tenebroſo cubiculo aliquamdiu homo retentus eſt, et deceſſit inflammatio, eum in lucem paulatim, et perquam tarde, reducendum, ne noceatur oculo, cujus ſenſilitatem tam morbus quam remedia auxerint. A ſubito autem e tenebris in claram lucem tranſitu, ut retinam irritaturo, in omnibus oculi partibus ſubitos et praeter naturam motus concitaturo, et morbum reducere periclitaturo, cavendum in primis erit.

Haec de irritamentis vitandis dicta ſint: Ut caetera remedia, ſanguinis impetum et vaſorum actionem imminuentia, exponam,

Sanguinis detractio communis, ſive is ex magna aliqua vena elicitus, tonum arteriarum relaxando et imminuendo, maxime agit. Qui effectus major aut minor erit, prout toni, et tenſionis plus minuſve praecierint. Ideoque niſi tonum et tenſionem plenus aut inflammatorius habitus forte auxerit,

ſanguinis ex magno vaſe detractio haud magnum uſum praeſtabit. Itaque adverſus inflammationem localem inane remedium illud eſſe experientia confirmavit. Cujus rei ratio in promptu eſt: Dum enim ad univerſas arterias relaxandas actio ejus pertinet, ea relaxatio in qualibet una parte non exigua eſſe non poteſt. Quoties igitur ophthalmia, ut ſaepe eſt, ſine febre et diatheſi inflammatoria eſt, generali ſanguinis detractione non curanda eſt; quippe quae, niſi tanta eſſet, quanta peripneumoniam tolleret, ad ſalutem nihil faceret, et relaxationem, quae faciliore via impetrabilis eſt, tanta jactura quaerere, magnae foret dementiae. Verum, ſi inflammatio magna eſt, ut in interioribus membranis aut ſedeat, aut ſedere videatur, et ad partes vicinas ſpargit inflammationem, febremque et diatheſin phlogiſticam dat, ei caſui detractio generalis non ſolum convenit, ſed neceſſaria eſt. Quae tamen quam proxime localem detractionem accedere debet, et venae brachio jugularis antepoſita plus effecti dabit. Sed haec ratio ſanguinis mittendi minus in pleriſque caſibus requiritur; ſiquidem

Vaſorum oculi tonum, et ſanguinis in iis impetum, haud paulo efficacius imminuit detractio localis. Detractio localis dicitur, cum aut ex vaſis cum laborantibus protinus continuis, aut ex his ipſis, ſanguis aufertur. Quarum utraque in hoc morbo fit. Prioris generis arteriotomia eſt, ubi arteriae juxta oculum, et plerumque temporalis, eligitur inciſio. Ex hac, ſi magnus ramus eſt, ſatis magna ſanguinis impetrari copia poteſt; quae velociter fluens, vaſa vicina, nec ulla certius quam oculi, relaxare mire poteſt. Quod utique opus anceps eſt, et multa id incommoda circumſtant: Primum, quod ramum parvum tantummodo ſaepe invenimus, ex qua, quamvis prorſus interciſa, non ſatis ſanguinis accipitur. Tum, ſi ramuli ejus, ad oculi vaſa euntes, pauci aut exigui ſunt, in eo caſu, licet ſatis ſit detractum, effecti utilitas non, pro copia detracta, erit. Praeterea, difficile ſaepe ſiſtitur profluvium, quod, perrupta plaga, rediens, ad immodicam ſaepe magnitudinem, et magnam noxam, procedit. Cui incommodo ſi, arcte ligando, obviam eatur, compreſſis venis, plus mali, quam detracto ſanguine boni, ſubſequetur. Neque vera, in pleriſque caſibus ſola, in multis tutiſſima, comprimendi ratio ea eſt, quae arteriae latera inter ſeſe arcte committit. Ob haec omnia incommoda, arteriotomiae medici, quam paucis ante annis, minus ſtudent.—Iiſdem incommodis venae temporalis, aliarumve juxta oculum, inciſio fere premitur, quae ſaepe parvae ſunt, ideoque ſatis ſanguinis non praebent; aut id, quod ſatis ſit,

adeo

adeo tarde plerumque exit, ut relaxationem quaesitam non det. His igitur localis detractionis rationibus,

Temporum, impositis cucurbitulis, concisio, haud paulo praestantius remedium est. Hac enim ratione, et tantum, quantum vis, impetrabis, et, multis subito apertis vasis, arteriae temporalis, aut venarum cum oculi vasis conjunctarum incisionis omnia commoda, absque ejus incommodis, et absque periculo, consequeris.

Sed alia concisio est, quae, a perito chirurgo administrata, adversus ophthalmiam, praecipue localem, aliis localis detractionis rationibus, et hac etiam, potior est. Est autem interioris palpebrarum lateris, aut oculi quoque orbis concisio. Per eam sanguis protinus ex partis laborantis vasis aufertur, et pro ratione effectus saepe respondet. Mirumque est, utilissimum hoc remedium, a rationalibus neglectum chirurgis, penes circumforaneos fere oculistas hactenus solos fuisse. Verum, cum exiguum sanguinis sic tantum detur, ideo, in vehemente, et ad vicinas partes serpente, inflammatione, haec reliquis sanguinis detrahendi rationibus memoratis non supersedebit.

Alia localis sanguinis detractionis ratio de qua dicamus restat, nempe, hirudinum usus, ab omnibus fere de hoc morbo scriptoribus laudatus. Hae aut temporibus, aut palpebris, fere imponuntur. Et quoniam satis multae imponi simul queunt, ita satis sanguinis, satque subito, auferri per eas potest. Hocque habent praeterea commodi, ut ad ipsam oculi partem inflammatam admoveri possint. Nec in ophthalmia saepe profuisse dubium est. Sed incommoda habent silentio non praetereunda. Difficile figuntur, difficiliusque loco desiderato: Sanguinemque auferunt in nullo casu metiendum: Foedasque post se cicatrices, saltem per aliquod temporis, relinquunt. Et si infra palpebram inferiorem, ut fieri solet, imponuntur, ecchymosin facile faciunt. Adeoque post eas impositas tumet saepe pars, ut oculus prorsus occludatur: Quod morbum, cujus tollendi causa impositae sunt, necessario augebit. Sed et idem hic tumor palpebris non continetur; ad loca diffita magis serpit, nec oculi solum auget inflammationem, sed in periculum hominis vitam adducere potest. Cujus rei ipse exemplum vidi. Puero undecim annos nato, sani habitus corporis, ob levem tunicae albugineae rubedinem, una hirudo infra interiorem affecti oculi canthum imposita est, quae intra brevissimam moram dolorem saevissimum excitavit. Partes circa oculum tumere incipiebant. Sublata hirudo est. Sed crescens tumor, tandem totum caput, cervicem, pectus, et humeros, immanis occupavit. Simul vomitus

magnus, pulsus citus, sitis, auctus toto corpore calor, et alia febris inflammatoriae signa comitabantur. Sic tumentes partes, quasi anasarca affectae, praeter palpebram, quo imposita hirudo erat, quae coerulei coloris erat, videbantur. Perque triduum hae affectiones, licet idonea curatio ab optimis chirurgis Gibsono et Andersono adhibita sit, moratae paulatim decesserunt. Quae mala ab hirudine, morsisne sub cute nervis, an veneno insinuato, haud dicere ausim, orta sunt. Et, licet tales earum effectus rari sint, tamen et quia incidere possunt, et ob incommoda supra memorata, ubi ad alias sanguinis e parte detrahendi rationes, quae et efficaciores sunt, et periculo carent, aditus est, haud imponendas hirudines judico. Et sicubi imponendi eas necessitas fuerit, super tempora imponi debent.

Purgatio alvi, post Hippocratis, ad praesentia tempora, in hoc morbo, et saepe felicissime, adhibita est. Quod remedium adversus capitis inflammationes, quam alias phlegmasias, efficacius eo est, quia a vasis capitis revellit; scilicet, tot in canalem intestinalem influentia oscula vasorum aperiendo, non solum humorum circumeuntium copiam imminuit, sed arterias mesentericas, ideoque totius abdominis vasa, stimulando, sanguinem in aortam descendentem derivat, et sic ab ascendente aorta, ideoque a capitis vasis, avertit. Qua quidem ratione miram saepe adversus ophthalmiam opem purgatio alvi adfert. Quod ad purgantium delectum habendum attinet: Ubi febris subest, acria vitanda, ob irritationem nocituram, sunt; leniora-que, licet non satis depleant, tamen ad duritiem alvi vitandam danda sunt. Absente vero febre, hydragoga, quae dicuntur, purgantia utenda sunt. Mercurialia in ophthalmia nonnulli laudaverunt. Quae, ut mercurialia, aliis purgantibus non anteponenda sunt; quippe enim cito alvo effugiunt. Neque calomelas, aliter quam purgantia alia exacuens, tantopere hic profuit.

Vesicatoria, prope partes laborantes admota, in plerisque ophthalmiae casibus, prosunt. Quae utique in chronicis casibus saepe spem nostram fallunt. Maximeque ibi opitulantur, ubi ad membranas vicinas, et praecipue ad periosteum orbitae obductum, et super tempora productum, pertinet inflammatio. Itaque, vigente super tempora aut circa totum caput dolore, potentissimum hoc remedium est. Ubivis capitis collocari debent; nec cervici summae aut pone aures imposita non quoque respondent. Sed maxime idoneus locus tempora aut capillitium est. Detonsi rasique ante vesicatoria impositi pili a multis scriptoribus laudatum remedium sunt; et re vera prosunt. Quod mihi aucta perspiratione potissimum fieri videtur.

Ad

Ad quam porro augendam, et auctam ſervandam, tegendum veſte lanea caput eſt. Primum veſicatorii opus efficaciſſimum eſt; minuſque juvat omne poſt profluvium: Quod virtutem ejus antiſpaſinodicam eſſe fidem mihi facit. Ideoque pro perpetuo veſicatorio rectius eſt, partem quamprimum ſanari ſinere, rurſuſque imponere veſicatorium. Impoſitumque capillitio amplius ſolito eſſe debet.

Fontanelli et ſetacea interdum cum fructu in ophthalmia uſurpantur. Quae, et impetum humorum ab oculo avertendo, et ſeroſam lymphaticamque ſanguinis partem abſtrahendo, utilem relaxationem dare poſſunt. Eadem tamen minime primo opere tam efficacia, quam veſicatoria, ſunt. Peſſimumque fontanellorum genus id eſt, quod unguento epiſpaſtico fit. Quoties capitis apici, cui loco imponi ſolent, cantharidum impoſitio renovatur, dolorifica irritatio, et aliquando manifeſtum inflammationis augmen, oritur. Ideoque fontanelli cum piſa, quae hoc incommodo carent, anteponendi ſunt; et nunc ubique fere anteponuntur.—Cum ſetacea multo plus humoris quam fontanelli abſtrahant, ideo utiliora eſſe debent; ſuntque ſaepe. Itaque ſetaceum ſummae inſinuatum cervici aliquando efficax imprimis eſt.—Fontanelli et ſetacea aetati puerili accommodatiſſima ſunt. In qua eorum deſuetudo, aut cujuſvis humorum jacturae ſuppreſſio, non eadem habet, ac in adultis, incommoda.

Ut ophthalmia morbus externus eſt, ad inflammationem ſolvendam multa externa remedia adhibentur. Quae adhiberi vulgo ſolent, ſunt mollientia, frigida lavatio, et praeparationes ſaturninae. Quibus ero contentus.

Mollientia aliquando neceſſaria et uſui ſunt, ſed plerumque nocent. In magno palpebrarum tumore, magnoque dolore, tenſione, et ſiccitate partium, inflammatione comitante, fomenta, aut cataplaſmata ex lacte et pane, oculo admota, juvant. Cui utique caſui ſoli conveniunt, et ſic quoque leviter, nec diu, admovenda ſunt. Eadem, ubi neque dolor neque tenſio magna ſunt, magnae noxae erunt; nam vi relaxante, et calore quem inferunt, non ſolum ſtatum vaſorum congeſtionis capacem reddunt, ſed in ea ſanguinem quaſi allicium.

Frigida oculi lavatio, ubi vetuſtior inflammatio eſt, aut in vaſorum laxitate conſiſtit, ante alia omnia remedia eſt; impetumque ſanguinis imminuit, et tollit laxitatem. Quod ad modum adminiſtrandi attinet, totum caput aqua mergi apertis oculis, quo propius partem inflammatam remedium perveniat, oportet.

Praeter praeparationes ſaturninas, alia metallica, virtutem ſtimulatricem,

ſtimulatricem, adſtrictricem, et ſedatricem poſſidentia, uſurpata, et ſaepe cum fructu, ſunt, maximeque vitriolum album ex zinco praeparatum. Quibus utique, quia minus ſtimulat, quia praecipue vi ſedante agit, et quia reliquorum uſum ſatis experti medici id omnibus anteponunt, ego etiam antepono plumbum. Quantum ſaccharum ſaturni, quod remedium vulgo adhibetur, ubi magna inflammatio eſt, et cornea aliquantum obfuſcatur, adſtringendo noceat, incertum eſt. In paucis hujuſmodi caſibus ſic nocere forſitan poteſt. Verum ego, multis temporibus, ex ejus in magna ſatis inflammatione uſu, nullam noxam, contra, magnum, dum refrigerabat, doloremque et tenſionem imminuebat, fructum oriri vidi. Idemque, nonnulli magno nomine medici, virtutem ejus experti, teſtantur. Verum, ad omne vitandum periculum, priuſquam talia remedia adhibeantur, purgationes inſtitui, et inflammationem aliquantum remittere, oportet. Eadem, in morbo jam longo, et a laxitate pendente, prodeſſe nemo it inficias. Cavendum tamen a longo eorum in omnibus caſibus uſu eſt, ne, per magnam ſedandi vim, partibus quibus applicantur atoniam, affectumve paralyticum, inferant. Quod idem de reliquis omnibus ſedantibus et adſtringentibus remediis, ſic admotis, una aqua frigida excepta, dicendum eſt. Duplice forma ſaccharum ſaturni uſurpatur, ſcilicet aut cataplaſmatis aut lotionis; et in utraque forma frigidum admovetur. A cataplaſmate diutius admoto, ut plus fructus oriri debere videatur, ita non oritur; nam, oculum calefaciendo, plus damni quam boni, vi ſedatrice, praeſtat. Quo incommodo lotio caret; et, licet brevi unoque tempore admoveatur, tamen efficacior eſt, et cataplaſmati anteponitur. Quod ad lotionem attinet; ſi in aqua qua ſaccharum ſaturni diſſolvitur, aliquid alienum, ut terra vel alkali, ineſt, pars plumbi praeciptabitur. Aqua recens deſtillata perfectam dabit ſolutionem: A qua, ſi diutius ſervata eſt, etiam aliqua metalli pars decedet. Ideoque, ad rediſſolvendum quicquid praecipitatum ſit, et totum ſuſpenſum ſervandum, aceti paululum adjici debet.

II. Ut ad ſecundum medendi conſilium tranſeam, conglutinatio oculorum moleſtiſſima ſymptoma eſt. Inflammatio tarſi, ſive primaria, ſive ſecundaria, humorem ſebaceum, glandulis Meibomianis ſecretum, profundit. Is humor, ubi diu, ut in ſomno, contiguae palpebrae ſervantur, adeo eas conglutinabit, ut ſine laceratione, aut, quod aeque malum eſt, ſine aquae calidae diuturniore lotione, aperiri oculi nequeant. Ad huic ſymptomati medendum, humoris viſcidi cohaeſionem luminuendo, varia collyria a multis medicis inventa ſunt, magniſque

magnisque invicem a suo quodque auctore laudibus elata. Nec dubium est quin saepe profuerint. Sed omnia hoc parum idonea sunt, quod terrea, terebinthina, aut resinosa, continent, quae ut oculum irritent necesse est. Verum, ad hoc symptoma leniendum, si non ex toto prohibendum, nihil accommodatius est, quam blandum et unctuosum aliquid, palpebris insertum. Axungiae paululum rancedinis expers apte satis respondet. Id prius admovendum est, quam dormiat aegrotans, bisque vel ter per noctem eo renovandum, quod portio adhibita, quia exigua est, cito liquefactum abluitur, et optatum effectum tollit. Renovandi remedii tempus est, ubi vigilat aegrotans. Aut, si conglutinatio magna est, de industria expergefaciendus est. Contra palpebrae aut summi oculi orbis exulcerationem mercurius cum axungia tritus recte additur; quod detergentium optimum est.—Solum aliud symptoma hic sublevandum dolor est; qui saepe tantus est, ut somnum fuget, et inquietum noctu reddat aegrotantem. Ergo, si post sanguinis detractionem, fomentaque aut cataplasmata oculo admota, hoc symptoma non multum sublevatum est, ad somnum conciliandum, et quiete oculos reficiendos, adhibendum opium est. Quod in hoc morbo tutissime pariter et utilissime adhiberi licebit.

---

## DE PHRENITIDE.

*AUCTORE ALEX. BERTRAM.*

### DEFINITIO.

PYREXIA acuta; dolor capitis; rubor faciei et oculorum; lucis et soni intolerantia; pervigilium et delirium ferox.

### HISTORIA.

Signa in definitione Culleniana accurata comprehensa omittenda duco. Igitur reliqua tantum morbi propria referam. Cutis insigniter sicca et arefacta est; lingua nigra, vel prorsus arida, et colore fusca, alvus dura; urina retenta, vel ex ea colorata, febribus aliis inflammationem habentibus propria, repente limpidissima fit. Aliquantulum sanguinis e naribus guttatim nonnunquam destillat, et aures tinniunt. Pulsus arteriarum

teriarum plerumque celeres et duri, aliquando molles, nonnunquam in carpo parvuli, dum arteriae carotides et temporales violenter agitantur. Notae curſus ſanguinis ad caput facti evidentiſſimae ſubſunt. Spiritus difficilis, et aliquando multo tardior quam ſanitate ſubſtante; vultus ferox et terrificus. Oculi huc illuc conſtanter volvuntur. Quanquam facies plerumque rubeſcit, nonnunquam tamen, quod ſignum peſſimum, ſqualet et palleſcit. Antequam delirium accedit, ſumma plerumque totius ſyſtematis nervoſi ſenſilitas eſt, ſenſus, potiſſimum viſus et auditus, acutiſſimi; ſuſurros enim leviſſimos, qui eum ſanum omnino fugiſſent, aegrotus momento ſaepe percipit.

E lecto ſaepe proſilit cerebroſus, vix ullo modo coercendus, et in adſtantes vel obvios impetum facit; deliriumi, quod rariſſime nite, in primis ſignis ſeſe nonnunquam oſtendit; ſed, in exemplis hujuſmodi, ſudore breve poſt ſpatium prorumpente, plerumque tolli conſuevit. Morbus plerumque minime longus; namque ad diem ſeptimum uſque raro manet. Si ultra hunc duret, et aegrotus ab initio delirio laboraverit, mania plerumque finitur. Hic finis morbi autem in puerperis, quibus lochia ſunt ſuppreſſa, maxime metuendus. Phrenitidem quoque non raro excipiunt lethargus et convulſiones; quibus in exemplis fere lethalis eſt. Si morbus, abſque ullo e finibus ſupra comprehenſis, poſtquam quinque vel ſex dies manſit, decedit, aegrotum vertigine et caligine, quae eum aliquamdiu infeſtant, et ſenſu gravitatis capitis et doloris fere continuo laborantem dimittit. Ad extrema ventum eſſe teſtantur, ſingultus, vox tremula, murmura edita, pulſus arteriarum celerrimi et quam maxime debiles, animi deliquia, ſummuſque corporis languor, membra immota facta, ſopor; ſudores, potiſſimum circa caput, gelidi; extremorum frigus, dentium ſtridor, tendinum ſubſultus, convulſio.

Multis e cadaveribus hoc morbo extinctorum inciſis, quae ſequuntur in conſpectum data ſunt; in aliis cerebri ipſius, et membranarum inflammatio et tumor, et vaſa ſanguine admodum plena et diſtenſa; in aliis, pus et abſceſſus in baſi cranii, in ejuſdem anfractubus, in ventriculis; in aliis, aliquid ſeroſum extra cerebrum carnium loturam referens, et in omnibus ventriculis aqua eoſdem magnopere diſtendens; in aliis, denique, gangraena cum ventriculorum tum membranarum.

## DIAGNOSIS.

1. Per ſigna in definitione recenſita, praecipue per delirium ferox, ſub initium accedens, et impetum humorum in ſignem

ſignem ad caput factum, ab omnibus aliis capitis morbis, et ab omni alia fere inflammatione, facile poteſt ſecerni.

2. Vix alius, ſi maniam excipias, morbus eſt, cum quo poteſt confundi; notae vero certae minimeque fallaces ſunt, quibus a mania facillime diſtinguitur. Namque febre mania ſemper caret, ea, contra, phrenitis ſemper ſtipatur.

## CAUSA PROXIMA.

Haec impetus humorum in vaſis totius capitis ſanguiferis adauctus eſt, inflammationem, cum cerebri ipſius tum membranarum ejus ſaepe faciens. Rem ita ſeſe habere demonſtrant, omnes fere notae phrenitidis propriae, et ea, quae cadaveribus inciſis, in conſpectum dari conſuerunt.

### *Cauſae quae homines morbo opportunos reddunt.*

Hae ſunt omnia, quae corpus nimis plenum, et ſyſtema nervoſum nimis irritabile, reddunt. Igitur ad hunc morbum proclives ſunt, omnes temperamento ſanguineo praediti, qui bonam vitae partem in plagis calidioribus egerunt, juvenes vel aetate florentes, morbida nervoſi ſyſtematis ſenſilitate laborantes. Phrenitidi vero nunquam patent infantes, rariſſime aetate admodum provecti.

Cur illi morbo obnoxii ſunt, ratio in promptu eſt, plenitudo nempe et irritabilitas ei nunquam non adjuncta; cur hi, contra, ab eo vacent, in cauſa hoc eſt, quod plenitudo in pueris, incremento pergente, rarius oritur, quodque grandaevi, humoribus non abundantes, morbis a plenitudine proficiſcentibus non ſaepe corripiuntur.

### *Cauſae quae morbum excitant.*

Hae autem ſequentes ſunt: corpus, potiſſimum caput, in ſole exurere; nimia potatio, affectus animi concitati; evacuationes ſolitae ſuppreſſae, ut lochia vel haemorrhois; eryſipelas retropulſum, crapula, venus immodica et intempeſtiva, vigiliae, aer gravis calidus, capitis contuſiones et vulnera, nimia animi applicatio corporiſve exercitatio, balneum, cibus et potio calidiora, aeſtas tempeſtaſve quaelibet alia fervidior.

Quomodo haec ad cauſam morbi proximam, impetum nempe humorum in vaſis cerebri ejuſque membranarum adauctum et morbidum, faciendam conferant, neminem, qui medicinam labris tantum primoribus guſtavit, poteſt latere. Quid cor-

pus hiſce potentius ſtimulat? Quid ad impetum ſanguinis adauctum movendum, vel ad curſum humorum ad partes diverſas, et, ante alias, ad cerebrum, quod cordi pleriſque aliis proprius eſt, faciendum accommodatius?

## RATIO SIGNORUM.

Haec, multis in morbis, et in hoc quoque, difficilis eſt.

1. *Pyrexia acuta.*—Haec cauſis febribus ſolitis hoc in morbo ſaepe movetur, et acuta vel inflammatoria eſt, quod, qui phrenitide conflictantur, plerumque juniores, pleni, et validi ſunt; hos autem, ut omnes compertum habent, ſynocha, non typhus, occupare conſuevit.

2. *Dolor capitis* —Quo pluribus nervis pars quaelibet inſtructa eſt, eo gravius, impetu ſanguinis ad eam facto, et inflammatione inde orta, quae eam nimis diſtendit, dolere ſolet. Non igitur eſt, cur cerebrum, omnium nervorum fontem organumque tenerrimum, inflammatione laborans, praeterque conſuetudinem diſtenſum, dolore affici mireris.

3. *Rubor faciei et oculorum.*—Hic ab impetu humorum nimio ad caput facto plane pendet.

4. *Lucis et ſoni intolerantia.*—Summus nexus ſyſtema nervoſum inter et ſanguiferum intercedit; illius tenſio, ſenſuſque vividus, a tono hujus manifeſte evidenterque pendent, ut exempla innumerabilia plane demonſtrant. Igitur, diatheſi phlogiſtica invaleſcente, cum tonus ſyſtematis arterioſi magnopere auctus eſt, ſenſilitas nervorum, huic pro rata ratione ſemper reſpondens, nimia et vitioſa ſit oportet. Hanc ob cauſam autem haud dubie lux ſonuſque a phrenitide laborantibus nequeunt tolerari.

5. *Pervigilium* ab eodem ſyſtematis nervoſi vitio, nimia nempe ſenſilitate, proficiſci videtur.

6. *Delirium ferox.*—Hoc a cerebro nimis excitato, pendere videtur, diatheſi phlogiſtica in hoc morbo, cum aucta copia ſanguinis in vaſis capitis invaleſcente, quia excitatio, aut collapſus cerebri, ut aiunt, ex vaſorum ipſius plenitudine, aut inanitate, plane pendent. De iis vero nihil amplius dicere audeo.

## PROGNOSIS.

Finem morbi bonum, qui, proh dolor! nimis rarus eſt, promittunt, ſudores univerſi copioſi, diarrhoea nonnunquam, profuſiones ſanguinis e naribus anove liberales, morbus a capite ad alium corporis locum tranſlatus, urina cum multo ſedimento

dimento copiose excreta. Malum, contra, portendunt, vomitus aeruginosus, tremor gravis, tendinumque subsultus, alvus pertinaciter astricta, urina suppressa, potus recusatio pertinax, morbus a metastasi ortus, in adstantes expuitio, dentium stridor.

## RATIO MEDENDI.

Consilium medendi unicum est, impetum humorum in vasis capitis adauctum quamprimum tollere.

Huic autem respondent sequentia,

1. *Sanguinis missio.*—Quoniam febris quae hunc morbum comitat, semper synochae natura gaudet, nullum remedium missioni sanguinis par aut secundum est. Sanguis autem liberaliter, subito, et iterum atque iterum, pro viribus aegrotantis, detrahendus est. Vena quam proxime partem laborantem quaerenda, et inventa pertundenda. Si vero, quod interdum fit, non facile reperitur, sanguis alteri vel utrique brachiorum quamprimum detrahatur. Quo celerius hunc emiseris, eo magis systema universum relaxabis, et aegroto proderis. Decem unciae hoc modo missae plus in morbum, quam triginta tarde, posse consuerunt. Si, sanguine detracto, animo linquetur aeger, hoc tantum abest, ut nos tenere debeat, ut, contra, summa salutis ejus spe consoletur. Post detractionem sanguinis universam, ad topicam decurrere licet. Non duae tresve, ut moris est, sed novem decemve hirudines temporibus debent admoveri. Quod vero illis longe praestat, est cucurbitulas cruentas adhibere; namque hoc modo, plus minusve sanguinis, prout libuerit, elicere possumus. Sanguis vero, hirudinibus adhibitis, modo parcius, modo diutius, quam volumus, effluit. Quantum hoc in morbo epistaxis saepe prosit, Hoffmannus compertus, haemorrhagiam narium, eas stimulando vel vulnerando, arcessere conari solitus est. Cum vero, quale vulnusculum hoc modo inferamus, ex toto ignoremus, hac curandi via abstinere debemus. Sin autem sanguis e naribus sponte proruperit, liberaliter effluat.

2. *Emetica leniora.*—Quod omnibus hoc genus longe praestat, est tartarus emeticus, qui et vomitum et alvum saepe movet, et simul, ut sudor universus prorumpat, facit. Medicamenta hujusmodi forsitan adhibere dubitabile, ne impetum sanguinis ad caput, jam nimium, majorem reddant. Caeterum, sanguine prius liberaliter detracto, omnino tuta, et saepe utilissima, utpote quae sudorem lenem apte eliciendo multo magis prosint, quam cursum sanguinis ad caput faciendo noceant. Parvulis vero quantitatibus semper sumantur.

3. *Cathartica.*—Haec autem in nulla phlegmasiarum, quam in hac, magis necessaria vel utiliora. Alvus quidem, per totum morbi decursum, modice solutus tenendus; namque, ut experientia docet, aegrotus semper, alvo soluta, melius sese habet, contra, astricta, ingravescit. Cathartica non solum ad febrem levandam conferunt, sed impetum sanguinis a capite, quod hoc in morbo summi momenti est, ad inferiora vertunt. Quinetiam enemata, quam saepissime, adhibenda sunt. Non tantum alvum evacuando, sed etiam sanguinem diluendo, et humorem corpori, aegroto bibere pertinaciter saepe recusante, perneccessarium suppeditando, prosunt. Semper modica esse debent, ne intestina stimulent, protinusque descendant. Ex quinque aquae simplicis unciis, aut circiter, constent.

4. *Pediluvia et fomenta.*—Haec et ut diluentia, et ut antispasmodica potentissima, agunt. Hoc in morbo, ut in omni fere alio, ubi nimius sanguinis ad caput cursus est factus, pedes plerumque frigescunt; quod, quam necessaria sint pediluvia et fomenta, plane indicat. Quinetiam cataplasmata stimulantia, pedibus admota, cursum ad caput factum alio avertunt.

5. *Regimen antiphlogisticum.*—Gravitas autem febris, quae phrenitidem semper concomitatur, et illa singularis systematis nervosi sensilitas, quae nonnunquam adest, quam stricte et accurate regimen hoc genus debeat adhiberi, ostendunt.

6. *Applicationes externae.*—Linteа, in aceto et aqua instincta, temporibus admota, delirium saepe levant. Haec vero et alia frigida, in stadio primo, quam morbo provecto, magis conveniunt; etenim, morbo inveterascente, coma et lethargum nonnunquam movent, applicationes calidae frigidis, nonnullis in exemplis, substantibus, nempe doloribus magnis, facie pallida, signisque spasmi se evidenter ostendentibus, plane praestant.

7. *Opium.*—Hoc pervigilium, diathesi phlogistica magna ex parte sublata, et morbo inveterato, tuto levare consuevit. Idem praestant sonitus quilibet lenis et continuus, aqua, e. g. guttatim destillans, musica, &c.

8. *Epispastica.*—Propter summam systematis nervosi sensilitatem, sub initium noxae forent. Igitur tantum, vi febris domita, et aegroto ad lethargum vergente, adhibeantur.

# DE PNEUMONIA.

*AUCTORE J. SHEPHERD LEITH.*

PULMONUM, et circa hos locorum, inflammationem in plures ſpecies noſologi aliique, pro variante ejus ſede, diviſerunt, et ſingulis propria nomina dederunt. Quod utique ſine cauſa feciſſe videntur, ſiquidem neque internae affectioni ſymptomata certa ita reſpondent, ut inde talia diſcrimina petantur, neque proprietates propoſitae proprii quicquam in medendi ratione requirunt.

Ei inflammationi, qua pleura coſtas contegens affecta exiſtimabatur, Pleuritis vocabulum datum eſt. Quam ut aliquando affici damus, ita raro id fieri, multoque ſaepius pleuram, ſummos pulmones contegentem, affectam, omnia ſymptomata, quae illius affectioni tribui conſuerunt, efficere, cumque illa vel maxime afficitur, nunquam ſolam aut ſine hac affici, contendimus.

Quae vero inflammatio ad neutram hanc membranam attinere, ſed a pulmonum parenchymate, ſeu tela cellulari, incipere, et ibi potiſſimum ſedere, credita eſt, ei Peripneumoniae nomen datum. Verum, an ulla inflammatio acuta, morbus ullus qui ſic nuncupatus ſit, id eſt, phlegmaſia ulla, ab hac origine ſit, jure dubitandum eſt. Verique ſimilius eſt, tam hanc, quam omnem inflammationem acutam, in parte membranoſa primum exiſtere, quod ita eſſe, externamque pulmonum membranam, aut pleurae partem aliquam, ſemper affectam fuiſſe, inciſa cadavera docent. Quod, ſi tum in jecoris, tum in cerebri, tum in pulmonum parenchymate, inflammationis poſt mortem veſtigia quando ſunt reperta; id factum videtur, ubi nullo ſigno evidentiore inflammatio intus potuerat explorari, morbuſque longus aliquis, et non phlegmaſia, fuerat.

Porro, ſymptomata quaedam reliquis caſibus, ſeu, ut iis videbatur, ſpeciebus inſolita; aut ab iis aliena, nempe delirium, riſus Sardonicus, aliique motus convulſivi, ſpeciem, a relatis diverſam, dare, et ab ejus pleurae, quae ſeptum tranſverſum ſuperius tegit, parte, potiſſimum inflammata, pendere, autumati ſunt; eique ſpecici Paraphrenitidis nomen dedere.

Inflammatur quidem aliquando, ut dictum eſt, ea pars; ſed inflammatam ea ſymptomata ita dare, ut inde conſtituenda morbi ſpecies ſit, falſum eſt. Nam eſt, et ubi ſine delirio inflammatur diaphragma, et ubi ſine hoc inflammato deliratur. Cumque utrumque conjungitur, facile tamen alia et manifeſti-

or

or delirii cauſa reperitur; cujuſmodi, inflammationis late per pleuram patentis, aut ipſius febris magnitudo, aut intra cranium affectio, ſunt. Febris modus facilis aeſtimatu eſt, quae, ſive propria, ſive, ut in phlegmaſiis et aliis morbis, ſymptomatica, ſua vehementia aut natura peculiari, ſine ullo partis vitio, delirium ſaepe infert. Alteras hujus cauſas cadaverum inciſio indicat.

Poſtremo, thoracis inflammationis ſpeciebus duae aliae, Carditis et Pericarditis, propriis nominibus adjectae, et propriis quoque ſignis, palpitatione cordis et ſyncope, detegi poſſe, dictae ſunt. Nec, pericardium quidem corque ipſum ſine inflammatione pneumonica, ſi hanc pleurae partibus contineas, non aliquando eroſa, exulcerata, aut abſceſſibus vitiata, reperta ſunt. Sed, cum iſtiuſmodi inflammationes potius longarum generis eſſent, acutarum propriis ſignis non cognoſcendae; et interna affectio, ſiquando cognoſcenda ſuis ſymptomatis erat, ex alia potius origine, quam inflammatione, naſceretur; ideo a thoracis phlegmaſiis alienae judicandae ſunt. Neque juſta horum viſcerum inflammatio, a reliquarum, de quibus relatum eſt, thoracis partium inflammatione ſeparanda, hoc videtur, quod nunquam fere illa ſine hac exiſtit, communia utriuſque ſigna ſunt, et aut communis quoque curatio eſt, aut, ſi ſyncope et cordis palpitatio ad cor attinentis affectionis ſuſpicionem dant, illa accuratius adhibenda videtur.

Nullus igitur diverſorum morborum notioni locus eſt; et, ubi ubi partium memoratarum affectio intus ſedet, ea, communi inflammationis Pneumonicae ſeu Pneumoniae titulo, recte comprehenditur.

## PNEUMONIAE SEDES.

Sedes igitur pneumoniae eſt pleura latiore ſenſu dicta; id eſt, non ſolum ut thoracis parietes intus contegens, ſed ut mediaſtinum componens, ut diaphragma ſuperius, pericardium exterius, et ſummos circumcirca pulmones, obducens. Cujus pars aliqua ita inflammatur, ut ad alias inflammatio perferatur, et toti membranae affectionem morboſam communicet. Quo etiam nomine rejicienda eorum opinio eſt, qui, quaſi ſingulae partes conſtantius affici, et ſixo malo, ſolerent, per verae morbi naturae ignorantiam, plures ejus ſpecies conſtituerint.

## DEFINITIO.

Quam varia loco affectio interna ſit, ſciri tamen morbus, et

ab

ab aliis omnibus diſtingui, his ſignis poteſt: " Pyrexia, ſpirandi difficultate, tuſſi, et alicubi thoracis dolore *."

## HISTORIA.

Semper fere cum frigore febrili, horrore, aucto calore, crebris pulſibus, et robore imminuto, morbus eſt. Et, ſi quo in malo, quod alioquin pro pneumonia juſta habeas, neque calor neque pulſuum crebritas creverunt, pleuritis ſpuria, aut pleurodyne, aut capitis affectio ſubeſſe, aut alius morbi hoc ſymptoma eſſe, ſuſpicanda ſunt.

Pulſus, praeter crebritatem fere perpetuam, etiam pleni, validi, duri, citique; aliquando in aliis iiſdemve alias alii et abnormes, nonnunquam, praeſertim provecto aut ad mortem tendente morbo, debiles, exiles, molles, et inaequales ſunt; eſt ubi deficiunt.

Pyrexiam aliquando praecedunt, aliquando comitantur, haud raro aliquot horarum ſpatio ſubſequuntur, ſymptomata, deinceps plenius memoranda, praeque caeteris dolor.

Tuſſis, a pneumonia raro diſſociabilis, major aut minor, aliquando ſicca, praeſertim ab initio, eſt. Eadem ſaepius, etiam ab initio, humida, ſputum colore varium, nunc liquidius, nunc ſpiſſius, alias copioſius, alias parcius, aliquando per aliquam moram nullum, ſaepe ſine ſanguine, ſaepe eo tinctum, trahit.

Spiritus, perpetuo, maxime inter trahendum, difficilis eſt. Pleriſque corpore in latus laborans, multis in integrum, inclinato, commodior decubitus, quem multi, niſi ſupini, haud pauci, niſi erecta cervice, non ferunt.

Dolor, alii aliam thoracis partem, pleriſque alterutrum latus, obtinet. Dextrum latus aliquanto ſaepius, quam ſiniſtrum, afficitur. Aliquando, neutro contentus ad morbi finem dolor, ab altero ad alterum latus migrat, vel ita tranſit, ut prius affectum non deſerat. Idem, modo ſub ſterno aut circa hoc, modo in tergo inter ſcapulas, et in laterum alterutro nunc ſuperius, nunc inferius, nunc anterius, nunc poſterius, longe ſaepiſſime ſextam aut ſeptimam coſtam mediae fere longitudinis, vel paulo anterius, occupat. Idem, ubicunque, et praecipue ſi in latere, maximeque ſi in coſta relata, ſedet, multo ſaepius vehemens et pungens; aliquando, ſed multo rarius, obſcurior et obtuſior, cum ponderis potius quam doloris ſenſu, eſt; immo rariſſimum eſt, non aliquo currentis morbi tempore pungentem aut vehementem dolorem eſſe. Uno potiſſimum loco eodem tempore figitur do-

* Cullen. Prim. Lin. cccxxiv.

lor;

dor; sed ita tamen, ut hinc a latere ad scapulas, illinc ad sternum aut claviculas, quandoque jaculetur.

## DIAGNOSIS.

A morbo, qui Peripneumonia Notha nuncupatur, sed revera catarrhi casus est, pneumonia, praecipue aetate et habitu aegrotantis, distinguitur. Quippe enim illa plerumque, si non semper, senectute confectos, quorum habitus crassior et laxior sit, praeque caeteris, vino et potioni spirituosae deditos *, item catarrhalia mala ante passos, aggredi solet, aut catarrho supervenire †, neque tam dolor pectoris, quam ponderis sensus subest, et pyrexia, nunquam tanta, quanta in pneumonia, saepe omnino abest.

Ab Hepatitide, ubi haec cum ea non, ut aliquando, conjungitur, his notis plerumque sat bene discernitur, in his casibus ubi pro pneumonia fallere potest; quod in latere affecto solum, hepatitide affectorum, facilis est decubitus ‡: quod in pneumonia tussis non sicca, sed plerumque, et semper aliquo morbi tempore, humida est; quod non adpressa desuper parte laborante dolor, ut in hepatitide saepe, augetur, quodque saepe in hac, nunquam in pneumonia, singultus et vomitus incidunt.

Horum quaedam, ut tussis, ut dolor tactu augescens, et tumor externus, absentia, eandem a splenitide distinguunt.

Quam a gastritide differat, quoque modo distinguenda sit, utriusque morbi definitio || collata indicat.

A pleuritide spuria, qui morbus musculorum intercostalium est, ad rheumatismum pertinens §, pneumoniam satis discriminant, notarum modo memoratarum quaedam ab hac alienae, illam patefacientes; nempe dolens tactu pars laborans, extrinsecus adparens rubedo, tumorque. Quo adjici potest, tussim in pleuritide spuria aut nullam, aut sine sputis esse.

Si quando, pneumonico similem, dolorem spasmus, partes musculares spiritui inservientes adficiens, creat, is ab illo pyrexiae absentia disterminatur.

In latere dolorem quoque, qui pneumonicus credi possit, vermes in intestinis excitant. A quo distinguendus utique inconstantia sua, item pulsuum tenuitate ac inaequalitate, postremo vermium supra aut infra rejectione, videtur.

* Sydenh. cap. iv. ob. † Morgag. de caus. et sed. morb. epist. xxi. art. 13.
‡ Cull. Pr. Lin. cccIxxxviii. || Cull. G. M. G. xv. xvii.
§ Vid. Cull. G. M. G. xxii. Synon.

Qua-

Quo modo a ſimillimis ſui morbis pneumonia dignoſcenda ſit, expoſito;

## CAUSAE REMOTAE

Deinceps ſunt tractandae. Hae aut ſimpliciter remotae ſunt, ut cum plurimi eodem tempore morbo implicantur; in quibus omnibus ſeminium fuiſſe vix credibile eſt, magiſque externa et multis communis noxa, quam ſingulorum a perfectae integritatis modulo aberrans, et in aliis alia, conditio inculpanda. Cum ſaepius tamen ſeminium ſubſit, ſine quo, noxae externae, aut hae ſine illo, nihil valere ſolent; idcirco, quid

## SEMINIUM

Sit prius expoſito; dein ad ejus cauſas; poſtremo, ad noxas, quae, conjuncto cum illo opere, morbum inferunt, nempe, occaſionales, ſeu quas poteſtates necentes Gaubius adpellavit, tranſibo.

Conditio corporis, qua aliquis pneumoniae, eadem plerumque eſt, qua cuilibet inflammationi, opportunus redditur; nempe firmorum ſimplicium cum elatere denſitas, vivorum contractilitas ſeu irritabilitas, ſanguiniſque cum magno impetu abundantia; uno verbo, cum irritabilitate juncta plethora. Propria, qua pneumonia fit, conditio eſt, dum ſic in reliquo corpore viget, in vaſa pulmonalia quacumque verſus, ſeu ibidem quacumque excitatus, impetus. Hujus rurſus cauſa obſcurior eſt: Sed eo ſpectare videtur ſpatii, quo ſanguis vaſis tranſit, imminutio impetus aſſueti impatiens.

## SEMINIUM FACIENTIA.

Seminium facientia ad haec ſex, anni tempus, temperamentum et habitum, aetatem, ſexum, conformationem, morboſque priores, redeunt. Haec omnia, tum aliis inflammationibus acutis ſeu phlegmaſiis, tum, prae caeteris, huic iiſque, quorum ſedes aeri externo patentior ſit, corpora opportuna, teſte omnium experientia, reddunt.

Ex anni temporibus ad id maxime efficax Ver eſt. Quo magna coeli temperiei inaequalitas varianteſque frigoris et caloris vices, pulmonibus, earum effectui praecipue objectis, in primis inimicae ſunt. Ut vernum tempus nocet, ita ſi, quibus in regionibus ſimilis coeli habitus, quam in aliis, magis viget, in iis, quam alibi, plus quoque periculi eſt. Talis Bri-

tannia est, eoque morbis inflammatoriis, maximeque hoc affectibusque pulmonalibus ei affinibus, prae caeteris locis infestatur.

Temperamentum sanguineum, fibris rigidis, eidem morbo, quam diversum, item huic affinis habitus, magis patet. Sic "temperamento," inquit Sydenhamus, "sanguineo praeditos prae reliquis aggreditur, saepe etiam rusticos et duro jam fractos membra labore." Nec alienus ab iis morbis est, qui duro atque impuro victui, ut fructibus leguminosis, carnibus et piscibus salitis et fumo induratis, potuique spirituosiori, praesertim vini spiritui, plus justo per vitam est assuetus. Hujusmodi sunt "venatores, milites, olitores, rustici, cursores, aurigae, equisones, et id genus ex ima cavea alii *." Quantum in temperamento et habitu consimili positum sit, ex Hippocratis aphorismo, sect. vi. 33. ubi acidum eructantes huic non opportuni morbo dicuntur, apparet. Sub habitu plethora comprehenditur. Ideoque omnia, ad eam faciendam pertinentia, hujus loci sunt. Ea sunt victus plenus imminutaque aut suppressa profluvia † excretionesve. Victus plenus copia aut qualitate agit. Eoque lauta aeque ad effectum valet, ac minus alens, sed abundantior, materia. Haec, boni sanguinis abundantiam generando, recta plethoram facit. Et sic quidem ingesta, unde alias quoque mille malorum, nocent. Sed retenta quoque eundem effectum, nempe humorum intus abundantiam gignendo, idem praestant, eundemque plenum habitum inferunt. Retinet sic intus, alioquin excernendos, humores excretionum et profluviorum, de quibus dictum est, imminutio aut suppressio.

Quorum perspiratio quo modo imminuta aut suppressa plethoram gignat, nemo, qui praecipuam hanc plethorae otiosorum, quietumque vitae genus sequentium, causam esse reputet, potest ignorare. Quae, licet, quavis excretione imminuta, alias augeri verum sit, cum diutius imminuta est, ut imminui jam consueverit, non per aliam, puta urinae, secretionem, ex toto suppletur. Major est, quam ut sine morbo, qualis diabetes est, omnis illo exitu auferatur. Pendensque a sanguinis circuitu, ubi hic, ut semper sub quiete fit, languescit, humor perspirabilis, neque cutis foraminibus, neque urinae viis, neque aliis quibuslibet, omnis excernitur; sed, ut pars quaedam urinae forma, alia alio exitu, corpore ejicitur, ita altera et, (ut abdominis viscerum quorundam in quieto vitae genere magnitudo fidem facit,) longe major forsitan, in communia vasa rejicitur. Hinc plenitudo illa, quae ab agilibus quietos adeo insigniter distinguit, et multorum malorum origo est, facile explicabilis. Profluvia,

* Trill. de Pleurit. Aph. xviii. xix. † Pag. 6. et seq.

quae

quae ad eundem effectum aliquid, sed non quantum vulgo creditum est, conferunt, sunt naturalia aut arte facta, sana aut morbosa. Naturale et sanum simul menstrua sunt; arte factum sanguinis detractio; morbosa haemorrhois, eruptiones cutaneae, et ulcera. Horum exsiccatio quodam tenus, quatenus scilicet ejiciendus humor retineatur, implendo, sed non sic multum, nocere potest; quia retenti tantum non est, quantum universorum humorum molem, cum memorabiliore effectu, augeat, aut ei multum addat. Nocet diverso opere retentio, cujus explicatio ab hoc loco aliena est. De omnibus his plethorae causis hoc dici potest, ea quatenus implent, id paulatim faciendo, facere, cumque subito magis agunt, causis occasionalibus, de quibus mox dicitur, adnumeranda esse.

Item, ex aetatibus, juvenilis periculi plus adit; quia tum tonus et irritabilitas summa sunt. Ob quorum defectum senectus et pueritia tutior est. Quae dicta sunt, quare viri quam mulieres, in morbum procliviores sint, explicant; quippe enim illi, quam hae, robustiores habitus habent et tensioribus fibris sunt.

* Conformatio ea, quae spatium, quo sanguis in pulmonibus transit, imminutum ponit, viam ad pneumoniam faciat necesse est. Talis esse angustia thoracis intelligitur. Cujus parietibus arcte undique pulmones quoniam accommodantur; igitur hos exiguos ille angustus indicat. In exiguis autem pulmonibus, quorum vasa ita cum reliquis omnibus librantur, ut eos sanguinis tantum, quantum reliqua corporis, et pari temporis spatio, perfluat; hoc aeque facile, ac in amplioribus, fieri non potest. Hinc omnis libraminis mutatio, qua in pulmones impetus magis dirigitur, in tali horum statu, ad congestionem creandam erit efficacior. Estque haec conditionum supra relatarum praecipua, qua proprium pneumoniae seminium innascitur. Alteram dant

Priorum morborum effectus. Hi ejusmodi sunt, qui, aut relaxando, et sic ut vasa plus justo sanguinis recipiant efficiendo, aut liberum eorundem, quo is transire debet, spatium coarctando, agant. Illud Pneumonia ipsa prius incidens, catarrhus gravior, et ad phlegmasiam vicinior, item symptomatica variolae, maximeque rubeolae inflammatio, aut ad hanc accedens congestio; hoc tumor scirrhodes, aliusve quivis pulmones occupans, et horum vasa comprimens, efficiunt. Utque pneumonia, forte incidens, vel etiam humorum in pulmonibus congestio, tuberculum intus latens, ad inflammatorium, coque suppuratorium, statum urget, et sic phthisis pul-

* Pag. 23. et 56.

morbis fit feminium ; ita tuberculum intus latens, pulmonum ſpatium imminuendo, et vaſorum, quibus ſanguis transfluere debet, alia delendo, alia comprimendo, invicem pneumoniae quoque feminium fit. Variola, magiſque etiam rubeola, perſpirationem extrinſecus ſuppriminendo, in membranam Schneiderianam pulmonumque convertendo, et ſic congeſtionem, in qua pneumonia poſita eſt, dando, hanc poſt ſe trahunt. Quae, licet ſymptomatica ſit, quo tamen modo idiopathica, et quibus ex principiis, oriatur, commode illuſtrat. Sic feminio et cauſis ejus conſtitutis,

## CAUSAE OCCASIONALES,

Seu eae omnes poteſtates nocentes, quae, latente intus feminio, ſuam cum hujus vi conjunctam, ad faciendum morbum, conferunt, ſunt ſanguinis cum impetu copiam, toto corpore et in ipſis pulmonibus, ſubito facientia.

*Sanguinis copiam ſubito facientia*

Ad victum tantum imminutaque aut ſuppreſſa humorum profluvia excretioneſve, de quibus ſub feminii cauſis actum eſt, omnia referuntur.

*Impetum ſanguinis ſubito augentia*

Sunt eadem ipſa, quae copiam augent. Sed praeter ea, ſic ſanguinem, tam reliquo corpore quam in ipſis pulmonibus, percitantia, alia ſunt, quae non augendo copiam, idem agunt. Ea omnia ad ſpaſmum aut vim ſtimulatricem redeunt.

## STIMULANTIA

Sunt victus, quatenus non copia, ſed qualitate propria ſtimulo eſt, item calor, et frigus.

Victus materia partim cibi genus, partim potionis nomen eſt. Cibi genus ſtimulat aut propria actione, aut, quia perſpiratu difficilior, vaſis diutius retinetur, aut quia ſibi junctum ſtimulum habet. Propria actione caro, et inde parata, ſtimulant. Minus perſpirabilem materiam viſcida omnia poſſident, quales piſces, caro fumo durata, fructus quidam et radices, ſunt. Stimulum alienum ſecum junctum habendo, ſtimulo ſunt cibi ſive e carne, ſive e piſcibus confecti, et ſalſamenta. Potiones ſtimulatrices ſunt omnia vini genera liquoreſque fermentati. Pars corporis, in quam haec omnia agunt, interior omnium, praeque caeteris, extremorum vaſorum, ubi potiſſimum inflammatio ſedet, ſuperficies eſt. Ibique cum nervi, tum fibrae vaſorum muſculares, ſtimulantur. Hinc

omnium

minimum vaſorum tonus et contractilitas, eoque contractiones vi et frequentia, augentur: Quae diatheſis inflammatoria, inflammationem omnem acutam ſemper comitans, eſt. Hinc in extremis vaſis, nempe arteriolis rubris minimis, haec ipſa, et in parte laborante, ad inflammationis juſtae modum, adaugentur. Ad hos ultimos receſſus liquores fermentati et vini genera, cibique ſalina materia, facile penetrant. Quomodo carnea et viſcida, non implendo, ſtimulent, difficilius explicatu eſt. Sed hanc quoque rationem aliquid in ſe habere, fidem facit eadem in ventriculo non per molem ſtimulans.

Utrumque hoc poteſtatum nocentium genus, tam abundantiam gignendo, quam ſtimulando, agens, ſeminium, ante intus exiſtens, et iiſdem cauſis, lentius admotis, ex parte genitum intendendo, et ex aberratione morboſa in juſtum morbum vertendo, hunc inferre poſſunt. Nec a tali cauſa ſine ea quae mox exponetur, inflammationem quandoque eſſe dubium eſt. Stimulantibus ſupra dictis, ipſorum pulmonum, ut in loquendo cantandove, ſive diutius ſive vehementius, exercitatio, adjici poteſt. Quae tamen rarior eſt quam

*Spaſmus,*

Inflammationis ſic origo. Hic ſummi corporis ſimul et ipſorum pulmonum arteriolas extremas occupans, praeterquam quod, humores intus vertendo, ibi congeſtionem creat, et ſic poteſtatibus implentibus annumeranda eſt; etiam proprio, quem ipſe dat, ſtimulo, impetum potenter auget. Qui cujuſvis ſpaſmi effectus ſatis notus eſt. Sed quo propria ejus, de quo hic agitur, ſpaſmi actio clarior et illuſtrior ſit, cum

*A Frigore*

Eſſe dicendum eſt. Frigoris in corpore humano opus, ut recta et propria natura tam ſedans eſt, quam ei contrarium caloris excitans *, ita, partim per corporis animati legem, partim per communem, hoc et omnia inanimata adſtringendi, proprietatem, duplex praeterea eſt, ſtimulans et adſtringens. Sedans quo, ſi ſatis magnum eſt, ad vitam ipſam extinguendam pergit, a quaeſtione praeſente alienum eſt. Ejuſdem ubi gradu minus eſt, aut brevius admovetur, ſedans opus adſtringente ſuperatur. Quod hac ratione fieri videtur: Adſtringendo frigus, in extrema ſummi corporis, quibus recta incumbit, vaſcula, tanquam firma ſimplicia, agens, horum, ex quibus conſtant, particulas propius inter ſe adducit; qui effectus plus minuſve ad univerſa corporis vaſa transfertur. Vaſorum ſic diametris, dum eadem ſanguinis copia intus eſt, imminutis, is

* Cull. Pr. Lin. lxxxix.

difficilius

difficilius transfluit, eoque vasa distendit. Distensio tonum seu fibrarum muscularium in contractionem nisum dat. Cumque tonus, qui ab inhaerente, haec a nervosa, nervosa ab animali potestatibus, pendeant †, et omnes in cerebri demum actione ultime consistent, his omnibus auctis, augeatur; contraque ipse aliunde, ut a sanguinis perfluentis distensione, auctus eas omnes augeat; ita frigus, vasorum recta distensionem efficiendo, eventu cerebri actionem auget, suique ipsius operis sedantem effectum tollit. Eandemque ob causam, quia vasorum et ipsius cordis actio a cerebri pendet, frigus, illam augendo, hanc auget, omnium vasorum diametron restituit, et sic adstringentem suum effectum, dummodo adstrictio non spasmodica, eoque sublatu difficilior sit, resolvit. Hac ratione frigus extremorum ubique, cum summi corporis, tum ipsorum pulmonum, vasorum fines adstringendo, in omnibus diathesin inflammatoriam, in quibusdam extremis, inflammationem justam efficit. Estque longe frequentissima tam pneumoniae, quam reliquarum omnium phlegmasiarum, causa occasionalis. Qui morbi omnes ita oriuntur, ut, quamvis seminium facientia, cum valide incumbunt, et exquisitum hoc reddunt, simplice sua vi, nullo alieno auxilio, morbum inferre posse videantur, et interdum quoque inferant; multo tamen saepius non sine aliarum potestatum ope, et prae caeteris frigoris, inferant. Similique modo, quum causae occasionales, et prae caeteris frigus, mera vi, et sine omni seminio, facere morbum possint; hunc tamen, non conjuncta seminii actione, fieri rarissimum est. Quo modo ab utroque causarum genere morbus concitetur, nunc dicendi tempus, scilicet sub

## CAUSA PROXIMA,

Est. Quae, quoniam omnia morbi, vasorum toto corpore et in parte laborante actionem augeri, ostendunt; ideo in hac quaerenda videtur.

Causae remotae jam expositae, sanguinem in arterias maximeque extremas congerunt. Congestionem idem, qui omne alias quoque, unde unde ortum, molimen, horror comitatur. Congestus sanguis arteriolas distendit; has ad majores et frequentiores solito contractiones distensio, ut stimulus, concitat. Quae congestionis effecta porro adauget sustentatque spasmodica arteriarum ubique, tam summo corpore, quam parte laborante, constrictio; dum eadem impetum in pulmones directum servat simul et universas arterias peculiari irritamento stimulat. Tali in pneumonia, arteriarum summi corporis

† Cull. Physiol. xcvii.

et

ut pulmonum fines constrictione, obtineri, ad canalis alimentarii, et forsitan omnium ubique aliarum fines, communicari, et praecipue morbum sustinere, urinae suppressio, cutis siccitas, deficiens muci excretio, sitis, alvique, praecipue ineunte morbo, compressio solita, dein semper spatis, iisque largis, saepe sudore, interdum reliquarum excretionum reditu, solutus morbus, argumento sunt.

## PNEUMONIAE FINES.

Praeter resolutionem, suppurationem, et gangraenam, in quas cum aliis phlegmasiis hanc desinere commune est, alius ei proprius finis est; nempe, sanguinis integri, sive ruptis sive resolutis vasculis, in telam cellulosam proximam effusio *. His finis

*Resolutio*

Dicitur, ubi, integritate partis manente, morbus solvitur. Quod fit, cum congestio et spasmus modica fuerint, sanguinisque auctus impetus ad superandum spasmum, vasa expedienda, et congestionem solvendam, sufficerint, ut omnia ad naturalem et sanum statum, nullo morbi vestigio superstite, redeant.

Nec resolutio non dicenda est, ubi auctus impetus, plus solito humoris in vicinam telam cellulosam exhalando, excretionemve in vicina parte augendo, congestione vasa liberat, spasmumque resolvit.

Denique, resolutio quoque est, cum auctus toto corpore sanguinis impetus, in parte, quamvis distante, humorem profundendo, diathesin totius corporis phlogisticam, eoque partis inflammatae, congestionem et spasmum, solvit.

*Resolutionem comitantia profluvia.*

Sine aliquo profluvio inflammatio pneumonica raro resolvitur. Sanguis e naribus primis morbi diebus profusus aliquando hunc finivit. Quod e vasis haemorrhoidalibus idem effusus, bilisve, alvo aut urina cum sedimento largo excreta, alius alio tempore, fecisse etiam dicuntur. Quae tamen rara et insolita sunt †.

Saepe morbi solutionem comitatur, et forsitan etiam efficit, calidus, tenuis, copiosus, et toto corpore diffluens sudor; quem manantem adhuc pulsuum minor crebritas, caloriscque et aliorum symptomatum febrilium remissio, consequi observantur.

Omnium vero profluviorum saepissime resolutionem comi-

* Coll. Pr. Lin. cccxxxv. † Coll. Pr. Lin. cccxl.

tans,

tans, ipſiuſque, ut videatur, efficaciſſima, eſt humoris ſpiſſi, albi, ſubflavi, ſanguinis aliquantulo diſtincti, ſine multa aut vehementiore tuſſi, excreatio.

In omni reſolutionis caſu, ſemper plus ſolito in proximum parti cavum exhalatur. Sed, quia humor exhalatus ejuſmodi eſt, nempe ſanguinis mera ſeroſitas, quae facile reſorbeatur; ideo partis integritati proſpicitur, nulloque, ut dictum eſt, morbi ſuperſtite veſtigio, tumultus omnis ſedatur, et priſtina ſalus redit. Idque fit, quia vel impetus moderatior eſt, vel vaſcula, in denſiore membrana firmata, ei minus cedunt.

*Suppuratio*

Eſt, cum eo uſque diducta impetu vaſcula exhalantia ſint, aut alioquin ita ei ceſſerunt, ut ſerum integrum effundant; cujus ſtagnantis gluten, in humorem album opacum, mediocriter viſcidum, nomine pus, mutatur, ſeroſitas reſorbetur.

*Suppurationis futurae et praeſentis ſigna.*

Suppurationem futuram denunciant inflammationis ſymptomata, perſtantia quidem, ſed aliquandiu moderatius. Jam factam teſtantur, ſatis magna doloris ſine ſputis remiſſio, ſpirandi difficultas permanens, horrores leves et inaequales, febris hectica, circa caput et praecordia ſudor, tuſſis ſicca, motu et cibis exaſperata, facillimus in latere affecto jacendi habitus, et aliquando lancinantes pectoris dolores. Abſceſſus diſruptus in ſputationem, empyema, phthiſin pulmonalem, aut ſuffocationem praeſentem, interdum tranſit *. Eſtque ubi, prout, inter ſtatum inflammatorium, aut pleurae coſtas contegenti, aut ſepto tranſverſo, pulmones forte adhaeſerint, extrinſecus, abſceſſus aut in abdominis cavum, perrumpitur.

*Gangraena,*

Ubi ubi incidit, alicui trium cauſarum debetur, vehementi vaſorum incitationi, horum tonum delenti, quo facto humor, intus in iis ſtagnans, in putredinem ruit; aut effuſi humoris, ſponte ſua in putredinem ruentis, propriae naturae, qualis rubrorum globulorum paulo copioſius effuſorum videtur †; aut denique fermento putrido in humorem, ſive intra vaſa, ſive his effuſum, agenti. Hujus in typho petechiali exemplum eſt. Reliquae duae gangraenae in pneumonia, ſi quando incidit, ſed effuſio magis, cauſae eſſe poſſunt. Sed gangraena in pneumonia rarior eſt, et, cum incidit, cum altero ejus fine, effuſione, conjuncta, ab hac aegre diſcernitur, ſemperque perniciei eſt.

* Greg. Pr. of Phyſ. p. 156. † Cull. Pr. Lin. ccl.

*Effuſio*

*Effuſio*

Alius inflammationis finis eſt. Quae ſaepe ſanguinis, in telam pulmonum celluloſam, eſt, reliquum in vaſis fluentem tranſitu prohibens, et ſubito ſuffocans. Quae effuſio plerumque pneumonia peremptorum cauſa necis eſt, ut inſpecto thorace patet. Saepe etiam ſeroſus humor ex pleurae exteriori per totum ambitum facie exſudat: Qui modo, ut cruſta mollis et viſcida apparet, modo denſior membranae formam induit, ubique pleuram, et ibi praecipue, ubi coſtas ſuccingenti aut mediaſtino pulmones adhaerent, contegens, et, ut videatur, adhaeſionis vinculum exiſtens. Idem humor ſeroſus in thoracis aut pericardii cavis ſaepiſſime reperitur. Nec veri non ſimillimum eſt, in bronchiorum quoque cavum eundem effundi; quod in nonnullis, qui intra paucos dies morbo erant perempti, illa humore ſeroſo craſſiuſculo referta, indicare videntur. Certe ex ſeroſa natura, cujus partem tenuiorem ſpiritus abſtulerit, effuſa eum eſſe, quam adeo cito pus formatum, credibilis eſt. Nec ſolum poſt mortem in cadavere talis in bronchiis humor cernitur, ſed quandoque in vivis excernitur; ut apud Morgagnium videre eſt, ubi materia craſſior, ore rejecta et manu explicata, bronchiorum, in quibus recondita erat, imaginem exprimebat *. Idem et in bronchiis, et in thoracis, et pericardii cavis ejuſmodi humor eſſe videtur, ac is qui, in aliis inflammationibus, in telam celluloſam effuſus, in pus vertitur; ſed in thoracis et pericardii cavis non tamen in pus ſemper verti, quia, propter cruſtam eorum cavorum ſummae faciei obductam, partium tenuiorum abſorptio prohibetur; at in bronchia magis verti, quia a ſiccante aeris poteſtate deficiens abſorptio penſatur.

Cum ſputa, ut ſaepe in pneumonia, copioſiſſima ſunt, eorum omnis a muciferis bronchiorum folliculis materia praeberi non videtur; cujus partem ſeroſum humorem, modo relatum, eſſe, eamque, quod toties ſputa purulenta ſint, rationem dandam, veriſimile eſt. Quae ratio, purulentam materiam, quam in bronchiis De Haenius ſaepius animadvertit, melius, quam ipſius, pus in ſanguine formatum opinantis, notio explicabit †.

Poſtremo, hic humor, in bronchia cava ſaepe una cum ſanguine rubro effuſus, fatalem morbo finem imponere videtur. Et, cum ſanguis non effunditur, tamen ſero effuſo, potius quam debilitatae ſpuendi poteſtati, ſputorum finis, ſini aegrotantis praeiens, tribuendus hoc eſt, quod ſaepe ſine aliis debilitatis ſignis, cumque, inciſo cadavere, bronchia humore plena reperta ſunt, ſputa erant ſuppreſſa. Utque talis effuſio

* Morgag. de cauſ. et ſed. morb. Epiſt. xxi. art. 20.
† Cull. Prim. Lin. cccxxxviii.

ſine inflammationis gravioris ſignis incidere poteſt; ita, cum incidit, graviora inflammationis, quae ante fuerint, ſymptomata finire credenda eſt, et mortem, toties in hoc morbo ex improviſo ſupervenientem, explicare. Hinc quoque multa peripneumoniae nothae explicabilia ſunt.

## SYMPTOMATUM EXPLICATIO.

Quod *pulſus non ſolito celeriores, neque ſolito major calor, aliquando, ſed rarius, ſunt*; id aut incipientis morbi lenitati, qua partis affectio cum toto corpore non communicatur, aut vaſorum, in quibus inflammatio ſedet, laxitati, qua illa facile dilatantur, facile effuſionem, cito aut in ſalutem aut in mortem tranſituram, recipiunt, tribuendum eſt.

*Pyrexia aliquando, ſed rarius, reliquis ſymptomatis praeit* *, quod contra aliarum, excepto rheumatiſmo, phlegmaſiarum morem eſt; quarum ordini commune eſt, ut poſt affectionem localem pyrexia † exoriatur. Nec dubium eſt, quin in iis quoque pneumoniae caſibus, ubi prima omnium ſymptomatum pyrexia eſt, prima tamen partis inflammatio, ſaltem manifeſta congeſtio, ſit. Qua exiſtente, an ideo non protinus aliquando dolor incipit, quia minus ſenſiles in ſanitate pulmones, inflammata quamvis parte, tardius ſenſum mali capiunt? Cum *febris poſt dolorem, aut certe non ante eum, adparet* ‡, ejus rei ratio huic cum reliquis ejuſdem ordinis generibus eſt communis; nempe, diatheſis inflammatoria in parte exquiſita, cum majoribus et omnibus arteriis ad cor uſque, ſed modo minor, communicatur. Qui ipſe ſtatus pyrexia eſt. *Pulſuum crebriorum, plenorum, validiorum, durorum, et celerium*, ratio ante in cauſa proxima reddita eſt. *Eorundem debilitas et mollities*, aliquando tantummodo, et provectiore morbo incidens, aut ſanguinis aut ſeri aut ſimul utriuſque in telam celluloſam effuſioni, arteriae pulmonaris ramos comprimenti, et ſic ſanguinem, per pulmones fluentem, tardius ad cor ſiniſtrum pervenire ſinenti, tribuenda videtur. Vel abſque compreſſione, idem fieri; quia per effuſionem congeſtione vaſa liberantur, et naturalius, id eſt, mollius, micare permittuntur, ſimplicius, verique igitur ſimilius, eſt. *Inaequalitas pulſuum* a debilitate, quam provectior jam morbus et violentior effecerit, eſſe quidem poteſt; verum eandem inaequali, ſanguinis ob effuſionem, alibique aliam adhaeſionem, et alia impedimenta, qualia multa ſaepe

* Diſſert. inaug. de pneum. et ſed. ejus hiſt. Neuſvil.
† Cull. Gen. Morb. C. 1. O. 11. Charact.
‡ Diſſert. inaug. de pneum. et ſed. ejus hiſt.

ſubſunt,

ubsunt, ad cor sinistrum transitui sanguinis obstantia, haud paulo saepius deberi, facilius crediderim.

*Spirandi difficultas* difficili etiam sanguinis per pulmones transitui debetur; quia vasa aerifera, a sanguiferis turgidis et distentis compressa, idoneam aeris copiam, quin rursus haec, praecipue arteriolas inflammatas, comprimant, doloremque excitent, recipere non possunt. *Difficilior autem inter trahendum spiritus est*; quia haec aeriferorum vasorum distensio, quomodo dictum est, comprimendo cum alia, tum inflammatas arteriolas, dolorem toties renovat, quoties aer irruit. Quin difficili pulmonum, propter impedimenta obstantia, explicationi difficilis spiritus ex parte imputandus est.

*Spiritus simul et decubitus quatenus, inclinato in latus laborans corpore, facilior est*; id fit, quia, in hoc corporis jacentis habitu, pressione hujus cavus thorax in illo latere non tam augetur, quam, ubi undique liber est, minorque sic ejusdem cavi distensio minus ibi doloris dat, ubi solum dare potest; simul maxima distensio in eam partem incidens, quae non aut minus afficitur, praecipue diaphragmatis et musculorum abdominis actione, quod spiritui perficiendo deest, absolvit. Quod si, ut saepe fit, ex pulmone istius lateris, pleurae costas tegenti adhaerente, dolor magis oritur; hunc eo minorem fore, quo minus pars adhaerens motu distrahatur, haud difficile intellectu est. Nam, licet inter trahendum pariter et emittendum spiritum, contigui pleurae pulmones sint, et totum thoracis ambitum accurate compleant; in omni tamen adhaesionum casu, fibrae adhaerentes aliquo modo vellicentur necesse est. Alia autem hanc rem explicandi ratio est, ut affectionis internae et symptomatum rationem non semper eandem esse dicas, nec illius magnitudini dolorem semper respondere; quod in effusione praecipue verum est. Si igitur, corpore in id latus inclinato, quod sanius altero, aut non omnino aegrotare, percipitur, cum decubitu spiritus et alia difficiliora sunt; ejus non tam sanitas lateris, quam celatus morbus, causa esse potest. Quem morbum saepe humorem effusum esse, incisa cadavera docent. Is pulmonem istius partis undique premens, in illo positu, ubi ille, minus alioquin explicatus, quam maxime liber esse requirit, insuper impediens obruensque, spiritum, eoque decubitum, non afficere non potest. Sed et huic contrarium quoque usu saepe venit; nam *aliis, inclinato in integrum corpore, commodior* decubitus simul et spiritus est. Cujus rei ratio eo difficilior et perplexior, quo illius verior aut probabilior, sit necesse est. Neque ego tam arctum nodum soluturum me promitto. Certe aut futilis ratio jam reddita est, aut contrarii effectus contraria causa quaerenda. Doloris omnis in

pneumonia cauſa duplex eſt, adhaeſio commota, et inflammatio, affectorum vaſorum plenitudine aut compreſſione augeſcens. Illa a praeſente quaeſtione abeſt. Hae dolorem et decubitum difficiliorem, ubi in latus aegrum decumbitur, efficiunt, ipſaeque explicatae, quo illorum ratio explicetur, dabunt. Facilior igitur in integro latere, id eſt, in aegro difficilior, decubitus eſt, majorque dolor; quia, in hoc corporis ſitu, pulmo lateris quod premitur, muſculis intercoſtalibus tollere coſtas impeditis, minus amplificatus, difficiliorem per ſe ſanguini tranſitum praebet. Hinc, ex data ſanguinis copia, minus explicatorum vaſorum par diſtenſio dolorque, ac, majore copia per vaſa explicatiora perfluente, naſcentur. Si *in neutro latere jaceri poteſt*, id etiam majorem congeſtionem et impetum auctiorem ſignificat, quam ubi in alterutro latere decubitus paulo tolerabilior eſt. *Decubitus* autem in *tergo facilior eo eſt*, quod ſic coſtarum motus prorſus liber eſt. *Niſi erecta cervice aliquando ſpiritus non toleratur*; propterea quod ſic coſtarum, diaphragmatis, et muſculorum abdominalium, liberrimus motus permittitur.

*Tuſſim*, quae pneumoniae addita nunquam abeſt, irritatio omnis, ſive ipſis pulmonibus, ſive aſperae arteriae admota, efficit. Talem irritationem in pneumonia dant, ſanguis in vaſa pulmonalia congeſtus, aucta in bronchia exhalatio, in has aut telam cellulolam effuſio, aut acris muci ſecretio; mucus autem ſemper acrior eſſe videtur, cum copioſius juſto ſecernitur. Ob hoc autem ſaepe acrior ſecernitur, quod aſſidua tuſſis, tempus ei, quo in folliculis quieſcens, abſorpta parte tenuiore, blandiorem naturam adquirat, qua ab aeris irritatione trachean et bronchia defendat, non permittit. *Major* autem aut *minor* tuſſis eſt, quo cauſae relatae plus minuſve, graviorve aut levior, inflammatio, ſubſunt. Siccitas ejuſdem, ſi haec initio morbi incidit, validae conſtrictioni arteriolas exhalantes glandulaſve mucoſas oblinenti, et halitum mucumve in bronchia exire prohibenti, tribuenda videtur. Eadem, provectiore morbo, obveniens, nimium onus in bronchia effuſum, pluſque, quam poteſtates ſputatoriae ejicere valeant, indicat. Cave igitur ſputorum ſuppreſſionem debilitati tribuas, eoque a ſanguinis detractione deterritus, hanc, cum magno commilli tibi malo, veriſimiliorem cauſam negligas.

Quod vero *humida tuſſis* eſt, qualis ab initio plerumque eſt, ea res aut minore conſtrictione vaſcula relata teneri, aut impetum, quo in ea urgeantur humores, majorem eſſe, indicat.

Sputorum craſſitie, tenuitate, aut colore, variantium cauſa eſſe videtur, quod modo ſolita exhalatio mucique ſecretio, modo ſeri major minorve effuſio, materiam illorum praebent.

Tinguntur

Tinguntur eadem sanguine, quia distensio vel ruperit vascula, vel extrema ita laxaverit, ut globuli rubri eorum finibus elabantur.

*Doloris alii aliam thoracis partem, plerisque alterutrum latus obtinentis*, haec ratio videtur. Ut in plerisque morbi casibus ab acredine, spasmo, aut distentione, dolor oritur; ita eundem in pneumonia, sicut aliis queiflibet phlegmasiis, magna musculariorum, arteriolas inflammatas cingentium, fibrarum distentio, a sanguinis copia et impetu auctis pendens, haud ambigue efficit. Variat autem dolor, quia internae affectionis sedes in alio casu alia est. *Dextrum latus aliquanto saepius quam sinistrum dolere*, supra in historia dictum est. Sed hoc exiguo fine discrimen est *, eoque explicatio ejus vix operae pretium aliter est, quam, ut, si saepius alterutrum latus altero doleat, in eo etiam latere inflammationem intus esse, lateriisque, ubiubi sit, dolorem adhaesioni, cujus ante explicata ratio est, saepe deberi, dicas. Utque lateris pars, aliarum omnium saepissime dolens, *circa sextam aut septimam costam mediae fere longitudinis, vel paulo anterius*, est, ita an aeque saepe membrana, ei intus respondens, inflammetur, haereatve oppositae pleurae pulmo, necne, in incisis cadaveribus explorandum est. *Vehemens et pungens dolor* est, quia in vasis, quae membrana densior firmat, eoque impetui minus cedentibus, sedet inflammatio. *Eundem obscuriorem obtusioremque, quod aliquando, sed multo rarius, fit*, facere videntur vascula inflammata, sanguinis impetui cedentia, serumque, aut aliquando etiam sanguinem, in telam cellulosam effundentia. Quod, vasorum distentionem tollendo, molliores arteriarum pulsus, snique copia et onere, *ponderis sensum*, facit. Si *circa sextam costam saevior dolor est*, verisimillima ejus doloris causa mihi est, costarum motus adhaesiones, saepius illic, quam ob causam nescio, incidentes, vellens irritansque. *Lancinantes aliunde alio dolores*, vel plura simul loca inflammari, vel ex uno ad plura consimilem affectionem communicari, vel motum, in quo positus dolor sit, per membranas ad harum fines, aut eo usque ubi hae puncto fixo adnectuntur, propagari, significant.

## PROGNOSIS.

Morbi futuri judicium a pyrexia, spiritus, tussis et doloris statu petendum est.

Igitur pyrexia vehemens, magnam congestionem et validum spasmum indicans, periculo est. Quod spiritus difficultas ita

* Dissert. inaug. Neusvil. supra relat.

denunciat,

denunciat, ut in alterutro latere decubitus non tam malus, quam in neutro, aut in tergo, neque in hoc, quam erecta cervice, ſit; pejorque etiam eventus metui poſſit. Cum ne in hoc corporis habitu quidem ſpiritus, niſi turgeſcente et rubente vultu, ſudore circa caput et cervicem promanante, pulſibuſque ordinis expertibus, peragitur, haec congeſtionis intus vel effuſionis, eoque periculi, magnitudinem pro ſua vehementia denunciant.

Tuſſis crebra et vehemens, dolores exaſperans, congeſtionis quoque, inflammationis, aut effuſionis intus index, cujuſque ſatis ante cauſae explicatae ſunt, malum morbum oſtendit.

Cumque raro vel nunquam ſine ſputis morbus reſolvatur; ideo tuſſis ſicca, extremas pulmonum arterias validiſſime conſtringi patefaciens, ſemper mala nota eſt.

Ut ſputorum materia craſſa, alba, ſubflava, ſanguine paululum tincta, larga et ſine vehementiore tuſſi rejecta, morbi ad reſolutionem tendentis teſtimonium eſt; ita his notis cavens ancipitem morbi ſtatum exhibet. Ejuſdem vero a colore tractae notae plerumque ſunt fallaces *.

Dolor acutus, ſpiritui multum officiens, eo ſignum malum eſt, quod magnam inflammationem ſubeſſe teſtatur; qui tamen vix periculi tantum, quantum dolor obtuſus, comitante ſpiritu difficili, denunciat; et ob hanc quidem cauſam, quod ille inflammationis, facilius imminuendae, hic effuſionis, cui, paulo majori, ſubveniri nequit, magnitudinem declarat.

Dolor ab altero latere in alterum tranſgreſſus, ſive prius affectum, ſive non deſerat, malae potius notae eſt; quia diatheſin inflammatoriam, in reliquo corpore magnam, in pulmonibus exquiſitam, oſtendit.

Delirium, pneumoniae ſuperveniens, periculi ſemper nuncius eſt, quia ad cerebrum affectionem perveniſſe documento eſt. Idem a peculiari ſepti tranſverſi vitio ſubnaſci, ſupra refutatum eſt.

Pneumoniae vehementis reſolutio intra primos ſeptem dies plerumque incidit, mitioris in aliquem alterorum ſeptem dierum ſaepe differtur.

Ejuſdem finem exitialem aliquo primorum dierum ſeptem incidere conſuetum eſt: In paucis ſerius mors obvenit.

Aliquo die a tertio ad ſeptimum remittens dolor adſtantes, praecipuum malum dolorem, hujuſque et morbi ſtatum eundem eſſe, credentes, vana ſpe ſaepe ductos decipit. Redintegratus enim ſaepe vi majore morbus, ſimul illam remiſſionem

* Cull. Pr. Lin. cccxli.

a sanguine aut sero, sicuti ante explicatum est, effuso fuisse, simul haud laetum eventum futurum, patefacit *.

Est ubi, decedente circa secundum aut tertium diem morbo, externam partem erysipelas occupat. Quo ibi fixo, a pulmonibus impetus avertitur, nec redit dein pneumonia.

## MEDENDI RATIO.

Confecto de reliquis morbi partibus sermone, ad praecipuam illam, curationem, transeundum est. Hujus consilia medendi sunt,

I. Irritationem tollere;

II. Auctam vasorum toto corpore, et in loco inflammato, actionem imminuere;

III. Sputorum rejectionem expedire. Ad

*Primum Consilium*

Explendum, irritatio omnis tollenda est. Huic convenientium remediorum primo memorandum

Administratio antiphlogistica est †. Ex hac ad rem maxime est calorem omnem vitare. An frigoris etiam usus respondeat, nondum a pathologis constitutum est. Hoc vero constat, potius in frigoris partem inclinandum, eamque, si non etiam inferiorem, quae mercurium in sexagesimo thermometri gradu teneat, temperiem eligendam ‡. Locutio, ut pulmones male exercens, vitanda. Stimulanti cibi generi, carni, id quod levius est ex farinariis anteponendum, idque ipsum, quo concoctu expeditius et minore stimulo sit, fluens adhibendum.

Ad irritationem tollendam apta quoque sunt refrigerantia quaedam. Eorum praecipua, et sola fere in omni interna inflammatione adhiberi solita notave, sunt acida omnia, rite diluta, et sales neutri. Ex acidis, vitriolicum et vegetabilia potissimum in usu sunt: Quorum hoc, quia liberius et copiosius adhiberi potest, alvoque laxandae accommodatius est, illi anteponendum. Ex salibus neutris, potissimum, refrigerandi causa, adhibitum nitrum est. Quod, quia nauseam movet, potione non miscendum est. Acida pariter et nitrum, tussim

* Cull. Pr. Lin. cccxlii.

Vid. Cleghor. Dis. of Minor. quid de fine hujus morbi, et praecipue de fallace hac remissione, dicat. Fallacem hanc remissionem materiae morbificae Cleghornius tribuit. Sed, ut alia, quibus repudiata ista pathologia refellitur, argumenta omittam, certe in unam parvam partem congeri, in aliam ac distantiorem transferri eam materiam, haud facile explicabile est. Sed nostra ejus rei ratio incisione confirmata est.

† Cull. Pr. Lin. cxxi. ad cxxvi.

‡ Ibid. cccxlix.

saepe

ſaepe, ſed niſi in paucis, qui proprios habitus, qui ἰδιοσυγκρασίας Graecè nominantur, habeant, non ita movent, nec cum eo incommodi, ut ab utili eorum uſu ideo abſtinendum ſit.

His remediis irritationi obviam eundum tam initio, quam omni tempore morbi, eſt. Quibus unum, licet diverſo morbi tempore, et ſub rebus diverſis, adhibeatur; tamen communi huic conſilio cum iis quia convenit, hic quoque, ne de iiſdem rebus ſermo diſrumpatur, adjiciendum videtur. Id

*Opium*

Eſt. Opium circa principia, priuſquam ſanguinis detractio, veſicatoriorum impoſitio, et reliqua aut relata, aut mox referenda, remedia, doloris et ſpirandi difficultatis levamen attulerint, et diatheſin phlogiſticam magna ex parte ſolverint, manifeſto detrimento eſt, univerſumque genus nervoſum irritando, haec ipſa ſymptomata, hanc diatheſin auget. Contra, cum haec remediis magna ex parte ſoluta ſint, jamque tuſſis, praecipua ſymptomatum perſtantium, et ſomni prohibiti cauſa ſit, tum opium, ſomnum reducendo, et inordinatos motus compeſcendo, plus boni, quam, irritando et diatheſin phlogiſticam excitando, mali demum praeſtat. Idem ut ſputa ſupprimere videtur, ita, ſtagnandi in ſuis folliculis, quod ante per tuſſim fieri non potuit, imo copiam dando, quoque hujus acrior et tenuior pars abſorbeatur tempus permittendo, revera non ſupprimit, ſed perfectiora, et ejuſmodi materiae quae concocta dicitur, efficit. Quod, ut

*Secundum Conſilium*

Propoſuimus, ei accommodatur arteriarum tenſionem et tonum imminuere. Quae id praecipue efficit, ſanguinis detractio eſt. In qua hoc primum requiri videtur,

*Unde*

Eſſe debeat? Si vaſorum ortus et diviſio ſpectetur, neutrum alteri anteponendum latus videatur: Si ex viciniore ad laborantem loco detractio, ad ejus lateris vaſa levanda, tenſionemque imminuendam, magis pertinere reputetur, in proximo brachio incidendam venam judices; ita tamen ut, ſive aegrotantis, ſive chirurgi commodum aliquod poſtulet, ad alterum decurras.

*Quantum*

Detrahendum humoris vitalis ſit, proxima quaeſtio eſt. Haec nullum praeceptum perpetuum recipit, morbique magnitudo, et vires aegrotantis reſpiciendae ſunt. Quibus datis,

tis, regula esse potest, ut aut ad symptomatum levamen, aut, si ea forte intervenerit, ad animae defectionem detractio continuetur, cumque raro una satis sit, et, quantumvis felix prima fuerit, redintegrari symptomata soleant; igitur,

*Quoties*

Iteranda detractio sit, requirendum quoque videtur. Ad quod respondendum est, simul ac symptomata redierint, et redintegratum malum fuerit, licet id intra ejusdem diei spatium inciderit, ad scalpellum haud cunctanter recurrendum. Quae altera detractio libera esse debet, et saepe priori largior convenit. Cum enim aliquando accidat, ut, propter animae defectionem, ante detrahendi finis primo tempore imponatur, quam satis sit detractum, jamque, quod saepe quoque evenit, toleretur magis, et sine ista defectione remedium; ita illud incommodi hac et futuris, si iis opus fuerit, detractionibus largioribus recte pensabitur.

*Quamdiu*

Iterandae detractiones sint, nunc requirendum est. Licet primo triduo omnis sanguinis detractio, quam postea, efficacior sit; tamen, post quatuor dies, si omissum forte ante sit, non fugiendum remedium; immo ob hoc ipsum, quia omissum aut quia parcius ante fuerit, accuratius erit urgendum. Quin et quolibet tempore, intra quatuordecim dierum spatium, vel etiam post id, si suppurationis incipientis signa absint, postque fallacem, de qua in prognosi actum est, remissionem, si malum forte redintegretur, vena recte inciditur.

Apud multos institutum fuit, ut sanguinis, cum idonea sputatio constituta esset, detractione desisteretur. Cui sputationi, si circa morbi principia constituta est, nihiloque secius symptomata tamen urgent, quamvis bene procedenti, curatio non committenda est. Solumquē, postquam, provectiore morbo, symptomata multum remiserint, ei, si largior forte et liberior fuerit, confidere tutum erit. Adeoque primis diebus non sistit sputa sanguis ademptus, ut e contrario expediat *. Solo provecti aut extremi morbi tempore, cum diuturnitate hujus et detractionum magnitudine exhaustae vires sint, jamque in telam cellulosam effundi humor incipiat, sputa sanguinis missio reprimere, ac ne sic quidem debilitando, sed effusioni favendo, videtur *

*Quantum in summam*

Et toto morbi decursu detrahendum sit, nihil, ut ante di-

* Cull. Pr. Lin. cccxlviii.

ctum eſt, certi et perpetui ſtatui poteſt. Adultus homo, quam tenerioris aut provectioris aetatis, vir quam mulier, robuſtior quam debilior, plenior et ſanguineus quam tenuior et atrabilarius, ſanguinis ante miſſionibus aſſuetus quam inaſſuetus, hunc et ſimiles in inflammatione poſitos morbos, ante expertus, quam horum ſemper expers, idemque hyeme et vere, quam aeſtate aut autumno, frigore quam calore, facilius jacturam tolerat. Quarum omnium rerum judicium prudentiae medentis credendum eſt. Quod ad menſuram attinet, magna medicorum inter ſe diſſentio eſt.

Sydenhamus uncias xl, Trillerus x vel xv, ter quaterve detrahendas; Lieutodius xii unciarum triplicem, forſitan quadruplicem detractionem, ſolam tutam, omnem ſupra cum magno periculo, eſſe contendunt. Sydenhami detractiones minores debito fuiſſe, et abſque veſicatoriis non ſuffecturas, Pringelius exiſtimat; ſed, quantae eſſe debeant, ipſe non ſtatuit. Cleghornius minimam ſuam unius detractionis menſuram unciarum xvi fuiſſe, ſolitam magis xx aut xxiv, eamque eodem die iteraſſe, pluſque craſtino detraxiſſe, et ſi poſtea redirent quolibet tempore ſymptomata, xii, xviii, vel xxiv, intra ejuſdem diei ſpatium, adjeciſſe ſeſe dicit *. Eratque haec maxima ejus menſura.

Cullenus celeberrimus, quem auctorem aliis anteponimus, in adulto mare, mediocri robore, ſanguinis librae averdupoenſis detractionem plenam, infra uncias xii exiguam, ſupra xx largam, quatuorque aut quinque librarum per biduì aut tridui ſpatium, maximam quae tolerari poſſit, exiſtimat; ſed, in longiore temporis ſpatio, majoribus intervallis, etiam largiore opus eſſe poſſe, judicat.

Et Boerhaavianum praeceptum, quod ad cruſtam ſolutam detractionem continuandam poſuit, minime bonum eſt. Perquam enim inaequalis cruſta eſt; quippe quae neque ſemper a putridis caſibus abſit, neque ſemper in inflammatoriis ſubſit, et ſaepe, ubi nullus omnino morbus eſt, detracto forte ſanguine, conſpiciatur. Quin et, pro varia aeris temperie, detractionis ratione, figuraque et capacitate quo recipitur vaſis, inſuper variat. Et, quanquam cum aliis notis haec aliquantum, in ſanguinis detrahendi copia dijudicanda, valet; tamen ſine iis nihil fere ſignificat. Eoque, tum ubi quantum, tum ubi quoties, tum ubi quamdiu, tum ubi quantum, in ſummam, ſanguinis detrahendum ſit, inquiritur, non cruſta, ſed, una cum hac, notis propoſitis, judicandum.

Cum ſanguinis jam tantum detractum ſit, quantum tuto hoc modo poſſit, communi

* Illius pondera inſulae ſolita erant, quarum xii paria xvi noſtris ſunt.

Localis

*Localis Detractio*

Succedit. Quae tum maxime requiretur, cum dolor, ſive permanens, ſive recrudeſcens, potius, quam ſpirandi difficultas, urgens ſit ſymptoma. Quo in caſu, quam proxime partem laborantem ſanguis, cucurbitulis conciſa parte impoſitis, auferendus eſt.

*Alvi purgatio,*

Ab aliis laudata nimis, ab aliis vituperata, ſimilem effectum, ac ſanguinis detractio, ſed non parem, praeſtat. Eoque neque, ut Sydenhamo in hac et aliis phlegmaſiis placuit, pro illa, ut vicarium remedium, adhibenda, neque contra duritiem non proſpiciendum. De qua, in adminiſtratione antiphlogiſtica, jam dictum eſt. Sed, praeterquam quod ſtimulus, a duritie ortus, vitandus, ut ibi demonſtratum eſt, arteriolarum, liquorem inteſtinalem in inteſtina exhalantium, et glandularum, mucum eodem emittentium, ſecretiones, clyſteribus mollientibus ſubinde auctae, aliquem uſum praeſtant.

Ad idem hoc commune conſilium explendum, nempe, arteriarum cum tenſione tonum imminuendum, pertinet, extremis iis ſpaſmum adimere. Hoc, ex internis remediis,

*Diluentia*

Optime, vaſa extrema implendo molliendoque, praeſtant. Quae quoniam, pro aquae, quae in iis inſit, copia, diluunt; ea igitur potiſſimum potui danda eſt. Quoque gratior ſit, hordeum, avena fructuſve maturi ei, incocta adjicienda ſunt. Talis potio liberius paululumque ſimul, ne diſtentus ventriculus ſpiritui, ultro laboranti, officiat, et tepida, ingerenda eſt.

*Sudorem moventia,*

Quamvis, ut ſupra in prognoſi dictum eſt, pneumonia ſaepe ſudore judicetur, non tamen, ne, eorum uſu diatheſi inflammatoria aucta, morbus exaſperetur, niſi caute, tumque ſolum, cum poſt ſymptomatum remiſſionem bonus forte ſudor ſponte, libere, et toto corpore, erumpit, ad hunc leniter fovendum adhibenda, et ſic etiam cum caloris pariter et ſtimuli quam minimo, videntur. Quorum contra uſu, ubi partibus ſudor naturalis continetur, ubi viſcidior eſt, et magna ſpirandi difficultas adhuc permanet, et manifeſto periculo futuris, deſiſtendum eſt. Hac cautione adhibita ſudorem moventia, ſpaſmodicae vaſorum extremorum conſtrictioni reſolvendae ſunt. Eodemque

*Emetica,*

Niſi, ne obſint, cautio quoque eſſet, opere ſuo pertinent. Pleuritidis principio, Cleghornius, hauſta aqua tepida, ventriculum detergendum purgandumque judicat. Verum enim vero, licet non impune ſolum, ſed et utiliter, adhibitus dicatur, juſto tamen vomitu, ne, partem inflammatam commovendo noxae ſit, abſtinendum; proque eo nauſeam movens emeticorum poteſtas, quae, opere conſtantiore validius humorum impetum ad cutem, eoque a pulmonibus avertens, ad ſpaſmum ſolvendum, efficacior eſt, quaerenda recte videtur. E remediis externis,

*Balneum*

Quidem, fomentorum et cataplaſmatum forma, parti dolenti admotum, nec improſpere adhibitum eſt: Cujus vis relaxans pariter et antiſpaſmodica, ut ex aliarum viſcerum phlegmaſiarum curationibus patet, non prodeſſe non poteſt. Sed eo inde minus auxilii ſumendum, quod incommodus ejus uſus eſt, et majori veſicatoriorum virtuti poſtponendus.

*Veſicatoria,*

Quod ad actionem eorum attinet, aliis ſtimulatricem hanc, aliis ſepticam, aliis purgantem, antiſpaſmodicam aliis, opinantibus, varie explanata ſunt. Quam ſtimulatricem eſſe, inflammatio, ab ea in cute accenſa, haud obſcure docet. Qui ſtimulus tamen ſaepe levior, et ejuſmodi eſt, qui totum corpus non tangat; graviorque quando et tantus eſt, quantus commovendo corpori toti ſit, ſero a parte affecta effuſo, reſolvi ex toto videtur *. Tantillum vero cantharidum, quantulum abſorbetur, humores et ſanguinem attenuandi facultate non valere, cum veri et rationis ſimilitudo, tum verum ipſum, fidem facit; ut ex veſicatoriorum uſu in typhi et ſynochi, qui morbi ad naturam putridam adeo vergunt, curationibus colligi licet. Purgans eorum ſeu humorem detrahens virtus aliquid, ſed nunquam corpori univerſo movendo par, eſt. Nullum igitur horum praecipuum eorum opus eſt. Quod, ad cutem derivando, et in hanc humorem effundendo, inferioribus vaſis relaxandis habile, et ſic antiſpaſmodicum, eſſe judico. Quod judicium nota nunc veſicatoriorum adverſus ſpaſmos potentia, ut in colica, ut in dyſenteria, et omnibus viſcerum fere phlegmaſiis, confirmat. Ejuſdemque virtutis cauſa in pneumonia adhibentur. In qua quam primum, et quam proxime partem laborantem, imponi debent. Joannes Pringelius, Eques, cum forte chirurgus aberat, eum, ſanguinis prius detrahendi cauſa, non expectabat, ſed, impoſito proti-

* Cull. Pr. Lin. clxxxv.

nus

nus veſicatorio, ſatis habebat, ſi, ante ſtimulum a canthari-dibus coeptum, ille ad detractionem rediiſſet. Sed quoniam hujus effectui ſtimulus iſte, irritando, adverſatur, ideo non prius imponi veſicatorium, quam ſanguis ſemel, aut, in ve-hementiore morbo, ne altera detractio, protinus neceſſaria, etiam in illud opus incurrat, bis detractus fuerit, oportet. Quo facto, veſicatorii irritatio, ante tertiae detractionis ne-ceſſitatem, peracta ſit neceſſe eſt. Veſicatorium unum, ſi dolor et ſpirandi difficultas permaneant, ſatis non erit, reno-vato erit opus; quod perpetuo, quod nuncupatur, ut effica-cius, anteponendum eſt. Idem, ſive unum ſive duo aut plu-ra requirentur, non ſupra partem diſſitam, ubi minus valebit, ſed alicubi thoracis, et quam proxime locum dolentem, im-poni debet.

Expoſitis ſecundi remediis; ad

*Tertium Conſilium*

Tranſeundum eſt. Cum, ut ſupra relatum eſt, pneumonia per ſputa praecipue ſolvatur, ideo ſalutari illi excretioni in primis conſulendum eſt. Igitur

*Sputum expedientia,*

Quae Expectorantia barbare vulgo vocantur, in eum finem tractantur. Quorum nullum paulo efficacius eſt, et quaedam, cum acria ſtimulantia ſint, etiam tuta eſſe nequeunt. Gummi calefaciunt, ſcillae minus, ſed efficacia carent, nauſeaque, quam movent, incommodant. Omnium aliorum medicamen-torum antimonialia, ita data, ut nauſeam moveant, huic uſui maxime accommodata ſunt. E quibus Tartarum emeticum reliquis formis praeſtat, quia hujus, quam earum, doſis cer-tior reddi poteſt. Alkali volatile, quod uſui eſt, quia po-tenter ſtimulat, in provecti morbi tempora reſervandum eſt. Mucilaginoſa et demulcentia oleoſa, ut ſputum expedientia, quia corpore non propria natura recipiuntur, ideo nihil agunt; nec, ſi reciperentur, tam parce data, quam vulgo dari ſolent, univerſorum humorum acredinem tegere poſſent. Soluſque eorum uſus eſſe videtur, mucum, acredine ſua membranam glottidis irritantem, et ſic ad crebram tuſſim ſtimulantem, te-gere, effectumque ejus, tuſſim, ſedando, ut is in folliculis ſtagnans, acriore parte abſorpta, mitior ſit, efficere.

Aquae calentis vapores, ore in pulmones accepti, calore pariter et madore partes relaxando, et muci defectum ſup-plendo, agere videntur. Ei herbae mollientes, quae appel-lantur, aut acetum, vulgo adjici ſolent. Quae, quia in ca-lore, qui pulmonibus praecipue inflammatis admoveatur, ido-neo, copioſius non aſſurgunt, inutilia ſint neceſſe eſt.

# DE GASTRITIDE.

*AUCTORE S. HAYMAN.*

## MORBI HISTORIA.

QUONIAM ventriculus, aeque ac alia viſcera, vaſis et nervis gaudet, ſic etiam cum illis communiter inflammationi phlegmonicae obnoxius eſt; et quia reliquo tubi alimentarii ſimilis epithelio obducitur, (et fortaſſe etiam cute vera continuata), ſimili quoque modo eryſipelate aliquando laborat. De his ſingulatim pauca dicere in animo eſt; ſed praeſertim de inflammatione phlegmonica.

Haec ſenſu hŏrroris et algoris incipit, ſiti, anorexia, anxietate, oppreſſiſque praecordiis ſimul comitantibus. Aegrotus nunc dolorem percipit acutum alicubi in regione epigaſtrica, cum magno caloris ſenſu.

Ab initio fere, et plerumque totum per morbi curſum, pulſus tangitur exilis, durus, ac frequens, ſaepe etiam intermittit. Regio ventriculi tumida, dura, et tenſa evadit, reſpiratio laborat, ac conſtans uſque ad vomitum nauſea (aliquo praeſertim deglutito) miſerum convellit; plerumque per univerſum morbi ſtadium ſingultus moleſtus ſe comitem praebet; eſt ubi urina ſupprimitur. Si ſanguis pleno extrahatur rivo, cum cautelis caeteris ad hunc finem aptatis, craſſamentum multo obducitur glutine, cruſtam hoc modo formante coriaceam. Functiones vitales, naturales, ac animales hoc malo magis debilitantur, quam aliis quibuſvis inflammatoriis. Delirium, animi deliquium, convulſiones, extremorum frigus, gelidus, partialis, ac viſcidus ſudor, mortem eſſe in propinquo declarant.

Praeter inflammationem phlegmonodeam hujus organi nunc deſcriptam, ex obſervatis ac cadaverum ſectionibus concludere licet, *eryſipelatem* etiam *idiopathicam* quandoque accidere poſſe, etſi nec auctoribus narratam nec practicis clare depictam. De hac igitur nunc pauca, ex obſervationibus vero Doctoris Culleni, cui contigit in Noſocomio regio Edin. duos ejus videre caſus.

Primo ſe manifeſtat aliquo caloris ac doloris ſenſu in regione ventriculi percepto, una cum algore corporis ſuperficici, ſiti ac pleriſque aliis phlogoſeos indiciis ſolitis; haec tamen ſymptomata haud ſemper tantopere ingraveſcunt, dolore, quibuſdam in caſibus, ac ſignis pyrexiae levioribus exiſtentibus, ita ut aliquando cadaveris ſectio ſolummodo morbum detexit.

Si,

Sit, quamvis haec adfuerint ſymptomata, tamen necne morbus ſit praeſens, dubii aliquid reſtabit; oris atque faucium eryſipelatoſa affectio apparens (quandoquidem natura eſt eryſipelatis late diffundi) omne de hac re incertum tollet. Caſus fuere ubi haecce affectio eryſipelatoſa, per totum tubum alimentarium fuit diffuſa, aliquando per inteſtina iter faciens, alias ad oeſophagum ac fauces aſcendens, et, prout hanc illamve affecit partem, alia praebens indicia, veluti ventriculo vomitum, ſingultum, &c. inteſtinis haerens diarrhoeam ſaepe cruentam, &c. prout ſedem mutat, hiſce ſymptomatis cum ſe invicem alternantibus *.

## DEFINITIO.

Sauvageſius gaſtritidem definit, " Dolor epigaſtrii, nauſea, vomituritio, febris typhodes vel remittens maligna."

Linnaeus, " Febris amphimerina, leipyria, anxietas, vomitus ingeſtorum, cardialgia."

Vogelius, " Febris leipyria, dolor et ardor in epigaſtrio, ſitis, vomitus ingeſtorum, ſingultus."

Cullenus, " Pyrexia typhodes, anxietas, in epigaſtrio ardor et dolor, ingeſtis quibuſlibet auctus, vomendi cupiditas, et ingeſta protinus rejecta; ſingultus."

Hae definitiones haud tam ſunt clarae ac perſpicuae quam vellemus; per febrem typhodem morbum eſſe contagioſum concluderemus, etſi per hanc vocem Sauv. Lin. et Vog. ſolummodo depingere volunt inflammationem ventriculi phlegmonodeam; ſed *pyrexia* typhodes Culleniana huic praeſtat, utpote terminus magis generalis et praeſertim aptatus conditionem functionum naturalium atque vitalium exprimere, (praecipue pulſus), qui hoc morbo ac enteritide ab illo in omnibus aliis inflammatoriis affectionibus tam multum diſcrepat.

## SYMPTOMATUM RATIO.

*Pyrexia typhodes.*—Ad hoc ſymptoma explicandum ut pauca de conſenſu ventriculi proferamus neceſſe eſt. Haec Sympathia, ſive nexus ventriculum inter et omnes fere corporis partes, clare omnibus re phyſiologica ac medica vel minimum perſatis eluceſcit; " ſed modus operandi adhuc in tenebris latet." Sunt qui rem hanc principiis mechanicis explicare volunt, vel ex connexu atque diſtributione nervorum; ſed facilé eſſet hanc refellere opinionem, utpote nec factis nec re

* Praelect. clin. Dr Cull. an. 1772, 1773.

vera

vera ſtabilitam ; ſed, etſi haud poſſumus hunc ſolvere nodum, theoriam proferendo juſtam, et veroſimilem ; tamen quod talis extat conſenſus ſequentia ex multis declarant argumenta :

1. Initium ac febrium curatio *.

2. Hae cutis efflorescentiae quas aliqua alimenta deſumpta procreare poſſunt †.

3. Podagrae phaenomena ‡.

4. Nephritis hujus etiam praebet exemplum ||.

5. Eundem probant mirandum nexum famis ſenſatio §, atque remediorum quorundam effectus tam ſubito editi. Hunc conſenſum expertus eſt in ſeipſo Helmontius ille ſagaciſſimus, cujus malleolo pedis ex ſede ſua amoto, appetitus antea latrans penitus elanguebat ; ſed, oſſe rurſus reducto, iterum reſurgebat ; veroſimile eſt illum, hoc connexu obſervato, ſuo Archaeo ventriculum pro ſede aſſignaſſe.

Hiſce nunc conſideratis ac perpenſis, ventriculi nempe conſenſu ac ſenſilitate quibus gaudet, concipi poteſt quare, hoc organo laeſo, tantum in modum functiones fiant debiles, vel quomodo tam multa appareant indicia typhi ; et, quoniam ſcimus dolorem acutum ubicunque corporis poſſe producere ſyncopen, ſic pronum eſt credere, minorem etiam ejus gradum in organo tam eximie ſenſibili ſitum eundem poſſe edere effectum.

* Cauſae remotae harum atoniam gignunt quae poſtea ſpaſmum format, quod atonia ſuperficiei ventriculum afficit, probatur teſte Sydenhamio. Clariſſimus ille vir obſervavit, quod, pelle aegrum adoriente, vomitus gravis (qui ſaepe ex atonia ventriculi pendet) miſerum convellebat, quem ſolum compeſcere potuit multis impoſitis corpori ſtragulis, ſic ut ad ſuperficiem derivetur, et hoc modo ſudor eliciatur. Nec hic nexus inter ſuperficiem ac ſtomachum minus evidens eſt inter febres curandas, quae ſaepe tolluntur penitus emetico propinato ; hoc remedii genus certe operatur in fibras ventriculi muſculares agendo, ſicque ad ſuperficiem determinando, et hoc modo atoniam atque ſpaſmum ejus vaſorum amovet.

† Perſaepe fuit notatum, quod quidam ſunt piſces qui devorati hunc producunt effectum. Vide Com. in Boerh. Aphor..

‡ Hujus morbi inſultum praecedunt flatus, indigeſtio, atque anorexia ; ſed morbo pedes invadente, contraria eveniunt, ut appetitus magis etiam ſolito acrior evadit. Praeterea, acida aliaque arthritidem moventia certe agunt in ventriculum.

|| Hunc morbum ſaepe comitantur nauſea atque vomitus ; et hoc clare confirmat exemplum a Doctore Culleno narratum. Juvenis quidam de doloribus ventriculi, indigeſtione, ac flatu diu atque graviter conquerebatur ; haec mala pro pure ſtomachicis habita per menſes duodecim juxta tractabantur ; ſed medicina nil niſi palliativa evalit ; nocte quadam hiſce memoratis ſymptomatibus graviter ſaevientibus, ſimul teſticuli tumore ad abdomen uſque aſcendente correpiebatur. V. S. et ſimilia fuere inſtituta ; ſed incaſſum omnia, poſtero tam die, en ! calculo ex urethra emiſſo, tumor teſtis ſubſidebat, atque affectiones ventriculi penitus fuere fugatae.

§ Hanc ſenſationem ſtomacho haerere, nemo eſt qui dubitare poteſt ; quodque eam multum afficit perſpirationis ſtatus diurna experientia, ut etiam experimenta probant Sanctoriana.

Pulſus

*Pulſus intermittit*, quia actio muſcularis fit inſtabilis nec regularis, vi nervoſa langueſcente.

Quocunque modo haec ſunt explicanda, ſic ſe rem habere ſat ſit; et, ut clariſſimus Swietenius de Debilitate, ſub capite Enteritidis tractans, obſervat, "Hujus rei (inquit ille eruditus) cauſa a priori forte difficulter explicari poſſet; ſed ſufficit medico per fideles obſervationes facti veritatem cognoſcere."

*Anxietatem* haud cum Vogelio aliiſque claſſi Dolorum referre poſſumus; quoniam ab inquieta, ſui generis, perceptione, a dolore omnino diſcrepante, oritur, magis late diffunditur, limites ejus haud exacte definiri poſſunt, et denique magis conſcientiae quam impreſſionis eſt ſenſatio *. Eam producere poſſint impedita vel difficilis functionum actio; et quoniam hae maxime turbantur, inflammato ventriculo, ſic anxietas oritur.

*Ardor epigaſtrii*. Hic loci de calore animali differere haud in animo eſt, res quae adhuc tenebris obvoluta denſiſſimis jacet; alii pro cauſa ejus mitturam, putrefactionem, phlogiſti evolutionem, fibrarum motricium in ſanguinem oſcillationem, globulorum, vel in ſe invicem, vel in continentia frictionem, &c. poſuerunt. Etſi pro ſingulis harum multa argumenta ingenuitate ſcatentia in medium fuere prolata, tamen, quoniam nec ulla ſuis objectionibus caret, nec in ſe ipſa teres atque rotunda, ſat ſit cognoſcere, quod, aucta velocitate ſanguinis (arteriis fortiter agentibus ut in inflammatione), augetur etiam fere calor; actio, igitur, vaſorum ventriculi aucta hoc ſymptoma efficit.

*Dolor*, in hoc ut in aliis caſibus, (abſente humorum acrimonia), ex arteriarum tunicis nimium tenſis, propter ſanguinis copiam iis nimis congeſtam ac impulſam, oritur.

*Vomendi cupiditas*. Hic conſtans gaſtritidis comes, auctae ſenſilitati, et hujus organi irritabilitati, debetur.

*Singultus* peculiaris eſt reſpirationis modus; ſed quaenam ejus eſt cauſa cum Sydenhamo explicatu difficile eſſe fatendum. Sed tamen conandum eſt. In hunc finem primo obſervare oportet, quod, ſolita reſpiratione inita, diaphragma deſcendit, et hoc iterum, ut cardia conſtringatur, ventriculus comprimatur, muſculique abdominales protrudantur, efficit; ſed, diaphragmate laxato, muſculi hi extemplo reagere incipiunt; cum, igitur, aliqua ſtomachi pars (ſed praeſertim cardiae) phlogoſi tangitur ac dolet, diaphragmatis deſcenſus dolorem auget, ideoque ne libere juſteque deſcendat prohibetur,

* Vide Culleni Inſtit. Med. lxxii. lxxiv.

et musculi abdominis sese subito contrahentes hanc quasi spiritus captationem, nempe singultum, efficiunt.

*Sitis* oriri videtur ab inflamatione, calorem ac siccitatem ventriculi atque fauciuin causante ; et, quoniam acria ad hanc sensationem efficiendam satis sunt, et quia hoc malo sensilitas in multum augetur, huic saepe ut causae sitim referre liceat.

*Crusta coriacea.* Ex nuperis summaque industria ac cura experimentis institutis, haec sanguinis facies similiter pendet ex tenuitate glutinis nimia, qua fit ut serius solito cogitur, rubrique globuli fundum petunt, antequam irretiantur glutine coacto ; quod igitur per se superficiei innatat, crustam formans *.

*Dyspnoea* aeger laborat, quoniam respirationem quam maxime continet, quae premendo ventriculum tam multum ederet doloris.

*Urina suppressa* ex duabus oriatur causis, debilitate nempe ac impedita propter dolorem inspiratione, quae ad urinae expulsionem est omnino necessaria.

## PROGNOSIS

In hoc, ut in aliis morbis, ex symptomatum ratione ac statu formanda est ; et haec nunc considerauda veniunt ; dignitas rei certe omnibus innotescit.

Ut hic morbus maxima semper comitatur debilitate, sic etiam aliquando tam multum ingravescere possit, ut vitale extinguere principium sufficiat ; sed plerumque, similis inflammationibus aliis resolutione, suppuratione, vel denique gangraena, solvitur.

Si causa excitans haud fuit potentissima, et symptomata remediis ante octo dies administratis mitiora fuere reddita, ut, e. g. si dolor remiserit, respiratio fiat facilis, et pulsus plenior et mollior tangatur, tunc resolutio exspectanda ; nec spes erit incerta. Sed suppurationis timor imminet, si symptomata per septimanam jam perstitere, etiam etsi leviora facta ; si aegrotus rigores patitur ; et denique, si dolor remittitur, anxietate nihilo secius cum partis sensu gravativo manente ; sed tamen hujus visceris inflammatio haud tam frequenter in suppurationem abit, et forsan quia non tantum quam alia viscera telae laxae habet cellulosae, in quam effundatur talis seri copia qualis ad pus formandum requiritur. Ex auctorum scriptis patet, vix ullam esse inflamnationem quam tam cito ac frequenter subsequitur gangraena quam gastritidem † ; hoc malum

* Vide Hewson's Exp. on the blood.

† Vide Eller de cogn. et curand. morbis ; Swieten. comment. in Boer. aph. Morgagni

malum brevi futurum timendum, ſi remediis valentiſſimis in auxilium vocatis, nihilominus pyrexia ingraveſcat, dolor atque calor ſint intenſa, et denique ſi ventriculus tam ſit ſenſilis, ut ne minimum aſſumptum retineat; ſed jam adeſſe gangraenam lethalem dolor et calor ſubito ceſſans, regioque epigaſtrica, antea dolens et tenſa, jam flaccida inſenſibiliſque facta, heu! indicant; nunc pulſus fit magis frequens et abnormis, debilitas intenditur, facies apparet Hippocratica; et omnia denique declarant nil aegro infelici medicinam valere poſſe.

## DIAGNOSIS.

Morbum haud eſſe hepatitidem diſcimus ex pulſu pleniori ac validiori hanc comitante; dolore etiam qui magis hypochondrio dextrorſum aliquando ad claviculam extendens percipitur, et poſtremo decubitu in latus ſiniſtrum difficili. In Enteritide dolor circa umbilicum torquet. In Colica regio umbilicalis etiam maxime dolet, febriſque omnino abeſt. A Paraphrenitide dignoſcitur gaſtritis, quoniam in illa fluida deglutita haud dolorem intendunt, nec vomitum inducunt, ut in hac evenit; riſus etiam Sardonicus paraphrenitidem ſaepe comitatur. Sed magis difficile erit inter ventriculi eryſipelatem et Cynanchem malignam diſtinguere, quibus tam multa ſigna ſunt communia, ut debilitas, vomitus, &c. Sed hoc optime efficitur obſervando ordinem in quo ſymptomata ſibi invicem ſuccedunt, et hoc modo ſi poſſumus primarium detegere affectum, ſic, e. g. gaſtritide ventriculus primo et poſtea fauces afficiuntur; ſed cynanche contrarium obſervare licet, et brevi ulcuſcula putrida ſeſe oſtendunt, et denique morbus eſt contagioſus.

Multorum fuit opinio, quod ipſa pars ventriculi laeſa ex indiciis certis praedicari potuit; ſic, ſi vomitus cum doloris circa pylorum ſenſu obſervatur, hanc partem eſſe inflammatam opinabantur; cardiam eſſe tactam iis indicio ſunt ſingultus, ob vicinitatem diaphragmatis, ſyncope, et dolor circa partem ſaeviens. Sed, ſi res rite perpendamus, et nobiſcum conſideremus, quam facile quoad ſedem doloris interni errori ſumus obnoxii, et quod vomitus, quaecunque hujus viſceris inflammata pars eſt, oriatur, et poſtremo ſyncopem ex debilitate quam phlegmaſia ulla efficiat, induci poſſe, haud quid tale certe inferendum eſt.

Morgagni de cauſis et ſedibus morb. epiſt. xxix. art. 18. Lieutaud. hiſt. anat. med. &c.

## SEMINIA.

Praeter ſeminia quae, cum aliis inflammationibus, tum huic corpus obnoxium reddunt, cujus generis ſunt Plethora, Temperamentum ſanguineum, &c.; unum ſibi habet proprium, nempe voracitas. Ventriculus, quoad diſtenſionem ac contractilitatem, variis temporibus multum variat, et hiſce qui ſupra modum cibo implere ſoliti ſunt vaſa ejus multum diſtenduntur, et ſic via congeſtioni ſanguinis ejuſque ſequelis panditur.

## POTESTATES NOCENTES SUNT

Frigus ventriculo applicatum,
Vis externa,
Nimia diſtenſio ejus,
Dura ſtimulantia vel acria ingeſta.

*Frigus.*—Omnibus in aprico eſt, hoc ex frequentiſſimis eſſe cauſis inflammationem excitantibus, et praecipue hanc de qua nunc agimus. Cujus cauſa clare patebit reputantibus ventriculum, utpote interne ſitum, multo foveri calore, magna vaſorum copia gaudere, ex officio atque ſtructura ſanguinis congeſtioni multum eſſe obnoxium; partes etiam has corporis internas quae naturaliter frigore directe in eas agenti patent, (quapropter tam ſaepe occurrunt anginae pneumonicaeque inflammationes), et denique ſi reputemus frigida quaevis ingeſta, ut aqua, &c. immediate ſtomacho admoveri.

A re potius alienum eſſet de effectibus frigoris in corpus humanum prolixius diſſerere; ſufficiat obſervare, quod citius nocentes ſuas exerit vires ſyſtemati prius calefacto, vel parti ſanguinis congeſtione laboranti applicatum. Hujus generis exempla permulta auctoribus narrantur *; unum ſolummodo a Doctore Eller Berolinenſi † deſumptum memorabo. "Quidam miles, poſt laborem arduum domi reverſus exaeſtuans, et ſudore perfuſus, ingentem aquae gelidae copiam, exutis veſtibus, ingurgitavit. Nocte ſequenti febre acuta, praevio horrore, corripitur, cum immani dolore in epigaſtrio. Simili ferme ratione pergit morbus, donec circa nonum diem delirare incipit aeger, qui die quindecimo obiit. In ſecto cadavere, mixtum ſuſcum ex potulentis et ichore foetido in ſtomacho fluctuabat, cujus fundus inflammatus maculas nigri-

* Ieutaud hiſt. anat. med. Hoffmanni opera, tom. 2. ſect. 2. cap. 3. Swieten. comm. &c.

† De cognoſcendis et curandis morbis, p. 252.

cantes

pantes multas, et nonnullas latas valde, tunicam interiorem perforantes, exhibebat *," &c.

Sed tamen in hoc, ut in aliis permultis casibus, habitus assuetus res alias nocentes innocuas reddit, ut videre liceat in his quibus mos est venena ac narcotica assumere ea quantitate quae aliis inassuetis vitam omnino extingueret.

*Vis externa*, ut ictus, &c. hunc morbum excitant irritando atque constringendo ventriculi vasa; quo fit, ut actio eorum augetur, majorque copia sanguinis ad partem derivatur.

*Nimia distensio.*—Cibi quantitate in stomachum ingesta, quae ad eum distendendum requiritur, orificia quasi contrahuntur, et ad se invicem appropinquant, ut, ubi alimenta in tempus satis longum remaneant, quantum primo digestionis stadio requiritur, antequam ex pyloro exeant; si igitur nimium ingeritur cibi, haec fibrarum longitudinalium currentium atque sphincteris ventriculi constrictio magis erit. Quinetiam, dum haec clauduntur orificia fermentatio progrediens distensionem ita augebit, ut aliquando fiat disruptio, ut quandoque pecudibus accidit nimis diu permissis pingues carpere herbas. Si aliquando igitur haec fiat distensio (tamen intra limites rupturae) adeo vasa stimulabit et constringet, quantum inflammationi efficiendae sufficiat. Hujus duo insignes narrantur casus, testante Ellero †. "Violentam stomachi inflammationem offendi, (inquit), in illustrissimo viro, procerum nostrorum quondam primario, cujus coquus, in arte sua peritissimus, Horatii temporibus jam decantatas hillas pallato subtili domini sui adeo gratas, aliquando paraverat, ut illarum sex libras circiter ponderantes uno prandio ingurgitasset helluo noster," &c. Et iterum, "Famosus ille medicus La Mettrie, qui machinae suae humanae nimium indulgens, postquam ferinae carnis, crusta siliginea inclusae et incoctae portionem incredibilem devorasset, et paulo post febris inflammatoriae symptomata consecutus esset." "Die postmodum 7 vel 8, inflammatio in gangraenosum ichorem dissoluta est; corrupta autem haecce materies ad cerebrum rapta phrenitidem cum delirio perpetuo introduxit; in hoc morbi funesti statu, sudore frigido perfusum iuveni aegroni, cui medicinae faciendae locus non amplius erat," &c.

*Dura stimulantia vel acria ingesta.*—Omnia extranea, ubicunque corporis recepta, mechanica irritatione inflammationem producere possunt. Acria quae hunc morbum efficere valent nimis sunt multa et varia, ut hic de singulis diceremus.

* Vide etiam Lieut. histor. anat. med. Hoffmanni opera. Swietenii comment. &c.

† De cognos. et curand. morbis, sect. xi.

Ex

Ex regno animali, vegetabili, et foſſili deveniunt, viz. cantharides, aromata, metallica, eorumque ſales, &c. Mirum videatur acria nobis ad condimentum aſſumpta, cujus ſunt generis piper Cayenenſis, ſinapi, &c. haud ſaepius gaſtritidem inducere; et certe ſic eveniret eodem modo quo externe applicata, ni antequam intus ſunt aſſumpta late diffunduntur, et quia ventriculi ſuperficies interna multa obducitur muco *.

Ira a quibuſdam perquam fidenter pro cauſa accenſetur; ſed exemplis adductis videtur potius coincidiſſe cum cauſa vere excitante. Si unquam ſola fuit in cauſa, quomodo agit?

Praeter cauſas nunc enumeratas, alia forſan intus generata accenſeri debent, e. g. bilis acris, &c. in ventriculum regurgitans, vel putreſcens aut acris materia aliunde in hanc partem ducta.

## METHODUS MEDENDI.

Si morbi pathologia jam tradita cum phyſiologia hujuſce vifceris, totiuſque ſyſtematis, quouſque ab ea pendet, comparetur, tria medendi propoſita orientur.

I. Cauſam remotam evidentem aut agentem removere.

II. Inflammationem localem auferre.

III. Signis gravioribus obviam ire, aut eadem amovere.

I. *Cauſam remotam removere.* Si durum quidvis deglutitum mechanica irritatione inflammationem excitat, notitia ſitus ſtructuraeque ſtomachi facillimum expellendi modum indicabit. Si ullum ſtimulantis naturae venenum, ut vitrum antimonii † et ſimilia ingeſtum eſt, a blando quodam viſcidove fluido largiter hauſto, ſcilicet mucil. gummi Arabici, lacte tepido, oleo, talibuſve, involvendum eſt, antequam expellere tentemus. Acria vero chemicae naturae, ſales nempe metallici, vires habent a metalli cum concentrato ſale connubio, quo abrupto, inertia evadunt. Haec decompoſitio per fixum alkali ſolutum perfici poteſt, quo facto, aut copioſe diluendo eluere, aut leniter vomendo ejicere licet. Alkali ingeſti acidum antipharmacum eſt. Bilis acris aut materiae putreſcentes a diluentibus et antiſepticis edomandae ſunt.

II. Inflammatio partis auferatur,

1. Evacuantibus,

A. Sanguinis miſſione,

a. Generali,

* Vide exper. Senac.

† Fred. Hoff. opuſc. path. pract. dec. ii. diſſert. vii. p. 456.

b. Lo-

b. Locali,
*a*. Cucurbitulis cum ferro,
*b*. Hirudinibus.
B. Alvum purgantibus,
a. Ore aſſumptis,
b. Clyſteribus.
2. Medicamentis quae vaſorum conſtrictorum ſpaſmum reſolvunt.
A. Veſicatoriis,
B. Fomentationibus,
a. Externis,
b. Internis.
3. Refrigerantibus,
A. Salibus mediis,
B. Acidorum omni genere.

1. A. a. *Sanguinis miſſio generalis*. Hic loci haud conſiderandi ſunt effectus qui ab hoc evacuandi modo in totum ſyſtema inducuntur, nec uſum in morbis inflammatoriis generalem indicare placet; attamen obſervare licet, remedium eſſe in hoc morbo praeſtantiſſimum, et quibuſcunque ſignis ſe manifeſtantibus, liberaliter et quam citiſſime adhibere oportet. Hanc praxin medicorum celebrium experientia judiciumque commendant *. Hoffmannus minus quam alii plerique in hoc malo venam pertundere voluit, cum putridis nempe morbis ſaepe conjunctum eſſe putavit. In vera autem phlegmonica inflammatione non tantum cito ſed copioſe et a larga plaga ſanguis deducendus eſt, omnibus irritamentis procul amotis; prout res requirat repetere oportet, donec pulſus plenior molliorque feriat, et alia ſymptomata ſubleventur.

1. A. b. *Sanguinis miſſio localis*. Hic modus ſanguinem in affectibus inflammatoriis extrahendi ab antiquis ſcriptoribus, aeque ac nuperis, merito concelebratus eſt †. Dr Cleghorn,

* "Ac primum inflammationis (ventriculi) curatio inchoanda eſt a venaeſectione pluries repetita in utroque brachio, quantum vires ferre poſſunt. Ac licet, ob ſyncopen, et extremorum refrigerationem, vires ab initio dejectae videantur; illa tamen virium infirmitas eſt ab oppreſſione, quae evacuationem poſtulat, atque ita venaeſectionem prohibere non debet." Riverius Prax. Med. lib. ix. cap. 11.

"Neque ab his (liberalibus et repetitis ſanguinis miſſionibus) nos deterrere pulſus parvus debet; quippe qui poſt venaeſectionem plerumque plenior et mollior evadit." Prim. Lin. Cull Beerenbroek.

In Tentaminibus medicis Edinburgenſis, tom. i. art. 29. narrat Dr Innes caſum hujus morbi qui per dies ſeptem duraverat; vena undecies ſecta fuerat, centumque et ſedecim ſanguinis unciae, feliciſſimo cum eventu, extractae fuerant.

† Vide Celſus, lib. ii. cap. 10. Huxham, Cleghorn, &c.

de

de Pleuritide tractans *, inquit, " Nothing affords such certain and immediate relief as the scarificator and cupping glass; insomuch that, among the many trials I have had of them, I do not remember an instance where they did not carry off the complaint entirely, or mitigate it considerably." Quandoquidem experientia quotidiana, in pulmonis aliorumque viscerum affectibus, hujusce praxeos commoda monstrat, nonne plus expectandum erit inflammato viscere, a quo cum toto corpore, et praesertim ejus superficie, tam arcte consentitur? Si phlogistica diathesis haud magnopere valeat, si dolor minime levetur, nec pulsus post venaesectionem generalem plenior fiat, a parte tantum abstrahere decet.

1. B. a. *Purgantia.* Alia evacuandi statumque inflammatorium et phlogisticam diathesin minuendi via est alvi purgatio. Haec autem in morbis omnibus inflammatoriis, ubicunque venam secare licet, posthabenda est; tardius enim rem agit, nec tam facile votis respondebit. His adde stomachum in hoc morbo irritabilem, raro cathartica retenturum. Si vero ullis uti in animo est, mitissima et antiphlogistica sunt potiora, ut oleum ricini, decoctum tamarindorum, cremor tartari, et similia. Quum tamen stercora indurata et irritantia amovere penitus necessarium sit, hoc optime fit,

1. B. b. *Clysteribus*; juris aut aquae oleique cum sacchari rubri, aut salis communis, pauxillo. Fortasse nitrum utrique praeferendum, propterea quod vires refrigerantes exercet, leniusque fibras motrices stimulat. Ulterius de clysteribus dicemus, de fomentis internis tractaturi.

2. A. *Vesicatoria*, etsi primum admota stimulum praebent, usum attamen eorum viribus antispasmodicis potius quam stimulantibus esse referendum, patet ex eo, quod in morbis inflammatoriis, ubi omnes stimuli nocere solent, perquam utilia reperta fuerunt. Neque systematis totius depletio hoc commodum afferre videtur; est enim parva admodum, vix unciam unam duasve excedens, et a vasis serosis lente detrahitur; humoribus vero versus superficiem derivatis, tensionem spasmumque partis inflammatae, ejusque vasorum laxari, probabile videtur. Sed quomodocunque operandi modus explicetur, quoniam utilissima contra inflammationes internas remedia quotidie probata sunt, in hac una praesertim plurimum ab iis commodi expectandum erit; vena igitur primum incisa, vesicatorium amplum super affectam partem admovere decet; si autem a parte per hirudines aut cucurbitulas cum ferro sanguis extractus est, vulnera linamentis rasis (Charpec)

* Diseases of Minorca, p. 284.

aut

aut emplaſtro adhaeſivo diligenter operienda ſunt, ne cantharides abſorbeantur, et inde ſtranguria oriatur.

2. B. a. *Fomenta externa.* Optime reſpondent quae dolorem lenire, parteſque jam tenſas laxando, reſolvere valeant; omnia igitur ſpirituoſa et ſtimulantia vitare oportet; et fortaſſe optimum eſſet pannos ex aqua ferventi *, regioni ſtomachi admovere, aut Hoffmannum imitari, qui ait †, "Ego quidem magno cum fructu multoties tepide tantum applicare juſſi veſicam, lacte cum floribus emollientibus et croco decocto plenam."

2. B. b. *Fomenta interna.* Quia magnus inteſtini coli arcus largam ſtomachi partem attingit, aquam tepidam per anum injiciendo, fomenta propius ad affectam partem, et fauſto cum eventu, applicare poſſumus; perque viam eandem totum ſyſtema fluidis nutrientibus quodammodo ſuppleatur, quod propter ſtomachi irritabilitatem per os haud fieri potuit.

3. A. *Sales neutri.* Quandoquidem hi omnes, praeter ſalem fortaſſe communem, refrigerantibus aut ſedantes vires habent, partique jam affectae admoveri poſſunt ad inflammationem levandam, ſi modo ſtomachus haud reſpuit, ſatis apta videntur.

Nitri, quod maxime refrigerat, quantum ventriculus ferat propinari poteſt; dum ſolvitur frigus generat; nonne melius itaque ſub forma boli datur, ut in ventriculo ſolvatur? Si hoc rejiciatur, tunc ad hanſtum Riverii antiemeticum fugere licebit, qui vomitum compeſcet, et etiam refrigerabit ‡.

3. B. *Acida.* Haec ſicut ſales neutri actionem ſyſtematis arterioſi, ideoque calorem corporis, minuunt; non aeque vero nauſeam movent, ſitim compeſcunt, et ſtomacho grata ſunt. Acida vegetabilia, ut limonum aut aurantiorum ſoſſilibus anteponenda ſunt; ſunt enim jucundiora, nec tantum liluere neceſſe eſt.

III. *Indicatio, ſigna graviora lenire.* Singultus, vomitus, aliaque moleſta ſymptomata uſum opii indicare viderentur; ſed, operandi modo omiſſo, prout experientia in affectibus inflammatoriis noxium monſtrant, in hoc malo, ſaltem vigente inflammatione, haud exhibere licet. Si vero formam ſpaſmodicam potius quam inflammatoriam induit, dolore ſcilicet vomituve poſt intervalla ſolummodo recurrentibus, aut ſi morbi vehementia ſe remittit, tunc caute tentandum eſt; ſi hautus ſub forma evomuerit aeger ſolidum propinandum erit, et, ſi tunc rejecerit, per clyſterem immittere conveniat.

* Vide Dr B. Robiſon's exp. animal oeconomy.
† Tom. II. ſect. ii. cap. 3.
‡ Praxeos medic. lib. ix. cap 7. de nauſea et vomitu.

Vomitio caute vitanda eſt; dum haec ſit enim, omnia ſtomachi vaſa arcte comprimuntur; hinc morbus ingraveſcet, aut infelix eventus accelerabitur *; morbo autem ineunte aqua tepida, lac diluenſve quidvis dari poteſt, ut ſordes materieſve putreſcens eluatur.

Propter irritabilitatem ſtomachi inflammati, eſt ubi ſatis larga nutrimenti copia nec retineri, nec in corpus tranſmitti poteſt; ne aegrotus, igitur, ab inanitione aeque ac a morbo interimatur, medicum cavere oportet. Huic ſcopo quodammodo inſerviunt enemata; at dubitare poſſumus, an juſcula carnium, ſimiliaque in hac methodo adminiſtrata, meliores edant effectus quam mera aqua; quandoquidem omne nutrimentum animale ex ſanguine (et forſan ex glutine ejus) ducitur, ad quem conficiendum, omnino neceſſe eſſe videtur, ingeſta quaecunque fermenteſcere inter ſe miſceri, &c. ideoque et in ventriculo et duodeno mutari. Haecce autem medicamenta non prorſus inutilia ſunt, propter aquoſi laticis quantitatem iis contentam, qui ſupplimentum humoribus confectis praebendo, putreſcentiam ad quam hi maxime proclives ſunt temperando, aegroto famem longiorem ſuſtinendi vires ſuppeditare poſſit †. Quibuſdam viſum eſt, corpus nutrimentum ſuum ex odoribus nonnullis excipere poſſe; de hoc autem experientia deeſt.

Urinae retentioni obviam ire debemus per catheterem, veſicaeque regionem fovendo.

De inflammatione eryſipelatoſa perpauca tantum adjicienda habemus. Si calor, dolor, et pyrexia eam comitantur, ſecundum regulas tractanda eſt, quae ſub indicatione ſecunda antea praeſcripta ſunt, niſi quod venaeſectio, majore cum cautela, vel parciore manu, celebranda eſt; quia cum putreſcenti ſtatu ſyſtematis conjungi poteſt; et plerumque non erit cur remedia tam multa in auxilium vocarenus, propterea quod minore periculo quam phlegmonodea ſtipari ſolet. AEgroti potus blandi ſint, quales ſunt emulſio Arabica, aqua hordeata, aqua lacte commiſta, paulnlum tepefacti, et frequenter parva quantitate porrecti. Si ad putredinem tendit ſyſtema diluentibus, antiſepticis, et infuſione corticis Peruvianae, praecavenda eſt.

* Vide Hoffm. opera, Tom. II. cap. iii. obſ. 4.
† Vide Morgani de cauſis et ſedib. morb. epiſt. xxvii. art. 4. et 6.

# DE ENTERITIDE.

*AUCTORE G. HICKS.*

## CHARACTER.

SYMPTOMATA, quae Enteritidem adeſſe monſtrant, ſunt: Dolor abdominis acutus, urens, fixus, quem comitatur tenſio perquam moleſta, febris acuta, pulſus durus ac contractus, alvuſque ut plurimum conſtipata *.

## HISTORIA.

*Principia Proegumena.*

*Plethora.* Vaſorum plenitudinem et ſanguinis exuberantiam huic malo, aeque ac aliis inflammatorii generis, homines obnoxios reddere, vix dubitandum; cum, in hujuſmodi temperamentis, principium quodlibet procatarcticum majorem ſolito tyrannidem exercere oporteat.

*Senium.* Senium etiam homines inflammationi inteſtinorum opportuniores reddit; in aetate namque provectiore, vaſa, quae perſpirabile excernunt, fere omnino excaecantur, atque circuitus equilibrium verſus renes divergit: Inde fit, quod in hocce aevi ſpatio vaſa abdominalia magis diſtenduntur, et idcirco admodum prona ſunt ad hos motus inordinatos qui inflammationem inducunt, quandocunque principia hujuſce morbi procatarctica ſuam ſymbolam eo conferunt. "In ſenibus," inquit celeber. Hoffman, "febres ardentes non facile tranſeunt in meningum, ſed potius in inteſtinorum, inflammationem †."

*Principia Procatarctica.*

Quum alia atque alia ſint principia quae enteritidi anſam praebere poſſint, ad haec tria praecipue capita ea referre libet.

1. *Externe applicata.*

*Vulnera* inteſtinorum, quibuſcunque modis extrinſecus illata, perſaepe lethalia eſſe, praecipue inflammatione ejuſve ſequelis, cuivis obvium.

*Frigus* corpori jam calenti ſubito admotum, frequentiſſime huic morbo originem praebet; nec mirum: Spaſmodice enim conſtringuntur omnia quae ſummum corpus perreptant vaſa;

* Pyrexia typhodes; dolor abdominis pungens, tendens, circa umbilicum torquens; vomitus; alvus pertinaciter aſtricta. Cull. Gen. Morb.

† Tom. iv. pag. 369.

exinde humores magna vi et copia in partes irruunt internas, earumque functiones plus minusve perturbant; adeo ut apud medicos in confesso maneat, plerasque viscerum inflammationes ex hoc solo provenire fonte.

*Ingesta Nocentia.*

Huc pertinent ea quae tubum intestinalem seu mole obturant, seu acrimonia irritant; sub quacunque forma medicamenti, potus et cibi, aut etiam veneni, fuerint ingurgitata.

*Medicamenta.* Haec ad diros generis humani morbos debellandos dedit natura, excogitavit ars: Sua autem quibusque propria ut plurimum sunt remedia; valentioribus igitur caute utendum; minus enim prudenter adhibita, veneni potius quam medicamenti vicem explent. In usu acriorum emeticorum et purgantium nunquam non magna opus est cautela, potissimum in quibusdam intestinorum malis, qualia sunt ileus, herniae, alvi constipatio, spasmodici dolores, qui ex levi irritatione in validam faciessunt inflammationem. Ex hoc fortiorum medicaminum abusu saevissima non raro oriri pathemata, omnes uno ore fatentur medici.

*Potus et cibi.* Frigida, dum corpus aestuet, largo haustu epota, eundem fere, ac frigus externe sudanti corpori admotum, edit effectum. Haud semper facile et innocue transeunt quae forma sibi sunt ingesta, quamvis se bene habeant primae viae; aliquando enim mole sua cavum prorsus obturant, asperitudine ejus tunicas irritant, spasmos excitant dolorificos, ileum, volvulum, mortem denique ipsam, inducunt. Novimus puellam octodecim circiter annos natam, quae, paulo post prunorum officula improvide deglutita, ventris tormina incurrit atrocissima, febrem, tensionem epigastrii, aliaque enteritidis signa, arte incassum tentata, tridui spatio morte correptam esse: Secto cadavere, in apricum veniebat coccum, officula prunorum recondens, phlegmonodeum, et maculis nigris obsessum.

*Venena.* Arsenicum, aliaque id genus assumpta, plerumque ventriculum inflammatione afficiunt: Si vero haec eadem, quomodocunque fiat, in inferiorem canalis sedem sat cito fuerint propulsa, non possunt non omni tempore pessimos hujusmodi accersere effectus.

3. *Morbi Praegressi.*

Nonnulli dantur intestinorum affectus, qui vel aegri incuria, vel medentis erroribus, vel ea demum qua saeviunt vi, in inflammationem abire solent. De his nunc ordine agendum.

*Ileus.* Ex iliaca passione suam originem saepius ducere enteritidem, nemo practicus ibit inficias; cum in hac fere solum consistat

consistat summum iliaci morbi periculum, quam ad avertendam nil non movent prudentes medici. De ileo tractans sic loquitur clar. Hoffman; "Est dolor intestinorum acutissimus facile in inflammationem transeuns*:" Et alibi, "Quod attinet ad ipsam prognosin, spes salutis supereſt, quamdiu non adest inflammatio; si vero inflammatio jam praesens quae ex febre, vehementia torminum, &c. dijudicatur, parum spei superest†." Deinde, "Medico perito nihil prius, nihil posterius, curae cordique sit, quam ut saevissimo dolori, qui inflammationis et mortis etiam causam praebet sufficientem, per convenientia tam interna quam externa remedia sublevando prospiciat. ‡" Idem sentit solertissimus Pringle ||.

*Herniae.* Primi subsellii Anatomicus Morgagni, de sectione cujusdam, hernia incarcerata defuncti, haec dicit: "Intestinum sacculo proximum ex rubore nigricabat; illinc intestinum, superiora versus, magnum ad tractum, ex rubro ad lividum incliuabat; quicquid autem inde ad ventriculum usque pertinebat, ob conferta plerisque in locis evidentia sanguifera vascula, plane rubebat §." Clarissimi en quoque verba De Haen: "In corpore foeminae hernia demortuae, iterum observavimus aequalem, densam, flavam crustam, fere omnia inflammata intestina penitus contexisse **." "

*Intussusceptio.* Cadavera eorum qui huic malo succubuerunt scrutanti, inflammatio utplurimum se prodit; annon magis veritati consentaneum, ex invaginatione intestini inflammationem soboleſcere, quam ex hac illam? Inter extispicia defunctorum, causas ab earum sequelis rite distinguere, Oedipo fere interdum opus esset. Quae vero hac de re nuper tradidit eximius noster Monro, referre libet: "An intussusceptio may have irritation and inflammation for its consequences; as when we disengage the gut in a dead body, we find the colour of the gut altered, and the coats thickened ††."

*Spasmodicae intestinorum constrictiones.* Ex his inflammationem non raro progigni, quotidiana docet observatio; hujusmodi enim doloribus laborantes ad calida, et colica dicta, remedia confugere solent, pessimo saepe cum eventu; dum, constrictis spasmo partibus, valida supervenit inflammatio quae brevi miseros e medio tollit aegros: "Licet enim ab inflammatione morbus non duxerit originem, convulsionem tamen intestinorum, flatus creantem, inflammationem facile sequi posse ‡‡," nos commonet illust. Van Swieten.

* Tom. IV. part ii. p. 285. † Ibid. p. 292. ‡ Ibid. p. 293.
|| Diseases of the army, p. 154.
§ De causis et sedibus morbor. tom. ii. p. 50. ** Vol. i. p. 140.
†† In praelectionibus. ‡‡ Vol. iii. p. 169.

*Alvi*

*Alvi diutina conſtipatio.* Haud deſunt, quibus, ſecunda etiam valetudine, per decem pluresve dies occluditur alvus; nimis autem diu protracta foecum retentio, multa interdum poſt ſe trahit mala. Inter haec frequens et primarium eſt enteritis; quoniam ad ſtercus ejiciendum a nonnullis in uſum vocantur draſtica purgantia, quae non modo non proſunt, verum etiam plerumque obſunt. Jure igitur dicit Hoffman, "Culpandus hic communis et deteſtabilis practicorum error, qui, alvo pertinacius adſtricta, unum poſt alterum purgans ingerunt, eoque malum non tantum exacerbant, verum etiam reddunt mortiferum *."

*Dyſenteria.* Praepoſtero et intempeſtivo adſtringentium uſu, cohibita dyſenteria in inflammationem inteſtinorum tranſire poſſit.

*Vermes.* In primis viis diu nidulans verminoſa progenies, ſenſiles inteſtinorum tunicas rodendo et vellicando, eaſdem inflammare poſſit, quum hac roſione etiam per inguina umbilicumve nonnunquam ſibi parant exitum intimi hoſtes.

## SYMPTOMATA.

Febre modo praecedente, modo ſubſequente acuta, inſurgit imi ventris dolor, primo tantum vagus, paulo poſt uni obnixe haerens puncto; ſaepe comprimitur, aliquando autem laxatur, alvus; arida nigreſcit et hiulcat lingua; ſitis urget inexplebilis; interanea vehemens exurit aeſtus; duri, frequentes, ac contracti fiunt arteriarum pulſus; ad tactum ſumme dolet tumida et renitens umbilici regio; irrequiete corpus jactatur; parce fluunt, penituſve ſupprimuntur, urinae; inſtar canum morſus exquiſite torquent dolores; aegro nunc conſtat, nunc alienatur mens; accedunt ſingultus, eructationes, ani valida conſtrictio, enormes ad vomendum conatus, contrarius inteſtinorum motus, et iliaca paſſio. Procedente morbo, in pejus ruunt omnia: Derepente ceſſant acerbiſſimi dolores, infidae induciae! quam maxime proſternuntur vires; facies tandem comparet Hippocratica; liveſcunt labia; frigent extrema; gelidi erumpunt ſudores; pulſus deprehenduntur debiles, celerrimi, ac intermittentes; convelluntur artus; obnubilatur viſus; haeret vox faucibus; laxata quae ante fuit clauſa alvo, inſcie elabuntur nigrae dejectiones; mors demum placida, ultima linea rerum.

Hacce ſub forma, in propatulum venit et progreditur plerumque inteſtinorum inflammatio: Haud raro autem praecipua a nobis jam tradita enteritidis ſigna abeſſe, nec propter-

* Tom. IV. part i. p. 543.

ea

ea minus periculosam adesse inflammationem, liquido ostendit istud anatomices lumen Morgagni; cujus ipsius verba hanc ad rem eleganter scripta proferre, haud abs re fore censemus.

* "Quae omnia cum ita sint; quando, cum aliis inflammatorum intestinorum signis, vehementem dolorem et acutam febrem in aegrotantibus deprehendes; jure quidem meritoque credes rei medicae auctoribus, haec duo inter praecipuas notas magnae intestinorum inflammationis ponentibus. Nec tamen, si quando alterum vel utrumque horum aut abesse, aut vix esse, invenies, continuo putabis aut nullam esse inflammationem, aut levem, neque gangraenam et sphacelum in eorum esse intestinis non posse, in quibus duo illa praecessisse non videris. Optandum sane fuisset, ut medici, cum signa hujus inflammationis, et consequentis ipsam gangraenae, proposuerunt, hoc monitum non omitterent in morbo qui per fallaciam ejusmodi, nec raro, praeceps ac repentinum affert exitium; nec raro, inquam: Nam memini, cum adolescentuli tibi supra descripti casum mirabundus narrarem Valsalvae atque Albertino, continuo utrumque confirmasse, non absimilia occurrisse sibi, nec semel. Quo tempore, cum mihi inculcaret Albertinus, vigilandum et cavendum esse in doloribus intestinorum: Se enim, post leves dolores, aut certe cum minime magnis, nulla manifesta febre, nulla convulsione, nullo vomitu, animo ac corpore satis vigentibus, de improviso vidisse aegros in praeceps ruere, et cito eripi ab latente inflammatione, ex sphacelo nec opinato intestinorum: Cum haec, inquam, mihi inculcaret, quaesivi ex perattento illo medico et diligentissimo observatore, Quibus igitur ex signis proximum intelligere periculum, et praenunciare saltem possemus? Ille vero, ex pulsu, inquit, abdomine, facie. Pulsus enim humilis, et debilis potius, et qui, si bene attendas, sibi subobscure dissimilis sit: Abdomen autem tensum, et durum, et cum dolore quodam: Facies denique insoliti aliquid, sed in aliis aliud, ostendens, ut interdum oculos quasi exterrefactos, alias livorem quendam circum labra, animadverterim. Haec, inquit, fere; nam aliquando linguam etiam adnotavi haud bene se habentem, et quamdam sitim, mihi accidit, ut in ejusmodi casibus se observanda praebuerint. Sic Ille ingenue, ut solebat, quae requirebam, signa indicabat."

Hancce autem latentem adnotasse inflammationem, et medicos ne illa deciperentur primum monuisse, clarissimum Simpson, consentiunt Van Swieten †, Morgagni ‡, et Pringle ‖.

* De causis et sedibus morborum, Tom. II. epist. xxxv. p. 61.
† Vol. i. p. 628. ‡ Loco citato, p. 62. ‖ P. 160.

Obiter

Obiter hic notare expedit, inteſtina, pariter ac alia quae inflammantur viſcera, in ſuppurationem vel ſcirrhum abire poſſe. Hoc tamen perrarum eſt; quum, medica teſtante hiſtoria, longe frequentior enteritidis ſequela ſit reſolutio aut gangraena.

*Sectiones cadaverum.* Cadavera hoc morbo denatorum, cultro anatomico ſubjecta, multiplicem inteſtinorum labem exhibent. Inciſo abdomine et diducto, tetram mephitin interdum ſpirant interanea *: quae, utplurimum, flava et gelatinoſa, mucum concretum referente, cruſta conteguntur †; in conſpectum venit major minorve tubi alimentarii portio inflammata, gangraenave tacta; quae hanc ſuperat tubi pars plerumque aere concluſo ultra modum turget: Tunicae inteſtini inflammati reperiuntur praeter naturam condenſatae ‡; minima earum vaſcula a remorante ſanguine quandoque ita rubent, ut ſi arte cera fuiſſet injecta ||: Hinc illinc maculae lividae et nigricantes obviae fiunt §; per totum canalis tractum diverſa corpora extranea, quae caſu conſiliove fuere deglutita, ſe viſenda praebent; aliquando in apricum ſiſtitur ſtupenda excrementorum moles, craſſiora inteſtina ad crepaturam fere diſtendens **; tenuia in ſe involuta, et arcte, quaſi a circumducto filo, conſtricta inveniuntur; haud raro quae pars coli natura ſub ventriculo a dextris ad ſiniſtra tranſverſum tenet iter, ſe offert a ſede ſua dimotam et infra umbilicum dilapſam ††; ut de herniis, de intuſſuſceptionibus, aliiſque variis inteſtinorum vitiis, ſileamus.

## DIAGNOSIS.

Genuinos morborum, qui multa cum aliis communia habent ſymptomata, characteres accurate ſtabilire, haud parum artis Apollineae intereſt; vix igitur pro dignitate ſua ſatis laudari poſſit clar. Sauvages, qui pathognomicas morborum notas ſumma cura perquiſivit et depinxit. Prout haec illave pars inteſtini coli afficitur, alias abdominis et thoracis inflammationes mentitur enteritis; nec tanti refert haſce inter affectiones diagnoſis ad amuſſim facta, cum eandam fere poſcant ſingulae medelam: Quibuſdam vero affectionibus patent inteſtina, quae, ut rite ex inflammatione dignoſcantur, ſedulo intendum: Illis quoniam minime, ac huic, eadem conveniunt

* Hildanus chirurg. obſ. cent. i. No. 61. p. 49. † De Haen loc. citat.
‡ Pringle, p. 246. || Morgagni epiſt. xxxv. p. 59. No. 10.
§ Morgagni paſſim. ** Hoffman, Tom. IV. part ii. p. 290.
†† Morgagni epiſt. xxxiv. p. 44. No. 2.

remedia;

remedia; et falsi hac in re judicii poenas saepe luunt aegrotantes.

Morbi, qui ab enteritide non satis facile discernuntur, probe autem discerni debent, hi sunt:

*Gastritis.* Dolor epigastrii ardens, summa anxietas, singultus indesinenter vexans, vomitionis et doloris ad omnia etiam leniss̃ima assumpta exacerbatio, pulsus inaequalis, saliva in os eructans, solum laborare ventriculum, clariss̃ime ostendunt.

*Hepatitis.* Si colon, ubi dextro subjicitur hepati, fuerit inflammatum, hepatitidem aemulari assolet; quod factum se plus vice simplici vidisse clariss̃imus testatur Cullen. Dextri vero hypochondrii dolor ad scapulas pertingens, pallida seu icterica facies, dyspnoea, tussis sicca, molliores pulsus, difficilis in latus sinistrum decubitus, hepar, non colon, inflammari certas praebent notas.

*Nephritis vera.* In ancipiti nonnunquam haec versatur diagnosis: Longe alia autem sunt nephritidis verae et enteritidis symptomata; ab hac illam distinguunt sequentia: Dolor acutus in regione renum, frequentes ructus; crebra urinae cupiditas magnaque difficultas, excretum aquae simile; solutior alvus, et quae facilius obediat clysmatibus.

*Nephritis calculosa.* Lumborum dolor subinde recurrens, motu corporis exacerbatus; febris haud nisi post cruciatus diu toleratos, accedens; cruris ab eodem latere stupor, testisque retractio; urina cruenta et sabulosa; non ambiguum dant discrimen.

*Pleuritis.* Facile internoscuntur pleuritis et intestinorum inflammatio: sub illa adsunt lateris dolor in inspiratu valde auctus, pulsus pleni, molesta tussis; sub hac autem, medii ut plurimum abdominis dolor, minime in inspiratu auctus, minus pleni arteriarum ictus, tussis nulla.

*Colici dolores.* Hoc nomine ab incautis insigniuntur quicunque abdominis dolores, tanquam qui a spasmo flatuve non potuissent non omni tempore oriri; et remediis tractantur validis, haud sine magno saepe aegrotantium damno. Atqui, inflammationem nec adesse, nec imminere, abunde quae sequuntur evincunt signa: Dolores per totum imi ventris ambitum vagantes, nunquam diu uni haerentes parti, per intervalla redeuntes; nulla vel levis excandescens febris; pulsus molles et naturaliter fere ordinati; per superiora aut inferiora emissi cum levamine flatus; abdomen inaequaliter tumens, ad tactum minime dolens.

*Ileus.* Nonnullos apud medicos pro uno eodemque morbo habentur ileus et enteritis; inique vero, ut opinor. In pri-

ore, motus inteſtinorum periſtalticus, naturaliter deorſum tendens, in contrarium vertitur, cui nulla ut plurimum inflammationis ſe adjungunt ſigna; et viciſſim in poſteriore, inteſtina inflammantur abſque minima eorum motus inverſione: "Ex tenſione," inquit Sauvages, "phlegmonodea tactum non tolerante, ſumme dolorifica, cum pyrexia acuta, diſtinguitur ab ileo, dyſenteria, colica, quarum ſpecies etiam plures inflammatoriae ſunt; ſed in quibus ſymptomata generi propria praedominantur *." Veruntamen haud diſſimulandum, quod interdum alter in alterum faceſſat morbum, vel uterque ſimul ſuam in eundem aegrum exerceat tyrannidem.

## CAUSA.

Quam aliae inflammationes, eandem agnoſcit cauſam enteritis; hic autem multum inter ſe diſcrepant celebres in arte viri, nec nobis has datur dirimere lites: Haud multum hallucinati fuere medici, qui impetum ſanguinis, cum vaſorum ſpaſmo ac irritatione conjunctum, vi, quam par eſt, majori in partem affectam ruentis, cauſam inflammationis fuiſſe putarunt; id enim clare oſtendunt ea quae huncce affectum comitantur.

## PROGNOSIS.

Experientia teſte, incertum et periculi plenum dat praeſagium, ex quocunque proveniſſet fonte, inteſtinorum inflammatio. "Pars nulla," inquit Morgagni †, "fortaſſe facilius et citius quam inteſtina, nihil ejuſmodi ſuſpicante medico, abit in gangraenam, et nigra fit." Nonnulla igitur quae minime fallunt futurae ſalutis mortiſve indicia, breviter attingere conabimur.

*Boni ominis ſigna.* Si, medela tempeſtive inita, dolores antea fixi ex parte in partem migrant, ſenſim ſenſimque ceſſant; venter detumeſcens ad tactum minus dolet; clyſmatibus reſpondet alvus; copioſe fluunt urinae; ſudore calido lenique totum humeſcit corpus; facile ſedatur ſitis; bene ſe habent lingua, vultus; molles, pleni, et aequales micant pulſus; omnia denique meliora fiunt; rem in vado eſſe judicamus.

*Mali ominis ſigna.* Ventris tormina quae uno praecipue ſaeviunt loco; abdomen tenſum, tactumque refugiens; urinarum difficultas; alvus pertinaciter clauſa; crebrae vomitiones; ſitis quae non extinguitur; linguae ariditas; internorum aeſtus; cum pulſu parvo, duro, ac contracto; nil boni

* Vol. ii. p. 463. † Tom. II. epiſt. xxxv. p. 58. No. 5.

ſpondent,

ſpondent, nec levem imminentis incutiunt metum gangraenae. Subita dolorum remiſſio; magna abdominis inflatio; facies Hippocratica; ſingultus; nigreſcens lingua; extremorum frigus; gelidi ſudores; virium lapſus; urinarum ſuppreſſio; tendinum ſubſultus; mens emota; pulſus debiles, intermittentes, aut qui vix percipi poſſint; nigrae denique et foetentes alvi excretiones; inſtantem denunciant mortem.

Mali quoque inter ominis ſigna, etiamſi a plurimis minime ſuſpecta habeantur, recenſet Morgagni: "Pulſum humilem, et qui, ſi bene attendamus, ſibi ſubobſcure diſſimilis ſit; abdomen durum, tenſum, et cum dolore quodam; faciem quae minime placet, vel aliquid inſoliti, ut oculos exterrefactos, livorem circum labra, oſtendit." Et alibi, "Inter peſſima autem ſigna," inquit ſagax ille vir, "et proximam mortem indicantia, jure meritoque reponimus nigras dejectiones, cum dolorum ceſſatione conjunctas." Quod ad gangraenam ſpectat, haec prudenter monet: "Cave tamen viciſſim credas, in quibus ſphacelus inteſtinorum ſit, in iis ſemper dolores ceſſare, edoctus adoleſcentuli hiſtoria, qui cum ultimas quindecim vitae horas ob immane dolorum tormentum jugiter clamare coactus eſſet; tamen inteſtinorum partem multo maximam tam nigram habuit, quam qui nigerrimam *."

## RATIO MEDENDI.

Ex ſupradictis luce clarius patet, hujuſce morbi medelam quam maxime properandam; omnia quae ratio et uſus docuerunt prodeſſe poſſe remedia ſimul et ſemel in uſum ſunt vocanda. Apte itaque dicit Morgagni, "Scilicet, hujus morbi curſus ſaepenumero opinione celerior eſt, ut ſi horas ſpectes, incipere tum etiam cenſeas, cum, ſumma jam illata noxa, ad finem properat exitialem: Itaque ſi quo in alio, in hoc certe morbo, verum eſt illud Hippocraticum, Occaſio praeceps †."
In curatione enteritidis bina medendi conſilia veniunt adimplenda ‡.

I. Vaſorum conſtrictionem, et ſanguinis impetum, qui in omni inflammatione obtinent, tollere.

II. Symptomata urgentia levare.

* Ibidem, p. 62. et 63. † Ibidem, p. 57. No. 3.

‡ Curatio enteritidis univerſim eadem eſt atque gaſtritidis; verum ſub enteritide major plerumque opportunitas eſt liquida, acida, acescentia, et alia medicamina refrigerantia, quin etiam laxantia adminiſtrandi. Et tamen cavendum eſt, cum vomitus perquam frequens in hoc morbo ſit, ne ſtomachus vel quantitate vel qualitate alicujus rei ingeſtae magis irritetur. Cull. Prim. Lin. Beerenbrock.

Primo inſerviunt conſilio quae ſequuntur remedia:

*Sanguinis miſſiones, cum generales, tum topicae.* In his cardo curae vertitur; haec ſacra, dum procellae ſaeviunt, anchora; praetermiſſo enim ſeriuſve adhibito hoc principe remedio, vana ut plurimum et inania evadunt reliqua artis auxilia; hinc ſententiam Aretaei tantopere collaudat illuſt. Van Swieten: "Verum optime Aretaeus in curatione hujus morbi dixit, nullum remedium adhibendum eſſe, niſi quod robore et celeritate auxilii tanto morbo adaequatum eſt; unde jubet, venam in cubito aperiendam eſſe lato vulnere, ut multus ſubito ſanguis exeat; ad animi etiam deliquium uſque *." Nulla fortaſſe datur interna inflammatio, pleuritide vix excepta, quae crebriorem largioremve poſtulat ſanguinis miſſionem. Caveant incauti, ne illos decipiant parvi et quaſi humiles pulſus, ad quos ſi attente advertant animum, una explorabuntur duri, contracti, ac digitum prementem tenſae inſtar chordae ferientes; hoc quoniam rerum ſtatu nunquam non proficue ſecantur venae, unde minuitur acerbitas dolorum, reficiuntur vires, molliores dant arteriae ictus. Pro ratione igitur virium et ſymptomatum ſanguinis detractiones audacter repeti jubet peritiſſimus Pringle †. Nec propria refragatur experientia; haud enim ita pridem, ad quendam hoc morbo graviter decumbentem accitus, graviter inquam, quum male ſe habuerint facies, abdomen, pulſus, venam bidui ſpatio ad quartam uſque vicem feliciſſimo cum eventu aperui, et tanto ex diſcrimine evaſit aeger. Dummodo igitur ſinant vires, ſimulque perſtent vel renoventur ſymptomata, iterandae ſunt ſanguinis miſſiones. Monitos autem, nec immerito, voluit medicos laudatus Morgagni, ne nimis ſero in ſubſidium trahatur valentiſſimum hocce remedium: "Longe enim aliud eſt antequam fiat inflammatio, aut etiam dum fieri incipit, venam ſecare; aliud, cum facta eſt, et vires languent, et omnia in praeceps feruntur, ſubire; ut Celſi verbis rem eloquar, ſpeciem ejus ut occiſi, quem ſors ipſius interemerit ‡." Et paulo poſt nonnullis hujus mali allatis exemplis, quibus ſanguinis detractio ſerius inſtituta nocuiſſet, nedum prodeſſet, haec aſſerit digniſſimus vir: "Non adverſus utiliſſimum, ſi tempeſtive utaris, auxilium, ſanguinis miſſionem haec ſcribo; ſed quid cito accidere, vel poſt hanc in morbis ejuſmodi poſſit, ubi praevalcant convulſiones violentiſſimae, admoneo, ut et ſcias ipſe, et ante docere alios queas, non eſſe temere magnum auxilium culpandum, ſi forte ejus uſum continuo exitus infelix conſequatur §."

* Vol. iii. p. 174. † Diſeaſes of the army, p. 155.
‡ Loco citato. § Ibidem, p. 58.

Haec

Haec hactenus de generali sanguinis missione: Quod ad topicam, si debilis haereat aeger, si magna jam copia ex syste-mate missus fuerit sanguis, nec adhuc evanescant vel minuan-tur dolores, haud absque fructu regioni umbilicali admove-rentur cucurbitulae cruentae. Nunquid non ad illam intesti-norum occultam inflammationem a Morgagni memoratam, praecipue quadraret haec sanguinem educendi via? Verisi-mile videtur; experientia tamen sola hac in re aliquid certi statuere possit.

*Regimen antiphlogisticum.* Ex natura et sede hujus mali rite perpensis, sponte patet quam exactam tenere debeat aeger diaetam; siquidem omnia ingesta motu intestinorum vermi-culari ad locum inflammatum appelluntur. De curatione tractans, haec habet Boerhaave: "Atque interim caute ca-vendo ab omni acri impetum augente, calefaciente, potu, ci-bo, medicamento, motu, animi affectu *." Pro potu autem, aqua pulli, hordeacea; pro cibo, cremores hordei, oryzae, avenae, et id genus sorbilia, sumantur; nec tantum dum pre-mat morbus, verum etiam per aliquot dies post morbum de-pulsum, ad hanc praescriptam victus rationem vivat aeger: "Licet per illa," inquit illust. Boerhaavii interpres, "quae hactenus tradita fuerunt, dolor cessaverit, febrisque remiserit; tamen debemus cogitare, partem illam intestinorum, ubi mor-bus haesit, diu adhuc retinere talem sensibilitatem, ut facilli-me denuo dolor, spasmus, inflammatio, recrudescere possint, si vel levis irritatio accesserit ab ingestis, vel acrioribus, vel difficilioris digestionis †.

*Sudorifica.* Quae blandum movent sudorem medicamenta, cum sanguinis circuitum per totum corpus reddunt aequalem, haud inanem aliquando ludunt operam. Haec inter eminent antimonialia refracta dosi, adeo ut nauseam moveant assum-pta; vi quippe commercii, quod cum summa cute habet ven-triculus spasmos illam tenentes solvunt, et exinde sanguinis superpondium ab interioribus in exteriora deducunt; quod in curatione internarum inflammationum saepe saepius feliciter cessisse, nemini non notum. Diluentes et tepidae potiones largius haustae, vasa quoque perspirabile excernentia, leniter relaxant; atque insuper, salutarem hunc simul exserunt ef-fectum, ut aestus febrilis minuatur, sitisque molesta ex parte sedetur: Quodnam genus potionum hic maxime sit idoneum, jam supra, dum de regimine agebatur, monstravimus.

*Vesicatoria.* Plurimum haec prodesse quibuscunque topicis inflammationibus, quotidiana confirmat practicorum observa-tio, cui nil derogant ineptae quorundam, de modo quo ope-

* Aphor. sect. 964. No. 5. † Vol. iii. p. 182.

rantur

rantur veſicantia, theoriae : Quae non inutilem huic morbo praeſtare opem, bene depletis prius vaſis, teſtatur celeberrimus Pringle *. Cui aſſentit praeclarus noſter Gregory †.

*Cucurbitae ſine ferro.* Huic quoque conſilio nonnunquam accommodantur cucurbitae incruentae, quae abdomini admotae, dum humorum copiam et impetum ab internis partibus avertunt, in externas derivant, ſalutiferos edunt effectus.

II. *Symptomata urgentia levare.*

Ut recte perficiatur hoc conſilium, ante omnia prudentis erit medici ducere alvum, et compeſcere dolores. Alvus ducitur per

*Cathartica leniora.* Aſtrictiori alvo nunquam non admodum hoc exacerbatur malum ; quinimo ex hoc ſolo, uti ſupra jam innuimus, principio ortum ſuum ſaepe ducit enteritis. Ut eliminentur autem ſcybula, et alvus fiat libera, (maximi quod eſt momenti), leniora tantum, et quae mitiſſimo gaudent ſtimulo, conveniunt cathartica ; cujuſmodi ſunt Elect. lenitiv. Flor. ſulphur. Sales neutri, ol. ricini, &c.

*Enemata emollientia.* Summi pariter pretii ſunt clyſmata laxantia, quae haud tantum ſolutam conſervant alvum ; verum etiam, dum interni vicem explent balnei, totum inteſtinorum tractum fovent et mulcent : " Frequenter autem," affirmat Van Swieten, " haec repeti poſſunt, imo debent, ut leniatur acerbus ille dolor, et laxentur ſpaſmo conſtrictae partes ‡." Eadem fere clar. Hoffman : " Haec tamen circa uſum clyſterum addenda obſervatio, ut bihorio fere quovis, ſi neceſſitas urgeat, injiciantur, et paulo diutius retineantur §." Si vero, ut quandoque fit, minime reſpondeat alvus pertinaciſſime clauſa, vel tanta ſit ani conſtrictio ut clyſteris tubulum admittere nequeat ; balneo vaporis, dum ſellae perforatae inſidet aeger, conſtrictus foveatur anus ; et ſubinde, ſubtiliſſimi ope ſyphonis, infundatur ol. olivarum tepefactum, ad uncias quatuor ; cujus praeſidio, facilius poſthac ad feceſſum ſtimulant ventrem clyſmata communia.

Dolores compeſcuntur per

*Anodyna.* Opiatis prudenter adhibitis ſuae ſunt laudes ; quippe quod dolores, hoc ſaepe in malo vix tolerandos, potentiſſime conſopiunt : Nulla tamen morbi periodo ad haec confugere licet, dum adhuc viget inflammatio, alvuſque manet occluſa. Hoc poſuit in praxi monitum celeb. Hoffman : " Praemiſſa, ſi vaſorum plenitudo urget, venaeſectione, laxata etiam clyſteribus admiſſis alvo, ſi atrox dolor cedere

* Diſeaſes of the army, p. 153. † In praelectionibus.
‡ Vol. iii. p. 175. § Tom. iv. p. 544.

nolit,

nolit, optimo consilio, sine omni metu, anodynum ex opio profuit, quo tormina conquiescunt, et spasmi ac sudor sequitur *." Quod confirmat illust. Van Swieten: "Verum haec non conveniunt, nisi prius sanguinis missio et clysmata adhibita fuerint, ut inflammationis augmentum impediatur: Secus enim contingere posset, ut, per opiata sopito doloris sensu, causa doloris, inflammatio nempe, destrueret gangraena nata, partem affectam *." Ab opiatis autem prorsus abstinendum, si virium prostratio, et quae alia praesentem sphacelum denotant signa adsint, ne inopinatum doloris lenimen exhibito adscribatur remedio, uti et mors brevi sequens, cum magna medici infamia. De opii usu notandum restat, quod, praemissi unave assumpti beneficio opiati, lenia non raro purgantia certius et citius suos praestent effectus; tunc enim, spasmis solutis, non ita pertinaciter catharticorum vim eludit alvus.

*Topice applicata.* In hunc scopum alia aliis arridenti remedia loco affecto applicata: Inter usitatiora recensentur, fotus, cataplasmata ex mica panis et lacte parata, vesicae decoctis emollientibus repletae, linimenta ex oleo et camphora confecta, et infinita similia. Non desunt qui pellem vel omentum recens mactati animalis admoveri, vel catulum viventem nudo ventri diu accumbere jubent; nec forsan penitus haec exoccifacienda: Quandoque autem pondere et asperitate horum increscunt morbus et dolores, cum saepe tanta et tam dolorifica adsit abdominis distentio, ut nec tactum manus paulo validiorem ferre possit aeger.

*Balneum tepidum.* Caeteris vero omnibus quae exterius admoventur auxiliis palmam praeripit balneum temperate calidum; vi enim qua pollet laxante, spasticas intestinorum constrictiones solvit, et exquisita placat ventris tormina. Nullo non tempore, prius celebratis debitis sanguinis missionibus, tutissimum et efficax praestat remedium, quod semel et iterum nobis contigit vidisse. Cavendum autem ne nimis diu inter balnea detineatur aegrotans, nec calor aquae sani corporis calorem transcendat; aliter, stimuli munia obeunte balneo, in pejus rueret malum.

* Loco citato.

# DE HEPATITIDE.

*AUCTORE R. SCOTT.*

HAC in dissertatione, de hepatitide, sive jecoris inflammatione, disceptare in animo est. Quod hoc argumentum aliis praetulerim, excusationem adferre supervacaneum esse duco; quippe propositum parumper cogitantibus, quanto usui sit hepar in animalium oeconomia, et idcirco quanta series malorum, ab eo tam prave affecto, originem ducat, dignum certe apparebit. Antequam hujusce tractatus praecipuum opus investigare incipio, pauca de situ, nexibus, et structura istius organi in statu naturali et sano, praedicere perneccessarium videtur; utpote ab hoc statu variationes jamjam differendae planius tunc intelligentur.

Hepar, e visceribus maximum, corpus glandulare, colore subfusco, rubricato, sub diaphragmate proxime situm est; majore ex parte, in dextro hypochondrio, quod ex toto fere replet; quod reliquum est, in epigastrio; interdum tamen, ineunte aetate praesertim, semet sinistrum in hypochondrium, ad lienem usque, profert. Figura hepatis admodum irregularis est, ut vix describi possit; parte posteriore, et in dextrum, percrassum; anteriore autem, sinistrumque vergente, gradatim tennius fit, et in acie finitur. Facies superior laevis est, et convexa, seu gibba, uti dicunt, ut cum diaphragmate cavo quadret, cui per totum contigua est, et ligamentis tribus, quae nihil sunt nisi productiones duplicatae peritonaei, adnectitur. Ligamenta lateralia lobos dextrum et sinistrum, extrema versus, diaphragmati vinciunt. Ligamentum vero medium sive suspensorium, a parte hepatis posteriore oritur, et antrorsum procurrens, per rimam seu incisuram in acie hepatis, ad superficiem inferiorem descendit. Toto ejus cursu hepar peritonaeo, sive diaphragma sive musculos abdominales tegenti, ligans; et inferiore ejus margine venam umbilicalem, post partum consolidatam, secum ducens. Praeter haec ligamenta, hepar parti diaphragmatis posteriori et tendinosae, per adhaesionem, minus apte ligamentum coronarium appellatum, haeret. His et quibusdam aliis nexibus, posthac memorandis, hepar nonnihil firmum et stabile suo loco retinetur. Facies hepatis inferior concava et inaequalis, hinc inde depressa, et prominens, apparet. Ab rima marginis anterioris, deorsum et retrorsum ducitur sulcus paulo profundus, apud quosdam, magnae jeci-

neris

noris fiſſurae, apud alios, foſſae venae umbiclicalis, nomen obtinens; et, ut in ſuperficie convexa, per ligamentum ſuſpenſorium, ita, in concava, per hanc fiſſuram, hepar duos in lobos, alterum dextrum ſeu magnum, alterum ſiniſtrum ſeu parvum, diſtinguitur. Fiſſuram pervadit vena umbilicalis, cito in venam portarum inferenda; ad dextras fiſſurae, eminentia quaedam, lobulus anonymus dictus, conſpicitur. Fiſſura irregulari hepatis excavatione parum anguſta, cui imponitur nomen ſulci tranſverſi, a dextro ad ſiniſtrum lobum tranſeuntis, tandem terminatur. Ante hunc ſulcum, juxta lobi dextri marginem, ſinus haud amplus, pro veſicae felleae domicilio, effoditur. A parte poſteriore ſulci, ad curſum fiſſurae magnae hepatis propemodum directa, brevis foſſa, ad canalem venoſum, poſt partum, obcluſum, in venam cavam ducendum ſerviens, retrorſum abit. Ad latus dextrum hujus foſſae, exſurgit prominentia pyramidalis, lobulus Spigelii vocatus, quae, cum lobulo anonymo contra reſpondente, ab antiquis portae fuerunt nuncupata; ad dextram lobuli Spigelii ſulcus, ſaepe tubus, oblique poſitus, pro tranſitu venae cavae, efformatur. Quinetiam, lobus dexter, in extremo ejus, ubi reni dextro inſidet, parvulam depreſſionem exhibet, ibique et reni, et capſulae atrabiliariae, huic per ſubſtantiam cellularem, illi per peritonaeum, vincitur. Anterius autem, et marginem verſus, magnum coli arcum, cui per meſocolon adnectitur, premit. Lobus ſiniſter, per totum laevis, ventriculo ſuperimponitur, cujus minor curvatura lobulum Spigelii amplectitur, eique, per omentum minus, adjungitur. Hepar a peritonaeo externam ſuam membranam accipit; interior ſubſtantia heparis, ex vaſis per telam cellulosam inter ſe junctis, conflatur. A ramo arteriae coeliacae dextro originem ducit arteria hepatica, quae ad ſulcum tranſverſum progrediens, ibi, majore ex parte, in duos ramos, poſtea per lobos ſecundum curſum venae portarum multipliciter diviſos, finditur. Haec autem, nempe vena portarum, ab venis omnium abdominis viſcerum, renibus exceptis, inter ſeſe conjunctis, et in unum truncum tandem coaleſcentibus, ortum trahit. Hic truncus, ſulcum tranſverſum versus curſum ſuum dirigens, inter portas, unde eſt nomen, duos in ramos dividitur, et hi poſtea per totam ſubſtantiam hepatis minutiſſime diſtribuuntur, bilem ex ſanguine ſecernentes. Sanguis autem et arteriae hepaticae, et venae portarum, per hepaticas venas, quarum tres multo majores, aliae, circiter octo, minores ſunt, in venam cavam infunditur. Nervi hepatis parvuli, ſed numeroſi, a ramo nervi intercoſtalis ſplanchnico, et a plexu poſteriore octavi paris, oriuntur.

Lymphatica vero vasa, circa portas praecipue ludentia, ibique multis glandulis gaudentia, ad ductum thoracicum tendunt. Omnia hepatis vasa, antequam ejus substantiam ingressae fuerunt, tunicam communem, densam, cellularem, capsulam Glissoni vocatam, sibi adsciscunt.

Bilis, ex sanguine separata, in ductus biliarios urgetur, qui ramorum venae portarum cursum sequentes, et inter se coeuntes, tandem unum ductum, hepaticum scilicet, conficiunt; hic vero postea, ductu cystico adjecto, sub nomine ductus communis cholidochi ad duodenum pervenit; cujus tunicas oblique penetrat, et in intestini cavum, circa tres aut quatuor a pyloro uncias, bilem trudit, obliquo ejus ingressu ab intestino regurgitationem prohibens. Vesica fellis figura pyriformis, in fovea faciei concavae, fundo ad anteriorem dextri lobi marginem, quam saepe superat, verso, oblique sita est, cervice ejus originem ductui cystico, hepaticum introeunti, praebente. Vesicae felleae tunica ac hepatis externa est eadem, et hoc cum illa connectit.

Haec ad anatomiam sufficiant; nam diffusius loqui, ad rem nostram non pertinet. Deinceps, de hujus visceris inflammatione differere, ut proposui, memetipsum accingo.

Morborum, qui corpus humanum infestant, variorum, nulli, hisce in regionibus, in septentrionem spectantibus, saepius obveniunt, nullos symptomata citius lethifera comitantur, quam inflammationes; nam, etsi cum in ortu obviam itur, remediis rite adhibitis fere cedunt; tamen, cum brevi quidem tempore progressae sint, nova auxilia, novas vires, sibi acquirunt, et conatus e medicis peritissimorum haud raro irritos reddunt. Inflammatio hepatis, si quosdam auctores auscultemus, morbus est rarissimus; inter caeteros etiam clarissimus Hoffmannus ad hanc opinionem fulciendam, omnem nervum tetendit *. Huic tamen assentire nequeo, quippe testimoniis multorum de hac re scriptorum, et variis cadaverum sectionibus, contrarium satis evincitur; confitendum tamen est, hepatis hisce in plagis nequaquam tam vulgarem esse, quam aliorum viscerum, inflammationem. Hepatitis apud plerosque in duas species distincta est, erysipelatosam, et phlegmonodeam. Sed haec distinctio fundamento admodum incerto insistere videtur; nam, ex theoria erysipelatis, hanc, in partibus solum cuticula vel membrana simili ornatis, oriri posse, manifestum est; sed ex anatomia, membranam hepatis simplicem et unam esse, a peritonaeo deductam, evidenter apparet; ideoque ullam inflammationem erysipelatosam ibi unquam

* Opusc. patholog. pract. dec. II. differt. viii. p. 484.

locum

locum obtinere, vix et ne vix quidem probabile eſt. Eruptio vero, quam multi tranſlationem eryſipelatis ab hepate ad ſuperficiem eſſe putaverunt, alio loco, aliiſque principiis, explicabitur. Altera fuit hepatitidis diviſio, in parenchymatoſam, et membranaceam. Vulgo creditum eſt, inflammationem acutam primam ejus ſedem, vel in parenchymate viſceris, vel in membrana circumcingente, habere poſſe; et hinc inflammatio pneumonica in peripneumoniam et pleuritidem fuit diviſa. Multa tamen obſervata, internam ſubſtantiam hepatis ſpecialiter perexigua ſenſibilitate praeditam eſſe, oſtendunt; et in diſſectionibus, abſceſſus ampli in ea facti, cultro anatomico ſeſe praebuerunt, quamvis per vitam nulla inflammationis ſigna apparuerant. Ab his ergo, rite perpenſis, inflammationem acutam, nunquam a parenchymate, ſed ſemper a membrana veſtiente, initium ſuum capere, concludere licet. Sed, quanquam abſceſſus ita in parenchymate, ſine ſignis inflammationis, formati fuerunt; tamen hos, abſque ulla inflammatione praecedente, fieri poſſe, nequaquam eſt credendum; hujus alicui gradui quamvis obſcuro attribuendos eſſe mihi videtur. De hac obſcura ſeu chronica inflammatione, uti dicunt, alia in medium proferre, polliceri non poſſum, ut nunquam fortaſſe, propter ſymptomatum ejus obſcuritatem, arti Aeſculapianae ſubjicitur; et igitur culpa liberatum iri ſpero, ſi hocce opuſculum intra acutae hepatitidis limites cohibere velim.

Hepatitis acuta eſt vel idiopathica vel ſymptomatica; ſed haec a noſtro argumento prorſus aliena eſt; ideoque de hepatitide idiopathica ſolum tractabo.

## CHARACTER.

Inflammatio, nunquam, niſi quando morbus diu manſerit, omniaque in pejora ruerint, eodem tempore, ambas jecoris ſuperficies capit, nec una certa parte ſemper verſatur; hinc diſpares ſymptomatum concurſus, uti diverſae partes vicinae in conſenſum adductae fuerunt, oriuntur; et ex hoc fit, ut characteres hujus morbi, pleriſque noſologis traditi, valde imperfecti ſint; majore enim ex numero, ea ſymptomata tantum quae faciei hepatis convexae inflammationem praecipue denotant, complexi ſunt; ſic deficit Sauvageſii clariſſimi definitio, "Dolor, tenſio, calor in regione hepatis, cum pondere, tuſſi ſicca, reſpiratione difficili." Linnaeus autem, ſyſtematicorum princeps, in definitione ſua iiſdem fere ſymptomatibus utitur. Vogelius vero, ſymptomatibus Sauvageſio recenſitis, addit, "Icterus, interdum bilis vomitio, et per alvum dejectio." Sed toto coelo errat; nam icterus, in he-

patitide idiopathica, rariſſime accidit; et ergo in characterem ejus nequaquam adſumendus.

Vomitus bilis et dejectio bilioſa, in hepatitide, febrium intermittentium ſymptomatica, ſaepenumero occurrere videntur; ſed in idiopathica longe rarius, quam in definitione morbi enumerari poſſint.

## DEFINITIO.

" Pyrexia, hypochondrii dextri tenſio et dolor, ſaepe pungens pleuritici inſtar, ſaepius obtuſus; dolor ad claviculam et ſummum humeri dextri; decubitus in ſiniſtrum latus difficilis; dyſpnoea, tuſſis ſicca; vomitus; ſingultus *."

Sed, quamvis haec definitio alias antedictas multo ſuperet, tamen haec etiam, ut auctor ipſe ingenue fatetur, errores ſuos patitur; illi vero, ab ſtatu noſologiae adhuc imperfecto, oriuntur; proinde hunc, uti optimum morbi characterem, adoptare licebit.

## SYMPTOMATUM MORBI ENARRATIO.

Hepatitidi fere ſemper ſenſus frigoris, horror, rigorque praecedunt; quorum in loca, calor, ſitis, inquies, viriumque diminutio, ſubeunt; pulſus item frequentior, plerumque fortior et durior naturali fit; una cum his concurrunt dolor, tenſio, et ardor in regione hepatis, ut plurimum dextro in hypochondrio, ubi aliquantum tumoris ſaepe apparet, exordientia. Dolor aliquando acutus, ſaepius vero hebes, ad claviculam et ſcapulam fere pervenit, et, hypochondrio preſſo, acerbior fit; in latere collocatus, ut in pleuritide, crebro eſſe videtur, et inſpiratione augetur; aeger ſaepe lateri ſiniſtro ſine magno dolore recumbere non poteſt. Morbum quam maxime comitatur tuſſis, fere ſicca, interdum tamen humida: reſpirandi aliqua difficultas aegrotum plerumque urget, et ſingultus ſaepe ſaepius vexat. Anorexia, nauſea, et vomitus, in quo bilis ipſa aliquando exantlatur, frequenter invadunt. Alvus plerumque aſtricta; urina in genere parca, ruberrima; cutis maximam partem arida; color faciei et oculorum interdum flavidus. Dextrae manus torporem, aliquando ab aegro hoc morbo laborante, percipi, Celſus teſtatur †. Praeterea, hoc, ut in aliis morbis inflammatoriis, ſanguis, e vena apte eductus, et concretus, ſuperficiem albidam, coria-

* Gener. morb. Cullen.

† Cel Prof. Whytt bis notavit in aegris hepatis ſuppuratione laborantibus debilitatem et torporem brachii, femoris, et cruris dextri.

ceam,

ream, exhibet. Haec ſunt, igitur, ſi non omnia, ſaltem praecipua phaenomena, quae in hepatitide, antequam vel in ſanitatem vel in alios morbos exeat, ſeſe evolvere viſa fuerunt; quando autem hoc fit, aliae turbae, alia ſymptomata, naſcuntur.

## RESOLUTIO.

Si inflammatio, ſtatu partium integro manente, penitus extinguatur, reſolutio contigiſſe dicitur.

Hoc locum habet, cum congeſtio et ſpaſmus tam lenia ſunt, ut actio vaſorum ſola ad ſpaſmum ſuperandum, congeſtionemque removendam, ſatis ſit. Aut quando, ab majore ſanguinis impetu, aucta in telam celluloſam exhalatio ad eoſdem effectus producendos ſufficiat.

Rarius autem, per hoſce modos ſolos, reſolvitur hepatitis; illius ſolutionem frequentius comitatur aliqua evacuatio, per quam diatheſis phlogiſtica ſyſtematis aufertur, et ſpaſmus et congeſtio e vaſis jecinoris amoventur.

Haemorrhagias e naribus, et vaſis haemorrhoidalibus, necnon etiam uterinis, ſaepe et antiquiores, et recentiores, huius ſauſti eventus prodromos eſſe, animadverterunt. Diarrhoea item, in qua dejectiones, bile aliquando et ſanguine, inctae, videntur, haud raro accidere dicitur. Quinetiam, ſudores copioſe effuſi, urinaque affatim mincta, ſedimentum vel lateritium, vel album puriforme, deponens, hujus morbi reſolutionem creberrime comitantur; cui porro eruptiones in ſumma cute, aut abſceſſus in diverſis corporis partibus, quandoque obveniunt.

## SUPPURATIO.

Plerumque in hepatitide aliquod humoris praeter naturam in telam cellularem effunditur; hoc, ſi tenue ſit, morbo in ſanitatem tendente, abſorbebitur; ſin autem, ex ſero ipſo, propter ſpiſſitudinem non ex toto inhalatur, ſed tantum pars tenuior; altera vero, glutinoſa, ut ab experimentis Gaberi conſtat, fermentationem quandam ineundo, ſenſim in pus mutatur. Species hujus fluidi multum variat, quando ſubalbum, ſubviſcidum, et mite eſt, pus laudabile appellatur; at fermentatione purulenta procedente, ſubſtantia cellularis, itemque vaſa minima, eroduntur, et ad pus augendum ſymbolam conferunt. Simulac hepatitis in ſuppurationem tendit, dolor ſeſe remittit; et tunc ceu micans fit, dum pulſus plenior

nior et mollior evadit, horroreſque vagi et inordinati excitantur. His ita praemiſſis, ſenſus potius gravitatis, quam doloris, in regione hepatica percipitur; jam ingruit febris hectica, ſudoribus colliquentibus diarrhoeavé conſociata, hepate ipſo interea extabeſcente. Hinc alimentorum concoctione corporiſque viribus ſuffoſſis, aeger miſellus, adhuc ſaepe meliora ſperans, pedetentim fato ineluctabili cedit.

Rarius vero obtigit, pus abſceſſu retentum nullum exitum ſibi expiſcari; ſaepenumero, ductibus biliariis eroſis, in ductum hepaticum, et poſtea in duodenum, defertur, exinde per vomitum et diarrhoeam purulentam ſeſe eliminans. Haud raro pus ex vomica erumpit, et, re ita ſeſe habente, ſi nulla partem affectam inter et vicinas fuerit conglutinatio, in abdominis cavum effunditur. Sin adhaeſio, primo morbi ſtadio, efficiatur, puris detractio multifaria fuerit; quando enim abſceſſus faciem hepatis ſuperiorem occupaverit, propter adhaeſionem cum diaphragmate, pus aliquando in pulmones penetrat, et tuſſiendo expuitur *. Saepe cum peritonaeo, muſculos abdominales velante, cohaeſione facta, pus hoſce corrodit, et externe evacuatur. Quum autem ſuperficiem concavam poſſedit, ventriculus vel colon, vel etiam duodenum, erodatur, ſicut horum uni alterive conjuncta ſit pars ſuppurata, et tunc vel vomitu vel ſede pus ejicietur.

## GANGRAENA.

Alius hepatitidis, ut cujuſcunque inflammationis, terminus, gangraena eſt. Haec accidit, quando humor effuſus, vice purulentae, putridam fermentationem ſubit; hac vero ingraveſcente, textura celluloſa et vaſa liquefacta ſunt, omniaque, et fluida et ſolida, in ſaniem acrem et foetidam, rediguntur. Haec tam horrenda mutatio, ab ſanguinis rubris particulis large egeſtis, ſaepe oriri videtur; illae enim cito putreſcunt. Sed quanquam ab hoc fonte gangraena in genere emanare videtur; tamen nimia vaſorum excitatio, tonum eorum diruendo, et idcirco ſtagnationi fermentationique putridae fluidorum contentorum anſam praebendo, aliquando eam ſola progignat. Ubi febris putrida hepatitidem concomitatur, gangraena, putrido fermento, in fluida, ſeu extra vaſa, ſeu adhuc in iis retenta, agenti, originem debeat.

Quum primum gangraena ſupervenit, dolor et tenſio ſubito ceſſant; dum pulſus arteriarum crebri, debiles, et intermittentes fiunt, totum ſyſtema magna debilitas pervadit; ex-

* Hujus a Lieutaudio memoratur caſus notatu dignus, in quo ſex vel octo librae puris in pulmones infuſae ſubito expectoratae fuerunt.

trema

extrema corporis palleſcunt frigeſcuntque ; ſudores frigidi circa caput et pectus exudant ; crebreſcunt ſingultus et vomitus, et evomita colore ſubatro ſunt ; faeces et urina neſcio defluunt aegro. Delirium mite, et tendinum ſubſultus, quae mors ultima linea rerum tandem pacat, invadunt.

## SCIRRHUS.

Inter terminos inflammationis in genere, hepatitidiſque praecipue, ab omnibus fere adnumeratur ſcirrhus. Sed haud commode fortaſſe ; nam acutam hepatitidem perraro ſequitur, et quando contingit, ſolum eſt fortuitus, non ab inflammatione, ſed ſubſtantiae interioris hepatis natura, pendens ; parenchyma etenim tali inſenſibilitate praeditum eſt, ut magnas congeſtiones ſine ulla reactione patiatur ; hinc, ſtatus inflammatorii defectu, potius quam inflammatione ipſa, ſcirrhus oriri dicatur ; et, quod mihi pro argumento crucis eſt, quando inflammatio ſupervenit, ſcirrhum plerumque non auget, ſed in abſceſſum convertit ; eum, ergo, ut hepatitidis finem, ſilentio tranſire placet.

In hepatis, aeque ac aliorum viſcerum, inflammatione, an reſolutione morbus terminetur, necne, exudatio, ex parte inflammata, rariſſime non occurrit ; cui adhaeſiones, tam ſaepe in hoc morbo formatae, originem debent.

## DIAGNOSIS.

Antea affirmavi, ſymptomatum coacervationem, hoc in morbo, uti hepatis ſuperior inferiorve facies praecipue afficitur, variam eſſe ; diverſas morbi varietates diſtinguere, et ita ancce ſententiam ſtabilire, nunc res eſt.

Quando ſuperficies convexa afficitur, pulſus fortior et durior eſſe dicitur ; dolor lancinans nunc potiſſimum ad clavicilam et ſcapulam ſeſe extendit ; tenſio major in hypochondrio percipitur, ubi tumor ſaepe obſervatur ; reſpiratio, ad hunc quam maxime, laeditur ; dolor in latere ſacpe poſitus ſe videtur, et, inſpiratione facta, exacerbatur, hoc modo pleuriticum ſimulans ; aeger, propter dolorem, lateri ſiniſtro incumbere non poteſt, et tuſſis jam illum exagitat.

Contrarie vero, quum facies concava inflammatur, nulla ſitis, nullus tumor externus, dolor minus pungens, nulla ſpirandi difficultas, &c. ſed magna anxietas, cum nauſea et vomitu, modo tentant. Singultus ſymptoma eſt ambiguum ; neutram enim inflammationem comitetur ; ideoque ab eo nullo certa diagnoſis deduci non poteſt.

Galenus,

Galenus, a diverſis ſymptomatibus, quae circiter morbi reſolutionem obſervantur, hepatitidis ſedem determinare conatus fuit * ; ſed hic aqua haeret.

Hepatitis ſpeciem pleuritis ſaepe prae ſe fert ; propter hanc ſimilitudinem, medicos callentes decipere quis eſt qui ignoret † ? Hi morbi quidem aliquando inter ſe adeo conjuncti ſunt, ut mutuo ſibi manus porrigere, et in unam individuamque affectionem coire videantur ; et tunc uter idiopathicus, uter ſymptomaticus morbus, dictu difficillimum eſt ‡. Quando vero ſeorſum occurrunt, facile, pleriſque ſaltem caſibus, dijudicantur.

Cum enim aegrotus, hepatitide laborans, ſiniſtro lateri incumbere quietus nequeat ; pulmonis dextri inflammatio, e contra, lateri affecto illum incubare tantum ſinit : Quinetiam, in pleuritide, dolor interdum ab uno ad alterum latus repente migrat ; dum in hepatitide, firme inſidet, et ſaepiſſime, quod in pleuritide perraro accidit, ad jugulum et ſcapulam aſcendit. Item, in hepatitide, dolor ſemper ingraveſcit, hypochondrio dextro preſſo ; contra vero in pleuritide ; tuſſis quoque in hepatitide ſicca, in pleuritide, aliquo morbi tempore, ſemper humida, ad diſcriminandum haud parum confert.

Ut in hepatitide ſaepe, in gaſtritide ſemper, obviam fiunt nauſea, vomitus, et ſingultus. Inter has diagnoſis igitur obſcura videatur ; ſed pulſus typhodes in gaſtritide, et doloris ſedes, ſimulatque vomitus, et ſingultus aſperitas et frequentia, hanc ab altera ſatis clare diſcernunt.

Hepatitidem inter et ſplenitidem, diſcrimen, ab ſitu doloris et tumoris in novitiſſima, necnon, ſymptomatum hepatitidi proprium defectu, primo intuitu, ſeſe oſtendit.

In enteritide et colica, dolor circa umbilicum torquere percipitur ; et praeterquam, in priore, pulſus typhodes eſt, poſteriorem nulla pyrexia comitatur ; proinde nullus de harum et hepatitidis diſtinctione in animum ſcrupulus injici poteſt.

Quamvis in peritonitide, dolor poſitu ſuo dolorem in hepatitide aemulétur ; tamen ad claviculam nunquam pervenit : et praeterea, nulla alia ſunt ſymptomata, quae rem, minima quidem ex parte, in ancipite ponant.

* " Hepatis gibbae partes inflammatae tribus praecipue criſis modis obeunt, Haemorrhagiis ex dextra nate, atque ſudoribus utilibus, et urinis copioſis ; ſimae autem partes excrementis alvi biliofis, atque ſudoribus, nonnunquam etiam et vomitibus." De criſib. lib. iii. cap. 3. charter. tom vii. p. 1[illegible].

† Cullenus, praelectionibus ſuis practicis, hepatitidem aliquoties ſe perbentem, quaſi pleuritidem tractatam eſſe, et cum aeger alio morbo contecti fuiſſet diſſectus, nulla pulmonicae inflammationis, ſed hepaticae, ſigna manifeſta ſupereſſe, auctor eſt.

‡ Hinc pleuritis hepatica et hepatis pleuritica auctorum.

Deniqu[illegible],

Denique, ab musculorum superincumbentium affectione, facile distinguitur hepatitis; quoniam in illa tumescentia et rubedo magis evidentes musculorum tractum sequuntur, et musculi, propter dolorem, quemlibet motum et tactum fugiunt. Quibus adjici potest, non ullam adesse tussim, nec vomitum nec singultum, &c.

## PROGNOSIS.

Hepatitis incipiens remediis rite adhibitis rarissime non celat; sed post breve processerit, imperio ejus diffuso, vicina pioque subjugantur; unde malorum congeries, quae arti Apollinari saepe illudunt, coacervatur. Medici ergo multum interest, integre scire, quo varia symptomata, in mortem an in victoriam laetam, tendant; nam, hoc pacto, etsi tam male eveniat, aegrum, repugnante illo, e medio sublatum esse; tamen morbi proclivitate praemonita, famam, venenatis calumniae sagittis illaesam, servabit; et contra, si omnia ad sanitatem spectent, moesto aegro, amicisque moerore confectis, animos addendi, ineffabili oblectamento potietur.

Haec symptomata, sive salutifera, sive lethifera, enucleandi hic locus est. Quatenus resolutionem inducere, morbumque penitus amovere, idem est; illius indicia omnia fausta sunt; ergo, si nulla jecoris prava affectio praecesserit, uti scirrhus, &c.; si symptomata satis modica sint, primisque diebus paulatim mitiora fiant; hunc felicem eventum subsecuturum praedicetur; et haec judicatio stabilior fiet, si aliqua evacuatio critica, seu eruptio, morbi violentiam magis magisque minuens, in vel ante diem septimum accidat. Haemorrhagiae naribus, et sudores copiosi, apud magnum medicinae patrem Hippocratem, crises perfectae appellantur, et re vera pleniorem spasmi solutionem indicant. Sed tamen neque his neque illis, si non symptomatum remissionem inducant, auscultandum est.

Hepatitis saepissime suppuratione terminari videtur; quae, ubicunque locum obtinet, periculosae plena aleae est. In hunc statum res inclinare, cum inflammationis symptomata, ne insigni levatione ultra septimum diem producantur, haudquaquam videmur. Sed haec regula tantummodo generalis est; exempla enim solutionis, morbi stadio longinquiore, non desunt. Suppurationis appropinquatio symptomatibus antea recensitis cognoscitur.

Quando pus ex abscessu, in intestina, propter ductus biliarios erosos, aut erosiones coli, &c. defertur, diarrhoeam purulentam, vel fluxum hepaticum, uti nominitant, gignit; quae

plerumque citius aut ſerius aegrum extremum halitum efflare cogit. Puris in abdominis cavitatem effuſio, inflammationes et eroſiones contentorum excitat, quae ſemper gangraena et morte terminantur. Hanc effuſionem accidiſſe, magna debilitas repente adoriens, crebraque leipothymia et ſyncope monſtrant. Pure in pulmones irruente, ſummo in periculo verſatur aeger, et rariſſime ſuperſtes eſt. Pus, per tegumenta communia externe miſſum, caſum prae omnibus propitium indicat. Hujus futuri, tumor externus elatior, molliorque evadens, et apicem prae ſe ferens, index eſt; cumque corpus eſt vegetum, abſceſſus haud amplus eſt, et pus laudabile effunditur, prognoſis fauſta ducatur.

Gangraena rarius hepatitidi, ſaltem hiſce regionibus, ſuccedit.

Quandocunque vero morbi ſymptomata acerbiſſima ſunt, et remedia potentiſſima illudunt, hanc eventuram eſſe conjiciatur; quum ſupervenerit, "mors ſola medicina putetur."

Inflammationis ad cerebrum vel pulmones metaſtaſes multum periculi ſecum ducunt; ab vultus rubore, cephalalgia, delirio feroci, &c. prior; poſterior autem, ab reſpiratione valde laborioſa, tuſſi, expectoratione cruenta concomitata, &c. pernoſcitur.

## CAUSAE REMOTAE.

Majoris ergo perſpicuitatis, cauſae remotae, in praediſponentes, quae ubicunque occurrunt, inflammationi in genere, hepatitidique praecipue, corpus humanum aptius reddant; et occaſionales, quae forte contingentes, in corpore praeſertim praediſpoſitione imbuto, inflammationem jecinoris concitare queant, jure dividi poſſint.

## CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Neminem, qui doctrina inflammationis generali verſatur, latet, quantum, omnia cordis arteriarumque contractilitatem acuentia, corpus huic aeque ac aliis inflammationibus exponunt. Hujuſcemodi ſunt ea quae ſimplicis ſolidi firmitudinem, vivique irritabilitatem, vel denique quae vaſorum ſtatum plethoricum, creare pollent.

Sic temperamentum ſanguineum, aetas juvenilis, coelum frigidum, ſpirituoſorum uſus, vitae genus lautum et otioſum, evacuationes conſuetae ſuppreſſae, et multa alia, quae nunc praeſcribere longum eſſet, ab auctoribus, ut hepatitidis ſeminia, nobis in memoriam prodita ſunt. Sed omnia et ſinguła enumerare,

enumerare, et actionis uniuſcujuſque rationem reddere, nequaquam eſt neceſſarium; quoniam inflammationis in genere cauſae tam ſaepe antehac fuſe tractatae fuerunt, ut "omnibus et lippis notae et tonſoribus eſſent." His vero praeteritis, aliae cauſae ſunt, quae hepar ſpeciatim inflammationi obnoxium praebent; tales ſunt inflammationes hujus organi praecedentes, quae, vaſa nimia diſtenſione debilitantes, morbidamque in iis irritabilitatem inducentes, congeſtioni et inflammationi praediſpoſitionem dent. Tubercula etiam ſcirrhoſa, aut alii ejuſmodi tumores, necnon hepatis adhaeſiones, vaſa comprimendo et conſtringendo, et ita ſanguinis motum per ea impediendo, inflammationi favent. Multae aliae cauſae in medium prolatae fuerunt; ſanguis nempe atrabiliarius; pinguedo omenti nimia; natura ſanguinis venae portarum acris, &c. *; quae omnes baſi inſtabili incertaque inſiſtunt, et potius hypotheticae quam verae morbi cauſae ſunt.

## CAUSAE OCCASIONALES.

Cauſas inter occaſionales referantur ea; quae per totum corpus ſanguinis impetum ſubito percitant; quae ad interiora libramen ejus dant; aut poſtremo ea quae vaſa ipſius hepatis maxime irritant. In primis ſunt, cibi et potiones ſtimulantia in ventriculum ingurgitata, exercitium vehemens, ſubita animi pathemata excitantia; haec enim omnia fibris motricibus novos ſtimulos addunt, et ſyſtematis ſanguiferi actionem magnopere inſtigant.

Sub ſecundis comprehenditur frigus; quippe hoc corporis ſuperficiei, quodam gradu applicatum, conſtrictionem ſpaſticam ſuper vaſa extrema inducit, et ſanguinem, quantitate ſolito majore, introrſum impellit; quo fit, ut ſi aequilibrium, ſanguinis naturae conſentaneum, non cito reſtituatur, congeſtio, praeter naturam, in una vel altera partium internarum, ut quaeque magis praediſponitur, praevaleat. Idem fit, ſi frigus per potus egelidos ventriculo adhibeatur, ob conſenſum ventriculi et ſuperficiei mutuum; ſed haec non tam ex gradu frigoris quam a calore ad frigus tranſitione ſubita, oriuntur. Ad frigus, affectus animum ſubito deprimentes, v. g. terror, hepatitidi aliquando ortum dediſſe, fuerunt obſervati †, hi eodem modo vaſa extrema conſtringunt, et ſanguinem ergo interne accumulant. Cauſae, poſtremo, quae vaſa hepatis praecipue irritant, ſunt injuriae externae, uti ictus, jecoris regioni illatae; hae, vaſa hepatis comprimendo incendendo-

* Vid. Boerhaav. aphoriſm. § 916.

† Hippocr. de affection. cap. 1 Charter. tom. viii. p. 674.

que, actionem eorum adaugent, sanguinisque impetum horsum impellunt: hinc congestio, &c. Sed praeterea, regionibus calidis, ut currente calamo ostendetur, hepatitis a bilis peculiari acrimonia, qua non solum ipsius ductus, sed vasa sanguifera etiam, maxime irritantur, enasci videtur.

Magnam causarum farraginem, ab auctoribus congestam, adhuc notare possem. Sed omnes chronicae aut symptomaticae hepatitidis esse causas, ideoque ad rem nostram nil pertinere, censeo.

## CAUSA PROXIMA.

Causas remotas in genere perpendenti, has ad congestionem in vasis hepaticis producendam conspirare, palam erit. Sed haec vasa fibris muscularibus, et idcirco irritabilitate, instructa, sanguinis accumulationem tam insolitam, sine reactione, qua se a vi distendente expediunt, ferre nequeunt. Hic autem renisus, per stricturam spasticam extremis in vasis factam, quae stimulum reactioni dat, augetur. At spasmus non solum ipsius hepatis, sed etiam totius corporis vasculorum extrema invadit, ut ex frigore, pallore cutis, variis secretionibus et excretionibus minutis, et, cum morbi solutio perficiatur, restauratis, manifeste apparet. Congestio igitur et spasmus, cum vasorum hepatis actione incitata, causam proximam constituunt. Quaestio hic oritur, an hepatitis, venae portarum, aeque ac arteriae hepaticae, ramis, sedem habeat? Affirmantium opinionem celeberrimus Boerhaavius, illustrisque ejus interpres Van Swieten, totis viribus fulcire conati sunt. Sed, pace horum, ut vena portarum nulla tunica muscularis induitur, ea ergo constrictio spastica illeque renisus, ad inflammationem necessaria, ibi locum obtinere non possunt; et ad hoc corroborandum, magnae congestiones, magnaeque illius dilatationes, sine minimis inflammationis notis, inventae sunt. Hinc hepatitidem, venae portarum nunquam, sed arteriae hepaticae semper, affectionem esse, pro verisimili habeo.

## SYMPTOMATUM EXPLICATIO.

Hic ea symptomata sola, quae hepatitidi magis propria sunt, explicare cupio; quoniam aliorum, cuique inflammationi communium, explicatione non opus est.

*Dolor et tumor in hypochondrio dextro ut plurimum sita prosiliique aucta.*—Partem hepatis longe majorem in hypochondrio dextro sitam esse, antea observavi. Itaque, ut inflammatio multo frequentius hac, quam in illa parte, quae in epigastrio

gastrio ponitur, occurrat ; ideoque ejus symptomata dolor et tensio ibi sese ostendant, necesse est. Haec vero symptomata, distractione ultra lumen naturale vasorum, exorientia, hypochondrio presso exacerbantur ; quia tunc vasa hepatis vicina deprimuntur magisque distrahuntur ; et si inflammatio superficiem hepatis convexam occupet, et magna sit, tegumenta communia propellentur, et tumor in conspectum veniet.

*Dolor aliquando acutus, saepius vero hebes.*—Hepar parvula tantum sensibilitate praeditum est ; hinc, nisi cum inflammatio magna sit, dolor hebet ; et eo magis facie inferiore inflammata ; nam ubi superficies convexa afficitur, inflammatio contignum peritonaeum plerumque invadit ; propter cujus sensibilitatem, dolor acutus fit.

*Dolor ad claviculam et scapulam perveniens.*—Quum inter physiologos et pathologos, omnia fere phaenomena corporis humani, ab connexione nervorum in cursu, explicare mos erat ; hoc quoque eodem modo, scilicet, a nexu nervi phrenici dextri cum tertio et quarto ejusdem lateris cervicalibus, satis enodatum esse arbitrabantur.

Sed haec explicatio, mehercle, nequaquam rationi consentanea videtur. Quandoquidem, si ita res se habeat, hoc symptoma in paraphrenitide frequentissime observaretur ; quia in illo morbo diaphragma, ideoque nervi phrenici, magis irritantur. E contrario autem, quantum mihi notum est, a nullo auctore inter illius symptomata refertur. Altera est opinio, hoc originem debere quibusdam oscillationibus, a peritonaeo inflammato ad pleuram contiguam communicatis, quam secus ascendentes ad claviculam, punctum fixum, tandem adveniunt, ibique accumulatae, quod antea non potuerunt, doloris idcam nunc cicunt. Pro hac opinione multa argumenta in medium fuerunt allata ; inter caetera, in casu, omnibus noto, calculi cervicem vesicae urinariae irritantis dolor glande penis, quo oscillationes dolorificae congeruntur, tantum sentitur. In diarrhoea quoque accidit aegrum, aliquo calido, v. g. jusculo, in ventriculum accepto, tenesmo saepe corripi, &c.

*Decubitus in latus sinistrum difficilis.*—Quum inflammatio ligamentum hepatis dextrum occupet, hoc spastice afficitur ; et igitur, aegro in latus sinistrum incumbente, quantum necesse est, sine dolore extendi non potest.

*Dyspnoea.*—Hepar superius, inflammatione obsidente diaphragma afficitur ; hinc propter spasmum, libere moveri non potest, et respiratio ergo parva et cum suffocationis sensu fit.

*Tussis plerumque sicca.*—Quicquid pulmones irritat tussim movet ;

movet; ſicca fere eſt, quia per eos ſanguinis impetus non tam magnus eſt, ut conſtrictionem vaſorum extremam ſuperare queat; interdum tamen cum irritatio major ſit, et fortaſſe cum morbus ad ſolutionem appropinquet, ſpaſmus ſuperatur, et excretio major in bronchias fit; exinde oritur tuſſis humida.

*Vomitus.*—Facie hepatis inferiore inflammata, ventriculus, ob vicinitatem et ſenſibilitatem magnam, cito irritatur, et condolet. Ideoque nauſea, quam ſequitur vomitus, in quo bilis aliquando ejicitur; in omni enim vomitu, ubi vehemens eſt, partis duodeni ſuperioris motus periſtalticus quoque invertitur, et bilis contenta in ventriculum immittitur. Praeterea, ob irritationem hepatis, ſecretio biliaria invaleſcere aliquando videtur, et hinc vomitus magis bilioſus quam ſolito fiat: Simili quoque cauſae dejectionum ſpecies bilioſa attribuenda eſt.

*Singultus.*—Ex diaphragmate irritato et convulſo ſemper pendet; ubi inflammatio faciei hepatis inferiori inſidet, ab ventriculo et hinc diaphragmate irritatis; quando vero ſuperior facies afficitur, ab inflammatione et irritatione, proxime diaphragmati ipſi impertitis, oritur.

*Color faciei et oculorum flavidus.*—Omnes fere ſcriptores hoc pro ſymptomate hepatitidis pathognomico habuerunt. In hepatis inflammationibus, regionum calidarum febrium ſymptomaticis, ſaepiſſime occurrere, nemo eſt qui neget; ſed in hepatitide idiopathica raro evenit. Hujus rationem dedit Boerrhaavius, a bile imperfecte ſecreta, igiturque hepatis ſanguine, in molem communem, particulis bilioſis repleto, redeunte. Sed de hac hypotheſi, ab ipſo Van Swietenio derelicta, ambigere haud neceſſe eſt; et ubicunque in hepatitide idiopathica valet, ab inflammatione hepatis concavi ductus biliarios afficiente, et ſic bilis exitum in inteſtina prohibente, ſemper oriri videtur.

Eruptionem eryſipelatoſam, in hoc morbo interdum viſam, explicare antea promiſi; ſimulque alia phaenomena quae tam ſaepe morbi circiter ſolutionem ſeſe oſtentat, exponam.

In hepatitide, ut in omni inflammatione notabili, totius arteriarum ſyſtematis tonus acutior, vel, uti aiunt, diathetis phlogiſtica gignitur; ob quam inflammatio aliis in locis facile excitetur. Sed in inflammationibus, eodem quo in febribus modo, ſyſtema, certis temporibus, vires ſuas, eo conſilio ut morbi cauſam amoveat, frequentiſſime extendit. Hinc ſanguis tunc praecipue in alias partes ruit, ibique congeſtiones, &c. creat; et ita a parte affecta aſportatus priorem inflammationem ſublevat.

Sic

Sic in hepatitide, in vasis superficiei interdum congeritur, et inde erysipelatosa, seu phlegmonica inflammatio sequatur. Aut, si spasmus horum totus amoveatur, sudores profundentur. Eodem modo derivationes in alia loca fieri possunt, haemorrhagias, inflammationes, secretiones auctas, &c. concitantes. Quae omnia ex praedictis facile intelligantur.

Hactenus, quantum in nobis est, theoria, si nomen placet, morbi considerata, de more, curatio nunc tractanda est.

## CONSILIA MEDENDI

Sunt,

I. Sanguinis impetum toto corpore et hepate ipso nimium coercere.

II. Constrictionem vasorum extremorum spasticam solvere.

III. Symptomata quaedam anomala, si occurrant, sopire.

Primum consilium ad implendum, regimen antiphlogisticum, refrigerantia, sanguinis detractio, et cathartica, idonea sunt.

*Regimen antiphlogisticum.*—Corporis humani alacritas vigorque, ex quibusdam stimulis, plus minus, semper applicatis, magnopere pendent; hisce enim minutis, totius systematis vires, cordisque et arteriarum contractilitas, quoque minuuntur. Hinc, in morbis inflammatoriis, ubi haec contractilitas immodice augetur, necessitas, hos, quantum nobis inest, minuendi, apparet; et hoc regimen antiphlogisticum dat; sine quo alia remedia haud multum valere possunt. Calor externus potissimum est evitandus. Sed, quoniam adhuc sub judice lis est, quousque frigus tuto adhibeatur, media quaedam aeris circumfusi temperies, ad algorem vero potius vergens, qualis mercurium thermometri Fahrenheiteani ad gradum, quinquagesimum nonum vel sexagesimum attollat, servari debet. Praeterea, mentem et corpus ab exercitio quamplurimum vacare; ideoque omnes hujus causas, quandoquidem ad circulationem accelerandam recta via tendunt, subducere oportet. Alimenta, aut quantitate aut qualitate, admodum stimulantia, cane rabido aut angue magis cavenda sunt; et cibus, regno vegetabili electus, parce tantum, adhibendus est.

*Refrigerantia.*—Ad tonum systematis sanguiferi minuendum, medicamenta quaedam, nomine refrigerantia, in usu sunt; inter haec numerantur sales neutri et acida. Ex illis, haustus salinus Riverii, spiritus Mindereri, et nitrum, praecipue sunt laudata. Priora autem duo, ad hoc efficiendum,

vix

vix ulla virtute gaudere videntur; et nitrum ventriculo, etiam in ſanitate, tam ingratum eſt, ut nauſeam plerumque moveat. Hinc, in hepatitide, praeſertim quum vomitus jam-jam extet, ni fallor, non adminiſtrandum eſt. Acida utiliora ſunt, quia palato arrident, ſimulque ſitim, ſtimulum ſyſtemati inſignem, demunt. Acidis foſſilibus vegetabile anteponendum eſt; quod liberius hauriri poteſt, et ad alvum laxandam prodeſt.

*Sanguinis detractio.*—Quandoquidem cordis arteriarumque tonus a tenſione, et tenſio a ſanguinis quantitate, maxima ex parte, pendeat; hujuſce diminutionem, tonum ipſum depreſſuram eſſe, res ipſa loquitur. Sanguinis autem minuendi, venaeſectio, brachio rite celebrata, via eſt promptiſſima; et hoc cardine morbi ſanatio tota fere vertitur.

Hac, primis morbi veſtigiis occurrendum, et ab illa, quamvis dolor obtuſus ſit, et pulſus vel vi vel frequentia parum augeatur, haud minus abſtinendum eſt. Minimi eſt momenti, quo brachio; ſed, ſi nil incommodi contra indicet, ex dextro potius depromatur ſanguis. Quia in ſuppurationem hepatitis celerrime tendit, quo citius venaeſectio inſtituitur, eo meliores habebit effectus; tametſi, ullo morbi die, antequam ſuppuratio aut gangraena ſupervenerint, adhibenda eſt. Sanguis pleno rivo depleatur, ejuſque miſſio tam larga et tam ſaepe repetita ſit, quam ſymptomatum violentia poſtulet, vireſque aegri patiantur. Praeterea, optimo cum fructu ad ſanguinis detractionem, parti affectae propiorem, per cucurbitulas cruentas, hepatis regioni applicatas, confugiendum ſit. Quid multis? Regulae ſanguinis detractionis generalis, aut topicae, hoc ut in aliis morbis inflammatoriis eaedem ſunt.

*Cathartica.*—Alvi catharſis alia eſt ratio, qua fluidorum moles in genere, et ergo impetus auctus minuatur. Sed hac intentione, phlebotomiae virtutes minime attingit; nam, etſi magnam evacuationem procreet, tamen, ut ab excretoriis et vaſis exhalantibus haec ſit, vaſa magna ſanguifera tarde ſolum exinanientur; itaque effectus ſero percipientur. Quatenus vero vaſa, in inteſtina humores effundentia, patefaciendo, ab jecinore derivationem facit, ſimulque faeces congeſtas, magnum corporis irritamentum, amovet; haud parum ideo levamenti ſecum fert. Cathartica autem, quae multum irritant, perniciosa ſunt; proinde miniora tantum, et praecipue quae vi refrigerante pollent, ut ſales neutri, tamarindi, &c. adminiſtranda ſunt. Quinctiam, enemata emollientia, ſubinde injecta, maxime proſunt, quia faeces, craſſis in inteſtinis collectas, detrudunt, et eodem tempore, dum vaſa co-

rum

rum relaxant, propter magni coli arcus hepati vicinitatem huic pro fotu ſerviunt.

Secundo generali conſilio medendi reſpondent diaphoretica, fomenta calida, epiſpaſtica.

*Diaphoretica.*—Antea fuit obſervatum, morbi ſaepe ſolutionem oppido promovere ſudores effuſos; et ne mirum quidem, quoniam, ſpaſtica vaſorum cutis conſtrictione ſanguinis aequa diſtributio impeditur, et congeſtio in vaſis hepatis ſuſtentatur. Quamvis autem remedia quae ſanguinis impetum ad vaſa ſuperficiaria dirigunt, utilia poſſe, liquido conſtet; tamen eorum uſu diatheſin phlogiſticam augeri, morbumque haud raro increſcere, non minus certum eſt; quamobrem, talia ſolum, qualia vaſorum actionem quam minime incitant, adhibenda ſunt, et tunc temporis forte, duntaxat, cum pyrexia aliquatenus ſeſe remiſerit, cutiſque mollities et mador, ad conſudandum propenſionem indigitant; quandocunque vero vomitus aegrum exagitat, ab iis prorſus abſtinendum eſt. Derivationem ad ſuperficiem faciendi cauſa, potus aquoſi tepidi ſorbillentur; curandum enim eſt, ne tam large uno tempore bibantur, ut, ventriculum diſtendendo, hunc ipſum, et hepar contiguum, irritent; ſimul et palato gratiores fierent, acido vegetabile, v. g. ſucco limonum, commiſcendi ſunt. Hoc modo exhibiti ſitim explent, ventriculi fibras, et ergo vaſa ſuperficiei extrema relaxant, atque in ſanguinis molem, quantitatem aquae ſuperfluam, quae per excretoria ejiciatur oportet, introducunt. Hinc extrema vaſa, praecipue cutis, dilatabuntur, ſpaſmuſque ita ſuperabitur. Ad idem conſilium explendum, ſales neutri et emetica, alia medicamina ſunt. Priorum hauſtus ſalinus uſitatiſſimus eſt; et ſi non efficaciter, ſaltem innocue, exhibeatur. Ab emeticis autem omnino abhorreamus; difficile enim eſt, ea tam bene gubernare, ut vomitum, et idcirco, magnam hepatis commotionem, non creant, ut quamvis ita adminiſtrentur, ut nauſeam tantum moveant; tamen, hoc pacto etiam ventriculo et jecori talem irritationem dent, qualis eorum bonos effectus adaequet.

*Fomenta calida*—Hepatis regioni applicata, quia vaſa relaxant, et ad ſuperficiem derivant, multum fuerunt laudata, et revera uſus eorum neutiquam aſpernandus, tamen ut aliquid incommodi adducunt, et minus quam epiſpaſtica valent, haec ſunt praeponenda.

*Epiſpaſtica*—Quia ad cutem derivant, effuſionem ibi ſaſum, et ſic congeſtionem, ſpaſmumque ab vaſis altius inſitis ſubtrahunt, maxime ſalutifera ſunt. Poſt ſanguinis detractionem ſtatim ad haec decurrendum eſt. Veſicatorium, am-

plum, et regioni hepatis impositum, esse debeat; quo, si dolor, &c. persistant, renovato opus erit.

De ultimo nostro consilio, nempe, "symptomata quaedam anomala sopire," pauca dicere adhuc restat. Singultus et vomitus, morbi initio, remediis antea propositis superandi, vi autem pyrexiae quodammodo subacta, opiata per ventriculum, si ferat, sin minus, per anum, forsan administrentur; summa autem cautela usurpanda sunt, ne diathesin phlogisticam angeant. Si, morbo in resolutionem tendente, criticae fiant evacuationes, hae sunt fovendae. Denique, morbo in suppurationem exeunte, abscessus, si exteriora versus sese protrudat, quam cito aperiendus; et postea, secundum regulas chirurgicas, tractandus est.

Quamvis, remediis jam perpensis, hisce in terris, morbus solum profligatur; tamen, in India Orientali, haec praetermittuntur, et ad mercurium, quasi remedium specificum, omnibus decurritur. Hic, interne vel externe, donec aliquid salivae proritationis excitatur, adhiberi solet, et hoc modo morbus, etiam acutissimus, penitus abigi dicitur.

Hujus rei rationem reddere difficillimum est. In regionibus, quae torrenti calore solis exaestuant, bilis, propter calorem, magnam sibi acrimoniam acquirit; eodem tempore hisce in regionibus hepatitis maximopere grassatur, dum aliae inflammationes non nisi rarae sunt; huic acrimoniae igitur, hepatitidis frequentiam maxima ex parte deberi, verisimillimum videtur. Quantum conjectura augurari possum, mercurius acrimoniam mitigando, et ita causam tollendo, morbum ipsum removet. Nonne mercurii usus in syphili opinionem nostram quodammodo fulcit?

---

# DE NEPHRITIDE.

*AUCTORE PLUNKETT LHOYD.*

EX cognita renum fabrica certe mirum videtur, hunc morbum tam raro accidere, cum tam variis mutationibus quotidie istae partes subjiciantur, tantam sanguinis copiam continuo accipiant, et praeterea permultae corporis secretiones retentae ad haec organa vergant; confiteor me omnino ignorare quamobrem non saepius inflammatione laborant? Pendetne

Pendetne ab inſenſibilitate? Omnino ad hanc praecipue cauſam ducor referre, multoque magis ob hanc rationem, quod homines ſaepe per totam vitam calculos in renibus habuiſſe ſine ullo dolore, obſervatum eſt; et * cel. Van Swieten hoc his verbis confirmat: Obſervata numeroſa habentur, quae docent, in magnatum cadaveribus eviſceratis, ut balſamo condirentur, repertos fuiſſe calculos in renibus, licet nunquam nephritidem paſſi forent. Et illuſtris Haller † huic opinioni multum favet, de renibus agens, "Cum nervi parvi ſunt, ren parum acutum ſenſum habet." Sed his (ut ad rem multum non pertinentibus) omiſſis, ad opus propoſitum perveniam, incipiens, ut ſolito, a morbi definitione. Plurimas nephritidis definitiones, tam veteres quam recentiores medici dederunt. Ex his, illam a cel. Cullen ‡ nuper traditam hic inſerere volui.

## CHARACTER.

Pyrexia; dolor in regione renis, ſaepe ureteris iter ſequens; mictio frequens urinae vel tenuis decoloris vel ruberrimae; vomitus, cruris ſtupor, teſticuli ejuſdem lateris retractio aut dolor.

Sub hac definitione patet utramque nephritidem, ſcilicet veram et calculoſam, contineri; ſed, quoniam calculum tantum inter cauſas remotas tradere vellem, partem poſteriorem definitionis, videlicet cruris ſtuporem, teſticuli ejuſdem lateris retractionem, aut dolorem, omnino omittendam eſſe cenſeo; et ad hiſtoriam morbi vulgo dictam progredior, quam titulo ſymptomatum ſignari mihi arridet.

## SYMPTOMATA.

Nephritica omnis febris, eodem modo ac aliae febres, incipit cum frigore et calore alternatim ſuccedentibus: His citius vel ſerius manentibus, tunc febris aſſidue adeſt, quae continuo increſcit ordine certo, dolor peracutus ac pulſans cum magno ardore, paulo nothis coſtis altior, per dorſum tranſit, etiam ad jecur uſque, ſi ren dexter afficitur; ſimiliter ad veſicam in hypogaſtrio juxta pudenda et ad femora §; dolor hicce ſternutamento et tuſſi intenditur; quandoque deliquio corripiuntur, fuſiſque ſudoribus labeſiunt: Inter haec, eſt appetitus proſtratus, itemque nauſea, dolor ventriculi, et crebra bilis ejectio, alvus aliquando conſtricta, aliquando ſoluta, eructa-

* Comment. in Boerh. aph. vol. iii. p. 247. † Prim. lin. phyſiol. p. 361.
‡ Synop. morb. p. 263. § Lommii obſerv.

tiones frequentes; urinae reddendae difficultas, quamvis magna cupiditas; et, si fluit, cum sensu est ardoris; primum excreta limpida est et tenuis, nullum sedimentum deponens; postea rubra, crassa tandem, et mucosa. Saepe extrema frigescunt, sed praecipue pedes, ut vix aeger erigi possit, vel pedibus incedere; decubitus in latus firmum difficilis, facilior supinis quam pronis, sed in latus affectum facillimus; jam, inflammatione remediis non cessante, superveniunt pervigilium cum delirio, anxietas, spirandi difficultas, dejectiones alvi involuntariae, cum vomitu frequenti; et simul extrema algescunt; pulsus debiles, celeres *, et intermittentes deprehenduntur; artus convelluntur, tandemque mors, linea ultima rerum. Hanc induit formam nephritis cum fatalis evenit; sed, cum in suppurationem terminatur, adsunt alia symptomata, quae hanc terminationem concomitantur, scil. horripilationes saepe revertentes; pulsatio; sed dolor mitescit et tantum gravis sentitur; minorque febris adest. Si haec symptomata per aliquod tempus manserint, tunc suppurationem jam factam fuisse in parte novimus; et, ubi abscessus eruptu-rus est, aeger multum inhorrescit; sequitur vehementior et febris et dolor: et Hippocrates dicit, Renibus suppuratis stranguriam adesse. Sed pus urinae mistum suppurationem manifestat praesentem, et omne dubium tollit signis renis inflammationis praegressis. Symptomatibus utcunque traditis, ad causas morbi procedo, et imprimis ad causas praedisponentes.

## CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Omnes consentiunt auctores, plethoram et diathesin inflammatoriam homines huic morbo, aeque ac aliis morbis inflammatoriis, obnoxios reddere; et saepe his hoc malo correptis, nisi medicamenta tempestiva adhibeantur, fatalis evenit; et quamvis ex ante dictis quisquis crederet juventuti adesse omnia huic morbo faventia, attamen systematis humani diversa stadia accurate perpendenti clare patebit, quaenam aetas hujus mali periculum sustineat. In senectute optime notum est perspirationem diminutam esse; nam hac aetate vasa exhalantia materiem perspirationis vehentia propemodum excaecantur; via per cutem denegata, pars sanguinis aquosa serosa ad renes vergit; unde fit, quod in hoc tempore omnia vasa abdominalia magis sanguine turgent, et his motibus quae inflammationem inducunt multum prona sunt, quando causae, occasionales dictae, occurrunt. Et Hippocrates, de morbis aetatum

* Van Swieten comm. vol. iii. p. 229.

diversarum

diverſarum agens, ponit nephritidem inter morbos huic aetati peculiares.

## CAUSAE OCCASIONALES.

Harum inter primas, diuretica acria enumerari debent, quae ſtimulo arterias renales ad motus majores excitant, et humores ad haec organa quantitate inſolita trahunt; vulnera et contuſiones renum, quibuſcunque modis illata, ſaepe lethalia ſunt, inflammatione et ejus ſequelis *. Alia ejus occaſio eſt, ſi renes ab iis comprimuntur, quibus colon multum diſtenditur †; uſus veneris nimius; nixus corporis validi, curſus, equitatio, aeſtus, decubitus diuturnus. Quomodo haec omnia agunt, non explicare neceſſarium videtur; et, ſi quis cognoſcere velit, ad commentatorem Boerhaavii illum relego, qui vix quidquam intactum reliquit. Frigus corpori antea calefacto ſubito admiſſum ſaepe huic morbo originem praebere creditur; et verba Hoffmanni ‡ huic ſententiae congruere videntur: Nihil ſit tam infenſum quam frigus hibernum, regnante vento Boreali aſpero, et rigido, quo improvide admiſſo, paſſiones hae prompte vel inducuntur vel illico recruleſcunt: Et haec videtur eſſe cauſa perfrequens inflammationis; ſic enim perſpiratio impeditur, propter ſpaſmum in omnia vaſa cutanea inductum, vertuntur humores ad partes internas, qui facile functiones perturbant; ſed quare in hoc nephritis, in illo enteritis, producitur, plane ignotum eſt. Vermes et pilos ab auctoribus inter cauſas numeratos praetereo, quoniam raro aut nunquam occurrunt.

Evacuationes ſolitae ſuppreſſae, inducendo plethoram, facile anſam poſſunt huic morbo dare; et ſuppreſſio menſium vel haemorrhoidum potius pro cauſis praediſponentibus indigitari debent; ſed ubicunque notatae ſunt, Galenus § ſe obſervaſſe teſtatur, evacuatione per haemorrhoides conſueta intempeſtive cohibita, quoſdam nephritide correptos fuiſſe. Spaſmodicae contractiones fortaſſe inter cauſas numerari debent; cum tamen ſcateant exempla, quam ſaepenumero adſunt affectiones ſpaſmodicae vaſorum renalium in hyſteria et multis aliis morbis: In hiſtoria autem medicinae duo vel tres tantum caſus enumerantur, ubi inflammatio renum videtur ortum duxiſſe ab hac cauſa; ideo aſſentiri non poſſum, hanc cauſam eſſe admodum frequentem. Podagra retrocedens vel atonica non raro has partes afficit; et fortaſſis rheumatiſmus,

* Hujus caſum inſignem tradidit cel. Monro de morbis militum.
† Platneri ars medendi, p. 117. ‡ Vol. ii. p. 148.
§ Comment. in lib. Hipp. de alimento, tom. vi. p. 271.

ſubita

ſubita metaſtaſi, ut ab auctoribus dicta, inflammationem producit. Sed cauſa omnium frequentiſſima eſt calculus partibus diverſis renis haerens * ; et calculus uni reni impactus, ſpaſmodicam contractionem alterius producere poteſt. Facit autem proximus iſtarum partium nexus, ac mutua actionum, quas exercent, conſpiratio, ut altera alteram facile in mali communionem pertrahat. De origine calculi nil exponere enitor ; cum humorum corporis humani indoles tam atra caligine obvolvatur, nec hujus loci eſt : Sufficit hic cognoſcere cauſam praeſentem ſine hujus indagine ; his tandem finitis, ad cauſam proximam incertus me confero.

## CAUSA PROXIMA.

Cum tot lumina medicinae multum de cauſa proxima inflammationis inter ſe diſcrepent, non noſtrum eſt certe tantas componere lites ; ſed, ex cauſarum praediſponentium et remotarum contemplatione, veriſimile videtur, illam conſtare in majore ſanguinis raptu, (ſpaſmo et irritationi conjuncto), impetu vehementiori quam ſolito in partem ruentis ; et ex methodo medendi ab omnibus uſitata, haec poſtea probabilior apparebit. Sed in tam incerta et obſcura quaeſtione, verecundia † et diffidentia potius quam opinionis tenacitas mortalibus caecis conveniunt ; neque turpe erit ingenue ignorantiam fateri in illis, quae non intelligis, cum ſpecioſiſſimae etiam hypotheſes vix reſpondeant omnibus phaenomenis.

## DIAGNOSIS.

Haec ab omnibus ſemper ardua credebatur ; et merito : Nam cadaverum inſpectio renes affectos fuiſſe oſtendit, cum nullum ſymptoma adfuerit, quod vel minimum lucis de morbo praeſenti dare potuit. Sed, quoniam inter nephritidem veram et calculoſam diagnoſin dare tentabo, facilius erit hujus diſtinctionem ab aliis morbis ſtabilire.

*A nephritide calculoſa.* Febris in nephritide vera, a primo inſultu, dolorem ‡ comitatur, vel preſſo pede ſequitur ; nullaſque remiſſiones habet, praeter illas omnibus aliis febribus inflammatoriis communes : In altera vero, haud ſupervenit febris, niſi poſt cruciatus diu toleratos ; multas patitur remiſſiones ; et adſunt, urina ſaepe fabuloſa, ſtupor cruris, teſtiſque ejuſdem lateris retractio ; quae ſane ſymptomata, tametſi non perpetua in omnibus, tamen nephritidem || calculoſam

* Van Swiet. loco relato. † Cel. Home, Principia Med. § 5. p. 27.
‡ Cull. praelect. || Van Swieten, vol. iii. p. 223.

frequentius

frequentius comitantur, quam quidem nephritidem inflammatoriam: Et ſuſpicandum eſt, calculum cauſam eſſe, quando hominem aggreditur cui haereditarius eſt: Temperamentum eſt quoddam magis obnoxium calculo; ſed non facile eſt hoc depingere. Dicere ſufficit, idem eſſe cum arthritico; et pro certo acciperem, calculum in culpa eſſe cum podagros corripuerit; raro enim quiſquam ab arthritide afficitur in juventute, quin calculum generet citius vel ſerius. Ex ante dictis facile diagnoſin erui poſſe ſpero; magnique eſt momenti, quoniam diverſam medendi methodum poſtulant.

*Ab enteritide.* Hic aliquando diagnoſis eſt anceps, ſed ſequentibus diſtinguitur. * Differt ab enteritide, quod dolor ad exteriora refertur; in enteritide, ſplenitide, ad anteriora ſeu ad abdomen; alvus raro in nephritide adeo pertinaciter clauditur, quin clyſmatibus emollientibus facile obediat; et facies in enteritide quae minime placet, vel aliquid inſoliti †, ut oculos exterrefactos, livorem circum labra oſtendit; pulſuſque humiles et debiles potius, et qui, ſi bene attendas, ſibi ſubobſcure diſſimiles: Hiſce ſymptomatibus diſtingui poſſunt imprimis ſi morbus non admodum vehemens fuerit.

*A pleuritide.* Haec etiam a priori facilis appareret. In nephritide non adſunt dolor lateris valde auctus in inſpiratu, decubitus in latere affecto moleſtus, vel tuſſis.

*Ab hepatitide.* Adſunt dolor ad claviculam et ſummum humeri dextri; hypochondrii dextri tenſio et dolor, ſaepe pungens, pleuritici inſtar, ſaepius obtuſus, abſque ſignis ullis nephritidis.

*A lumbagine rheumatica Sydenhami.* Abſentia febris et affectionum ventriculi, dolorque ſaepe in hoc morbo revertens.

*A lumbagine inflammatoria* ‡. Quod aeger antrorſum flexus erigat truncum ſine notabili dolore; in lumbagine, cum atroci, nil de diagnoſi reſtat, niſi ſignis quibuſdam illam a colica ſeparare: Non ullo modo dignoſci poſſunt, niſi praeſentia || febris in nephritide, et ſubita mutatione doloris in colica; omnia enim alia ſymptomata in colica obſervantur, et quandoque etiam exercitatos in praxi fallunt. Verum hoc parum damni afferre aegris poteſt, cum in initio hi morbi eadem medela indigeant.

## PROGNOSIS.

Utilitas magna hujuſce partis medicinae ab omnibus con-

* Sauvages, vol. ii. p. 510.
† Morgagni de cauſis et ſedibus morb. vol. ii. p. 61. ‡ Sauvages, 504.
|| Gregory's praelections.

ceſſa;

ceſſa; ſed quam incerta etiam peritiſſimis nota eſt: Cum tamen nihil magis confert ad famam medici, quam futurorum praedictio, hic tradere volui tam fauſti quam infauſti ominis ſigna, a prioribus incipiendo.

*Boni ominis ſigna.* Si, idoneis remediis exhibitis, dolores ſenſim pedetentim ceſſant, urinae copioſe fluunt craſſae, ſudor calidus per totum corpus diffuſus, ſitis minuta, pulſus molles pleni et aequales, prognoſin fauſtam praenunciant, melancholicis et nephriticis ſuccedentes haemorrhoides †, bonum; et aliquando in foeminis menſtrua morbum judicant feliciter.

*Mali ominis ſigna.* Si dolor in loco pulſans, ſternutamento auctus, et gravitas manent, ſudor odorem urinae emittens, febriſque non minuitur, ſed potius increſcit, crebrum meiendi deſiderium, magna difficultas, urina fuſca et mali odoris, frequens bilis vomitus, ſingultus, pulſus debilis vel intermittens, dolores ſubito evaneſcentes, omnia infauſti ominis; ſi ſupervenit delirium, vel convulſiones cum ſudoribus gelidis, mortem inſtantem praedicunt; etiam ſigna multo his mitiora, magis experto, viderentur infauſta.

*Sectiones cadaverum.* Unum vel alterum caſum hic notare placet, ne hucuſque tradita ficta vel vana apparerent. Puer ſeptennis, alias ſanus, per unum aut alterum ‡ diem cephalia affectus eſt; ſucceſſit lumborum dolor cum febre conjunctus, ſicut etiam urinae retentio, ita ut ne guttulam fere excernere poſſet, qua demum, fruſtra omnibus tentatis, ſeptimo morbi die enecabatur. Secto cadavere, deprehenditur ingens et inſignis renum partiumque circumjacentium inflammatio, cum variis gangraenae notis. Et, apud Bonetum ‖, inſignis diſſectio, ubi in rene ſuppurato quatuordecim libras ponderante, inventa fuit cyſtis, pus continens, craſſitiem aequans pellis vervecinae. Permulti alii caſus inflammationem antegreſſam oſtendentes, poſſunt apud cel. Morgagni, De cauſis et ſedibus morborum, atque Lieutaud, in Hiſtoria ejus anat. medica, paſſim inveniri.

## METHODUS MEDENDI.

His igitur, fortaſſe nimis breviter, percurſis, ad medelam hujus morbi pervenio; relictis exulcerationibus, variiſque aliis affectibus, quos imprudentia medici vel vis morbi excitaverat, ad benignam reſolutionem animum verto.

† Hipp. aph. x. § 6. ‡ Hildan. obſerv.
‖ Sepul. anatom. tom. ii. p. 567.

Indicationes

Indicationes curatoriae ſunt,

I. Impetum auctum ſanguinis per totum ſyſtema vaſaque renalia minuere.
   1. Quantitatem ſanguinis auferendo:
      a. Venaeſectione;
      b. Sanguiſugis;
      c. Cucurbitulis cruentis.
   2. Alvum ducendo:
      a. Purgantibus leniſſimis;
      b. Clyſmatibus emollientibus.
   3. Regimine antiphlogiſtico.

II. Spaſmum ſolvere.
   1. Sanguinem ad corporis ſuperficiem alliciendo:
      a. Diaphoreticis; praecipue,
         1. Salibus neutris;
         2. Praeparationibus antimonii.
   2. Veſicantibus et rubefacientibus.
   3. Balneo tepido:
      a. Semicupio;
      b. Fomentationibus.

III. Symptomata urgentia levare;
   Opiatis.

Reſtat tantum ut pauca de ſingulis remediis dicam.

*Venaeſectio.*—Quomodocunque hujus remedii operationem luſtrare volumus, nemo inficias ibit, hoc eſſe in omni inflammatione utiliſſimum. Cum tamen rem diligenter exploramus, facile percipimus, quam parum ad verae medicinae praxin contulerint leges derivationis et revulſionis de venaeſectione, in phyſiologicis propoſitae. Omnia enim experimenta, omneſque obſervationes, perſpicue demonſtrant emolumenta maxime oriri ex tenſione minuta ſyſtematis. Hoc clariuſque patebit, ex contemplatione rerum, quibus efficaciſſimum redditur, quod fit, ſubita eductione, pleno rivo, ex patulo vulnere; et, ut omnia laxarentur vaſa, remediumque potentius evaderet, evacuatione protracta etiam ad deliquium animi: Haec omnia manifeſtant venaeſectionem agere tenſionem ſyſtematis minuendo. Quantitatem vero ſanguinis idoneam in omni caſu auferendi, nemo adhuc, quantum novi, auſus eſt principia ponere; et, quam ineptum foret talia tentare, facilis obvium eſt; ſed pro viribus, vehementia ſymptomatum, et aetate aegrotantis, operatio iteranda eſt. Quid de iis ſentiendum eſt, quos uſum hujus evacuationis coercentes video, intra ſpatium quatuor dierum? Certe nil penſi haberem. Aiunt enim, poſt hoc tempus, morbum in ſuppurationem

transire; ergo venaesectio foret cum damno. Sed, quando suppuratio a statu effusionis, non a duratione morbi, pendet, ut omnes observaverunt in pleuritide et peripneumonia, morbum ad diem nonam progredientem, postea tamen resolutione benigna terminantem; ea lege, haec erunt satis ad hanc opinionem de regulis venaesectionis evertendam. Semel hunc morbum quasi jugulari vidi, solo hujus remedii usu. Antequam unciae sanguinis decem eductae fuerunt, symptomata graviora, qualia sunt, urinae suppressio, dolor ad summum auctus, remota fuerunt; iterata vero operatione, omnia symptomata evanuerunt; somnus vires renovans aegrum excepit, qui proximo die pristina sanitate gavisus est. Hactenus de missione generali; nunc ad topicam, sanguisugis et cucurbitulis, me confero. Medici, liberum usum venaesectionis timentes, ad missionem sanguinis topicam confugerunt, praxin recentem, certeque utilem; hac, partis affectae vasorum tensio statim afficitur, relaxatioque inducitur, multaque incommoda suborientia ex altero fonte evitamus. Sed, ut opinor, hoc aptissime fit cucurbitulis cruentis; nam quisquis, in usu hirudinum vel minime versatus, bene novit, quantum molestiae et morae earum applicatio adferat. Saepe vulnera relinquunt sanguinem fundentia, vix, nisi cum labore, sistenda. Insuper ignari sumus quantitatis ablatae. Per cucurbitulas vero eductio subitanea est; quantitatem debitam detrahere, atque facilius aestimare, possumus. Rationibus istis motus, hirudinibus cucurbitulas cruentas anteponerem. Si aeger languens manet, magna jam quantitate sanguinis ex systemate missa, et doloribus non evanescentibus, vel multum minutis, haud absque fructu applicarentur cucurbitulae, cum scarificatione. Sed sola experientia nos hac in re certiores faciet.

*Purgantia leniſſima et clyſmata emollientia.*—Haud tamen exspectandum est, morbum ab iis unice curandum esse; tantum ingesta quae corpus calefaciunt, vel chylum minus bonum praebitura sunt, leniter detrudunt. Pondus ex his et faecibus in vasa renalia, renes et ureteres, anferendo, portam urinae dant, clysmatibus viam aperiunt, systema refrigerant. Sed, cum tam multa et perpulchra de usu catharticorum et eorum noxa * in febribus, nisi in his biliosis dictis, nuper tradita fuerunt, etiam hic caute usurpanda sunt. Argumenta vero dare quibus periculosa probantur in febribus, non hic loci est; et, si unquam propinantur, solum mitissima et lenissima optima, qualia sunt manna, oleum ricini, tamarindorum et cassiae pulpae fructus horaei, et quaecunque alvum

* Cel. Cull. praelect.

sine

ſine ſtimulo generali leniter ſolvunt. Attamen ſi alvus poſtea clauſa maneat, enemata ex decoctis emollientibus injicienda ſunt, quae alvum humectant, inteſtina craſſa evacuant, renes tam colo propinquos fovent et laxant. Hoffmannuſque † haec habet, In nephritide, tam inflammatoria quam calculoſa, primum et princeps auxilium in clyſmatibus demulcentibus ano infuſis, quae ſine ſtimulo ſalino et purgante paranda, ex lacte, ſero lactis, vel aqua pura, dintius retineri debent, quo ſpaſmos laxant, et flatibus ſic exitum parant.

*Regimen antiphlogiſticum.*—Reſpicere rationem victus maxime neceſſarium eſt: Nil committere venis niſi lene decet; ciborum vero ſtimulantium, vini aut liquorum inebriantium, ſtimulus vitandus: Infuſum lini, decoctum altheae, emulſio Arabica, hic multum conducunt. Calor praecipue ex corporis motu vel ſtragulorum pondere oriens cavendus eſt; aer in cubiculo intra 60 gradus thermometri Fahrenheitiani ſervari debet. Praeter tamen requiem, certa corporis poſitio prae aliis eligenda; ea ſupina vel reclinata. Nam omnes infra cor partes, praeſertim quae magnis arteriis deſcendentibus immediate ſubjacent, homine erecto, replentur; recumbente, ſanguis per totum corpus aequabiliter diſtribuitur. Verbaque ‡ Celſi his congruunt: Oportet conquieſcere, cubare molliter, ſolvere alvum; ſi aliter non reſpondet, etiam ducere; ſaepe deſidere in aqua calida, neque potionem frigidam aſſumere. Haec de regimine ſatis; quod idem eſt in omnibus morbis inflammatoriis, et tam bene notum, ut ſpecialiter enumerare ſupervacaneum foret.

*Diaphoretica.*—Febre et diatheſi phlogiſtica imminutis, per ſanguinis miſſionem, aliaque remedia, tunc tuto adhibentur ſudorifica. Sudor vero, per acria, calida, vel ſtimulantia, quae febrim et inflammationem adaugent, nequaquam allicendus: Miſtura ſalina, ſpir. minder. nitrum, acetum, et ſimilia, ſi non proſunt, vix nocent; et, ut utilia ſint, ubertim inhauriri debent, praeſertim ſi morbus ſolvi tendit ſudoribus ſponte emanantibus. Sed praeparationes antimonii, inter quas tartar. emet. primum locum obtinet, quodque nunc tantum invaluit, parvis doſibus repetitis, ad nauſeam ſolummodo excitandam, maxime ad foramina cutis tendit, et perſpirationem promovet, ſpaſmum forte a ſuperficie ſubmovendo. Quomodocunque autem res ſe habeat, experientia confirmavit, uſum etiam emeticorum in inflammatione cum febre.

*Veſicantia et Rubefacientia.*—Quamvis omnium experientia auctorum docuerit utilitatem eximiam veſicantium in morbis inflammatoriis, cavendum tamen, ne in errorem incedamus

† Hoff. vol. ii. p. 149. ‡ Lib. IV. cap. x. p. 217.

eorum applicatione in hoc morbo. Summa enim cum cautela uſurpanda ſunt; ſiquidem tam proclivia ad ſtranguriam excitandam. Rubefacientia igitur praeponenda ſunt, quae parari poſſunt ex ranunculis pratenſibus in pultem contuſis; vel, ſi deſunt, ſemina ſinapi effectus fere eoſdem praebent.

*Balneum tepidum, ſemicupium*, &c.—Medici antiqui balnea medicamentis variis ſemper impregnare ſolebant, quae vim diſcuſſoriam poſſidere tunc exiſtimabantur: Sed recentiores, ſoli aquae tepidae uſui conſiſi, haec omnia, ut moleſta, vana, et inutilia, abdicaverunt. Balneum eſſe tutiſſimum et efficax remedium in omni inflammatione abdominis, debitis ſanguinis evacuationibus prius celebratis, omnes conſentiunt medici: Attamen de operatione diſcrepant. Verum enim vero cuique non perfunctorie conſideranti nexum ſyſtematis noſtri, praecipue nervoſi, reſpectu tenſionis patebit, balneum, relaxando cutem, et neceſſario vaſa innumera cum extremitatibus nervorum juxta collocatis, inſtrumentum fore minuendi tenſionem totius ſyſtematis, ſed partis praeſertim cui applicatur. Hinc, ut opinor, modus operandi patebit. Cavendum tamen, ne nimis diu aeger in balneo retineatur, nec calor aquae corporis ſani calorem ſuperet; aliter, ſtimulo caloris ſymptomata pejora evaderent.

*Opiata.*—Inquietudo et violentia doloris medicos ad uſum intempeſtivum horum impulerunt. Sed, in omni fere caſu ubi venaeſectio utilis eſt, vix exhiberi debent. Calori enim adjiciunt, inquietudinem majorem reddunt, diatheſin inflammatoriam augent, denique ſymptomata omnia graviora fient. Niſi igitur ad vomitum pacandum, ſymptoma in hoc morbo malum, irritationem dolorificam ex calculo, vel convulſiones removendas, omnibus aliis remediis incaſſum tentatis, nunquam utenda. Et verba cel. Van Swieten * conſpirare videntur: Raro autem his opiatis utuntur prudentes medici, niſi prius in morbis acutis inflammatoriis per ſanguinis miſſionem, aliaque apta remedia, inflammationis vehementiam minuerint.

* Comment. in Boerh. aph. vol. iii. p. 236.

DE

# DE HYSTERITIDE.

*AUCTORE LUDOV. BROTHERSON.*

HAEC a Cullено ita definitur: "Pyrexia; hypogaſtrii calor, tenſio, tumor, et dolor; os uteri tactu dolens; vomitus."

Praeter ſigna omnibus inflammationibus communia, ſequentia hyſteritidis propria ſunt, viz. dolor partis laborantis continuus, urens, pulſans, modo, uti aegrota opinatur, in inguine ſitus, modo in totum abdomen diffuſus. Saepe adſunt totius corporis vel lateris unius tantum durities, ſtranguria, et frequens deſidendi cupiditas. Si inflammatio partem uteri anteriorem occupet, dolor antrorſum os pubis verſus extenditur, et urinae reddendae difficultas oritur. Si pars poſterior afficiatur, notae ſunt alvus dura, dolorque in regione lumborum.

Si latera, dolores inguinum ſentiuntur; pedes et crura tumeſcunt, et ob pondus ſuum, potiuſve actionem muſculorum impeditam, aegre moventur. Si cervix ſola, os uteri, ſi id tangas, durum tumidumque eſſe reperies. Si uterus totus, ſigna omnia ingraveſcunt; caput admodum dolet, abdomen intumeſcit, et dureſcit, faeces et urina difficillime excernuntur; aegrota nec ambulare, nec ſedere, nec ſtare, abſque ſumma difficulate, valet; ſpiritus parum expeditus eſt, et delirium, convulſiones, extremorum frigus, tandemque mors ipſa, accedunt.

Hyſteritis, ad inſtar aliarum inflammationum loco certo propriarum, quatuor modis, nempe reſolutione, ſuppuratione, gangraena, et ſcirrho, finiri poteſt.

## CAUSA PROXIMA.

Cauſa inflammationis proxima jam poſita, vix ambigi poteſt, quin cauſa hyſteritidis proxima quoque impetus humorum in vaſis uterinis adauctus ſit, cui ſimul adjiciatur affectus ſpaſmodicus.

## CAUSAE REMOTAE.

Cauſae hujuſce morbi remotae ſunt,

1. *Internae*, viz. Menſtrua vel lochia ſuppreſſa parciuſve profuſa, partus laborioſi, ſecundinae retentae vive avulſae, abortus,

abortus, vomitiones violentae; affectus animi, dum menſes vel lochia proveniunt, concitati; calefactio corporis nimia, quam ſubſecuta eſt nimis magna abdominis refrigeratio; potus poſt motum violentum frigidus, corpore calefacto, ſumptus, praeſertim dum lochia, menſes, vel haemorrhois adſunt; et denique, colica convulſiva, graviorque affectus hyſtericus.

2. *Externae.* Injuriae inter pariendum mulieri illatae, abdomen vulneratum vel contuſum, immerſio in frigidiſſimam ſubita; per loca uliginoſa vel ſuper pavimenta frigida, pedibus nudis, incedere, praeſertim dum menſtrua proveniunt.

## PROGNOSIS.

Prognoſis triplex eſt.

1. Si inflammatio ſuperficiem internam, corpore reliquo ſano, et evacuationibus criticis, ſive ſudore, ſive qualibet alia excretione, tempore ſuo ſemet oſtendentibus, tantum occupet; et ſi pus laudabile, odoris foetidi expers, et levamen ſignorum ſecum afferens, ex utero deſtillet, ſalus aegrotae non deſperanda.

2. Aegrota in ſummo periculo verſatur, ſi morbus ultra diem quartum, nulla critica evacuatione per ſudorem aliterve facta, maneat; ſi quod ex utero deſtillat, colore varium et odore ingratum ſit; ſi ſingultus, delirium, convulſiones, et partium corporis extremarum frigoris ſenſus adſint.

3. Si inflammatio in ſcirrhum, et hic in cancrum inſanabilem deſinat, vel hydropem ſanatu difficilem faciat; vel ſi pus in cavum abdominis, quod viſcera gradatim conſumit, et tabem inducit, effundatur, finis morbi periculoſiſſimus ſit oportet.

## RATIO MEDENDI.

Conſilium curandi hoc in morbo princeps eſt, impetum humorum in vaſis uterinis quam primum imminuere, ſpaſmumque removere.

Huic autem apprime reſpondent,

1. Evacuantia.
   - A. Miſſio ſanguinis;
     - a. Univerſa,
     - b. Topica:
   - B. Purgantia:
   - C. Enemata:
   - D. Epiſpaſtica:
   - E. Emetica.
2. Relaxantia.
   - A. Fomenta;

A. Fomenta;
B. Diluentia.
3. Refrigerantia.
A. Sales medii;
B. Acida.
4. Corporis animique quies.
5. Caloris omniumque aliorum ſtimulorum vitatio diligentiſſima.

1. Evacuantia.
A. Miſſio ſanguinis.

a. *Univerſa.* Fiducia noſtra praecipue hocce in remedio collocanda.

b. *Topica.* Pars proxima et commodiſſima, cui cucurbitulae cruentae poſſint applicari, abdomen imum, ſupra os pubis, eſſe videtur.

B. *Purgantia.* Faeces induratae, inteſtina ſtimulando, et hunc ſtimulum non tantum in uterum, ſed in ſyſtema univerſum, diffundendo, in hoc vel quolibet alio morbo inflammatorio, magnopere nocent; igitur accumulationi ſtercoris, purgantia lenia dando, quae, quamvis non ſtimulant, alvum tamen ſolutam tenent, medicus diligenter occurrat neceſſe eſt. Horum optima eſſe videntur manna, tamarindi, oleum ricini, &c.

C. *Enemata.* Haec nequaquam neglectui habenda ſunt, cum celerius quam purgantia agant, cumque vicem fomenti ad partem ipſam laborantem admoti praeſtent, et ea, quae colon contineat, ſatis accurate foras eliminent; eoque irritationem, quae a ſtercore illic accumulato oriretur, praecavent. Haec e quolibet decocto emollienti, velut malvae, chamaemeli, vel ex oleo olivarum, vel ricini, vel ex aqua ſimplice tepida, quae forſitan, quantum efficaciam ſpectat, quodlibet praeparatum exaequat, apte conflabis. Huic, ſi alvus admodum dura ſit, ut hoc in morbo ſaepe accidit, aliquantulum ſalis communis, vel Glauberiani adjicies.

D. *Epiſpaſtica.* In hoc morbo quidem ea ſatis prope partem laborantem admovere difficile eſt. Quae pars huic propoſito potiſſimum accommodatur, ea eſt abdomen infimum.

E. *Emetica.* Haec ſpaſmum febrilem removent, actionem vaſis ſuperficiei corporeae reſtituunt, et humores ab internis in partes externas evocant; ſed, propter agitationem, quam ſyſtemati actio eorum inferat, hoc in morbo neutiquam adhibenda putamus. Data tamen iis portiunculis tantum, quae ad diaphoreſin movendam conferant, fortaſſe conveniunt.

2. Relaxantia.

A. *Fomenta*

A. *Fomenta* rite adhibita magnopere poſſunt prodeſſe; caeterum ignorantia nutricis ſaepe in cauſa eſt, cur non parum obſint. Si igitur ad ea decurſum fuerit, ſemper caute prius tollantur, quam frigeſcant, et cura ſumma, ut nec induſium aegrotae, nec ſtragula madefiant, adhibeatur.

B. *Diluentia.* Qualia ſunt aqua hordeata, &c. ſitim ſedando, excernentia aperta ſervando, et nutrimentum praebendo, aliquantum prodeſſe poſſunt.

3. Refrigerantia.

Hujuſcemodi ſunt ſales medii et acida, quae, ob poteſtatem, quam habeant, ſedantem, conveniunt.

A. Primas in refrigerantibus tenent ſales medii, et forſitan conſilio corpus refrigerandi rite adhibiti non male reſpondent; multa tamen iis, praeſertim nitro, objicienda ſunt: Hoc enim raro aut nunquam officio ſuo, ventriculo non turbato, fungi ſolet; et igitur periculoſum ancepſque medicamentum eſt.

B. Acida fructuſque maturi ſitim, quae in omnibus morbis inflammatoriis ſubeſt, levando proſunt.

5. Corporis animique quies.

Omnis corporis motus, utpote qui ſanguinis per venas reditum acceleret, et igitur contractiones cordis crebriores reddat, in hyſteritide caute vitandus. Affectus animi violentiores, qui idem praeſtant, quoque cavendi. Quinetiam clunes reliquo corpore altius collocandi, quo impetui ad uterum facto quam maxime occurratur.

6. Caloris omniumque aliorum ſtimulorum diligentiſſima vitatio.

Calor, qui humores rarefaciendo, et ſolida ſtimulando, ad plethoram faciendam confert, diligentiſſime cavendus, ubi diatheſis phlogiſtica tantopere invaleſcit.

Si haec remedia morbum non tollant, magnum periculum eſt, ne in ſcirrhum cancrumve deſinat. In utrolibet caſu periculum ſummum et inevitabile. In priore tamen talia remedia tentanda, qualia in obſtructiones glandularum aliquantum poſſe putantur, velut cicuta, mezereon, pilulae mercuriales, &c. In poſteriore aegrota moriatur neceſſe eſt. Nihil aliud igitur in manu noſtra eſt, quam dolorem miſeriamque aegrotae levare, vitamque prorogare conari; quod forſitan praeſtabunt, regimen frigidulum ſtricte adhibitum, miſſiones ſanguinis modicae, opium, et omnium, quae ſigna poſſunt graviora reddere, diligens et accurata vitatio.

# DE RHEUMATISMO ACUTO.

*AUCTORE BARTHOL. DILLON.*

## HISTORIA MORBI.

QUONIAM perpauca hujuſce morbi veſtigia in veterum operibus comparuerint, quod illis vix innotuerit, admodum probabile eſt. Poſthac, in temperatis aut calidioribus terrae plagis rarius occurrere rheumatiſmum, evincere conabimur. Et inde patebit ratio, quare Graecorum et Arabum (qui primi artem medicam excoluerunt) ſcriptis raro illius fit mentio. Hi enim, quibus hunc obſervaviſſe contigit, deſcriptionem adeo confuſam tradiderunt, ut quid certi quoad ejus exiſtentiam concludi nequit. Hippocrati fuiſſe hujuſce morbi aliquam notitiam, quamvis obſcuram, ex his verbis conſtaret: "Cum articularis morbus detinet articulos, ignis et dolor invadit, et brevis quidem et acutus evadit, ſed minime lethalis. Junioribus magis quam ſenioribus contingere ſolet *." Plerique inter ſcriptores veteres, ex eo quod eadem tempeſtate invadunt, et ſaepius conjungantur rheumatiſmus et catarrhus, hos pro eodem morbo habuerunt; ideoque nullam inter illos diſtinctionem inſtituere. Apud omnes enim, quod a capite in junctura defluxerit humor peccans, invaluit opinio.

Ex Coelii Aureliani †, Tralliani ‡, Aretaei ‖, aliorumque ſcriptis apparet, dolores omnes articulos afficientes, ſive arthriticos, ſive rheumaticos, cujuſcunque ſint naturae, acutae, aut chronicae, termino generico Arthritidis fuiſſe deſignatos. Inter primos fuit Botallus, auctor Gallicus, qui hujuſce morbi duas ſpecies notavit, illaſque calidum frigidumque rheumatiſmum, in priore venaeſectiones largas ſtrenue ſuadens, in poſteriore illas omnino interdicens, nuncupavit. Ballonius medicus Pariſienſis §, ex obſcuritate qua diu involutus fuit, hunc morbum tandem eripuit, et diagnoſin, hunc inter et catarrhum et podagram, ſatis accuratam inſtituit **. Omnibus vero, qui de hoc morbo tractaverunt, Sydenhamus juſto celebris palmam praeripuit; quippe qui, morborum plurimorum hiſtorias ſummo cum judicio tradens, hujuſce etiam ma-

* Hipp. de affect. p. 524. edit. Foes.
† Lib. ii. morb. acut. p. 139. ‡ Lib IX. cap. i. p. 599.
‖ De cauſ. et ſign. morb. diut. lib. ii. p. 66. § Anno Dom. 1618.
** Balloni om. op. vol. iv. de Rheumatiſmo.

xima cum perſpicuitate depinxit, naturam patefecit, et acutum inter et chronicum diſtinctionem formavit idoneam.

## DEFINITIO.

"Morbus ab externa et plerumque evidente cauſa; pyrexia; dolor circa articulos, muſculorum tractum ſequens, genua et reliquos majores, potius quam pedum vel manuum articulos, infeſtans *."

## ENARRATIO SYMPTOMATUM.

Apud omnes compertum eſt, hunc morbum in frigidioribus terrae plagis potiſſimum graſſari; ex obſervatis enim Hillary† conſtat, in regione calidiori, ubi praxin inſtituit, mortales rarius exercere. Pro certo etiam habemus, quod in Laponia, aut terris ſeptentrioni appropinquantibus, vix unquam appareat. Contra vero, vitam in regionibus temperatis, quae tempeſtatis viciſſitudines ſubeunt frequentes, degentes, hujuſce morbi inſultui praecipue obnoxii ſunt. Poſthac frigus corpori applicatum, ſolito magis calenti, ad hunc morbum excitandum quam maxime tendere, evincere conabimur. Hinc etiam patet, cur menſibus Martii et Aprilis ‡, Octobris et Novembris, quando aeris temperies magis mutabilis eſt, dum calor excipit frigus, humiditas ſiccitatem, et vice verſa, homines adoritur. Hae coeli mutationes in inſulis Britannicis magis quam alibi ſunt obſervabiles, unde frequentius in hac terrarum plaga invaleſcit. Omnis ſexus, aetas, aut temperamentum, ſi cauſae occaſionales ſatis potentes concurrunt, huicce morbo ſubjici poſſunt. Sanguinei praecipue et plethorici, a pubertate ad 35 uſque annum, frequentius hocce morbo corripiuntur. Foeminas quam viros crebrius aggreditur.

Hicce morbus per ſymptomata jam enumeranda ſeſe manifeſtat; languoris et frigoris ſenſum imprimis experitur aegrotus, palleſcunt et torpent extremitates. Per ſpinam aliquoties dilabitur ſenſatio frigorifica, quae cum rigore et horrore per corpus univerſum tandem diffunditur; paulatim calor ſupervenit univerſalis, ſimul cum anxietate circa praecordia; pulſus jam fit frequens, plenus, et durus; reſpiratio evadit frequens, gravis, et moleſta; ſitis adeſt intenſa; appetitus fit proſtratus, et edulia omnia, imprimis ſolida, faſtidit aegrotus; arida fit lingua et albeſcit; progrediente vero febre,

* Vid. Cullen's Noſolog. Cl. I. ord. ii. et gen. 22.
† De morb. Barbad.
‡ Vid. Cl. Wintringham, vol. ii. p. 239. et 241, 4, 6.

fuſco

fuſco tingitur colore ; alvus pro maxima parte conſtipata eſt; urina rubra ſedimentum naturale fere ſemper deponit. Symptomatibus ſupra memoratis ſaepius ſuperveniunt vertigo, dolor capitis, facies turgida, et oculorum ſenſibilitas magis exquiſita. Dum haec unum aut duos dies perſtiterunt ſymptomata febrilia, doloribus vagis, acutis, et lancinantibus in variis corporis partibus torqueri incipit aeger; hi vero dolores corpus prius affligere ſaepe ſaepius obſervantur, quam ſymptomata febrilia ſeſe manifeſtant. His doloribus afficiuntur junctura majores, praeſertim humeri, carpi, &c. At coxas, talos, et genua potiſſimum exagitant. Saepius unum ſolummodo infeſtant articulum ; ſed ſymptomatis auctis febrilibus magis intenſi fiunt, et plures corporis articulos ſimul et ſemel excruciant ; ſed plerumque ſic progreditur, remittens in una junctura dolor, in alia intenditur ; ſic ab una ad aliam migrat, viciſſim alternat, et partem prius affectam iterum iterumque affligit. Hoc modo ſerpens muſculorum tractum ſequi frequentiſſime obſervatur. Aliquoties hi dolores nunc acuti nunc graves univerſum corpus laceſſere videntur ; dolore ſic diffuſo motus minimus, compreſſio, aut etiam veſtimentorum attactus, aegrotum miſerum immaniter vexant ; tandem rigeſcunt et immobiles fiunt corporis diverſae partes. Contingit aliquando, quod, dolore aliquamdiu perſtante, parti affectae tumor, rubor, et tenſio, ſimul cum placida ſymptomatum prius exiſtentium mitigatione, ſuperveniunt. Saepe autem accidit, quod haec phaenomena, poſt dolores maxime mordaces paſſos, haud appareant *. Nocte ſymptomata ingraveſcunt febrilia, uti et dolores ; exacerbatio haec calore lecti veriſimile provenit, ſomno privati noctem trahunt inquieti et animi impatientes. A principio uſque hujus affectionis ſudore viſcido frigido, raro univerſali, ſaepius topico, ſymptomatum levamen raro aut nunquam inducente, ſuperficies irroratur. Obſervatis etiam conſtat, quod obſeſſis hac humiditate quibuſdam corporis partibus, junctura dolore vexatae aridae evadant. Si vero diaphoreſis copioſa et univerſalis ſymptomatum mitigatione evidente comitata ſupervenit, terminationi morbi fauſtae ſaepe praecurrit. Sanguis detractus pelvi receptus et quieſcens, cruſtam coriaceam (modo hujus productioni aliae inter venam ſecandam circumſtantiae faveant) exhibet. Incerto tempore durat febris ; ſymptomata vero pyrexiae ultra duas aut tres ſeptimanas rarius protrahuntur ; ſin diutius perſtant dolores, de violentia deperdunt, et tranſitiones in alias juncturas minus frequentes occurrunt. Abſque criſi evidente ſaepius evaneſcit hic morbus ; finem ta-

* Storck Annus Med. Secund. p. 117.

men aliquando imponit ſudoris eruptio univerſalis. Solutio vel ſaltem morbi remiſſio poſt haemorrhagias ſpontaneas eveniſſe obſervata eſt. Urina ſedimentum farinaceum demittente, aut diarrhoea (quamvis rarius) ſuperveniente, ſaepe ſublatus eſt morbus. Haec vero ſigna nequaquam ſemper critica habenda ſunt; his enim praegreſſis, ingraveſcit aliquando morbus et diutius protrahitur. Quamvis haec affectio naturam inflammatoriam prae ſe fert, tamen in ſuppurationem raro abit. Effunditur vero fluidum ſeroſo-gelatinoſum in partes locis dolore affectis vicinas. Inciſione in juncturas tunefactas neceſſario facta, evacuebatur hujuſce fluidi certa quantitas; operatio vero ulceribus ſanatu difficillimis originem dedit *. Tumores hi fluidis effuſis cito in ſyſtema reſumptis haud diu perſtant, et vix alicujus momenti ſunt. Ita talem inſtituere operationem Culleno noſtro celeberrimo, quo in praxi nemo magis verſatus, occaſio nunquam oblata eſt. Aliquando etiam accidit quod, ceſſantibus ſymptomatis febrilibus, ſimul cum tumoris et junctura rum ruboris diminutione; dolores tamen vix intermittunt, et varias partes lumbos praecipue et coxas vexare perſiſtunt. Calore applicato vel motu exacerbantur. Rigeſcunt eodem tempore partes affectae, frigidae fiunt et areſcunt. Morbus jam nomine rheumatiſmi chronici cognoſcitur. Huic affectioni pro variis, quas occupat partibus, diverſa nomina fuerunt impoſita. Dolor ſcilicet lumbos aut os ſacrum afficiens *lumbago* nuncupatus eſt. Coxendice affecto, *ſciaticam* vel *iſchiadem* audit. Gingivas vel dentes torquens, *odontalgia;* thoracem afficiens, *pleuritis ſpuria* vel *pleurodyne*, Sauvageſii dictus. Hae autem diſtinctiones nullius mihi videntur eſſe momenti; propterea quod unam et eandem cauſam fere ſemper agnoſcunt, et ratione partis affectae ſolummodo differunt.

## DIAGNOSIS.

Ut accurata inſtituatur diſtinctio hunc inter et alios morbos, apprime neceſſarium eſt; et haec argumenti pars, ut maximam adhibeamus attentionem, requirit, ne ex hujus ſimilitudine cum aliis morbis hallucinemur. "Sine hac ſcientia, nulla ſtabilis inſtitui poteſt prognoſis vel therapeia, et medicus adſtantibus ſaepe ludibrio ſit †." Quamvis rheumatiſmus natura ſua, a variis affectionibus, quibuſcum ab antiquis erat confuſus, multum diſcrepat; attamen huic et podagrae quaedam dantur communia; nam eaſdem aliquando corporis par-

* Storck ann. med. ſecund. p. 129.
† Home princ. med. pars ii. ſect 10.

tes

res occupant, ſymptomatibuſque ſimilibus ſaepius ſtipantur, quamvis curandi ratio multum variat. Neceſſarium ideo ducimus notas, per quas ab his morbis, qui perſonam affectionis hujuſce gerunt, prae oculis ponere, dignoſcatur rheumatiſmus acutus. Has ſigillatim perpendemus, eatenus ſaltem quatenus diſtinctionem juſtam formare neceſſe eſt. Atque imprimis quaenam ſit inter cauſas rheumatiſmum et podagram inducere tendentes differentia, conſiderabimus.

Temperamentum ſanguineum rheumatiſmo praecipue obnoxium eſt, et in 9 ex 10 caſibus juniores, aetate florenti gaudentes, et qui annum 35 necdum ſunt tranſgreſſi, adoritur. Mares, foeminas, et eunuchos ullo ſine diſcrimine infeſtat. Vitam laborioſam degentibus et plebeculae, cujus vivendi ratio cauſis excitantibus exponit, frequentiſſime occurrit. E contra, temperamento ſanguineo praeditos, vel necdum ultra medium vitae ſtadium, aut 35 annum, provectos, raro corripit podagra; adultos potius ac ſenes occupat, quamvis haud deſunt hiſce diebus quibus maxime viget luxuria, podagrae junioribus ſupervenientis exempla * ; haec tamen ſunt rara admodum et inſolita. Sexus foemineus, antequam ceſſant catamenia, et eunuchi, podagrae inſultu, maxima pro parte, immunes evadunt; prout et omnes, qui victum ſudore quaeritant, aut exercitiis laborioſis, vel recreationibus muſculorum actione ſtipatis, (niſi prius invaluit praedispoſitio huic admodum prona, ut ſaepe accidit), ſeſe aſſuefaciunt. Otio torpentes voluptati et omni intemperantiae ſpeciei deditos laceſſit, tabernam humilem habitantes intactos relinquens. Rheumatiſmus, in 99 ex 100 vicibus, a frigore externe applicato deducatur; quandoquidem a cauſis, quarum natura omnino diverſa extat, quales corpus et animum multum debilitant, producatur arthritis. A ſede et ſymptomatibus etiam deſumenda eſt inter hos morbos diagnoſis. Rheumatiſmus, cauſis occaſionalibus applicatis, ſubito adoritur; altera ex parte affectiones quaedam partium internarum, praecipue ventriculi, ſicut digeſtio prava, flatus, eructationes acidae aliquando inſipidae, cum variis in functionibus debilitatis ſignis, podagrae acceſſum indicantibus, praecedunt. Symptomata haec, paroxyſmo appropinquante, evaneſcunt, quum functiones omnes pervadit vigor inſolitus, et ſyſtematis totius tonus plurimum auctus evadit. Rheumatiſmi acceſſum vel paroxyſmum raro praecedunt vel comitantur talia ſymptomata. Hic per totum vitae decurſum plus vice ſimplici raro contingit, neque periodos regulares obſervat. Podagra vero certis plerumque temporibus redit, et intervalla ſatis

* Vid. praelect. clin. Cullen.

juſta

juſta ſervat. Paroxyſmi primi duratio brevior, ſequentes magis protracti evadunt ; ex loco affecto etiam ulterius elucefcet horum morborum diagnoſis. Hiſtoria enim ſupratradita docet, juncturas majores laceſſere, muſculorum tractum ſequi, et plures partes eodem tempore afficere rheumatiſmum. Notatu etiam dignum videtur, quod tam late aliquando diffundatur rheumatiſmus, ut quaenam pars dolore praecipue afficiatur, dicere nequit aegrotus. Arthritis articulos majores raro, minores uti manus et pedis pollicem, frequentiſſime occupat, unum ſimul tantum infeſtat, ſed ab uno in alium priori correſpondentem ſaepe migrat. Rheumatiſmus cum affectionibus internis rarius alternat ; ſed viſcera omnia ſaevis ſymptomatibus ſaepiſſime excruciat podagra. Ex inſpectione cadaverum luculenter patet, materiam in rheumatiſmo effuſam gelatinoſam quodammodo evadere. Subſtantia, e contrario, cretacea arthriticorum articuli reperiuntur repleti.

Accidit aliquando, quod diſtinctionem acutum inter et chronicum, illo praeſertim tempore quo ad poſteriorem prior vergit, inſtituere perquam difficile ſit ; haec itaque argumenti pars ſummam requirit diligentiam et ingenii acumen. Debita vero circumſtantiis jam enumerandis adhibita attentio, impediet, quo minus hic in dubio haereamus. Acuto ſimul cum inflammatione locali, diatheſis ſemper adeſt inflammatoria, pulſus plenus et fortis evadit, urina rubra, ſanguis vena detracta cruſta coriacea obducitur ; curſum plerumque duarum aut trium hebdomadarum ſpatio abſolvit. Dolores ab una in juncturam aliam ſerpere, et extremitates ſuperiores et inferiores occupare, obſervantur. Calore et rubore ſtipantur tumores. Ab applicatis calidis multum exacerbantur dolores. Altera ex parte, chronico raro adſunt ſymptomata febrilia, vel diatheſis phlogiſtica, nec cruſtam coriaceam exhibit ſanguis ; aliquando tamen haec obſervata ab aliis pendere videntur, circumſtantiis admodum diverſis. Partes dolore cruciatae pallidae apparent et frigeſcunt. Pulſus nec plenus nec fortis, urina nullatenus rubra evadit ; quoad ejus durationem, nulli dantur limites certi. Partes corporis praecipue muſculares, uti lumbi, coxendices, et oſſa iſchia, dolore vexantur. Calor quoque moderatus levamen aegrotis miſeris adfert.

## PROGNOSIS.

Experientia compertum habemus, rheumatiſmi terminationem raro funeſtam evadere ; tamen haud deſunt eventus infauſti exempla. Medelae ſaepe pertinaciter obſiſtit, et perperam

peram tractata haud raro in rheumatismum chronicum varias et diras affectiones, uti paralysin immedicabilem, junctura rum anchylosin, inducentem degenerat.

Si morbo hocce correptus aetate gaudeat juvenili, et robore pleno vigeat, dolores lenes, et symptomata febris mitiora, cum pulsu parum aucto, molli, et pleno, calore corporis moderato; si lingua sit mollis et humescat, et nocte superveniat sopor reficiens; si morbus haud diu invaluit, et nunquam antea aegrum infestavit, eventum fore faustum audacter satis pronunciare licebit. Ulterius confirmabitur praesagium hocce, si sudorem corpus universum irrorantem, urinam magna copia eliminatam, haemorrhagiam ex quacunque corporis parte, copiosam diarrhoeam, vel eruptionem cutaneam sponte suborientem, symptomatum febrilium mitigatio subsequatur. E contra, medela difficilior evadit, et prognosis magis in dubio haerebit, si aegroti vires prius fuerint labefactae, si morbi insultus semel ac iterum supervenerunt, vel si partes interiores cerebrum, e. g. pulmones, aut viscera abdominalia, phrenitidis, peripneumoniae, &c. formam induens, et symptomata alia atrocia producens, jamjam morbus infestavit. Fatendum quidem est, migrationes ad interiora rarius occurrere; si eveniant, forsan diathesi arthritico merito nobis sunt tribuendae, praecipue si animo perpendatur, quod systema musculosum maxime afficiat rheumatismus. Resolutione saepius, suppuratione rarius, gangraena aut sphacelo nunquam solvitur. Denique morbus hicce et dolorosus, et pervicax, quamvis raro exitialis, existimandus est.

## CAUSAE REMOTAE.

Per omnes cujuscunque sint aetatis, sexus, aut temperamenti, causis excitantibus satis potentibus applicatis grassari potest rheumatismus. Quaedam tamen dantur peculiaria quae faciunt, ut unus hoc morbo corripiatur dum alter liber evadit. Sic vitam annum inter 15 et 35 degentes, temperamenti sanguinei et plethorici, huic affectioni sunt praecipue obnoxii. Causae hunc habitum producentes variae sunt et numerosae; sed sufficiat hic enumerare illas solummodo quae potentius et magis immediate agunt. Huc referenda sunt quietum vitae genus, victus lautus, indulgentia soporis nimia, evacuationes consuetae subito suppressae, veluti perspirationis et catameniorum; hinc forsan major foeminarum quam virorum ad hunc morbum proclivitas; huc etiam suppressio subitanea evacuationum arte inductarum, ut setaceorum, vesicatoriorum, et similium, sanguinis detractionis periodicae omissio, haemorrhagiarum

haemorrhagiarum ſolitarum ceſſatio, pertinent. Cauſae jam enarratae, modo poſtea explicando, morbum excitant. Praeterea, aliae adhuc dantur quae, ſyſtema mobilius reddendo, hujuſce morbi inſultui anſam praebere obſervantur. Talem effectum edere humorum profuſiones omnes auctae, morbi quicunque aegrum ſaepius infeſtantes, ſtatus convaleſcens videntur: Conſtat enim, quod hi qui ſanitati, poſt morbum diuturnum, nuper reſtituti ſunt, coeli et tempeſtatis mutationes magis exquiſite ſentiunt. Applicato enim minori frigoris gradu, facile relabuntur, aut quadam alia affectione corripiuntur. Cubicula calidiora, uſus etiam lavationis calidae nimis frequens, vel potus tepidi ingurgitatio nimia, huc etiam conferre poſſunt. Tonica etiam medicamenta diu continuata irritabilitatem ſyſtematis augere tendunt; habitum debilem, mobilem, et irritabilem inducendo agunt hae cauſae, qui ideo cauſis nocentibus applicatis minus reſiſtere valet. Hinc originem ſaepe ducunt rheumatiſmus et aliae affectiones inflammatoriae.

Ad potentiſſimam et ferme unicam rheumatiſmi cauſam occaſionalem, frigoris ſcilicet applicationem, jam perventum eſt. Omnibus fere innoteſcit, quod in regionibus et tempeſtatibus magis frigidis, et praecipue in his quae frigoris et caloris mutationes celerius ſubeunt, frequentius occurrit. Frigus enim diutius applicatum pro cauſa praediſponente ſola, ſpectandum eſt; tempore enim hyemali, aut gelu diu continuato, raro mortales exercet, quoniam tunc temporis et ſolidorum conſtrictio, et fluidorum condenſatio, ſimul adſunt; exinde frigoris, et caloris vices alternatas morbum accerſere, luculenter apparet. Hinc cur vere aut autumno praecipue graſſetur conſtat. Hiſce omnibus collatis, frigoris et caloris operationem, fluidorum rarefactioni, et ſolidorum conſtrictioni, referendam eſſe, priore poſteriori ſuperveniente, vel vice verſa, ſecundum tempeſtatis mutationes, opinamur. Omnium fere auctorum obſervata docent, vere quam alio tempore frequentius laceſſere, propterea quod a temperie calida majori in gradu rarefiunt fluida, quam ſolida hyemali frigore tam diu conſtricta relaxentur. Hae cauſae irritando validius agunt, et abſque eo, quod ſyſtema ſit prius praeparatum, affectionem hanc producere valent. Si vero praediſpoſitio, quam jam notavimus, prius extiterit, effectum multo potentiorem gignent hae cauſae. Frigoris poteſtas, ſi cum humiditate conjuncta ſit, multum augetur; humido enim exhalante frigus intenſius evadit; hinc loco humido, veluti agris, aedibus recens extructis, &c. recumbentes aut dormientes

adeo

adeo frequenter excruciat rheumatiſmus. Veſtes madidae pro cauſa excitante frequentiſſime habendae ſunt.

## CAUSA PROXIMA.

Auctores plurimi proximam hujus morbi cauſam, quadam in fluidorum conditione contineri cenſerunt. Opinionem hanc ſolam conſiderare jam nobis in animo eſt. Cauſam in lentore, aut ſanguinis viſciditate, immediatam contineri, plerique exiſtimabant, et argumenta ad hoc probandum plurima, quae ſpeciem veri prae ſe ferunt, in medium protulerunt; experimenta vero nuper inſtituta horum fundamentum parum ſtabile evincunt. Hujus ſententiae fautores ex ſanguinis vena detracti inſpectione, cujus ſuperficiei pellicula inflammatoria plerumque obducitur, argumenta deducunt. Sed experimentis Hewſon conſtat, ſanguinem morbis inflammatoriis affectorum, tam longe abeſſe quod viſcidior reddatur, ut multo tenuior fiat *. Plurimis enim experimentis inſtitutis, ſanguinem, cujus ſuperficiei cruſta denſior et fortior aderat, ſerius coagulare obſervavit. Hinc ſequitur, cohaeſionis attractionem inter partes conſtituentes multum minui. Jam, quoniam et rationi et experimentis repugnat, in ſtatu fluidorum quolibet, cauſam rheumatiſmi immediatam contineri (hiſtoria et cauſis remotis naturae conſideratis) hanc in vaſorum minutorum conſtrictione conſiſtere, quae membranas, ligamenta, aliaſque articulorum partes, tendines et expanſiones muſculorum aponeuroticas, perreptant, concludere fas videtur †. Prohibet haec conſtrictio quo minus libere per vaſa tranſeat ſanguis. Ad hanc ſuperandam reſiſtentiam ſpaſmus exoritur, qui, cum omni ſyſtematis parte cito communicatus, ſymptomata producit febrilia.

## METHODUS MEDENDI.

Quoniam ex ſupradictis ſatis eluceſcit, naturae eſſe morbum

* Hewſon on the blood.

† Partibus in hoc morbo affectis bene penſitatis, quare ſuppuratio, aliarum inflammationum ſequela non infrequens, rheumatiſmum raro aut nunquam ſubſequitur, forſan liquido conſtabit. Ex ſuppurationis doctrina jam recepta, et experimentis variis confirmata, patet, proceſſum hunc ſolummodo, effuſioni in telam celluloſam, vel cavitatem aliam huic idoneam, ſupervenire; praeterea, idem genus experimenta probant, partem ſanguinis glutinoſam ſolam huic reſpondere propoſito. Vaſa vero in rheumatiſmo affecta in firma et tenſa muſculi membrana collocantur, quae difficilius cedens humorum impetui magis reſiſtit, et quo minus rumpantur aut dilatentur vaſa, impedit, nec effuſionem admittit. Vaſcula etiam adeo tenuia evadunt, ut, tametſi vi fluidorum a tergo cederent, nihilominus glutinis copiam ad pus formandum ſufficientem vix adducerent.

de quo egimus inflammatoriae, indicationes sequentes, experientia diuturna stabilitas, ideo offerre mihi maxime arrisit: 1. Ut imminuatur sanguinis impetus in universum, et in parte etiam affecta. 2. Ut constrictio vasorum spasmodica amoveatur *.

Administratio antiphlogistica ad primam indicationem absolvendam imprimis necessaria est Perficitur haec evitando sive moderando irritamenta corpori nostro applicata, quae cordis et arteriarum vim augent; hoc genus est calor externe applicatus, (nisi quando diaphoresis copiosa requiritur), omnis muscularis actio est evitanda, etiam loquela, et situs horizontalis anteponendus est, utpote in illo pauciſſimis utitur musculis; quoniam systematis sensilitas morbis inflammatoriis multum augetur, videmus quod etiam mentis operationes corpori, instar stimulorum haud aspernandorum, agunt, et praecipue hae quae emotiones vel affectus excitant, et propterea caute sunt evitandae, ut etiam lucis et sonus sensus. Quoniam cibi omnis generis, ad alimentum sumpti, aliqua ex parte systema stimulant, et quia haud penitus ab iis abstinere impune possumus, alimentum minimum stimuli praebens eligendum est. Cibo ex regno animali sumpto, quoniam alkalescens sit, et igitur magis irritans, haud omnino utendus est, cujus vice diaeta vegetabilis fungatur. Quoniam potus etiam stimulare valeat, liquores omnes aromatici, spirituosi, et fermentati (tenuissimis exceptis) haud aegro sunt propinandi, et aquosi innocui tantummodo sunt praebendi. Ne sitis urgeat, aut stomachus crudis indigestisque opprimatur, aut faeces longius retineantur, quum haec omnia stimulum praebent, quam maxime cavendum est Nunc proxime ad modos quibus systematis sanguiferi actio est minuenda, quoniam vis hujus maxima ex parte a tono vasorum pendet, et hic rursus tensione, ex fluidis contentis; igitur apparet, quod horum imminuta quantitate necessario et efficienter sanguiferi systematis etiam moderabitur actio, hoc maxime bifariam perficitur, sanguinis detractione, scilicet, et catharsi. 1. De illa tractabimus, utpote in hoc morbo maximi remedium momenti. Sanguinis missio, hujus virtutibus concessis, boni ejus effectus maxime assequi possunt; si ad regulas sequentes animum vertamus, imprimis supine positus esse debet aegrotus, (nam sic minima est actio muscularis), ut procul omne absit irritamentum etiam cavendum. 2 Vena satis pertusa, ut pleno fluat sanguis rivo necesse; nam tonus erit imminutus in ratione quantitatis, dato tempore, extractae; sic videmus, quod vasis magnitudo et orificii amplitudo multum valet. Quoad quantitatem abstrahendam, generalis nulla norma poni potest, quo-

* Cull. Prim. Lin. interprete Beerenbroek.

niam

niam pro ſtatu morbi et aegroti indole eſt varianda: Hic tantum dicere ſufficiat, quod in adulto mediocriter vigente, venaeſectio ad ℥xx vel aliquid ſupra larga, et infra ℥xii parva, habetur. Quoties ſit repetenda inter auctores haud conſentitur. Riverius frequenter celebratam venaeſectionem commendat; et ſic dicit. "Quandoquidem is morbus hoc habet peculiare, ut ex frequenti venaeſectione vires non deficiantur, ſicut in aliis morbis ſolet contingere." Eques Pringelius, doloribus multum vigentibus, repetitas et fere diurnas detractiones laudat, donec vel remittunt aut multum leniuntur †. Cl. Lieutaud, quod abſtinendum eſt a venaeſectione poſt diem ſeptimum morbi elapſum monet, ne nimis hoc modo eum pertrahamus, et hanc ob cauſam ter quaterve celebratam ad morbum tollendum ſufficere exiſtimavit. Sed auctor ille eruditus errare mihi videtur, aliquem limitem designatum pro ſtatuto ponendo. Quoniam regula nulla certa deſignari poteſt, qua evacuatio haecce eſt moderanda, attentio ad ſequentem nos aliquo modo dirigat, viz. quoad frequentiam et vim aucta pulſatio arteriarum, ut etiam dolorum violentia, eodem tempore, ratione etiam ad ſexum, temperiem, vires et ſtatum aegri plethoricum habita, ut etiam ſi ſtatis vicibus necne huic evacuationi aſſuetus fuerit, quaerendo. Etſi venaeſectio generalis tam videtur efficax, et huic morbo tam bene aptata, tamen ne ultra juſtos limites inſtituatur providendum; nimis ſaepe celebrata tardam efficiet convalescentiam, chronicum rheumatiſmum, et forte alios multos morbos debilitate orientes, veluti hydropes, &c. inducet. Si venaeſectio univerſalis iterum fuit facta, et dolor nihilominus manſerit, aut pulſus haud factus mollior, ut malos ulterioris evacuationis effectus fugiamus, doloris vis topica venaeſectione leniatur, et certius ſi tumor vel rubor ſupervenerit. Topica inguinis detractio praeſertim laudatur, cum doloris duratio magis quam febris violentia urget. Sanguis topice detrahi poteſt hirudinibus vel cucurbitulis cruentis; has illis antepotere inducimur, quia citius fieri, et quantitas ſic extracta accuratius metiri poteſt, cujus commoda ante enumerata ſunt.

*Cathartica.* Horum, imminuenda fluidorum corpore contentorum quantitate, effectus ſunt permagni; magnopere totum ſyſtema relaxant, et irritamentum, quod faeces accumulatae producunt, tollunt; hinc pernitilia in hoc morbo, tam immodo efficacia ſunt generis antiphlogiſtici, quae haud ſyſtema ſtimulant; hujus naturae ſunt cremor tartari, manna, pulpae tamarindorum et caſſiae, ut etiam ſales neutri.

*Enemata laxantia.* Haec propoſito antedicto, nempe irrita-

† Obſervations on diſeaſes of the army, p. 157. ed. 6.

tionem amovere, optime respondent, et saepe valde salutares producunt effectus. Quoniam alvus in hoc morbo ad statum astrictum proclivis est, ideo horum quotidiana administratio erit necessaria.

*Refrigerantia.* Haec medicamenta etiam primae indicationi aptantur; horum acida sunt utilissima, et omnium vegetabilia sunt optima, praesertim satis diluta, et sic intra stomachum suscepta, sitim extinguunt, calorem leniunt, sedative in systema agunt, et saepe instar diureticorum et diaphoreticorum operantur.

*Sales neutri.* Horum etiam vis refrigerans permagna est, impetum sanguinis moderantur, corpus frigefaciunt, spasmum superficici tollunt, et lenem diaphoresin inducunt. Horum nitrum praecipue exhibetur: Dr Brocklesby statim post primam venaesectionem a vi ad x drachmas spatio xxiv horarum, copiose dilutas, exhibuit; sed tamen pauci sunt ventriculi qui tam magnam possunt perferre quantitatem *. Inter haec remedia merito enumerari debet julapium salinum; efficacior habetur, si, vice alkali fixi, volatili cum succo lemonum juncto utimur.

Impetu sanguinis modis antedictis imminuto, ad secundam ventum est indicationem, nempe, ut constrictio vasorum spasmodica amoveatur. Huic sudorifica maxime accommodantur. Quibusdam evacuationibus generalibus praemissis, et postquam hisce cum aliis remediis enumeratis diathesis inflammatoria systematis sublata vel imminuta sit, tunc sudatio maximi erit momenti in rheumatismo curando; tamen excitanda sit medicamentis haud stimulantibus, et caloris ope quam minimi; nam, quum promovetur medicamentis irritantibus, et augmine magno caloris, perraro haud phlogisticam diathesin systematis auget, medicamentum hisce viribus stimulantibus vacuum nunc jure celebratur, utpote tutum et in promovendo sudore certum, viz. pulv. Doveri, qui ex opiato et emetico cum sale neutro junctis constat. Hoc remedium aliis sudorificis longe praestat, quia haud tantum caloris postulat quantum alii.

Nunc de modo ejus exhibendi et regulis inter operandum observandis dicendum. Melius exhibetur postquam matutino somno expergefecit aegrotus, quia excretiones magis regulariter in statu vigilante perficiuntur. Quoniam juxta naturam morbi symptomata febrilia et dolores noctu intenduntur, et magis minusve interdiu remittunt, tempus hoc pro ejus exhibitione eligitur; praeterea somnus aegroto vel adstanti obrepat, quod ut potus suppeditaretur, impediret, et sic sudor statim cessaret. Quinetiam, nihil utilius esse potest, quam ut

* See Observations on military diseases.

major

major ſudoris pars ante nocturnam exacerbationem peragatur. Adulto exhibeatur pulveris ʒſs vel ℈ii forma boli cruſtulo obtecti, ne inter deglutiendum nauſeam vel vomitum provocaret. Huic effectui obviam iremus ab omnibus fluidis abſtinendo, niſi quantum ad vehiculum pro bolo ſufficiat, donec humiditas frontem irroret, aut ſenſatio calida per totum corpus percipiatur, tunc tepidi diluentis quantitas neceſſaria eſt. Sicuti multum diluentium requiritur, conari oportet, eam quam gratam palato reddere; hoc perficitur ope leniter aromatici, e. g. infuſi ſalviae, ſeri vinoſi, et ſimilium. Lecto ponendus eſt aeger obvolucris laneis tecto; nam cum lintea fiunt madida, et per breve tempus a corpore amoventur, frigeſcunt, et, cum poſtea applicantur, operationem remedii impediunt. E contra, laneae veſtes ad peripheriam determinant, et praeterea humiditatem ebibunt. Si veſtimenta lanea aegro diſplicent, et ut linteis utatur neceſſe, ſaepe ſunt renovanda, quoad, ex frigore, periculum haud tanti aeſtimandum quantum vulgo et perperam creditur. Quum parum commodi, ſed etiam mali effectus, niſi ſudor ſit univerſalis, profluant, et cum ex partibus inferioribus ſudor difficilius prorumpit; ad has igitur partes, pluribus additis veſtimentis, alliciatur, ut etiam calidis fomentationibus, lagenis aqua calida repletis, pedibuſque applicatis. Si pulv. Doveri exhibito, aliiſque modis adminiſtratis, nihilominus nullus ſudor erumpat, ſed, e contrario, aeſtu ferveat aeger, cute adhuc arida manente, ſimulque anxietate, ſiti permagna, pulſu duro et frequente comitantibus, cum capitis dolore et delirio appropinquante; tunc haud nobis perſiſtendum, ſed deſiſtendum; ſed ſi ſudor libere erumpat, et ex votis fluat, et ſine adverſis ſymptomatis comitantibus, vel magno caloris augmine, per juſtum temporis ſpatium, ſaltem per horas xii, et aliquando per xlviii, prout aegri conditio vel morbi ſymptomata indicabunt. Saepe pulverem repetere, ſed doſi minori, neceſſe erit, ut ſudor certius continuaretur. Ut ſudatio tutiſſima reddatur, per totam ejus adminiſtrationem alvus laxa ſervetur, curandum. Hiſce regulis atque cautelis obſervatis, et nunc ſudore peracto, ut aegrum ſicca induat veſtimenta oportet, et lecto per aliquot horas haereat, ut ſic ſeipſum a frigore (cujus effectibus tunc tam ſit obnoxius) defendat.

*Emeticis* etiam utimur, ut ad peripheriam determinetur. Adhibentur aut in doſibus quae ad plenum vomitum ſufficiunt, aut tali quantitate ut nauſeam tantummodo excitent. Ambo exhibendi modi aegro commodo eſſent; ſed poſterior valentiſſimus; nam hoc extremorum vaſorum actio diutius excitatur, et ſaepenumero aliquantum ſudoris educitur. Quandoquidem

quidem vomitorii effectus magis debilitant et citiſſime evaneſcunt. Horum remediorum antimonialia melius propoſito inſerviunt.

Partibus dolentibus, externe applicata aliquando ſunt utilia ; epiſpaſtica magnum lenimen adferunt ; ſed parum commodi, cum dolores ſunt erratici ; eundem producunt effectum aliaque rubefacientia. Ranunculus recens contuſus partibus dolentibus applicatus a Storkio celebratur contra dolores articulorum acerbos *.

Experientia nunc comperitur, quod tepidae partium dolentium fomentationes, olim tam multum laudatae, ſi ſymptomata febrilia ingraveſcunt, ut in ſtatu morbi incipiente accidit, potius malos quam bonos producunt effectus ; ſed morbo progreſſo cum diatheſis phlogiſtica minuitur, lenimen pro tempore praebent ; etſi in hoc etiam caſu haud ſaepe ſunt repetendae, quoniam partes tam relaxare poſſint, ut eas inſultui rheumatiſmi chronici obnoxias faciant. Praecipuis remediis duobus indicationibus aptatis breviter enumeratis, pauca de cortice Peruviano tantum dicere reſtat.

Quoniam tonici hujus remedii effectus ſunt ab omnibus conceſſi, concludere induceremur, quod in acuto rheumatiſmo (in quo tonus ſyſtematis auctus maxime valet) ejus adminiſtratione morbus in pejus rueret ; ſed haud raro accidit, verſus morbi finem, quod diatheſis phlogiſtica multum imminuitur, et quod morbus ſtatis periodis exacerbatur, e. g. noctu ingraveſcit morbus, et interdiu aeger recte ſe habet ; hoc in caſu cortex indicabitur, et magis evidenter, ſi principio morbi evacuationes copioſae propter ſymptomata erant inſtitutae.

* Vid. ann. med. ſecund.

---

# DE ERYSIPELATE.

*AUCTORE T. DALE.*

EST, de quo agitur, morbus ſecunda ſeptimi generis Culleniani, nomine Phlegmone, ſpecies ; cui eryſipelas, inter ſcriptores vulgatiſſimum, nomen imponimus. Hujus ſpeciei generis, nempe phlegmones, definitio eſt, " Pyrexia, partis externae rubor, calor, et tenſio dolens." Species ſic definitur ;

fitur: " Phlegmone colore rubicundo, ambitu inaequali, ſerpente; tumore vix evidente, in cuticulae ſquamulas, in phlyctaenas, vel veſiculas abeunte; dolore urente."

Variat haec ſpecies affectus vehementia, aut cauſae remotae natura. Quas varietates qui videre velit, is Noſologiam Cullenianam adeat; quem eo relego cum hac cautione, ut quid idiopathicum ſit, quid ſymptomaticum, cum cura diſtinguat.

## HISTORIA MORBI.

Omnia, ni fallor, morbi ſigna conſtantiora haec definitio complectitur; ideoque, nonnullorum ſententia, haud neceſſaria, aut etiam ſupervacua, hiſtoria videatur. Cum tamen multa, procedente morbo, medici cura et obſervatione non indigna, incidant, quae definitionis brevitati et uſui parum conveniunt, ob eam cauſam eorum, quae memorabiliora ſint, hiſtoriam, ſed quam breviſſimam, pertexendam putavi.

Symptomatis, ſive definitione receptis, ſive mox memorandis, conſtans morbus ex Hippocratis temporibus ad haec genus humanum exercuit.—Omnium ſymptomatum primum eruptio eſt. Hanc pyrexiae ſigna, horror, mox calor, naturae modum excedens, et, ſi paulo gravior morbus eſt, pulſus crebri, ſequuntur. Quod ſi febris eruptioni antecedere quando videtur, ſemper tamen, hac apparente, multum intenditur, et una cum ea finitur.

Aliquot dies eruptio, cum partis affectae ſplendore quodam et rubore, qui nunc vividior, nunc pallidior eſt, digitoque preſſus albedine mutatus, ſublato digito redit, ac laevitate et dolore mordace ſimul urenteque, increſcit; ex uno in alium locum vicinum ſaepe ſerpens, dieſque tres, quatuor ſaepe, aliquando ad decimum, aut poſt hunc quartum, permanens, in ſquamulas tandem cuticulae abſcedens, diſcedit. Truncum raro aut nunquam, brachia aliquando, crura ſaepe, ſaepiſſime caput, et ex iis partibus quae minime teguntur, adpetit. In crure ſedentem tumor dolentiſſimus, ad femur uſque pertinens, comitatur. Ubi vultus ſedes eſt, quem prae caeteris capitis partibus affectat, plerumque ab auris externae apice incipiens, paulatim ad genas ſerpit, nunc uno vultus latere contenta, nunc totum occupans, et ad collum aliquando et ſcapulas deſcendens: Item affecto vultu, ita ſaepe tument palpebrae, ut vix aperiri queant. Cum ſic externum caput afficitur, ſaepe interni affecti indicia apparent. Ea ſunt capitis dolor vehemens, delirium, aliquando coma. Verum eryſipelati

ſipelati vultus non proprium eſt delirium, quod ſedenti in extremis aliquando morbo ſupervenit.

Ex vultus cuticula, hujus aliquando, ſerpentino ſuo more, reflexionem, nempe epithelion, ſequens, in fauces ſe demittens, cynanches formam, ſaepe male deſinentis, induit. Nullamque canalis alimentarii partem liberam eo eſſe, quaedam, ſi rite animadvertantur, haud prorſus obſcura ſigna commonent. Eryſipelatoſam, ut ita dicam, gaſtritidem lenior et rarior vomitus, minor quam, in phlegmonico affectu, aſſumptarum ore rerum impatientia, febris minor, ardor potius quam dolor; enteritidem alvo humorum acrium copia dejecta, liquiditas, minore hic quoque febre ſenſoque ardore, indicant. Sedenteque in vultu morbo, etiam ubi nulla ejus intus ſuſpicio eſt, ſaepe ventriculi affectiones, ut anxietas, nauſea, et vomitus, comitantur.

Per totum morbi curſum, ſummum corpus univerſum, item epithelion, os intus obducens, nulla fere forſitan ſiti, memorabiliter areſcunt. In parte vero affecta, ubicunque corporis, et praecipue ſi in vultu, ſedet morbus, mador quidam dimanat, veſiculis, quodcunque tangit, ſive aegrum ſive integrum, afficiens, iiſque cruſtam duram morando ſuperinducens.

Morbo diſceſſuro, univerſarum partium, quae ante fuit, ariditati univerſarum relaxatio ſuccedit. Quam toto corpore ſudores, quos anxietas magna, inquietudo, et membrorum jactatio, denunciant; item urinae cum ſedimento profluvium; tum ſolutio alvi; poſtremo, ipſius ſanguinis, quod praecipue e naribus fit, diſtillatio, haud ambiguis notis oſtendunt. Verum, ſine ulla humorum jactura notabili, plerumque morbus finitur.

Eryſipelas ſimplex nunquam in ſuppurationem deſinit. Quem finem tantummodo cum phlegmone conjunctum, et imprudenter curatum, recipit. Et, ubi ſic ulcus excitatur, difficillimum conglutinatu eſt. Alterum finem in ſenibus, quibus hic exitio eſſe ſolet, atque etiam in junioribus, extremis affectis, vel etiam ſuperveniente typho, nempe gangraenam morbus accipit. Affecto vultu, mortem, non gangraena, ſed cerebri affectio, inſert.

## DIAGNOSIS.

Qui notas conſtantiores, ante, ut eryſipelati proprias, relatas, conſideravit, is a phlegmone omnibuſque aliis morborum generibus hanc affectionem facile diſtinguere poterit. In phlegmone enim, quam in eryſipelate, vividior rubor eſt, et non parte, niſi validiſſime preſſa, evaneſcens. Uno loco contentus

tentus tumor, in fastigium fere semper elatus, et in apostema saepissime desinens, circumscribitur; et semper fere pulsatilis dolor est. Quibus in erysipelate, ut ex definitione ejus patet, omnia prorsus contraria sunt. Aliud phlegmonen inter et erysipelas discrimen, et magnum, sedes dat; quae in illa tela cellulosa subter veram cutem, in hoc rete mucosum, protinus infra cuticulam dispositum, et forsitan huic proxima summa cutis pars, est.

## CAUSAE REMOTAE.

Seminium erysipelatis esse videtur corporis paulo major mobilitas, sive sensilitas et irritabilitas aucta, eaque aetatem, temperamentum, sexum, et habitum respicit. Itaque adolescentes et juvenes, item temperamento sanguineo praediti, mulieresque, et plethorici, denique sub coelo calido viventes, prae caeteris ei opportuni sunt. Quomodo plethora conditionem det, erysipelatis exortui faventem, hoc concipi animo potest, quod plethora, tensionem dando, vasorum sanguiferorum libramen augeat, et exquisitum reddat. Hinc sensilitas et irritabilitas aucta, hinc mira mobilitas; quia, ut dici solet, exquisite librata facile moventur.

Caloris in seminio dando effectus haud obscurus est; qui, praeterquam quod mobilitas est, in summam etiam cutem recta dirigitur. Eademque mobilitas aetates et sexum, de quibus relatum est, notat. Quae autem summi corporis conditio sit, ad hunc morbum viam faciens, nisi summatim dici non potest. Ut nonnullarum eruptionum localium, ita hujus, ratio ad perspirationis statum referenda, et aut in excessu, aut in defectu, hujus consistere videtur. Quomodo mobilitas utrumvis afficiat, haud admodum manifestum est; nisi quod extremorum vasorum irritabilitas, saepe a cordis actione minime pendens, efficere posse videtur, ut humor perspirabilis celerius ad summam cutem feratur, quam cuticulae foraminibus transire commode queat. Is sub cuticula retinetur, quem effectum contrarius corporis status, nempe torpor, quoque praestat; quo idem humor non satis percitatur, ut debito impetu foraminibus exeat. Num erysipelas, cui senes adeo opportuni sunt, huic causae tribuendum est?

Potestatibus morbum excitantibus, quas Nocentes Gaubius appellat, frigus annumerandum est. Quod morbi idiopathici praecipue causa est. Eundem aut ei similem affectum faciunt caedines variae, quales ex animalium morsu, aut plantarum nonnullarum, animalculorumve, queis cantharides annumeres, actu sunt, et cibi potionisque materiae quaedam; item irri-

tantia, quale calor urens eſt, quae ſymptomaticum caſum praecipue gignunt, et pro remotis cauſis tantum habenda ſunt, utpote quibus ad agendum ſeminio opus non ſit: Eodemque tumorum inflammatoriorum et vulnerum ratio referenda eſt. Seminium ad affectum magis impellunt, et idiopathicum caſum ſuſcitant, cum eadem quodammodo, tum, haud paulo clarius, excretionum ſuppreſſio, et affectiones animi vehementes; poſtremo aeris ſtatus peculiaris, pro noxa hunc morbum excitante, a nonnullis habetur. Verum, me judice, tam in hoc, quam in aliis omnibus morbis, non ſolum inter affectum, ut idiopathicum aut ſymptomaticum, ſed etiam inter illum et localia quaedam vitia, a noxis quibuſdam ſine ſeminio illata, diſcrimen ſtatuendum eſt. Quo dicto, quid de diverſis his noxis, quaeque earum, cum ſeminio adjunctae, caſum idiopathicum, quae ſine hoc et ſola ſua agendi, in quolibet corpore, vel maxime ſano, vi, locale vitium faciant, haud difficile judicari poterit. Quo modo frigus, interna conditione, ſeu ſeminio, data, morbum excitet, poſtea ſub cauſa proxima exponetur.

## CAUSA PROXIMA.

Cauſa eryſipelatis proxima, ei cum omnibus aliis inflammationibus, fere communis eſt. Et ſi quid diſcriminis eſt, id loci affectae naturae potiſſimum tribuendum eſt; ſcilicet, eryſipelas in parte ad laxiorem et ampliorem telam cellulosam non vicina, interque cuticulam et cutem cohibita; phlegmone infra cutem, in membrana iſtiuſmodi telae continua, ſedent. Medici olim in varias de hac re ſententias iverunt. Quas inter, diu lateque Boerhaviana opinio nituit. Is vaſorum partis exiguorum obſtructionem, ſanguinis ad cor reditum expedientem, ab humorum lentore factam, inflammationis cujuſvis cauſam eſſe, phlegmonenque in extremis rubris vaſculis, eryſipelas in ſeroſis extremis ſedere, judicavit. Verum, cum ea doctrina, cui omnes ejus aliae, quaſi fundamento, ſteterunt, ab ipſius diſcipulis clariſſimis labefactata, et in hac ſchola argumentis et rationibus graviſſimis rejecta ſit: igitur, omiſſa ea, Cullenianam, ut breviſſime, ita quam clariſſime potuero, receptam hic exponam. Quam plenius ſcire cupidos, ad diſſertationem inauguralem de inflammatione in hac academia proximo autumno editam, aut, quibus ad eas aditus eſt, Culleni de medicinae uſu praelectiones, ubi omnia hanc rem ſpectantia, fuſe, clare, et dilucide exponuntur, relego*.

Illius magni viri de inflammationis cauſa haec fere ſenten-

* P. 86. et ſeq.

tia

ita opinionis est: Sanguis in retis mucosi et summae cutis arteriolas abundantius percitatus, seu congestus, has distendit, distendendoque easdem in auctas, seu plures et validiores, contractiones stimulat. Quibus invicem sanguis, justo abundantior et percitatior, in affectas arteriolas influit. Quo facto, cum hinc arteriolae contractiore sunt diametro, illinc velocius et abundantius, quam pro naturae modo, irruentem sanguinem recipiant; ideo distensio, id est, stimulus augeatur necesse est. Is status permanens, partis constrictio, est, quae ex hac ad majores arterias et cor perveniens, et sic pyrexiam excitans, diathesis phlogistica, seu habitus inflammatorius, nominatur.

Haec causa inflammationis phlegmone et erysipelati, excepta sede, communis est; neque discrimen dat, quod in gangraenam erysipelas adeo proclive est; quae phlegmones quoque haud rarus finis est, et, in utroque casu, ab eadem origine pendet. Cum enim alias nimia incitatio, ob idipsum quod nimia est, pro ratione qua est, nimium quoque collapsum faciat; ita idem in hac re fit; nempe immodica vasorum, seu in his nervosae et inhaerentis potestatis, actio contrarium prorsus statum, per corporis nostri legem, seu vasorum atoniam, id est, potestatis nervosae et inhaerentis debilem aut nullam actionem, creabit. Quod, si erysipelatis insignior, quam phlegmones, in gangraenam proclivitas, soli huic causae tribuenda non videtur, equidem non inficias eo, quin aliud praeterea concurrat. Et, si meum mihi judicium interponere in re lubrica liceat, id aliquid nihil aliud, nisi humor effusus, et, ut alias in inflammatione fit, in putredinem iens, est.

Causae quam posuimus rationem illustrat quarundam noxarum, vasa adstringentium, effectus. Sic acria varia, combustio, gelu, animalium morsus *, quae casuum symptomaticorum causae esse, et idiopathicum per occasionem augere, supra dicta sunt, irritando, vasculorum contractiones augent, et statui supra descripto similimum, et pleraque erysipelatis symptomata, nisi quod vitium plerumque locale est, excitant.

Item frigus, quod erysipelatis idiopathici praecipua aut sola noxa excitans antea dictum est, eandem causae rationem dupliciter opere suo illustrat. Primum enim, seminio dato, summum corpus constringendo, foramina cuticulae ita occludit, ut humorem perspirabilem exire impediat. Qui subter cuticula sic detentus, et acredinem majorem, ac forsitan peculiarem, morando adeptus, vascula illic sita in majores et frequentiores contractiones stimulat, congestionemque, distensionem, et stimulum, de quibus relatum est, praebet. Item,

* Cull. Gen. Morb. g. 7. sp. 2. varietat. 2.

per conſtrictionem et humoris perſpirandi ſub epidermide detentionem, vaſorum infra cuticulam minimorum oſcula idem ſic obturare poteſt, ut exitum humoribus contentis liberum neget, et hoc modo diſtenſionem, congeſtionem, ſtimulumque creare, et poſtea, actione vaſorum aucta, exhalationem naturali copioſiorem dare queat. Quod hic de frigore dictum eſt, eo ſaltem veriſimilius eſt, quod eas corporis partes, quae minime teguntur, eryſipelas prae caeteris adpetit.

## RATIO SYMPTOMATUM.

Cauſis remotis et morbum continente ſic explicatis, aliqua ſymptomatum explicatio deinceps aggredienda eſt.

Quod de cauſa proxima ſupra dictum eſt, id ad intelligendam ruboris, caloris, tenſioniſque dolentis rationem, fere ſatis eſt.

Rubor ita explicabilis videtur. Sanguis abundantius in vaſcula eum ferre ſolita congeſtus, aut in ea, quae minus alias eum recipiunt, impetu aucto forſan concitatus, ad ruborem dandum ſatis eſt.

Eademque ſanguinis congeſtio, vaſorum tunicas ultra modum naturalem diſtendendo, dolorem creare poteſt. Sed et humorem acrem, ſub cuticula retentum, nervorum, ejus acredini patentium, fines irritando, doloris, praecipue urentis, ut cauſam adjutricem, haud immerito ſuſpicari licebit.

Porro, ſive partis affectae, ſive totius corporis, calor aucto ſanguinis motui, haud dubie tribuendus eſt. Quomodo autem hoc fiat, rationem reddere neque meum eſt, neque, ſi eſſet, dare ingenii vires ſinunt. Tantumque, ut rem omnium obſervationibus conſentaneam propono; quippe enim, calorem auctum ſanguinis motum ſemper fere comitari, vix quiſquam inficiatur.

Humoris acris, ſubter epidermidem retenti, in reti mucoſo progreſſui, eidemque, poſtquam foraminibus cuticulae exiit, vicinas partes rodenti, et novam inflammationem ſuſcitanti, tumoris inaequalis ſpecies, morbique aliunde alio mutatio, ut mihi certe videtur, haud injuria tribuitur. Quod ita ſe habere, hoc patet, quod inflammatio eo plus decreſcit et ſerpere deſinit, quo citius magiſve, farina aut ſimilibus rebus impoſitis, mador exſiccatur.

Quod ad tumorem, qui in morbi definitione vix evidens eſſe dicitur, attinet, ejus ab affectionis ſede, nempe reti mucoſo, ratio petenda eſt. Quo in loco vaſa, ob cauſam ſupra relatam, minus, quam in tela celluloſa, ubi ſita eſt phlegmone, effuſionem patiuntur, et multo arctius comprimuntur. Unde,

cum

cum ſanguinis tantum non recipiant, ideo diſtenſio quoque et tumor, quatenus ab hac cauſa pendeat, multo minor ſit neceſſe eſt.

Verum in eryſipelate, quantuluſcunque ſit, tumor non a congeſto in vaſa ſanguine ſolo pendet. Cujus in cauſae partem venit humor ſub epidermide cuteque vera contentus. Ac, ne utrumque quidem hoc tumorem, qui aliquando in eryſipelate cernitur, explanat. In quo, licet rarius, vultus adeo inſigniter tumet, ut alia prorſus cauſa quaerenda ſit. Talem halitus ſub cute vera in telam celluloſam effuſionem eſſe judico. Quae effuſio, ni fallor, in hujuſmodi caſu ſaepe uſu venit, deceditque, quia facile abſorbetur. Atque hoc, ni fallor, fit, ubi nulla phlegmones infra ſuſpicio eſt.

Verum longe pleraque hujus rei exempla naturam phlegmones quam proxime accedunt, et aliquando, quanquam raro, cum affectione phlegmonica conjunguntur; id quod ſuppurationis in tela celluloſa factae ſigna indicant. Huc ſenis, nomine Gulielmi M'Kay, caſus pertinet: In eo eryſipelatis, vultum afficientis, finis fuit ſuppuratio, ex ima palpebra ſiniſtra pus bonum emittens. Quem affectum tumor, ad ſuppurationem vergens, in capite ſecutus eſt. Cullenus, qui hunc hominem curabat, primum affectum eryſipelas eſſe, et inde phlegmonen ortam, exiſtimavit; et, quam in phlegmonicam naturam proclive ſit eryſipelas, hoc exemplo clare illuſtrari, judicavit. Quod viri ſagaciſſimi judicium curatio confirmavit. Nam aeger, quamvis ſenex et debilis, ſanguinis tamen detractione ſanatus eſt.

Dolorem capitis, delirium, et coma, quae eryſipelas, vultum obſidens, nonnunquam comitantur, ſanguis majore ſolito copia in vaſa cerebri percitatus, horumque actionem augens, vel turgor ab arteriae carotidis externae finibus ad internae fines communicatus, et diverſo, nempe phlegmonico, affectu cerebrum afficiens, gignunt. Ad quam utique rem habitus inflammatorius, utrique caſui communis, praecipue ducit; ni ipſum eryſipelas ſic introruere, et ſedem, ſui impatientem, occupare, forte credas. Delirium vero, ſedenti in extremis morbo ſuperveniens, violentiam febris, ſanguinem abundantius, ut alias ſaepe fit, in cerebrum percitantem, indicat.

Quod canalis alimentarius inflammationem eryſipelatoſam aliquando patitur, ſtructura illius cutis ſummae ſimilis, patefacit. Tunica enim, eum tractum univerſum intus obducens, villoſa, ſeu epithelion, dicta, cuticulae non perſimilis ſolum eſt, ſed revera ab ea continuatur, membranulamque infra, ſimili ſibi modo ſubjectam, habet. Verum viſcera in cavis clauſis contenta, et ad quae aditus aeri non eſt, eryſipelas

nunquam

nunquam afficit ; quippe quibus nihil cum partibus memoratis ſimile aut commune ſit.

Quod ſi affectiones ventriculi, ſaepe non tamen eryſipelatoſae, eryſipelas quando comitantur, eae cuidam illum inter et cutem conſenſui tribuendae ſunt, quo fit ut, altera affecta, alter in conſenſum trahatur.

Ut autem, quare in ſuppurationem eryſipelas verum nunquam tranſeat, porro inquiram : Illuſtriſſimus Gaber multis periculis, caute pariter et fideliter factis, id ſanguinis gluten, quod ſeroſitate diſſolutum eſt, ad pus conficiendum neceſſarium eſſe, demonſtravit : E quibus experimentis, ut et multis obſervationibus, telam celluloſam ſuppurationis ſedem eſſe indicantibus, quare eryſipelas ſimplex nunquam in ſuppurationem deſinat, haud obſcura ratio videtur. Cui rei nihil ſimile effuſio in eryſipelate habet. In quo, qui effunditur, humor ſolus halitus eſt, praeter ſeroſitatem, ſeu humorem perſpiratorium, nihil fere continens ; niſi quod, cum adeo in putredinem proclivis ſit, et partes ſanguinis excrementoſas, corpore ejiciendas, etiam ſanus apportet, ob id ipſum, noxam praeterea habere eſt credendus. Igitur, ob hanc cauſam, et quia corruptibilis magis, ſub calore ſtagnans, ſit neceſſe eſt ; hinc, non ſuppuratio, ſed, favente corporis habitu, gangraena totius oritur. Cui rei putridae febris, quae, quibuſdam auctoribus, eryſipelas fere ſemper comitatur, ſpecies tribuenda videtur ; eoque magis, ſi, ut rem veram quodam tenus concedam, exempla talis caſus peſtiferi in noſocomiis publicis, ubi vapores a tot varieque affectis corporibus orientes, et aerem inquinantes, morbos putridos gignere, eoſque ipſos, qui naturae inflammatoriae ſunt, in putridos mutare, valere certe poſſunt, incidere reputetur. Hujus aut ſimilis naturae erat, et non pro eryſipelate habendum, eryſipelas peſtilens a Sauvageſio relatum, quod certe febris peſſima, et, ni fallor, juſta peſtis erat. Verum ejuſdem ſcriptoris eryſipelas typhodes morbum vere inflammatorium fuiſſe, remedia adhibita, nempe, ſanguinis miſſio, alvumque ducentia, ſatis ſuperque demonſtrant.

Cui ſententiae viri doctiſſimi Henrici Hinckley, medici Londinenſis, ſumma artis peritia et vitae integritate memorabilis, teſtimonium haud paulo pondus addit. Qui eryſipelas, praeſertim initio, inflammatorium morbum fere ſemper eſſe, et remediis inflammationis tractari ſolere, nec corticem Peruvianum, niſi ubi gangraenae verſus finem periculum eſt, adhiberi, uni e meis amicis ore ſuo retulit.

Neque in hac re ſagaciſſimi et graviſſimi viri Sydenhami magni, cujus non judicio et experientiae ſoli, ſed et candori, tutiſſimae

tutissime confidere liceat, praetereunda est auctoritas. Is, se libera sanguinis detractione, alvique purgatione, febrem erysipelatosam curare prospere solitum, testatur *. Quin et Sennerti de erysipelate rosa, celeberrimi in arte olim viri, sententia eadem fuit †. Eandem rem confirmantia plura exempla adducere eo supervacuum est, quod meliora aut fidedigniora vix adduci possunt.

His expositis, ad notas, quae morbi bonum aut malum finem fere praesagiant, deinceps transeundum est.

## PROGNOSIS.

Erysipelatis, ratione periculi aut salutis, finis melior aut pejor erit, prout eruptio, et ex hac pendens febris, levior aut gravior fuerit, partisque affectae natura, aegrotantis aetas aut habitus, cerebri affectioni, et in gangraenam mutationi, minus aut magis faverit. Si enim eruptio minus late spargatur, et in extremis partibus sedeat; si, quae ex hujus gradu pendet, febris minus vehemens sit; si minus provectus aetate et habitu corporis robustiore homo sit, eo minus periculi extimescendum est.

Contra, si eruptio amplum spatium comprehenderit, et aestus febrilis maxime vigeat, si caput eruptione, praecipue totus vultus capillitiumque, obsideatur, si doleat caput, si delirium aut coma, cerebri affectionem indicantia, subsint, si canalis alimentarius aut femur affecta sint, denique, si aut aetate, aut morbo, aut quovis alio casu fractus aegrotans sit, postremo, apparente jam gangraena, maximum est periculum. Erysipelas vultum si saepius ante petiverit, ne aut imminuatur aut deleatur visus, metuendum est.

## CURATIO.

Erysipelatis historia, natura, causis, et eventu jam consideratis, reliquum est, ut ad praecipuam propositi operis partem, nempe curationem, aggrediar.

Erysipelatis curatio tria medendi consilia recipit.

*Primum*, Sanguinem toto corpore percitatum tardare;

*Dein*, Congestum eundem in partem discutere, et arterias omnes relaxare;

*Tertio*, Gangraena et putredini, vitatis aut sublatis earum causis, occurrere.

Remedia primo consilio respondentia sunt, administratio

* Sydenh. Op. ed. Lond. 1705, p. 244.
† Sennert. Op. de feb. lib. ii. cap. 15.

antiphlogistica,

antiphlogiſtica, ſanguinis, ſive corpori communis, ſive parte contenti, detractio, alvi purgatio, corporiſque refrigeratio.

Quod ad adminiſtrationem antiphlogiſticam attinet; ſi pyrexia magna eſt, et praecipue ſi ſanguinis in vaſa capitis impetus, cujus in hoc morbo tantum periculum eſt, paulo magis dirigitur; ſtimuli ſenſuum, et praecipue ſonus et lux, cum cura fugiendi ſunt, corpuſque, praecipue ubi affectio localis eſt, in molli habitu ponendum eſt: Calor, qui ſummopere ſanguinem percitat, et ipſe ad ardorem ſurgens eryſipelatis ſpeciem localem praebet, accurate fugiendus: Neque ei contrarium frigus, niſi certa cautione, et in totum corpus potius, quam in partem, directum, ita ut actioni nimiae moderetur, permittendum, ſtimulanſque ejus vis metuenda: Omnis cogitatio, commotio et affectio animi, quantum fieri poteſt, cavenda: Motu corporis, praeſertim eo, quem ipſi muſculi peragunt, perinde ac in quolibet alio morbo febrili, abſtinendum; victuique temperandum. Caro et ex hac parata materia vitanda, utpote quae omnis alimenti generis maxime ſtimulet, alkaleſcens ſit, et minime perſpirabilis; eique, ex plantarum genere, praecipue farinacea dilnta, anteponenda. Potio vinoſa aut fermentata, quare ſit neganda, non eſt quod dicam, et tepida aqua ſola convenit. Sitis quoque, et in canali alimentario acrium ſtercoriſque ſtimulus vitetur.

Sanguinis detractio proxima eſt. Qui eryſipelas exanthematicum eſſe crediderunt, ii a ſanguinis miſſione abhorruerunt, ſcilicet, ne eruptio, inciſa vena, intus ſe reciperet, et ita magno incommodo, aut etiam exitio, eſſet, metuentes. Quam notionem veteris opinionis, quae ſeculo proximo invaluit, et nunc quoque fautores habet, nempe omnibus exanthematis materiam morbificam, cujus expulſione opus ſit, ſubeſſe, ſanguiniſque jacturam vires ad illam expellendam neceſſarias convellere, contraque medicamenta calidiora, alexipharmaca dicta, huic rei magis convenire, reliquias eſſe, quis non videt? E contrario, graviſſimus quiſque hoc tempore medicus, et, prae caeteris, Cullenus, in eryſipelate ſanguinem ſemper detrahunt. Is, in eo morbo, "Nunquam," inquit, "id remedium, quin facti me poenitentia cepit, neglexi; eſtque optimum omnium, et fere ſolum, cui idiopathici morbi curatio committatur."

Quam rem in eorum, qui in noſoconio noſtro eryſipelate laborabant, curationibus ſuis, multis ille exemplis, nobis probavit. Quorum imprimis memorabile Gulielmi M'Kay, ante memorati ſenis, eſt. Quem, tametſi aetate et debilitate confectum, ſanguinis detractio ſatis manifeſte ad ſanitatem reduxit. Eodem pertinet Mariae Logan caſus, quae ſimiliter,

et

et inter menstruorum profluvium, sanguine tamen detracto, convaluit. Multorum aliarum felicem eodem remedio ibidem curationem prudens eo omisi, quod, quia juniores erant, pars successus aetati tribui posset; et illa exempla potissimum selegi, in quibus, cum alia contra sanguinis detractionem essent, quanta sit ejusdem sub rebus, eam magis recipientibus, necessitas appareret.

Ut igitur eadem adhibita quantum prosit, exemplis allatis apparet; ita quantum neglecta noceat, adjecto casu memorabili, in eodem nosocomio observationi quoque nostrae permisso, insuper ostendere placet. Georgius Home senex, cum sanguis ei detrahi jussus, a chirurgo casu neglectus, aliquantumque temporis jam elapsum, esset, ut, si quid dubitationis aetas hominis et infirmitas cuiquam dare posset, id dilatio remedii angeret; hoc ideo in totum omisso, administratione antiphlogistica deinceps curatus est. Quo facto, delirium incidens, pulsibus ordinis expertibus et creberrimis, crevit, et intra paucos dies senex animum expiravit. In praelectione super hoc homine habita, praeceptor noster optimus eo magis ob omissum remedium se damnavit, quod, in similibus casibus, illo adhibito, cum ex undenis denos ad sanitatem reduci, neglecto, pleroscque perire, semper ante vidisset, tantum in opiniones alienas obsequio metuique concesserat, ut non nunc quoque remedium solitum tractaret. Inciso cadavere, sine cujuslibet partis inflammatione, cerebri vasa, in parte medullari numerosa, ubique sanguine turgere, reperta sunt *. Qui turgor exitii causa certe fuit, et ut sanguinis detractione imminui, ita cortice Peruviano contrario remedio non augeri non potuit. Talem sanguinis in vasa capitis congestionem, unde unde ortam, mortem saepe inferre, in incisionibus cadaverum Morgagnianis visa ubique fere ostendunt †.

Haec in nosocomio, nostram hujus morbi notionem confirmantia, visa sunt. Praeterque ea, in aliis ejusdem viri curationibus, qui incidit casum exponam. Ingenuus quidam erysipelate vultus, cum magna satis febre laborans, post sanguinis detractionem, remissa proximo mane febre, sudoreque satis largo prorumpente, ideo quiescere a remediis permissus est. Circa meridiem, cum tanto delirio, ut lecto necessario aegrotans contineretur, recruduit febris. Quapropter, xvii sanguinis unciis detractis, plusque detrahi animae defectione prohibente, intra horae spatium, mente restituta, pulsus ejus, viginti unoquoque minuto, tardiores esse coeperunt.

Haec sanguinis detractionis usum, immo necessitatem, de-

* Vid. Praelect. Clin. anno 1772-3.

† Vid. Morgagni de sed. et caus. morb.

 clarant.

clarant. Quod, si sine ea aliquando salus reducta est; id idem factum, quod aut levior affectus, aut symptomaticus, eoque sine totius corporis febre, erat. Sed non inde magis sanguinem nusquam in erysipelate detrahendum, quam phlegmasias, licet harum quoque nonnulli casus dentur, in quibus, propter levitatem, parum necessarium hoc remedium est, nusquam quoque eo egere, sequitur.

Neque, ut nonnulli judicaverunt, a sanguinis detractione, ne ab externo capite intus se recipiat morbus, abstinendum est. Hujusmodi enim, ut supra saepius dictum est, metastasis vera nulla est; hujusque speciei diathesi phlogisticae communi, modo hanc, modo illam partem, et prae reliquis, ut in hoc casu, caput, petenti, tribuendum est. Nullam autem hic metastasin seu translationem subesse, demonstrat interna affectio, cum omnia externae signa aeque ut ante, magisve etiam, vigent, saepenumero tamen incidens.

Sic sanguinis in erysipelate idiopathico detractionis usu et necessitate demonstratis; quantum, unde, quoque modo, is detrahi debeat, deinceps est dicendum. Quantum detrahendum sit, aetas, sexus, corporis habitus, prout magis aut minus robustus plenusque est, item sanguinis detrahendi consuetudo, diathesesque phlogisticae modus, et partis laborantis ratio, curantem medicum dirigent. Igitur, vigente aetate, quam ineunte aut provecta, a maribus, quam foeminis, a robustis et plenis, quam imbecillis et attenuatis, in magna diathesi phlogistica, quam ubi haec anceps aut minor est, denique in magna partis affectae irritabilitate, aut ad vitam necessitate, quam ubi haec minus irritabilis vitaeve necessaria est, postremo ab eo, qui sanguinis detractioni magis, quam qui minus assuevit, plus detrahendum est. Ita, in junioribus, robustis et plenis, media copia detrahenda inter duodecim et sedecim uncias est, bisve aut ter deinceps iteranda, finemque statuit symptomatum remissio. Laborante multum capite, cum ex magno vase amplius detractio metui est, cucurbitulae, concisa cute, temporibus, si id fieri potest, aut cervicibus imponendae sunt.

Adversus diathesin phlogisticam toto corpore vigentem, sanguinis copia et impetus etiam toto corpore minuendus est, eoque ex brachio mittendus. Sedente in vultu aut capite morbo, praeter communem detractionem, localis quoque requiritur, eoque vena jugularis incisa.

Quod ad modum quo sanguis detrahendus est, quo celerius mittitur, quoque magis sine omni irritatione, eo praesentius est remedium. Magna igitur plaga sit, qua quasi pleno rivo sanguis effluat, oportet: Cumque musculorum, erecto corpo-

re

re agentium, actio irritamento fit, recumbente homine, sanguinem educere consultius est.

De alvi in erysipelate purgatione, inter diversorum temporum medicos, neutiquam convenit: quorum alii timide cauteque nimis ea utuntur, alii usu ejus aegrotantibus ex toto interdicunt. Quorum in numero Etmullerus fuit, qui a purgatione pariter et sanguinis detractione, ratione adductus, abhorrens, erysipelatis curationem diaphoreticis internis credidit. Cui contrarius Sydenhamus, et noster nuper in hac academia praeceptor celeberrimus Gregorius, utraque liberrime usi sunt. Videoque Hoffmannum medicum quendam, quia senis erysipelate laborantis neque alvum duxerit neque venam inciderit, gravius reprehendere *. Quam litem si mihi, experientissimi viri, praeceptoris nostri Cullenii, communem doctrinam secuto, componere liceat, in omni erysipelate facilis alvus, ut ad ministrationis antiphlogisticae pars, et adversus canalis alimentarii irritamentum, quod alvi durities dat, utilis, minime omittenda est: Et, morbo caput afficiente, cum capitis phlegmasiis commune hoc est, ut non solum alvi facilitas, sed justa, immo larga, purgatio, a parte laborante humores derivando, maximo sit remedio. Eandem vero sanguinis detractionis vicem supplere, et adversus diathesin phlogisticam multum prodesse, neque in hoc neque in quolibet alio morbo inflammatorio, Sydenhamo assentio. Quantum adversus erysipelas capitis infra purgatio profit, curatione quadam Johannis Friend, medici Londinensis, qui sola ea e faucibus orci mulierem retraxit, insigni exemplo patet †.

Huic quoque consilio respondent refrigerantia, ut acida vegetabilia, et sales neutri, et ex his praecipue nitrum. Ea a nonnullis potenter sedare, ideoque cordis et arteriarum actionem imminuere, haud immerito existimantur. Quod si Ricardus Brocklesby nitrum in erysipelate ad quinque vel sex drachmas dici spatio adhibuit, certe tanta copia paucis venericulis conveniet, eoque plerumque danda non est. Plusque sanguinis detractioni, qua libere usus est, et alvi facilitati, quam illi remedio, felices ejus curationes tribuendae videntur ‡. Frigus quoque universo corpori modice admotum, actui febrili moderando, pro remedio est.

Secundo consilio, sub primo memorata remedia respondent, et, prae caeteris, sanguinis quam proxime partem laborantem detractio; praeterque haec, quaedam extrinsecus

* Hoffman. tom ii. p. 102.
† Vid. Friend. comment. de feb. com. vii. p. 117.
‡ Vid. Brocklesby's observ. p. 138.

admota, humoremque perſpirabilem ad ſummum corpus percitantia, eundemve effuſum abſorbentia.

De primi conſilii remediis, cum ſatis ſupra dixerim, nihil amplius hic dicendum, niſi quaedam de ſanguinis e parte detractione, videtur. Quod ad eam attinet, cucurbitularum, cute conciſa, quam hirudinum, uſus potior eſt; quia illae his et facilius applicantur, et majorem ſanguinis ablati metiendi copiam praebent; praeterque hoc, moleſtia, quam creant, et terror, quem nonnullis injiciunt, hirudines, plus mali, quam boni, ſanguinis emiſſio, inferre periclitantur.

Quod ad parti applicata attinet, mos olim haud rarus fuit, ei fomenta, et id genus alia, admovere. Quae tamen omnia, ſive humida, ſive aquoſa, ſive oleoſa, ſive ſpirituoſa, ſic admota nocere, humoremque acrem, qui exſudans ſerpenſque inflammationem extendit, latius ſpargere et morbum intendere, nunc inter omnes conſtat *.

Periculo etiam ſunt unguenta et emplaſtra, humorem perſpirabilem cohibendo; item ſpiritus vinoſus, ſive cum theriaca, ſive ſine ea, ceruſſa, et ex zinco et aliis metallis praeparata, nocent. A quo effectu ſaccharum Saturni, vel Saturni Gaulardo extractum, excipiendum videtur: Quod, cum in aliis inflammationibus efficax remedium ſit, etiam adverſus erysipelas, licet in hoc nondum ejus uſus exploratus ſit, uſui fore, rationi conſentaneum eſt. Novi juvenem, cui erysipelas grave inguinis, partiſque femoris ſuperioris, ulceri venereo ſuperveniens, hoc remedio, et alvo facili, ſanatum eſt. Adeoque id manifeſtum erat, ut cum metuens, ne intus ſe reciperet morbus, rejeciſſet remedium, omnia pejora, dolorque et pruritus intolerabilis, forent; cumque iterum admovere, et uti aliquandiu perſeveraſſet, ſalus eſſet reducta.

E veſicatoriis, quorum actio ſtimulo non caret, quia tamen manifeſte antiſpaſmodica eſt, et ſummae cutis vaſa relaxat, aliquid fructus ſperari poſſet: Cum tamen virtutem antiſpaſmodicam, niſi ubi parti aegrotanti ipſi, aut quam proxime eam, imponuntur, leviorem exerceant, et inflammatio, quam excitant, manifeſte erysipelatoſa ſit; ideo iis, ut et unguentis et emplaſtris omnium generum, quae parti inpoſita nocere ſupra dicta ſunt, abſtinendum eſt; eoque magis, quod alia potentiora remedia, quibus morbi curatio credatur, non deſint.

Folia braſſicae ampla, recentia, coſtis paulo majoribus aut durioribus demptis, contuſione aut compreſſione laevia, aequalia, et mollia reddita, partique inflammatae tepentia ad-

* Experientia nupera ullam vel minimam diſtinctionem erysipelatis inter et phlegmones curationem, tam externam quam internam, repudiare videtur. Vid. Syſtematic Elements of the Theory and Practice of Surgery, by J. Aitken.

mota,

niota, ut medicamentum refrigerans, et humoris exitum expediens, a nonnullis, quasi, nisi serius admoventur, erysipelas in suppurationem transire prohibentia, et ulceribus erysipelati superinductis medentia, multum laudantur. Eundem fere fructum vitis folia parti imposita ferunt; quae hoc praeterea commodi habent, quod minus, quam brassicae, cutem irritant.

Multi panno xylino, aut veste pellita, tegendam molliter partem existimant. Quibus utique omnibus, et similibus aliis rebus, pulvis siccus, utpote qui humorem effusum absorbeat, et inflammationem serpere prohibeat, longe anteponendus est. Ex hoc materiei genere farina avenacea crassior, quam triticea subtilis, aut amylacea, cretave contrita, et similia, plus boni promittit; cum enim crassior sit, ita spongiosa magis, majorem absorbendi facultatem habet, et minus in crustam duram irritantemque coit. Ad eandem camphorae, quae antiseptica est, et odore suo farinam sciri prohibet, paululum, una cum sacchari Saturni aliquanto, eo consilio, ut ne liquida forma hoc admoveatur, adjectum convenit. Ipse autem pulvis leniter supra partem affectam adspergi, et, quoties hic indurescit, removeri debet.

Huic cum omnibus aliis inflammationis generibus commune est, ut humores ad summum corpus revocati remedio sint; quod autem, cordis et arteriarum actione quam maxime imminuta, fieri oportet. Id diluentium, succo limonum aut aurantiorum, aliorumve fructuum, nitrove, julapio salino, aut similibus rebus adjectis, copia, quae perspirationem, alvum, et urinam movet, optime praestat. Eodem emetica pertinent; nisi quod, laborante capite, sanguinem ad id velocius et abundantius percitando, periculo esse possunt: Ad quod avertendum, justo vomitu abstinendum, et aut nausea solum movenda, aut non dandum emeticum. Hunc usum opium cum salibus neutris conjunctum optime promittit.

Quanquam fomenta partis nocere supra dicta sunt; tamen artus inferiores in balneum immissi juvant. Hoc, licet aliquantum stimulet; tamen, extrema vasa relaxando, antispasmodicam virtutem edit, et adversus delirium et coma, somnum et sudorem lenem conciliando, pulsusque tardando et implendo, optimum est remedium. Verum, in usu ejus, caloris nimii et corporis motus irritamenta vitanda sunt; et duarum horarum spatium continuandus.

Omnibus, quae ad erysipelatis ipsius curationem pertinere videbantur, expositis; ad tertii consilii remedia, gangraenae aut putredini occurrentia, transibo.

Adversus haec, tonica et antiseptica, quorum praecipua frigus, cortex Peruvianus, et vinum sunt, maxime valent.

Vitareque

Vitareque aut tollere earum cauſas medici eſt, adminiſtratione antiphlogiſtica utendo, calorem, aeris inquinamenta, vaporeſque, ſive e corpore aegrotantis, ſive aliunde ortos, cavendo, humor acer effuſus ut removeatur curando, alvo ſtercus durum dejiciendo, perſpirationem et urinam movendo, denique corporis vigorem ſuſtentando.

Praeter ea, quae de adminiſtratione antiphlogiſtica ſupra relata ſunt, hoc loco inſuper monendum eſt, adverſus gangraenam aut putredinem, quae aut jam ſupervenerunt, aut ſupervenire periclitantur, cibi materiam ex animalibus minime, ex plantarum genere ſolummodo, ſumendam, caloremque, ut praeſentem effectum ſummopere augentem, omni cura fugiendum, contraque frigus, quod eidem effectui plurimum adverſatur, quaerendum; adverſuſque vapores impuros, frigidum et purum aerem, qui calori moderatur, et poteſtate tonica valet, libere admittendum; ideoque cubiculum ſaepe perflandum, veſtem ſtragulam aliamve mutandam, excrementa, ſimul ac excreta ſunt, removenda, alvum bis terve die, medicamentis antiſepticis et refrigerantibus, purgandam, humoremque ſuper partem affectam, aut ejus viciniam, effuſum, modo ſupra relato removendum. Praeter hanc adminiſtrationis antiphlogiſticae obſervationem, copioſa dilutio, quae vaſa excernentia aperit, utenda eſt; et ad corpus refrigerandum, perſpirationemque, urinam, et alvum expediendam, putredinique occurrendum, fructus acidi, aut aceſcentes, item ſales neutri, adſumendi. Putredini quoque et gangraenae, quam vaſorum atonia facit, frigus, cortex Peruvianus, et vinum, quae vigorem, tenſionem, et tonum corporis augent, ſervantque, optime occurrunt. Si vero caput, ſuperiora corporis, aut canalis alimentarius, laborant, non tam frigus in partem directum, quam libera aeris ad corpus totum acceſſio, quaerenda eſt, et potione frigida abſtinendum; ſiquidem omne frigus parti laboranti adjectum, tonum imminuendo, nocet; ejuſdemque, quocunque modo adhibiti, diuturnior uſus, qui, ſedantem vim exercens, ultro orientem atoniam auget, fugiendus.

Cita corticis Peruviani actio, hanc non in humores dirigi, oſtendit. Contraque, fibras ventriculi motrices excitando, iiſque tonum aut contractioni phlogiſticae ſimilem ſtatum dando, eum agere, et ſic tonicam toto corpore virtutem ſpargere, manifeſtum eſt. Hinc quare, ubi diatheſis phlogiſtica ſubeſt, idem non remedio, ſed noxae ſit, apparet. Et ob eam ipſam cauſam, adverſus putredinem et gangraenam, quarum cauſa imminutus tonus eſt, eum ſummopere prodeſſe, neceſſe eſt. In forma decocti aut extracti, in iis caſibus ubi eryſipelas typhum comitem habere creditur, plerumque dari ſolet.

Verum,

Verum, qui hac curatione utuntur, ni fallor, ſeſe fallunt, ſa-uſque ſic reducta tantillo corticis, tamque imbecilla forma da-co, quippe qui, niſi in pulvere ſimplice, et tam large, quam ventriculus ferre poteſt, id eſt, a ſemiuncia ad ſeſcunciam uno die datus, nihil agat, minime, et ſoli naturae operi, tribu-enda videtur. Decocta igitur hujus medicamenti aut extra-cta, qua in forma longa coctio vires ejus aut multum imminu-t, aut ex toto delet, vix adhibenda ſunt; et, ubi ſimplicem pulverem ventriculus ferre nequit, ad infuſum ex aqua, aut ſpirituoſo liquore, decurrendum.

Omnibus, quibus cortex Peruvianus, caſibus vinum quoque reſpondet; tumque maxime, cum vis vitae fracta eſt, cerebri-que inflammatio, et omne irritamentum internum abſunt. dem omnium ſtimulantium remediorum jucundiſſimum, tutiſ-imum, et efficaciſſimum eſt. Cui ſtimulanti virtuti vis ejus ntiſeptica, qua tonum vaſorum reſtituit, tribuenda eſt. E di-erſis vini generibus, Oportoenſe, aut Madeira, quae alcohol plurimum habent, reliquis anteponenda ſunt; et, ubi ſtimu-us multum requiritur, aromatis calefaciendum, et magna co-ia, vinum dandum eſt. Ejuſdem uſum effectus ejus dirigit, n quo, ſi is bonus eſt, perſtandum, aut plus etiam dandum; i malus, ab eo deſiſtendum.

Medicamenta parti gangraenoſae extrinſecus admovenda, uia chirurgi magis quam medici ſunt, ideo dinumeranda po-ius quam explicanda ſunt. Quorum quae maxime conveni-nt, calefacientia et ſtimulantia ſunt, cujuſmodi vina ſupra elata, et ſpiritus vinoſus, ſive pura, ſive cortice Peruviano, romatis, aut theriaca Edinenſi adjectis, ſunt. Horum aliquo nodice calefacto pars aegrotans fovenda, dein ſimili materia perienda eſt. Qui nominatim, aut fuſius horum adminiſtra-ionem, et alia eo pertinentia, ſcire velit, is opera aut libros hirurgicos adeat.

---

# DE VARIOLA.

*AUCTORE JA. MACKNIGHT.*

## DEFINITIO.

SYNOCHA contagioſa cum vomitu, et ex epigaſtrio preſſo dolore.

Tertio die incipit, et quinto finitur eruptio papularum phlegmonodearum,

phlegmonodearum, quae ſpatio octo dierum in ſuppurationem, et in cruſtas demum abeunt, ſaepe cicatrices depreſſas, ſive foveolas, in cute relinquentes *.

## HISTORIA MORBI.

*Variola Benigna.*

Hujus morbi adventus interdum per paucos dies, languore, laſſitudine, et ad ſudandum proclivitate, annunciatur. Ab ipſo impetu, algor calorque invicem ſuccedunt; ac progreſſu horror, praecipue circa veſperem, invadit, per quaſdam horas manens, et in cutis ardentiam, capitis dolorem, et ſitim abiens; ſaepinſque nauſea, vomitus, lumbago, et ex epigaſtrio preſſo dolor, ea comitantur. Symptomata noctu ſaevius urgent; mane autem ex ſudore leniuntur; nihilominus quidem febris aliquid cum languore multo et hebetudine manet.

Die ſecundo a morbi inſultu, omnia ſupra dicta ſymptomata violentius veſpere redeunt, cum anxietate, pervigilio, et interdum delirio. Exacerbationes remiſſioneſque ſaepe ſe bis die oſtendunt. Nonnunquam vero periodi regulares omnino abſunt.

Die tertio, cum ſudatione univerſa, puſtulae quaedam erumpunt. Eodemque fere tempore, ſymptomata levantur, atque, morbo mitiſſimo, fere omnino evaneſcunt. Interdum, adveniente eruptione, infantes ſternutatione et convulſionibus afficiuntur. Febris veſpere rurſus parum cietur, atque pari modo, adveniente die, et puſtulis erumpentibus, remittit. Talis exacerbatio veſpere iterum redit; die vero quinto, noviſſimis fere erumpentibus ſuum curſum febris explevit.

Puſtulae, quantum licuit obſervare, eodem fere tempore in facie, et in partibus artuum carnoſis, comparuere, poſteaque in ipſo corporis trunco.

Puſtulae, quum ſe primum oſtendunt, maculae ſunt exiguae et rubrae, neque cuti eminentiores, at brevi viſui prominentes, atque tactui et firmae et acuminatae fiunt. Hoc maxime hunc morbum a rubeolis diſtinguit, quae quidem, vix viſui

* Hic haud alienum videtur totum morbum ſuis motibus tertiana tempora referre, ſubjicere. Ita primum tempus, febri puſtulis praecunti proprium, tertianum eſt, et quam proxime ad xlviii horarum ſpatium accedit. Alterum, ſcilicet a iii die ad v in puſtulas educendas, tertium in harum inflammationem perficiendam, nempe a v ad vii diem, abſumitur; biduo hinc deinceps a vii ad ix diem veſiculae, halitum jam capientes, et in ſummis foveas habentes, efformantur. Proximo biduo pus componens tumor effunditur. Quod quidem die poſt febris initium undecimo, poſt puſtularum exitum octavo, fieri ſolet. Jameſon de Variola.

prominentes

prominentes, leviſſimo tactu, non cutem altius premendo, percipiantur.

Puſtulae indies conicae creſcunt, atque circa diem eruptionis ſextum magnitudinem ſummam attingunt; harum ſaepe quaedam magnitudine piſi, vel etiam grandiores, ſunt. Faciei puſtulae crebriores et minutiores ſunt, et plerumque, a pectore ad corporis extremitates, et numero et magnitudine augeſcunt.

Ad diem quartum, puſtulae coloris ſubrubri ſunt; tum in ſummis earum albida puncta apparere incipiunt, augeſcentia paulatim ad diem ſextum; tunc ex toto ſubalbidae fiunt, cum rubris baſibus latis, adeo ut, ſi plures ſint, interſtitia fere aeque rubeſcant. Haec primo in facie, deinde in corpore toto, apparent. Poſtea interſtitia minus rubent, atque puſtulae paulatim flaveſcunt, donec in cruſtas abeunt. Humor puſtularum eſt primo ſeroſus, poſtea autem puris veri ſpeciem induit.

Quum puſtulae non admodum paucae ſunt, cutis tenſio ac tumoris faciei aliquid earum ſuppurationem ſemper comitantur. Faciei tumor, morbo benigno, non ante diem quintum apparet, at interdum adeo augeſcit, ut palpebrarum tumore oculi prorſus claudantur; idque citra ullas puſtulas in palpebris ſaepius accidit. Ubi morbus admodum vehemens eſt, oculi, praeſertim in infantibus, ab ipſo eruptionis initio, claudantur. Tumorem vero faciei et cervicis inſignem, faucium inflammatio, et difficultas deglutiendi, ſemper comitantur; haec vero ſymptomata, niſi morbus vehementior ſit, raro moleſta ſunt.

Febris, ut ſupra diximus, morbo benigno, et eruptione finita, prorſus deſinit; et quum puſtulae pauciſſimae ſunt, in ſuppurationem et in cruſtas abeunt, ſine ulla moleſtia, aut ullo febris ſymptomate; hoc tamen raro accidit. Quum puſtulae paulo crebriores ſunt, febris aliquid earum ſuppurationem ſemper comitatur, et praeſertim quidem magna pulſuum frequentia, qualis in alio morbo lethalis exiſtimanda eſſet, etſi in hoc minime metuenda ſit. Circa morbi criſin, calor, ſitis, dolor, anxietaſque aegrotantem vexant, atque ſaepe jactationem et pervigilium inducunt. Haec vero ſymptomata, cum faciei tumor ſubſidit, et puſtulae areſcunt, omnino abeunt.

Puſtularum ſuppuratio plerumque finitur circa diem ſeptimum; die poſtero flaccidae fiunt. Quod fit puris exſudatione per cuticulam; et id, uti cera eſſet inſperſa, in faciem concreſcit; at in caeteris partibus corporis linteis abſtergitur. Haec exſudatio pergit, donec in cruſtas abeunt. In adultorum extremitatibus, ubi firmior eſt epidermis, lentius procedit;

dit; nam decimo octavo pustulas die pure expletas, novaque cuticula obductas, mihi incidere licuit.

Crustae variolae benignae paucis diebus decidunt, atque cicatrices nullas in cute relinquunt. At, morbo violentiore, diutius adhaerent, et, iis decidentibus, rubra tubercula manent, quae quasi squamulae albae decidunt, donec foveolae, sive cicatrices cavae, per vitam manentes, in facie maxime fiunt.

*Variola Maligna.*

Variola maligna per sua stadia celerius quam benigna, et cum symptomatibus ferocioribus, decurrit; febris ante eruptionem saevius urget, cum perpetuo, praesertim in adultis, vomitu, quandoque delirio inflammationeque faucium.

Die plerumque secundo tertioque interdum a morbi insultu eruptio incipit, citoque progreditur sine levamine symptomatum. Quo citius eruptio incipit, eo fere vehementior est morbus. Pustulae fere discretae erumpunt; secundum vero numerum earum, progrediente suppuratione, plus minusve saepe cohaerent. Id saepe in facie fit, quum in caeteris partibus corporis omnino discretae apparent, attamen frequenter confertae erumpentes ex parte cohaerent. At, si pustulae creberrimae sunt, in corpore toto cohaerent, passimque in vesiculas saepe confluunt. Atque eruptio, maligniſſimo morbo, ut inflammatio erysipelatosa, citra pustulas discretas provenit; id saepius in facie, raro in corpore toto, contingit. Pustulae frequenter numerosae in ore se usque ad fauces ostendunt.

Symptomata post eruptionem, praeter vomitum, omnia manent. Exacerbationes in toto morbi decursu vespere adsunt.

In morbi progressu, symptomata febrilia ingravescunt, atque cervix et facies immodice tument, cum inflammatione faucium, difficultate deglutiendi, et in adultis cum ptyalismo.

Facies, maligniſſimo morbo, ab ipso eruptionis initio, tumescit, ibique in progressu pustulae fere cohaerentes membranaceae fiunt, dein squamulis albis scabrosae, tum demum circa diem septimum subnigrescentes arescunt.

Inflammatio foeda faucium intumescentiam graviorem faciei cervicisque semper comitatur, quae graviſſima est, prout suffocationem minans, et aliquando deglutitionem prorsus impedit.

Quum faucium inflammatio citius invadit ac gravior fit, in iis qui plus octo annis sunt nati, eam salivatio copiosa semper comitatur. Quae molestiae est aegrotanti, quoniam indole ejus acri saepe os fauceſque excoriantur. Circa crisin, viscosa tenaxque fit, ut difficilline, neque absque periculo suffocandi, excreatur, et, subsidente facici tumore, omnino decedit. Infantibus

ſantibus rariſſime adeſt, qui quidem, in ejus loco, dicuntur diarrhoeam habere.

Suppuratione procedente, puſtulae planae et flaccidae fiunt, ſaepe cum acuminibus cavatis in quibus nigra puncta videntur. Humor in iis contentus eſt modo tranſparens, modo aliquantulo ſanguinis tinctus; hinc tranſlucidi, rubri, lividi aut nigreſcentis coloris puſtulae fiunt. Hoc, quoniam ex ſanguinis diſſolutione oritur, plerumque lethale evadit. Haec ſymptomata maligna, puſtulis haud numeroſis et ubicunque diſcretis, ſe ſaepe oſtendunt, tametſi plus minuſve fere confertae apparent.

Symptomata anomala, varia, permagnum periculum indicantia, in ſtadiis morbi variis ſaepe invadunt, ut dolores abdominis colicam mentientes, dyſuria, iſchuria, urinae et dejectiones ſanguinolentae, petechiae in puſtularum interſtitiis, veſiculae fero expletae, interdum rubri, lividi, aut ſubnigri coloris. Circa criſin, interdum pruritus intolerabilis aegrotum urgens ad cuticulam evellendam, partibus excoriatis gangraenoſis.

Eodem tempore quo facies areſcit, criſi favente, intumeſcentia ejus ſubſidit, manus, et poſtea pedes intumeſcunt; puſtulae, in caeteris partibus corporis, ubicunque diſcretae ſunt, prominent, ac pure explentur; ſymptomata quoque febrilia levantur. Frequenter tamen, eheu, nimis frequenter! noſtris auxiliis fruſtratis, dum facies ſubſidet, febris angeſcit, ſuperficies corporis ſe tota contrahit, puſtulae flaccidae vel etiam inanes fiunt, ſpiritus foetidus, lingua arida et nigra, cum pervigilio, anxietate, jactatione perpetua, atque delirio, ac demum ſuffocatio aut coma ſcenam claudit.

Morbo benigno, tumoreque faciei minimo, extremitatum intumeſcentia poſt criſin vix diſcerni poteſt; morbo vero vehementiſſimo, tumor praecipue manuum admodum notabilis fit; et, ſi aeger rite convaleſcit, paucos dies manet, et paulatim puſtulis ſaneſcentibus abit: Si vero ſupervenit hectica, protinus evaneſcit. Intumeſcentiam iſtam quidam ex puſtularum inflammatione in his partibus oriri exiſtimaverunt, quod mihi equidem non veriſimile videtur; quoniam maturantur prius et areſcunt, quam ad ſummum intumeſcentia attigit. Oedema quodam, aegroto convaleſcenti interdum pedes taloſque infeſtans, evenit; quod vero plerumque ſua ſponte abit, et auxilio medici minime eget.

Deſiccatio puſtularum, morbo benigno, primo in facie, deinde in ipſo corporis trunco, tum demum in extremitatibus, paulatim ac lente per dies quoſdam procedit. Sed, morbo maligno, celerius progrediens fere uno die perficitur. Hoc

potiſſimum ex humore pertenui cuticulam promptius tranſeunte oriri videtur; forſitan quoque in ſanguinem pars ejus abſorptione refertur; namque interdum paulo ante obitum puſtulae, ſine ſignis exſudationis certis, penitus inaneſcunt. Haud abſimile eſt hanc abſorptionem, inflammationem, caeteraque ſymptomata graviora circa criſin morbi accedentia, augere.

In variola maligna, puſtulae ſanationem aegre recipiunt, atque haud raro ulcera foeda infra cruſtas interdum nigreſcentia fiunt, cum hectica, dyſpnoea, ac diarrhoea, quae corpus et vires conſumunt, atque mihi quidem non minus periculoſae, quam ipſa morbi criſis, videntur.

Periodus hecticae, quatenus obſervare licuit, regularis non eſt. Poſt diem decimum incipit, modo paucis diebus, modo non niſi poſt decem terminatur. Hectica ex ſanie in ſanguinem abſorpta oriri videtur, quia, deſinente febre ſuppuratoria, incipit, neque, niſi puſtulae ſint ulceratae, invadit. Interdum eryſipelas gangraenoſum evenit, praecipue pueris, atque cito mortiferum fit.

Dies eruptionis octavus plerumque criticus eſt; tum ſymptomata aut levantur, ac aeger curationem recipit, vel ingraveſcunt et aegrotum necant. Dies nonus et decimus maxime periculoſi ſunt; interdum tamen morbus adeo vehemens eſt, ut non poſt eruptionem, ſaepeque non ultra diem ſextum, aeger ſuperſit. Dies hecticae omnes, quantum vidi, a decimo quarto ad vigeſimum, ab eruptionis initio, aeque critici ſunt.

Diviſio variolae in malignam et benignam, quam in diſcretam et confluentem, multo praeſtat; quia ſymptomata malignaſſima, puſtulis prorſus diſcretis, frequenter occurrunt. In benignae hiſtoria operam dedi, ut ea ſymptomata enumerarentur, quae ad morbum mitiſſimum pertinent; denique, caſus omnes comprehendere conatus ſum, quibus, eruptione finita, febris omnino deſinit, et puſtulae in veram ſuppurationem abeunt. Malignae hiſtoria, contra, potiſſimum enumeratio eſt ſymptomatum violentiam et anomalorum, quae non proprie ad morbum pertinent; et caſus omnes comprehendens, quibus febris aliquid poſt eruptionem nunquam deeſt, atque puſtulae, ſive diſcretae ſive confluentes, in ſuppurationem veram non tendunt. Has inter diviſiones nullum limitem ponere poſſumus. Quippe nimirum febris et alia ſymptomata maligna in ullo gradu, a violentiſſimo ad minimum perceptibilem, exiſtere poſſunt. Et quidem, ſecundum numerum et gradum eorum, periculum eſt ſemper pendendum.

## CAUSA REMOTA, ET MORBI NATURA.

Cauſa remota contagio propria eſt, et omnium contagionum, ſiquae ſunt, propriarum, maxime manifeſta. Propriam contagionem eſſe, hoc apparet, quod omni in regione, et omni ſub coelo, eundem morbum facit. Ut adeo dubium eſſe nequeat, quin, quod eundem ſemper effectum trahat, id idem ſemper ſubſit. Licet vero haec contagio eundem morbum genere tenus ſemper efficiat, ita, ut ne diverſae quidem ſpecies ex ea origine ſint; tamen in varietatum, cauſam opus inquiſito eſt.

*Varietatum cauſa.*

Quamvis haec contagio propria eſt, fieri tamen poteſt, ut ſuae potentiae magnitudine variet. Idque revera fit. Sed varietates morbi inde non oriuntur. Quod adeo nobis fortunatum eſt; quoniam, ſi ſic varietates orirentur, nihil in medici manu eſſet. Non autem multum in contagionis varia efficacia eſſe, utile eſt credere; ne id quod corrigi nequit, pro cauſa apprehendens medens, corrigenda, in melius mutanda, ac facile in ſua poteſtate poſita, negligat. Varietates variolae non ex contagione pendere fidem haec faciunt. Primum, poſtquam eadem materia, et iiſdem prorſus ſub rebus, plures ſunt infecti, in alio alius morbus fit. Atque etiam, ubi ea varietas minima eſt, ſcilicet in variola inſitiva, ibi tamen incidit, et ſaepe inſitionem peſſima variola ſequuta eſt. Deinde, ſi ea materia, quae ex bono caſu tracta ſit, pro bona, quae vero ex contrario pro mala, habenda eſt; ne, hoc quidem dato, argumentum melius procedit. Si quidem, dempta ex confluente variola materia, optimus, ex diſcreta et miti, peſſimus morbus, multos excepit excipitque quotidie. Cum igitur non in materiae, ideoque contagionis differentia, res conſiſtat,

*Quibus in rebus conſiſtat,*

Deinceps eſt dicendum. Variolam inter ſe diſſidere, primum puſtularum figura, dein febris, tum ſuppurationis natura, poſtremo, et maxime omnium, puſtularum numero, hancque reliquarum differentiarum originem eſſe, dictum ſupra eſt. Ad hanc igitur rationem hic perſequendam, et ſic, qua in re a bona mala variolae varietas diſcrepet, oſtendere ſaltem quodam tenus conandum; primum omnium puſtularum numerum a materiae morbificae copia non pendere, ſed, quantum quantum intus genitum ſit, ejus longe maximam partem cum caeco perſpirabili humore corpore penitus emanare, nec ullas puſtulas relinquere, recte proponere videor.

Quam

Quam rem confirmat quod in peſte nuper obſervatum eſt *; confirmat duobus hominibus eadem materia inſita et imparem prorſus puſtularum numerum procreans; denique res quaedam abundantiae puſtularum manifeſta origo experimentis certis repertae ſunt. Hujuſmodi

*Puſtularum origo*

Sunt calor, emplaſtra, diatheſis phlogiſtica, caro, et ex hac confecti cibi, porro anni tempus alios inflammatorios morbos adferens, poſtremo, febris naturam afficientia, qualia metus, frigus, intemperantia, et ſimilia ſunt.

Quod ad calorem attinet, infantes, prout hoc aut illud vultus latus in pectus matris aut nutricis forte inclinaverint, ita in eo poſtea plures puſtulas habent †. Et omnibus hoc commune eſt, ut, quam quiſque partem potiſſimum calori objecerit, in eam plures puſtulae exeant. Quod quidem calor praeſtat, impetum in ſummam cutem magis percitando, quam ut omnis humor libere tranſire poſſit.

Emplaſtra, quibus Sutton educendo puſtulas luſit, idem praeſtiterunt, difficilem humoris, qui exire debebat, tranſitum reddendo. Hae res cutem reſpiciunt, et ſtatum ejus eſſe puſtularum numeri cauſam, eoque modo, quo explicatum eſt, oſtendunt. Sed aliae, minus cum cute conjunctae, numerum puſtularum adaugent. Ex his primum memoranda

Diatheſis inflammatoria eſt. Hinc adulti, quam pueri, et plures puſtulas ſortiuntur, et in majore periculo verſantur. Hinc quoque longe plures illorum, quam horum, in confluentem variolam implicantur ‡.

Eodem fere pertinet carnis et ex hac paratorum ciborum effectus. Hinc quoque puerorum, qui minus, quam adultorum qui magis, hoc cibi genere utuntur, minus quoque periculi. Is autem effectus, in corpore implendo et diatheſi inflammatoriae objiciendo, conſiſtit. Quo fit, ut etiam pueris, ne inde ſic afficiantur, tali ciborum genere interdicantur. Quantum autem diatheſis inflammatoria noceat, hoc apparet, quod anni tempora, alios morbos in inflammatione conſiſtentes gignentia, et frequentiorem variolam et ſaeviorem edunt.

Haec omnia febrem afficiendo, et modum ejus flectendo, ad multitudinem puſtularum, eoque ſaeviorem morbum, dandum pertinent. Sed et alia eodem modo idem efficiunt.

Ejuſmodi ſunt metus, frigus, intemperantia libidinum. Quae quo modo febrilem et alias contagiones augeant, nemi-

* Vid. Chenot, p. 113. et 114. aph. 4. et cap. de cura peſtis.
† Vid. Cul. pract. ‡ Cul. pract.

nem.

rem rei medicae paulo peritiorem latet; et, prae caeteris, in typho et peſte diram ſtragem edunt. Id autem, febrem adficiendo, faciunt; quoniam puſtularum numerum recta augere vix concipi poſſunt. Febrem autem debilitando, eamque in typhodem naturam mutando, afficere videntur. De frigore hic, ut poteſtate nocente, non prout puſtulis admovetur, quippe quibus, ut mox dicetur, optimo remedio ſit, ſed de maturiore et immodica ejus actione, verba facio. Quae debilitando et ſedando nocet; cum adverſus puſtulas inflammatas adhibitum frigus, refrigerando, inflammationi moderando, perſpirationem juvando, et ſic puſtularum numerum imminuendo, mirum in modum profit.

Quibus in rebus varietates morbi differant, et quae puſtularum origo ſit, jam commonſtrato, qua in re Cullenianas rationes ſecuti ſumus; quae deinceps

## CAUSA PROXIMA

Sit, quatenus innotuit, paucis exponendum eſt. Contagio ſanguine recepta, huncque fermentatione quadam in ſuam vertens naturam, totum quidem, ut ſupra eſt dictum, mutat. Ea mutatio in actione quadam, quam in genere nervoſo, contagio edit, conſiſtit; ſi quidem, quorum ſanguis hanc mutationem ſemel ſubierit, is eam nunquam deinde ſubit. Quod aliter niſi per actionem in nervoſo genere, ut quod ſolum diuturnos affectus recipit, fieri non poteſt. Et abſque hac eſſet, ſanguis, qui brevi tempore univerſus renovatur, cito ad priſtinam naturam rediens, alii mutationi foret opportunus.

Ideoque eſt ratio quaedam inter contagionem et genus nervoſum, contagionis effectum recipiens; quae cum primo protinus effectu perit. Quae dicta utrique varietati variolae pariter conveniunt. Et, quatenus contagio unum morbi genus aut ſpeciem unam edit, propria ſeu ſpecifica, ut vulgo dicitur, unaque et eadem eſt. Neque, ſi varietatem ſpectes, ſua natura, ſed ratione quam erga ſtatum nervoſum habet, ullo modo diſcrepat. Eamque rationem variant res ſupra dictae, numerum puſtularum variantes; unde, quod ſupra dictum eſt, morbum finditus eundem eſſe, una ſpecie conſtare, et ex una contagione oriri, clare patebit. Porro, quod jam quoque dictum eſt, ſi morbus et cauſa ejus eadem ſunt, et ſi fermentatione contagio agit, eandem materiae copiam ſemper intus gigni ſequetur. Quod autem puſtulae plures aut minores numero ſunt, id fit, quia materia celerius ad cutis foramina rapitur, quam ut omnis iis libere tranſeat: Hinc pars, tranſeundo impedita haerenſque, ſubſiſtit, et in puſtulas formandas

das abſumitur. Hanc rationem, ante memoratam, multarum in cutem eruptionum ratio illuſtrat. Eae fieri videntur, quod ſudor, eas comitari ſolitus, craſſior perſpirabili caecō humor, plures eo particulas ſalinas perfert. Quo fit, ut hujuſmodi materia tranſiens ſub cuticula impediatur, et varias formet eruptiones. Hinc tales in tot hominibus ſudorem comitantur. Eadem haec ratio, ut alias, ita puſtulas varioloſas, apte explicare videtur.

Hic requiri porro poſſet, quomodo eadem ratio, praeter puſtularum numerum, alia ſymptomata explanet; ſcilicet, quomodo res ſupra dictae, febris modum mutando, materiae effectum quoque mutent, et circulari inflammationi, diſcretam variolam a confluente diſtinguenti, occurrant; aut quare quoque modo ipſam materiam in ſuppurationem minus quam putredinem convertant? Ad haec quod reſpondeam nihil habeo; niſi quod ita ſe rem habere iterum adfirmem *."

## METHODUS MEDENDI.

Variola benigna vix ulla medela eget, ſolummodo aere frigido puroque frui, et cibo animali, potu ſpirituoſo, cardiaciſque ſtimulantibus, abſtinere oportet. Obſervationes ſequentes praecipue ad malignam propoſui, cui auxilium medici peritiſſimi ſaepe fruſtra adhibetur.

Inter omnes convenit, quod variola periodum temporis quandam deſiderat, quae arte minime afficitur. Quocirca, in hoc morbo, eſt medici ire obviam ſymptomatis malignis, et morbum, quantum fieri poteſt, levare.

Qui obſervationes ſuas de morbis memoriae prodere velit, caute eorum ſtadia notare debet, quae ullam mutationem in methodo tractandi requirunt. Hunc morbum, cum hoc ſcopo, in tria ſtadia deduxi.

I. A morbi inſultu ad diem quartum ab eruptionis initio.

II. A die eruptionis quarto ad morbi criſin.

III. A morbi criſi ad finem.

*Stadium* I. Conandum eſt, in hoc ſtadio, ſumma ope febrem levare, ut eruptio non ante diem tertium proveniat, utque, procedente eruptione, febris levetur, atque finita, prorſus deſinat, aeris frigidi, diluentium, balnei, clyſmatum, venaeſectionis, et emeticorum, uſu.

Ut aere frigido et puro in omni febre aegrotus fruatur, omnino neceſſe eſt, atque praxis hodierna hoc quam maxime in variola prodeſſe indicare videtur. In ſpatioſo cubiculo

* Jameſon de variola.

procul

procul dubio quidem e lecto multum sedere utilissimum est; neque, ex meis observationibus, efficacius esse liquet sub dio spatiari, etsi, in tempestate gelida et nivosa equidem, id nonnunquam praecepi. Interdum vero aeger e lecto surgere non potest, quin statim vomitu corripiatur, vel animi deliquium patiatur; tum quidem oportet leviter tectus decumbat, dum simul cavetur, ut aer in cubiculo subinde mutetur, et omnis calor externus sedulo praecaveatur. Denique e lecto, vel in spatioso cubiculo, vel sub dio, quantum ferri potest, manere, febrem mitigat, eruptionem moratur, forsitan quoque numerum pustularum minuit.

Cibo animali liquoribusque spirituosis, in stadiis omnibus morbi, abstinendum est. Cardiaca stimulantia quoque, vel volatilis vel aromatici generis, evitanda sunt. Cibum ex farinaceis et lacte, potum ex aquosis, vel aqua pura, dare oportet. Utpote in hoc morbo, quam plurimum potus sumere debet, qui gratiores aegrotanti sunt dandi. Potus frigidus in hoc stadio commode adhibetur; at, suppuratione progrediente, ore ac faucibus excoriatis, tepido uti oportet.

Fovere extremitates, in pueriscque etiam totum corpus, aqua tepida, febrem lenit, et somnum inducit. In casibus gravioribus frequenter, praesertim circa vesperem, repetendum est. Lavatio cutem emollit, et, si extremitatibus tantum admota est, circulationem facilem aequalemque in tota superficie corporis citat; et procul dubio quoque sanguinem absorptione diluit. In gradibus et stadiis morbi omnibus non alienum est. Quo violentior morbus, eo magis necesse est. Si vero situm erectum aegrotans ferre non potest, fotus in lecto est adhibendus.

Clysmata emollientia, in stadiis morbi omnibus, aptissima sunt ad alvum ducendam. In hoc stadio, symptomatis urgentibus, secunda vel tertia quaque hora, donec symptomata levata fuerint, repetenda sunt. Hic aqua pura, vel lacte commixta, utenda est. At, si alvi ductione opus sit, aliquid ex sale communi, et oleo vel butyro, adjiciendum est. Clysmata in regimine antiphlogistico omnino necessaria sunt. Non solum ductionem facilem faecum putrium vel induratarum efficiunt, sed etiam in intestinis contenta, et exinde sanguinem quoque, diluunt.

Si symptomata inflammationem indicantia, ut pulsus validus et plenus, turgiditas et rubor faciei, inflammatio faucium, delirium, &c. ante eruptionem quam plurimum urgent, sanguinem mitti oportet. Symptomata enim levat, et eruptionem, si moratur ultra periodum suam, vel doloribus topicis violentis, vel calido regimine, febrem nimiam violentem ci-

tante, promovet. Si vero ista symptomata, eruptione progrediente, aut etiam desinente, non cessant, venaesectio non omittenda est, et interdum quidem bis terve repetenda. Symptomata venaesectionem postulantia saepius adultis atque juvenibus, magisque in tempore verno, raro pueris, rarissime infantibus, incidunt.

Quum autem symptomata maxime periculosa non inflammatorii generis sunt, ut pulsus debilis et parvus, pallor faciei, deliquium animi aegroto e lecto surgente, anxietas, nausea, &c. emetica commodissime et tutissime, aut ante eruptionem, progressuve ejus, vel etiam post finem, adhibentur. Tartarum emeticum praestat, utpote secretiones fere omnes ciet, atque alvum fere semper facile subducit. Casus vomitionem requirentes, saepius infantibus et pueris, quam aetate florentibus, occurrunt.

Licet infantium convulsiones ante eruptionem, morbo benigno, frequenter proveniant, et indicia fere fausta habeantur, nihilominus quidem nonnunquam ferociissimae fiunt, et aegrotum protinus e medio tollunt. Clysmata et semicupium, in paroxysmo adhibita, remedia et tuta et efficacia sunt. Opiata, in casibus gravioribus, per clysmata adhibenda sunt, atque cucurbitulae aut hirudines temporibus admovendae.

Dolores pleuritici sanguinis missionem postulant; et, si quid venaesectionem prohibet, cucurbitulae vel hirudines parti dolenti applicandae sunt. Eodemque tempore semicupium et clysmata frequenter repetenda.

Adversus dolores abdominis colicam mentientes, dysuriam, et ischuriam, semicupii et clysmatum anodynorum usus multum promittunt; amovere autem aegrotum e lecto, et pedes super aliquid gelidum imponere, haud raro dysuriam et ischuriam summovet. At, si haec non ad ischuriam valent, catheter utendus est.

Dejectiones cruentae clysmatis et opiatis opportune levantur. Quorum usu puellam quandam curationem recipere vidi.

Urina vero cruenta difficillime curatur. Nihilominus quidem, etiam in hoc statu, acida, cortex Peruvianus, et opiata, non aliena videntur.

*Stadium* II. Opera danda est, in hoc stadio, ut febris compescatur, et suppuratio pustularum rite promoveatur, ope aeris frigidi, diluentium, balnei, clysmatum, opiatorum, corticis Peruviani, et acidorum.

Omnino quidem necesse est, aegrotum in suo cubiculo aere frigido puroque frui, atque aut lectum tenere, aut non, prout sibi velit. Veruntamen, ut, progrediente suppuratione, efferretur

ferretur sub dio, vel etiam circumdaretur gelido vento a fenestra aperta, uti quidam monuerunt, mihi quidem alienum et periculosum esse videtur. Quoniam ex observationibus liquet, aera gelidum cutem constringere, dolorem, inflammationemque pustularum augere, et suppurationem cunctari. Effecta fausta, quae ex eo in stadio primo morbi oriri consuescunt, in hunc errorem induxisse videntur.

Fovenda est cutis, ubicunque pustulae numerosae aut confluentes sunt, aqua tepida, et, si aeger in balneum descendere nequeat, panniculo leniter admovenda est; et ubi febris admodum urget, haud raro repetenda. Praeter effecta ejus leniendae febris, inducendique somni, dolorem inflammationemque pustularum levat, ac earum suppurationem promovet.

Clysmata emollientia quotidie administrari debent, ut alvus rite subducatur, quo quidem tametsi non opus est, non omittenda sunt; utpote enim calorem, irritationem, febremque levant.

Opiata, propter eorum effectus anodynos, et soporificos, olim haud immerito concelebrata fuerunt. Enimvero quidem eorum virtutes in suppuratione promovenda, et in gangraena curanda, non nisi nuper agnitae fuerunt. Clariss. Syden. primus opii usum in variola instituit; sed de hac re multi hactenus non inter sese conveniunt. Pro axiomate enim diu habebatur, opiata stimulare, ideoque inflammationibus omnibus aliena esse. Facta quidem theoriis receptis adversantia aegre admittuntur.

Opiata, in hoc morbi stadio data, praeter eorum anodynos et soporificos effectus, febrem leniunt, suppurationemque pustularum promovent. Neque unquam eorum effectus stimulantes, aut secretiones diminuentes, observare potui, quamvis quidem pluribus quam quinquaginta hoc morbo laborantibus, spatio paucorum mensium, ea administranda curavi. Quum morbus vehementior est, ab hujus ipso stadii initio danda sunt, donec pustulae sanescunt, ex bis die, mane scilicet et vespere, ut effecta unius doseos maneat, donec altera praebenda sit.

Corticem esse idoneum, et progrediente et declinante morbo, nequaquam quidem inficias ibo; at mihi tamen multo minus efficax quam opium esse videtur. Praeterea pueris, et iis inflammatione faucium laborantibus, vix adhiberi potest. Verisimile est quidem, quod opium et cortex commodius simul adhibeantur; quod vero experientia solum confirmari potest.

Acida, et mineralis et vegetabilis generis, haud immerito a multis commendantur; sed sapor eorum ingratus, praesertim pueris, in idonea quantitate, ea adhiberi prohibet.

Inflammationem faucium difficultatemque deglutiendi le-

vant, ſalivationemque promovent, injectiones in fauces per os et nares, os fovere aquae vapore, et eum reſpirare, cataplaſmata emollientia cum camphora et opio ad jugulum admota, et ſubinde mutata.

Pruritus intolerabilis aegrotum urgens ad cuticulam evellendam, ſaepe, praeſertim pueros, invadit, partes excoriatas gangraenoſas relinquens. Hoc ſumma ope caveri debet; utpote enim, poſt talia mala, ſymptomata ingraveſcere obſervavi, mortemque haud raro inſequi. Omnia ſtimulantia in hoc ſtatu perniciola ſunt. Non melius equidem notum eſt mihi remedium, quam fovere frequenter aqua tepida cum lacte; manus quoque cataplaſmatis cohibere debent.

*Stadium* III. Hic conandum eſt ſummis viribus obviam ire febri, intumeſcentiam extremitatum et ſanationem puſtularum promovere, diluentibus, balneo, clyſmatis, opiatis, epiſpaſticis, cataplaſmatis, venaeſectione, purgantibus, et cortice Peruviano.

Auctores quidam inciſionem puſtularum circa criſin propoſuerunt, quod mihi quidem non ſatis conſultum eſſe videtur. Periculum enim eſt, ne aer puſtulis admiſſus, eas inflammaret et exulceraret; unde ſaniei abſorptio et hectica oriri poſſunt. Praeterea, in caſibus periculoſiſſimis, puſtulae raro humore explentur.

Quae ſupra diximus de uſu aeris frigidi, balnei, clyſmatum, et opiatorum, in ſtadio praecedente, ad hoc aeque pertinent. Notandum tamen, aeris frigidi applicationem locis excoriatis multo magis, ultra criſin, quam, puſtulis ſuppurantibus, pernicioſam eſſe: Quoniam partes excoriatas exulcerat, horrorem concitat, febremque auget.

Totum corpus, praecipue partes excoriatae, ab aere rite tegenda, et fovenda ſunt aqua tepida cum lacte, donec puſtulae ſaneſcunt. Semicupium circa criſin frequenter adhibendum eſt, ad febrem levandam intumeſcentiamque extremitatum promovendam. Alvum clyſmatis quotidie eluere oportet. Opiata bis die, mane et veſpere, non omittenda ſunt, donec febris deceſſerit, et puſtulae ſanationem receperint. Ex unius doſeos neglectu, lethum interdum incidere obſervavi.

Venaeſectio ab auctoribus quibuſdam multum collaudata fuit ad ſanguinem a colluvie putrida purgandum; haec vero ſententia nunc fere rejicitur. Nihilominus tamen, ſi ſymptomata inflammationis topicae, ut phrenitis aut peripneumonia, in ullo morbi ſtadio occurrunt, neqnaquam negligenda eſt.

Epiſpaſtica, in variis morbi ſtadiis, ad faciendam revulſionem ad extremitates, multum commendantur. Res autem in

in dubio eſt, an magis in hoc morbo ſtimulent quam ſedent. Praeterea, ſi exulcerentur, ſaniei abſorptio et febricula hectica metuendae ſunt. Ob haſce rationes equidem cataplaſmata emollientia multum praeferimus; et, ſi ſtimulo opus ſit, cura ne exulcerent habita, ſinapi aliquid adjiciendum eſt. Haec manibus pedibuſque paulo ante criſin admovenda, et ſubinde mutata, donec deſinat febris, et tumeſcant extremitates, continuanda ſunt.

Purgantia multi circa criſin, facie areſcente, propoſuerunt; iis vero nequaquam aſſentior; quoniam purgantia, hoc tempore adminiſtrata, intumeſcentiae extremitatum obſtare, et diarrhoeam ciere opinor. Poſt intumeſcentiam extremitatum, et puſtulis ex magna parte areſcentibus, purgantia non aliena ſunt. Eorum vero poſt operationem opiatum dandum eſt, ne hypercatharſis ſuperveniat. Purgantia quidem et opiata ſimul apte adhibentur; operationem enim purgantium minime impediunt, atque torminibus et diarrhoeae, quae ſaepe ſuperveniunt, opportune occurrunt.

Partes excoriatae et exulceratae accurate ab aere unguento emolliente contegi debent. Atque, ne exulceratio procedat, unguento frequenter renovato, ſanies acris aqua tepida cum lacte eluenda eſt.

Hecticam ulceribus ortam diarrhoea dyſpnoeaque fere comitantur. Quod ad ejus curationem pertinet, cortici et opiatis potiſſimum confidendum eſt; num purgantia commode adhibeantur, neſcio. Attamen vero clyſmata adminiſtrari oportet, quia ad inteſtina, eorum contenta putrida et irritantia diluendo et evacuando, derivationem imminuunt; quoties vero dyſpnoea gravior fit, ſanguis cucurbitulis vel hirudinibus, aut etiam ex brachio, mittendus eſt.

Ophthalmiae, quae ſaepe variolae ſupervenit, diu oculos a luce tuendo, donec hi vigorem recuperaverint, occurrere oportet. In ejus curatione, luce evitata, opiata et purgantia mercurialia adhibenda ſunt.

Apoſtemata et phlegmone, poſt hunc morbum incidentes, more ſolito cataplaſmatis emollientibus rite tractari poſſunt.

DE

# DE VARIOLAE INSITIONE.

*AUCTORE ANDREA DOUGLAS.*

VARIOLAE Europae non ſunt indigenae: Ab Arabia vel AEgypto ad nos allatae. Primus omnium mentionem earum fecit Rhazes, medicus apud Arabes celeberrimus. Quinetiam in Actis Societatis Regiae Londinenſis refertur, nec prius in Europa, nec in Aſia Minore, nec in Africa, quam commercium a recentioribus AEgypti Principibus, aromatum ex India Orientali advehendorum gratia, inſtitutum fuiſſet, innotuiſſe. In hac regione ortas, ibique hodie quam apud nos graviores eſſe, ferunt. Hinc in Arabiam tranſlatae, tandemque Saracenos in Europam irrumpentes concomitatae.

Variolas inſerendi conſuetudo, licet antiquiſſima eſſe exiſtimetur, Britannos tamen, ante initum hoc ſeculum, omnino latebat. Quaedam epiſtolae, ſub id tempus, in Actis Regiae Societatis Londinenſis relatae, primam ejus mentionem faciunt.

Non pauci memoriae prodiderunt, variolas de induſtria movendi uſum a Circaſſia Georgiave eſſe profectum. Hae regiones quidem pulchritudine muliebri, turpique eas vendendi more, in primis nobilitatae ſunt: Et, cum exploratum habeatur, mortales, quos aetate non multum provectos variolae invaſerint, quam minimum formae vitaeque periculum adire, veriſimillimum eſt, inſitionem earum pulchritudinis foemineae tuendae cauſa, fuiſſe excogitatam. Nonnulli autem hujus inventae honorem, nec Georgiae nec Circaſſiae incolis tribuendum eſſe, contendunt. Multa etenim, eaque minime dubia, variolas per artem excitandi conſuetudinem, per totam Africae oram ſeptentrionalem, apud Gangaridas, Arabes, Syros, Graecos, Armenios, et Cambro-Britannos, ante multos annos, invaluiſſe, et apud gentes aliquot emendi vendendique conſilio inſerviſſe, teſtantur.

Haec ſalutifera variolas per inſitionem excitandi via e Circaſſia, vel, ut Pylarinus affirmat, Theſſalia Byzantium, Smyrnam, et ad regiones hiſce finitimas, tranſlata. Armeniis aliiſque Chriſtianorum gentibus non incognita fuit; ſed diuturnum per tempus apud plebeculam tantum occulta. Majorem ibi vero famam, ſeculo noſtro ineunte, ſibi adepta eſt, paſſimque omnibus, tam plebeiis quam nobilibus, in conſuetudine eſſe coepit.

Docti quidem forſitan, rerumque naturae curioſi, ad epiſtolas

ſtolas Pylarini Timoniique conſiderandas animum appulerunt; caeterum hucuſque inſitio variolarum non invaluit, nec quiſquam medicus vel chirurgus, apud incolas Europae, artem novam experiri eſt auſus, donec mulier, jure celeberrima, Maria Wortley Montague, Byzantii agens, literas ſuper hac re elegantiſſimas ingenioſa conſcripſiſſet, ibique filiolum ſuum operationi objicere non dubitaſſet. Deinde, circa annum milleſimum ſeptingenteſimum viceſimum, Anglia exemplum, quod continentis Europae nationes imitarentur, dedit. Namque Georgius primus, Rex ille ſapientiſſimus, periculum ejus in ſeptem capite damnatis fieri juſſit. Eventu votis ex toto reſpondente, idem quoque in regia prole auſpicato tentatum eſt. Multi, ex eo tempore, in partibus regni diverſis, regium exemplum ſunt aemulati. Cum vero animis mortalium rerum novarum, ut fit, avidiſſimis ſatisfactum foret, praxis langueſcere coepit, et in deſuetudinem fere abiit. Materiam varioloſam pauculis tantum, ſparſim, inſerere medici perrexerunt; quanquam vero eventus feliciſſimus inſitionis utilitatem aſſidue oſtendit, parum tamen ſerpſit et progreſſa eſt. Non multum quidem abfuit, quin eam reliquae Europae nationes ejicerent. Germania nec penitus expulit, nec penitus recepit. Batavi verbis potius quam factis comprobare ſunt viſi. Ante omnes autem alios, Galli eam quam maximo deſpicatui habuerunt.

Apud Americanos Septentrionales, Indoſque Occidentales, plus famae et nominis ſibi comparavit inſitio. Cum variolae ſtragem horrendam longe lateque ibi dare conſueverint, quibus ſatis fortitudinis fuerit, eam in liberis et ſervis experti ſunt, multumque exinde fructus ceperunt. Sub idem tempus in America, quo apud noſtrates, at audacter, ne dicam temere, excoli coepit. Arte recente, unus e quadragenis fato conceſſit. Medicis autem, uſu magiſtro, peritioribus factis, numerus convaleſcentium tantum brevi increvit, ut unus tantum e centum, et, mercurio tandem adhibito, e mille veneno varioloſo contactis, morte fuerit abſumptus.

Seculo, quod labitur, medio, in agro Genevenſi, nonnulliſque aliis locis, magis magiſque ſemet diffundere, et per totam fere Europam invaleſcere, coepit.

Duodecim vel quatuordecim abhinc annis, tempore omnium maxime inſigni, Suttonius innotuit. Ejus miniſterio, quo praxis haecce ſalutifera, in commodum generis humani, longius latiuſque diffunderetur, providentia divina uti non dedignata eſt. Vir, in hac ſaltem re ſagax, operationem ad priſtinam ſimplicitatem reduxit, regimen Graecis adhibitum omnibus ſibi commiſſis injunxit, inciſiones et emplaſtra expulit,

lit, aegrotis calore et cubili interdixit, et aerem purum frigidumque ad eos liberaliter adſpirare permiſit. Eventus ubique votis mirum in modum reſpondit. Studium igitur protinus variolas inſerendi, ex aliis in alia loca rapidiſſime tranſiit, quaeque ejus progreſſui remoram objecerint, omnia brevi evanuerunt.

Quinetiam Catharina, illuſtriſſima omnium Ruſſiarum Imperatrix, periculum inſitionis, Dimſdalio noſtrate peritiſſimo arceſſito, bono publico conſulens, intrepida adiit, exemplumque ſuis, quibus variolae inſitivae ſummum metum olim incutere conſueverint, nobile praebendum curavit.

Denique, Ludovicus decimus ſextus, Gallus, exemplum ejus ſecutus, ſeque ſuoſque conſanguineos, viro varioloſo inficiendos, permiſit. Cum omnes autem ad ſanitatem facile ſint reducti, ſperandum eſt artem, in poſterum, vel apud Gallos, in eo quem ſibi jure mereatur honore fore.

Ab India Orientali in AEgyptum, inde in Arabiam, denique in Europam, variola, peſtis illa graviſſima, commigraſſe videtur; et, ex ſupra comprehenſis, plane colligi poteſt, cum eam, tum efficaciſſimum ejus levamen, inſitionem, iiſdem in plagis orta.

## DIVERSAE VARIOLAS INSERENDI RATIONES.

De viis inſititias variolas concitandi diverſis, nunc quam pauciſſimis abſolvemus. Super quibus verba facientes, primas Sinenſibus lubenter concedemus; qui, quantum ad originis antiquitatem uſumque bonarum artium diuturnum attineat, ſe caeteris gentibus longe praeſtare gloriantur. Illi, variolas movendi cauſa, turundam ex goſſipio pure varioloſo imbutam in nares indere conſueverunt. Periculum autem hujuſce rationis in puella, cui aliiſque quinque capitis damnatis, Meadii, ſeculi ſui medicorum facile principis, rogatu, variolae ſint inſitae, factum eſt. Caeterum eventus praxeos famam haudquaquam exaequavit. Ab inſerta etenim turunda ad puſtularum eruptionem uſque eam tentarunt gravis capitis dolor, febris concitata. Nec mirandum eſt, rem ita ſeſe habuiſſe, cum venenum quam proxime cerebrum, unde omnis oriatur ſenſus, admotum fuiſſe; et pulmones, ſanguinis quaſi officinam, per nares ſimul cum anima intraſſe, reputamus.

Cambro-Britanni, qui palmum antiquitatis Sinenſibus vix ac ne vix quidem concedunt, virus corpori illinendo, morbum inducunt. Quem morem ultra centum et quinquaginta annos repeti poſſe affirmant.

Operatio apud Tripolitanos, alioſque Africae incolas, hoc modo

modo inſtitui ſolet. Cui variolae inſerendae ſunt, is in cubiculum morbo laborantis adducitur: Tres vel quinque puſtulas, namque numero impare gaudet ſuperſtitio, puris plenas a caeteris eligunt, iiſque cutem, quae indicem inter et pollicem intereſt, inungunt. Alii vero quemlibet morbo, per acum cutem inter digitos modo poſitos perforantem, filumque pure tinctum poſt ſeſe trahentem, impertiri, eorundem moris eſſe referunt. D. Kirkpatrick, hujus mentionem injiciens, nonnihil fili in vulnuſculo relinqui ſuſpicatur; at hodie compertum eſt, trajectionem ejus ſolam ad morbum faciendum ſufficere. Si caetera ſpectes, aegrotos peſſime tractant Africani. Eos etenim a juſculo e carne caprina confecto non abſtinent, et mole ſtragulorum nimia opprimendos relinquunt.

Eadem variolas inducendi ratio apud Bengaliae incolas uſitatiſſima. Hi autem, eis qui illitu ſolo utantur prudentiores, puncturas duabus aciculis conjunctis inferunt, partemque materia varioloſa laeſam inungunt. Inſuper morbum, per pus ſaccharo ſyrupove admiſtum, cum infantibus aliquando communicant. Ratio variolas inunctione excitandi, ſi aeque certa ac jucunda foret, omnibus aliis palmam praeriperet. Res autem plerumque longe aliter ſeſe habet; et morbum per quidquam ventriculo recipiendum, movere conari, non tantum ab omni munditia alienum, ſed prorſus incertum.

Qui Georgiam, Circaſſiam, et Graeciam tenent, variolas inſitivas, in eundem fere modum, inducunt. Pylarinus, qui hiſtoriam hujus accuratiſſimam poſteris prodidit, ſe Graeculam fronti, maxillis, mento, metacarpo, et metatarſo, puncturas obliquas infligere; pauxillum puris adoleſcentulo variola ſpontanea conflictanti, recens detracti, et in ſinu pediſſequae ſervati, ſingulis inſerere, et denique nucum putamina partibus acu punctis illigare, vidiſſe teſtatur. Timonius et Pylarinus artifices univerſos pure recenti uſos eſſe, et aegrotantibus juſculo et vino, in dies multos interdixiſſe, quaſi uno ore fatentur. Aniculam vero Graecam, a Pylarino laudibus concelebratam, cum reliquis earum regionum artificibus haudquaquam conferendam eſſe liquet: Timonius enim, qui rationem, qua hi uti conſueverint, depingit; non parum puris e parte vulnerata elatum eſſe, affirmat; unde, morbum per inciſionem inductum fuiſſe, conſtat. Contra autem Pylarinus puncturas ab illa inflictas in puſtulas ſemper abiiſſe refert; nec uſquam puris profluvii meminit. Partes carnoſiores pungantur, ſuadet; et pus morbi factitii, utpote quod natura mitius ſit, ad variolas excitandas virium ſatis habere, exiſtimat.

Operatio hucuſque ſimplex videtur, nec dolorem nec periculum afferens; temporibus vero recentioribus in pejus immutata

mutata eſt. In locum nugarum populorum orientis, ſolennes rei chirurgicae formulae; in acus anilis, ſcalpellum; in puſtularum a parvula punctura oriundarum, ulcera ſunt ſubſtituta. Alii vulnere longo et profundo brachia inciderunt, alii in cutem tantum ſaevierunt, quique a crudelitate plurimum abhorruerunt, ſanguinem tamen plaga elicuerunt: Ad partes inciſas linteola vel fila pure varioloſo perfuſa applicare, et emplaſtris faſciiſque vulnus ſecundum artem obligare conſuerunt. His acceſſit, quod inciſiones hujuſcemodi ſemper in ulcera, eaque ſaepiſſime foeda, dolentia, et moleſta verterunt.

Americanos eidem viae inſtitiſſe probabile eſt. Apud eos vero praxis, nunquam intermiſſa, magis magiſque quotidie, potiſſimum per medicamenta e mercurio et antimonio conflata adhibita, exculta. In hanc autem morbum tractandi viam a Boerhaavio illuſtriſſimo moniti, forſitan proceſſerunt, qui, in Aphor. 1392, antidotum in ſtibio mercurioque, adverſus vim varioloſam efficax, aliquando repertum iri non deſperare videtur.

Apud Helvetios et Gallos, pauciſſima morbum ratione leniore movendi pericula facta ſunt. Iis moris erat, emplaſtra epiſpaſtica brachiis, cutique, veſiculis apertis, panniculum pure variolae madefactum, admovere. Finem vero harum omnium rationum crudelium ex toto fecit, ſimplicemque puncturam ad ſuum ſummo cum honore locum revocavit Suttonius.

Quemcunque autem variolas per artem inovendi modum adhibueris, haud dubie ad commodum mortalium et felicitatem quamplurimum confert inſitio. Peſtem horrendam in morbum leviculum, minimeque periculoſum, convertit. AEtati, conſtitutioni, habituique corporeo, diverſis, ut conſulas permittit, et temporis, quo operatio debeat inſtitui, delectum habendi copiam facit. Quod ſi forſitan vicinia contagii, morbo ſponte ſua jamjam acceſſuro, te animum ad haec utiliſſima attendere prohibuerit, quolibet modo, quolibet tempore, quolibet auſpice, ſtatim tentabitur inſitio.

## EA QUAE INSITIONI AB EI ADVERSANTIBUS FUERINT OBJECTA.

Exitus inſitionis, utcunque felix, utcunque mirandus, praejudicia indoctorum ſtolidorumque, inventum unumquodque utiliſſimum ſubruere conantium, vix imminuere, nedum radicitus evellere, poteſt. Quibus conviciis millies reſponſum eſt, eadem rurſus ingerere non dubitant. Argumenta tamen eorum,

rum, qui ipſam praxin repudiandam putant, praecipua in medium proferam, et pro virili parte convellam.

Eis reſpondere non pretium foret, qui armis a ſacris literis petitis inſitionem oppugnant. Si enim eventus, fere ſemper proſperrimus, homines meticuloſos ſcrupulis dubitationibuſque ſibi injectis liberare nequeat, quae argumenta proferre poſſem, ea non multum ponderis haberent.

Qui a praxi abhorrent, inſitionem variolas veras non movere contendunt. Hoc autem nihil aliud quam fabella anilis, quae temporibus noſtris ex toto propemodum obſolevit; namque contagium morborum, cum nativi, tum factitii, idem omnino praeſtare, experimenta omnia plane teſtantur.

Nonnulli eos, quibus virus varioloſum fuerit inſitum, ejuſdem in futurum immunes non evaſuros eſſe, affirmant. His idem reſpondebitur: Si enim morbus factitius nativum, et, contra, nativus factitium excitat, uterque ejuſdem generis ſit oportet. Non equidem variolam ſpontaneam aliquot pure varioloſo contactos, longo poſt tempore, invaſiſſe, inficias ibo. Qui vero hoc praxi vitio vertunt, naturam ipſam incuſant; non enim plura, in variola per artem nota, quam in nativa, morbi recidivi exempla occurrunt; utrobique quidem rariſſima quaeque ad praxin quam maxime ſalutarem expellendam haudquaquam ſufficiunt.

Ex omnibus inſitioni hucuſque objectis, quod progreſſum ejus potiſſimum impedit atque retardat, eſt metus ne corpora humana, aliis morbis, una cum variolis inſitivis, communicentur. Quantum ad me attinet, variolas virium ſui generis eſſe, a materia morbifica ſibi propria oriri, et ſemina nullius morbi, natura diverſi, ſecum adducere poſſe, quondam exiſtimavi. Nuper vero in ſententiam longe aliam, experientia rebus in medicis propria inductus, conceſſi.

Exemplum offendi, quod anginam aphthoſam una cum variolis inſeri poſſe, haud dubie demonſtravit.

Operatio foeminae habitiori, commodaque valetudine fruenti, peracta eſt. Pars, pure varioloſo infecta, ſigna uſitata tempeſtive oſtendebat, et eruptio non aliter, quam aſſolet, ſeſe habebat. Die a punctura facta decimo, octo, diverſis aetatibus, pure ejus contacti ſunt. Poſtero quam hoc actum eſt die, difficultatem devorandi conqueſta. Fauces introſpectae igneum rubrorem, maculis albidis interſperſis, repraeſentarunt, oculi rubuerunt et illachrymarunt; lingua, totam per longitudinem, linea flava ſignata eſt. Per biduum, rigiditatem colli et ſtrangulationem ſenſerat; haec vero ſigna moleſta puſtulis, circa fauces erumpentibus tribuens, omnino tacuerat. Symptomata non valde gravia cortici Peruviano, et garga-

riſmatis e tinctura roſarum, ſpiritui vitrioli admiſta, conflatis, paucis diebus ex toto ceſſerunt. Tunc temporis autem variolae, per loca vicina, admodum lethaliter graſſatae ſunt, quidamque me, uti duos e ſuis inficiendos curarem, magnopere hortatus eſt. Pus quidem idoneum defuit. Cum vero omnia anginae ſigna, in mulicre ſupra poſita, medicinae paruiſſent, puſtulaeque ſpeciem optimarum prae ſe ferrent, materiam varioloſam hinc detrahere non dubitabam. Animum ad effectus utriuſque inſitionis, ab eodem fonte deductae, diverſos conſiderandos attendes. Quibus materies morbifica, foeminae angina laboranti ſubtracta, admota eſt, iis partes punctae nulla ſigna inſolita exhibuerunt. Acceſſio vero febris, eruptionem concomitantis, fuit gravior, et ſigna pejora. His angina ſupervenit. Fauces inflammatae, maculiſque obſitae; facultas devorandi adeo difficilis evaſit, ut ſuffocatio non longe abeſſe viſa ſit. Angina accedens, periculum inſtare ſignificavit. Quam citiſſime igitur venienti morbo occurſum eſt. Tres aegerrime ſervati; ſinguli puſtulas ſolito numeroſiores habuerunt. Omnia, contra, eis, qui pure de foemina, angina depulſa, ſumpto infecti fuerant, pro votis evenerunt. Signa, per ſtadia morbi diverſa, mitiſſima, puſtulae rarae, angina nulla. Quendam pure octo priorum contactum, angina, at levior, occupavit.

Quae Evanus Daviſius Actis Regiae Societatis Londinenſis inſeruit, ea meam ſuper hac re opinionem plane confirmant. Puellam, Haverfordiae Cambro-Britannorum occidentalis nominatae, morbillis inſitionem variolarum inter et eruptionem correptam eſſe refert. Pus ei emiſſum tribus applicatum eſt. Eadem ſingulis evenerunt. Morbilli ſeptimo vel octavo die ſe oſtenderunt, decimo quarto variolae.

Meadius celeberrimus morbos cutaneos, immo ſcrophulam, cum corpore humano per pus varioloſum interdum communicari exiſtimat. Inſitionem vitia contagioſa tantum ei impertiri poſſe, mihi perſuaſum eſt. Res vero utcunque ſeſe habeat, non alienum foret diſpicere, qualia iis conſtitutio corporea et habitus ſint, qualis valetudo, e quibus materiam, quae morbum excitet, ſumere decrevimus.

Periculum contagii duplicis ne flocci quidem pendendum. Virus, cuticula diviſa, morbum celerius excitat, quam cum modo quolibet alio corpori admovetur. Hac de re nos certiores primus fecit Suttonius, qui eos, quibus variolae mox inſerendae eſſent, cum infectis, abſque ullo incommodo, verſari permiſit.

Eruptio *Raſh* vulgo vocata, quae olim frequens, hodie rariſſima. Cur, arte recente, adeo infeſtaverit, in cauſa fuerunt, lectus

lectus aerque purus ad aegrotum parcius adſpirare permiſſus. Denique, ulcera ab inciſionibus orta, pridem uſitatiſſima, quam maxime incommoda ſunt; quod non medico tam facile ex ulcere, quam e puſtulis inſitivis inſpiciendis, quis morbi progreſſus ſit, quae vis, quandoque principiis, malo praeviſo, ne medicina nimis ſero paretur, obſtare conveniat, judicare licet.

## VIA INSERENDI VARIOLAS, QUAE HODIE USITATISSIMA.

Ars variolas per inſitionem movendi, poſtquam in Britanniam immigravit, in pejus immutata et magnopere corrupta eſt. Quae ſua natura ſimplex et facillima fuit, fraude vel ignorantia eam exercentium difficilis et metuenda facta eſt. Multi quidem e noſtratibus, viri praeſtantiſſimi, vitae et ſolatio generis humani conſulentes, eam leviorem, certiorem, tutioremque, quantum in ſeſe fuit, reddere ſtuduerunt. Regimen inflammationi prorſus adverſum et contrarium inſtituerunt, medicamenta e mercurio et antimonio conflata, ac purgantia fortiora, adhibere coeperunt.

Quantum ad regimen attinet, Suttonius, Sydenhamium noſtrum ducem ſequendo, medicamenta Americanorum puncturae Graecorum addendo, et aere puro et recente liberaliter utendo, ſyſtema ſibi proprium perfecit. Et, quamvis non noſtrum eſt, hic loci, eum laudibus concelebrare; attamen nec negari, nec taceri, poteſt, aut debet, plus ad artem abſolvendam et diffundendam, quam omnes reliquos Europae inſitores, contuliſſe.

Si morbus ſponte accedens non ſit epidemicus, occaſio multa providendi, et multa cavendi tibi ſubminiſtratur, quibus, variolis vulgo graſſantibus, non tam facile queas proſpicere. Delectus aetatis, temperamenti corporei, et anni tempeſtatum, haberi poteſt. Et, niſi omnia votis reſponderint, non opus eſt ut inſitor variolas movendas ſuſcipiat.

Prae caeteris anni tempeſtatibus, menſis Octobris inſitioni convenire exiſtimatur; quod tunc temporis calor aeſtivus mitior redditus eſt, et ardor Syrii peſtiferi deſaeviit; quod frigora hiemis aquoſae nondum orta, et coelum, aequinoctio procelloſo praeterito, magis tranquillum minuſque turbatum. Quinetiam morbi putridi et bilioſi autumnales plerumque ceſſarunt, et hiemales vix adhuc inceperunt. October vero caeteris menſibus ſolummodo praeſtat, ſi, quo variolae inſerantur tempore, nulli morbi maligni graſſentur. Quamvis hiems morbis putridis, quam tempeſtas quaelibet alia, magis

vacat,

vacat, aeſtati tamen, ſi commoda uſu aeris libero derivanda ſpectes, cedit. Utrumque aequinoctium inſitioni inimicum eſt. Diarrhoeae, dyſenteriae, anginae aphthoſae, his temporibus frequenter invadunt; his quoque morbi potiſſimum intermittere ſolent, quod, ante omnia alia, prohibet quominus contagio varioloſa, iners facta, in corpus agat. Corpora etenim, ad febres intermittentes proclivia, adverſus vim contagii varioloſi ſaepiſſime tuta ſunt. Hoc bis expertus ſum. Punctoris, duarum hebdomadarum intervallo, iteratis, nullae contagionis notae ſecutae. Tertium autem, cortice Peruviano prius dato, periculum magis auſpicato factum, et morbus, quam maxime levis, inductus.

Proximum eſt, ut quaedam de aetate eorum, quibus variolae ſint inſerendae, dicamus. Qui quatuor annos et paulo plus nati ſunt, iis haud dubie inſitio maxime convenit. Non pauci quidem, opinionem ſuam argumentis plurimis et ſpecioſis propugnantes, pueros, quibus haec aetas nondum acceſſerit, ſummo cum commodo inſici poſſe, contendunt. Pericula tamen, ſaepiſſime facta, omni argumento potentiora, ad operationem tam mature decurri vetant. In nullis enim, quos mihi videre contigerit puſtulae numeroſiores. Morbus, me judice, vel ipſis puberibus et aetate provectioribus levior, quam iis, qui ad annum quartum nondum pervenerunt. Convulſiones, quibus lactentes, ſub tempus eruptionis, tentari ſoleant, terrorem parentibus incutiunt, moleſtiam medicis faceſſunt: Nec ſolum terrori ac moleſtiae ſunt; periculum etiam ſubeſſe teſtantur; namque convulſiones magnam puſtularum copiam praecedere ſaepe notavi.

Vigor habituſque corporeus eorum, quibus pus varioloſum inſerere volumus, attentionem noſtram ſibi proxime vindicant, quo accuratius, qualia regimen et praeparatio conveniant, ſtatuere poſſimus. Sunt, in quibus Suttonius eſt, qui, unum praeparationis modum omnibus convenire putant; quique igitur eundem cibum, eadem medicamenta juveni valido ſenique debili, dari jubent; lactentibus, chloroticis, gravidis, et agricolis robuſtiſſimis, abſque ullo diſcrimine, praeparatis. A praxi tam temeraria ratio et experientia ex aequo abhorrent. Haec qui faciunt, adverſarios armis, quibus inſitionis utilitatem oppugnent, inſtruunt, et multum noxae, multumque periculi, aegrotantibus inferre poſſunt.

Artifices nihilominus hujuſcemodi temerarios multa, quae medicum prudentiorem magiſque cautum, formis inſtitutiſque medicis impeditum, per longum annorum decurſum, latuiſſent, caſu reperiſſe fatendum eſt. Quiſnam medicina vel modice imbutus febri concitatiſſima laborantes lecto depellere, ſub

ſub dio verſari cogere, cathartica draſtica, quibus numerus puſtularum imminueretur, dare, non tantum ab omni rite curandi via, ſed a ratione ipſa ſana, quam longiſſime deflectere non pronunciaſſet? Hodie tamen hominum audaciſſimorum, qui paradoxa hujuſcemodi ſumma cum utilitate, perpetuoque ſucceſſu, in medium protulerunt, veſtigiis inſiſtere medicum peritiſſimum minime dedecet. Permulti quidem indoctiſſimi noſtra aetate variolas inſerunt; at ingenui literarum ſcientiaeque fautores non idcirco praecepta utilia, quod ab origine proficiſcuntur ignobili, contemnunt; contra vero, ea, quae ab auctoribus doctrina deſtitutis reperta ſint, fideli et aſſidua obſervatione in melius mutare, dubia explicare, et, quae videantur periculoſa, tutiora efficere, conantur. Hac in re, imitatione dignus eſt eruditiſſimus Bakerus, qui omnia, quae ad inſitionem emendandam aut provehendam conferre poſſint, ſumma cum ſagacitate, ſummaque induſtria ac benevolentia, undique collegit, et collecta in vulgus edidit.

Cum anni tempeſtas, aetas, et habitus corporeus aegrotantis, in inſitionem conveniunt, ratio pure inficiendi, quam paucis expoſiturus ſum, fere ſemper feliciſſime ceſſit. Aegroto, per hebdomadae ſpatium, carne, juſculo, butyro, caſeo, aromatis, liquoribus vinoſis, ſpirituoſis omnibus, et fermentatis fortioribus, omnino interdicatur. Diaeta e lacte, fructibus, oleribus, conſtet. Aqua pura, vel ea in qua panis toſtus fuerit madefactus; vel ſucco limonum admiſta, aut quovis alio modo acidula reddita; vel cereviſia tenuior, potui detur. Quinetiam infecto, ut exercitatione modica, ſub dio, quotidie utatur, ſuadendum eſt, illis diebus ſolis exceptis, quibus cathartica ſumuntur. Ter ſingulis hebdomadis, hora ſomni, dandum eſt medicamentum, quod corpus ad inſitionem praeparat, viz. pulvis, e mercurio dulci et tartaro emetico vel ſulphure antimoniali praecipitato, compoſitus *; et alvus, mane ſequente, ſale cathartico Glauberi purganda. Infanti-

* Cum in inflammatione variola conſiſtat, eique imprimis habitus inflammatorius, ſive evidens ſive latens, noceat; ita contra hunc praeparatio noſtra praecipue, ſi non ſolum, dirigenda eſt. Hoc conſilio, quando is habitus evidens eſt, nihil penes medicum magis eſt, quam eum delere. Ubi latet aut non facile cernitur, eum tamen ſubeſſe cauſae ejus ſuadebunt. Cauſarum ejus praecipua caro eſt; remedium, xiv ſaltem dies ante datum morbum, carnis abſtinentia; quemadmodum ab oleo et lacte, alentiſſima apud eos cibi materia, Indi jam relati idem temporis ſpatium abſtinent. Alterum remedium eſt primarum viarum purgatio lenior, quam adverſus irritamenta a cruditate aut aliis hujus loci noxis bonam eſſe non inficiandum eſt. Quo parum contenti inſitores, plus agitantes, ſaepius et vehementius alvum purgant. Quod una cum abſtinentia carnis, ad corpus attenuandum et habitum phlogiſticum tollendum, multum poſſe, et forſitan recte fieri, contendimus. Hactenus praeparatio mano ſaepe uſui eſt. Jameſon de variola.

bus,

bus, qui ſales Glauberi ſolutos reſpuunt, quantitas medicamenti ſupra comprehenſi parvula, cum tanto pulveris jalapii, quantum ſufficiet, et pauxillo nitri, omnino conveniet. Medicamenta, cum primum ſumuntur, vomitionem movere, et per eam non parum materiae bilioſae foras expellere, conſueverunt. Alvum, ad minimum, ſexies ſolvas, et doſiu, cum iteratur, viribus et conditioni aegrotantis accommodes, neceſſe eſt. Suprema medicamentorum portio ea nocte, quae inſitionem puris ſubſequitur, optime datur; namque compertum habeo, progreſſum contagii varioloſi hoc modo quam plurimum accelerari. Quemlibet, per duas puncturas ſcalpello pure recenti contacto, tribus ſupra cubitum digitis, oblique factas, facillime certiſſimeque variolis impertieris *.

Ab inſitione facta, ad acceſſionem febris eruptionem concomitantis uſque, punctturarum, qualis aegrotum tractandi via debeat eſſe, ſpecies indicabit. Si alvus bis die moveatur; ſi punctturae, die tertio, pulicum morſus referant; ſi quinto vel ſexto pruriant, magis rubeſcant, et inſtar veſiculae inflentur; ſi ſeptimo vel octavo, dolores leviculi, at lancinantes, axillam et partes punctas invadant; ſi circulus roſeus, puncturas cingens, ſemet oſtendat, dimidiumque aliquando brachium occupet; ſi denique puſtulae veſiculas exiguae circumdent; fauſte morbus procedit, ſpeſque certa, exitum ejus feliciſſimum fore affulget.

Medicamentis abſtineatur, donec ſigna febris eruptioni propriae ſe manifeſtare coeperint. Tunc demum, pulvere ſupra poſito fretus, venienti febri obviam ibis. Catharticum poſtridie mane aſſumet aegrotus. Immo rurſus rurſinque, ſi graviora ſint ſigna, iterabit. Mercurium vero dulcem, hoc tempore, prorſus omittere, et tartaro emetico ſolum uti, conveniet; cum frigus, pulvere ita mutato, minus facile colligat aegrotus. Quinetiam tartarum emeticum purgantibus apte adjungitur. At auxilium princeps ab aere frigido, liberaliter adhibito, petendum. Rigore accedente, motum aegrotus quam maxime averſatur. Foci lectique deſiderio flagrat, et ſe adeo capitis dolore, nauſea, aliiſque malis febrilibus opprimi ſentit, ut ſe vix pedibus inſiſtere, nedum ambulare poſſe, ſibi in animum inducat. Corpus autem ei dimoveatur neceſſe

* Virus recens, et id quod in ſcalpello per dies viginti conſervatum fuit, et illud quoque quod ex puſtulis diei ſexti, ſeptimi, octavi, aut noni, exceptum, eandem vim habere obſervavi.

Quidam puncturas duas treſve in brachiis utriſque facere monuerunt, quo certiores forent vas aliquod abſorbens vulnerari. Hoc vero nequaquam fieri oportet, quia ulcus nimis grave concitare ſolet. Niſi in infantibus, qui minus apti ſunt ad virus ſuſcipiendum, punctura una in uno brachio ſolum facienda eſt. Macknight de variolae inſitione.

eſt.

eſt. Foras igitur, quamvis invitus, deducatur, et ambulare cogatur. Quamprimum hoc fuerit factum, reviveſcet; deinde, cum domum repetiverit, aeri externo ſubductum, anxietas, febris, omneſque ejus notae, ſubito rurſus invadent. Levamenti autem non mediocris, quod ſub dio expertus eſt, jucundiſſima recordatio aegro, utut langueſcet, ſignis repetentibus, foras ſponte ſua rurſus prodire perſuadebit. Potum ei ſufficiat aqua ex ipſo fonte promanans. Quo frigidior cubiculi temperies noctu fuerit, eo melior.

Brevi poſthac erumpunt puſtulae, palleſcit circulus, decedit febris, cum aegri, tum inſitoris, ceſſant cura et ſollicitudo. Prudentem nihilominus medicum decebit, eandem victus rationem in aliquot dies adhibere, alvumque, quo omne periculum ex toto averruncetur, bis leniter ducere, donec ad ea, quae in conſuetudine fuerint, puſtulis jam plene maturis deciduiſque, redierit aegrotus.

Hujuſcemodi plerumque ſunt inſitionis progreſſus et finis. In multis quidem morbus levior. Etenim ſaepe videmus infectum vix aegrotare, et febrem adeo lenem accedere, ut utrum morbus necne adſit, niſi per inflammationem punctu-rarum, &c. non poſſit dignoſci.

Haec inſitionis proſpere inchoatae hiſtoria, et praecepta ſupra poſita, delectum tempeſtatis, aetatum, et temperamentorum, ante omnia alia, rite habitum fuiſſe ſignificant. Quod ſi factum fuerit, vix ambigi poteſt, quin morbus felicem exitum ſit habiturus.

Tempus anni, corporeum habitum inficiendorum, et aetatem eligendi copia, nobis non ſemper datur. Omnia enim hujuſcemodi, morbo naturali graſſante, medicos prudentiſſimos non raro negligere cogunt vicina funera, metuſque mortis exinde oriundus. Rebus ita ſe habentibus, ne prius caſu, quam arte, inficiantur, quam maxime cavendum eſt. Ii, quibus pus varioloſum inſerere ſtatuimus, ab aere contagioſo quamprimum removendi, ſpatiumque praeparationis in duas hebdomadas producendum: ut, ſi forte morbo nativo infecti fuerint, ſigna contagionis acceptae prius certa, quam ad inſitionem decurratur, ſeſe prodant, et cum artifex, tum ars ipſa ſalutifera, adverſus convicia illiberalia tuta ſit. Exemplum infeliciſſimum quondam vidi, ubi, die ab inciſione facta ſecundo, ſigna morbi naturalis, praeter ſolitum gravia, puerum, cui variolae fuiſſent inſitae, invaſerunt, eique, duodecimo, mortem intulerunt. Febre eruptionis propria accedente, nullum prae ſe ferebant ruborem punctura, puſtulaeque, diebus ſequentibus, per totum corpus, adeo numeroſae erumpebant, ut non amplius de partis inciſae ſpecie judicari potue-

rit. Infauſtum autem rei exitum inſitioni vitio paſſim vertit fama mendax, nonnullis, qui medicinam ipſi faciebant, turpiter et indigne annitentibus, ut, quae mala a natura profecta ſint, quaeque, ope humana, nec arceri nec tolli potuerint, ea arti optimae objicerentur.

Si quis lactentes materia varioloſa contingere voluerit, in primis eum acorem, ad quem infantes ſponte ſua adeo proclives ſunt, emendare conandum eſt. Hoc optime praeſtant magneſia alba, ſingulis diebus, et manna, prout occaſio poſtulat, datae. Quinetiam diaetae nutricis, aliorumque non naturalium, uti aiunt, cura quam maxima adhibenda. Convulſiones, quae infantes tentare conſueverint, cubantes, et noctu, plerumque invadunt, et, aere frigido in cubiculum copioſe admiſſo, extemplo depelluntur. Omnibus primae viae purgandae ſunt; quomodo vero hoc fieri debeat, conditio habituſque inficiendorum corporeus rite docebit. Foeminis tenerioribus, quibus ſyſtema nervoſum debile et mobile eſt, alvus tantum leniter ſolvenda. Huic propoſito manna, tartarum ſolubile, et leniora quaelibet cathartica, quam optime accommodantur. In eis, quibus habitus minus firmus et irritabilis, pilula e parva opii et tartari emetici quantitate conflata, ſingulis noctibus ſumpta, ab inciſione, ad eruptionem perfectam uſque, effectus optimos edit.

Fibris laxis ac debilibus auxilio eſt cortex Peruvianus. Quantum ad progreſſum contagionis accelerandum, et puncturas pure laudabili implendas conferat, ſaepiſſime expertus ſum.

Chloroticae non tam leniter tractandae. Major mercurii et antimonii doſis, cum catharticis fortioribus, danda. Mulieres hujuſcemodi perpaucas plerumque puſtulas, eaſque pallidulas, lympha, non pure, repletas, habent; et chloroſis, quod non raro accidit, ea, quae inſitionem antecedit, praeparatione depellitur.

Multi pus varioloſum, abſque ulla praeparatione, inferunt et regimen et medicamenta ſupra poſita punctiuram factam inter et eruptionem adhibent. Eventum utriuſque rationis animo attento ſaepe conſideravi, et ſucceſſum omnino parem eſſe confiteor. At variolis graſſantibus, praeparatio haud dubie adhibenda, quod occaſionem contagium ſpontaneum, quod forte invaſerit, detegendi, et alia morbida, ſi quae in habitu deliteſcant, corrigendi, praebet.

Mirandi ſunt catharticorum effectus; vel quod contagionis progreſſum accelerant, vel quod numerum puſtularum jam erumpentium imminuunt. Haec ſummum cutem inter et primas vias conſenſum intercedere clare demonſtrant; et igitur utilitate

utilitatem praeparationis, nullo ejus adhuc periculo facto, plane confirmant.

Opiniones de pure eligendo variant. Alii e pustulis, vel nativis vel insititiis, absque ullo discrimine, alii ex his solis, id sumunt. Alii maturo, alii crudo et magis fluido, pustulis insitivis detracto, utuntur. Decem, aetate sexuque diversis, pure muliebri, quae variola spontanea, eaque valde confluente, laboraverit, inici vidi. Omnibus morbus lenis, pustulae rarae; quamvis mulier ipsa, die proximo, fato functa est. Pus insitivum, potius quam naturale, hodie adhibetur, utpote quod mitius esse, variolamque leniorem inducere, existimetur. Utrumque contagionem aeque movet; sed tenue et limpidum alteri anteponendum; namque, quo fluidius est, eo facilius per vasa minima transit, et effectum celeriorem edit. Cum virus non parabile est, et e longinquo petatur necesse est, scalpelli cuspidi illinatur, exsiccetur, et prius aquae fervidae vapore, quam adhibeatur, humectetur. Morbum certissime, at tardius plerumque, excitat; namque quatuordecim dies, insitionem inter et eruptionem, aliquando intercedunt.

Si punctura speciem lenem prae sese non ferant, si contagio lentius agat, et signa ejus per aliquot dies dubia sint, eruptio gravior timenda. Rebus ita se habentibus, pulvis supra positus et cathartica fortiora adhibenda, et, ut necessitas postulabit, iteranda. Nonnunquam, sed rarius, prius signa febrilia eruptionis propria, quam circulus rubescens, semet ostendunt. Hoc morbum gravem, et eruptionem confluentem, adesse significat. Igitur medicamenta supra comprehensa, potusque acidulus redditus, velut tinctura rosarum, protinus largiusque sumantur, oportet.

Ventriculi et intestinorum purgatio, alimenta antiseptica concoctuque facilia, potus frigidus et acidulus, et puris blandi et fluidi, per punctura factam insitio, genus variolae leve ac mite inducunt. Sin vero, contra, aeger, febre eruptionis propria accedente, se contineat, vel aere frigido non liberaliter utatur; si calor ei corporeus quolibet modo nimis augeatur, cura insitoris nihil poterit, et regimen ex toto propemodum inutile evadet, commodis suis optimis operatio destituetur, morbus gravis accedet, periculumque secum adducet. Quales caloris adaucti effectus sint, ex exemplo sequenti, quod meam sententiam a vero haudquaquam deflectere testatur, colligere licet. Vir sanus et adultus, praeparatione rite adhibita, pure varioloso contactus est. Febre eruptionem concomitante finita, decem tantum pustulae eminentiores se ostenderunt. Quarto die, integer rectequc valens, ut ipse putavit, ad fruges in area terendas, quo quotidie insueverit,

incubuit, et penſo ſolito, non ſine defatigatione et multo ſudore, functus eſt. Veſpere cutis ei incaluit, caput dolore tentatum eſt, rigores acceſſerunt, et poſtridie multa puſtularum millia eruperunt. Caeterum puſtulis ortis, febricula deceſſit, nec quolibet alio inconmodo, praeterquam eo, quod ab eruptione puſtularum creberrima et iterata profectum, affectus eſt aeger.

Ex catharticis uſuque aeris frigidi liberali, effectus inſitionis feliciſſimos potiſſimum pendere, obſervationes quamplurimae, me judice, clare teſtantur. Igitur iis, exitum fere ſemper proſperum, licet aliae res nonnihil adjuvent, non abſque cauſa poſſumus referre.

Variolas inſitivas, perinde ac alios morbos, tractandi conſilia ſunt diverſa. Temperamenta ſunt adeo varia, morbus ipſe adeo multiformis, et curatio ex tot tamque diverſis pendet, ut nulla medendi ratio, quae omnibus ex aequo conveniat, excogitari poſſit. Igitur inſitorem ſagacem conſilia ſua, pro conditionibus aegrotantium diverſis, mutare, et ſpecies morbi diſſimiles, diſſimili ratione curare, decebit.

---

## VARICELLA.

SYNOCHA *. Papulae poſt brevem febriculam erumpentes in puſtulas variolae ſimiles, ſed vix in ſuppurationem euntes ; poſt paucos dies in ſquamulas, nulla cicatrice relicta, deſinentes.

Hic morbus, omnis periculi expers, raro aut nunquam medentis opera indiget.

* Vid. Synop. Noſol. Cl. Culleni.

---

## DE RUBEOLA.

*AUCTORE CADWALLADER-BLAYNEY LEE.*

### DEFINITIO.

"SYNOCHA * contagioſa cum ſternutatione, epiphora, et tuſſi ſicca rauca. Quarto die, vel paulo ſerius erumpunt papulae exiguae, conſertae, vix eminentes, et poſt tres dies in ſquamulas furfuraceas minimas abeuntes."

* Vid. Synop. Noſol. Cl. Culleni.

HISTORIA.

## HISTORIA.

Morbilli eodem tempore, quo variola, quantum noverimus, apud mortales innotuerunt, et primum ab auctore Arabico, cui nomen Rhazis, ſeculo nono poſt Chriſtum natum labente, ſunt depicti. Pueros potiſſimum, omneſque in primis qui eodem ſub tecto degunt, invadere conſuerunt. Eos antecedunt rigor calorque alterni, appetitus proſtratus; lingua albida, tamen humida; tuſſicula; capitis et oculorum quaſi gravitas; ſomnolentia; humoris acris in os, nares, et fauces deſtillatio. Sub hoc tempus acrimonia humoris, cujus mentio modo facta, aegroto ſternutationem movet, et palpebrae adeo, ut caecitatem nonnunquam faciant, intumeſcunt. Nonnihil anginae aliquando ſubeſt, et vomitus, nauſea, et diarrhoea ſaepe accedunt; quodque deſcendit plerumque ſubviride. Eruptionem protinus praecedunt anxietas praecordiorum et oppreſſio, pulſus cordis adaucti, pruritus faciei moleſtus, magna irritabilitas et iracundia, praeſertim in pueris inter dentiendum, qui ſemper hoc in morbo praeter conſuetudinem ſunt difficiles *. Sanguis e naribus, et in mulieribus ex utero, ſaepe profunditur, vomituſque cruentus, quam in variolis, frequentior. Haec ſigna in tres quatuorve, nonnunquam in duodecim vel quatuordecim dies, antequam eruptio ſeſe in conſpectum det, manere ſolent. Nonnulli in rubeola quadam, quae Edinburgi ante aliquot annos epidemice graſſata eſt, febrim abſque eruptione, quae poſt aliquot menſes, uti Gregorius illuſtriſſimus memoriae prodidit, ſeſe oſtendit, habuerunt, et in aliis, qui ea ante laboraverant, omnia ſigna abſque eruptione ſunt orta. Si mulieres hyſteriae opportunae, menſtruis provenientibus, morbillis corripiantur, in eas invadunt animi deliquium, ſpiritus difficilis, gulae conſtrictio, praecordiorum anxietas, et, his ſignis manentibus, eruptio ſe nunquam oſtendit. In facie primum, morſus pulicum reddentes, papulae ſe in conſpectum dant, et gradatim coeunt. Nonnunquam in pectore et humeris primum erumpunt, et paulum ſupra cutem eminent, tactu, non viſu, percipiendae. A facie et pectore in abdomen artuſque inferiores ſemet diffundunt. Signa, eruptione ad finem perducta, non, ut in variola incidit, levari conſuerunt; namque, quamvis in hac, eruptione finita, remittunt, vel ex toto evaneſcunt; in rubeola tamen per totum morbi decurſum plerumque manent. Tuſſis et febris ingraveſcunt, vomitio ſola remittit; ſpiritus difficilis, contra, oculorum debilitas et epiphora, ſomnolentia perpetua, et appe-

* Vide Hoff. Tom. II. ſect. i. cap. viii. p. 63. Vide Gr. Praelect. Vide Med. Eſſ. Vol. V.

tentia

tentia cibi amiſſa, aegrotum, non minus exercent. Circa diem ſextum papulae faciei aſperae et ſiccae fieri incipiunt, et cuticula a cute vera disjuncta decidit; caeterum, in reliquis corporis partibus ampliſſimae et ruberrimae manent. Sub diem octavum, et faciei et reliqui corporis propriae ex toto fere evaneſcunt, faciem, artus, et totum aliquando corpus, quaſi furfure coopertum, relinquentes. Poſt morbum, tuſſis et ſpiritus difficilis, praeſertim ſi regimen nimis calidum fuerit adhibitum, et alvus ſuſa quoque manent, quorum ſignorum poſtremum, ut aeger ſummo in periculo verſetur, ſaepe facit. A regimine calidiore patechiae nonnunquam oriuntur, et papulae prius liveſcunt, deinde nigreſcunt. Morbo inclinato, univerſi corporis pruritus accedit, et aegrotus, ſi morbus ſit funeſtus, diem ſub nonum fato concedit, et affectu pneumonico, cum diatheſis phlogiſtica totum per morbum magnopere invaleſcat, extingui conſuevit. Tuſſis adeo ſingularis eſt, ut obſervatio ſola notionem ejus juſtam alicui poſſit impertiri. Aliquando pro tuſſi aegrotum colica infeſtat. Nonnullis in exemplis *, denique, rubeola cum variola fuit conjuncta.

Muliercula quaedam, quae apud Noſocomium Regium Edinenſe curae illuſtris Homii fuit demandata, hoc morbo extincta et poſtea inciſa. Quae notae ſe oſtenderunt, eae hujuſmodi fuerunt. Trachea materia purulenta repleta eſt, quae in omnibus ejus ramis quoque apparuit. Membrana ejus interna inflammatione laboravit, ſed nec ulcerata nec praeter naturam craſſa fuit. Pulmones externi colorem naturalem habuerunt, et inciſi vaſa ſanguifera ſanguinis plena oſtenderunt, qui et ex his et tela cellulosa, praeſertim lobi dextri, liberaliter profluxit. Nihil vero inflammationis, duritiei, ponderis, aut congeſtionis apparuit. Rubeola a peripneumonia hoc differre videtur, quod pulmones in hac ſemper duri graveſque ſunt, et ſigna inflammationis ad extremum manent. In exemplo vero ſupra poſito, omnes inflammationis notas ſuſtulit poſtrema ſanguinis detractio. Mors denique aegrotae, modo comprehenſae, a materia purulenta in trachea ejuſque ramis collecta, potius quam ab ulla pulmonum inflammatione, oriri viſa eſt.

## DIAGNOSIS.

Hic morbus a variola ſignis ſequentibus poteſt ſecerni, ſternutatione, humoris ex oculis deſtillatione, et tuſſi ſicca, quae eruptionem antecedunt, quaeque raro aut nunquam in variola ſe oſtendunt. Quinetiam puſtulae non ſupra cutem

* Vide Sid. Obre de variol. et morbil. Vide Macbride method. introd. Vide Sauvag. noſolog. method.

eminent,

eminent, nec ſuppuratione, ut in variola incidit, finiuntur; ſed plerumque, inſtar ſquamularum, decidunt, nullum morbi veſtigium notabile relinquentes.

In miliaria, papulae incerto morbi die erumpunt, nunquam in facie, magis eminent, humorem plerumque aquoſum continent; odore foetido, nulla vero tuſſi aut ſternutatione, ſtipantur.

A catarrho, tuſſi ſicca et rauca, quae catarrho laborantibus plerumque humida eſt, affectu oculorum graviore, ſternutatione magis violenta, aegrotum rubeola nunquam ante laboraſſe compertum habendo, et morbo denique locis in vicinis epidemice graſſante, poteſt diſtingui.

## CAUSAE QUAE PROCLIVITATEM AD MORBUM DANT.

Quod maximam ad hunc morbum proclivitatem facere videtur, id eſt, eo nunquam ante laboraſſe. Seminium praeterea in corpore latere, hocque contagioni adjungi oportere, alioquin morbum non poſſe moveri, opinantur nonnulli. Aliquid vero amplius ad morbum excitandum neceſſarium eſſe exiſtimamus; namque, ſi res ita ſeſe haberet, mortales, qui eo ante non fuerant correpti, omni tempore abſque ullo diſcrimine invaderet. Obſervatio vero quotidiana eoſdem diverſis temporibus contagioni magis minuſve patere demonſtrat. Et corpora mortalium, ſi quibuſlibet cauſis inſigniter debilitata ſunt, contagione, cujuſcunque fuerit generis, facillime affici poſſe videmus. Omnia, igitur, quae vires corpori convellunt, homines, noſtro judicio, huic morbo opportuniores reddere poſſunt, qualia ſunt, metus, frigus, alimenti ſalubris inopia, ebrietas, venus nimia, defatigatio. Nonnullus quidem ex hiſce cauſis pueri, quos potiſſimum rubeola infeſtat, objici nequeunt; adultos tamen contagioni magis obnoxios, haud dubie nonnunquam efficiunt.

## CAUSAE QUAE MORBUM EXCITANT.

Contagionem autem ſpecificam hunc morbum movere, et homines ſemel tantum per totum vitae decurſum afficere, conſueſſe, neminem poteſt latere. Modus vero, quo haecce contagio in ſyſtema humanum agat, medicis optimis et ſagaciſſimis, quos ſecula viderint recentiora, argumentum diſputationis diu praebuit, et diu forſitan praebebit. Caeterum, nec obſcuritatem et difficultates, quibus in praeſentia involvatur, cum humeri noſtri onus tam grave ferre recuſent, tollere,

lere, nec aliquid novum, cum theoria, quae hodie hac in academia invaleſcat, quamque, ut ducem ſequi decrevimus, ne minima quidem ex parte a vero abhorrere videatur, proferre conabimur. Haec autem tradit, materiam contagioſam in modum fermenti agere, et humores corporeos ſibi ſimiles reddendo, tales mutationes in ſyſtemate nervoſo et ſanguifero facere, quales morbum conſtituunt. Quae argumenta rem ita ſeſe habere teſtantur, ea ab exemplo variolae peti poſſunt. Hic enim particula materiae minima ſummo ſcalpello, quod in puſtulam morbo laborantis fuit demerſum, adhaerens, et cuticulae cujuſlibet ſani inſita, ut centum aut mille puſtulae oriantur, faciet, quarum unaquaeque fermentum ſimilis generis evadet, morbumque in aliis hominibus movebit. Auctus autem puſtularum hujuſcemodi per analogiam fermentationis tantum poteſt exponi.

Contagia vero in modum fermentorum agentia tales mutationes in maſſa humorum circumeuntium faciunt, quales eam in poſterum adverſus contagia ejuſdem generis ex toto tutam reddunt. In quibus hae mutationes conſiſtant, haudquaquam explicare valemus, nec hoc unquam forſitan aſſequetur humana inveſtigatio.

## CAUSA PROXIMA.

Nonnulla materiam contagioſam, quae corpori admovetur, morbumque movet, pro hac habuerunt; hoc vero nihil aliud quam cauſam excitantem modo poſitam et proximam eandem eſſe dicere: Quod abſurdum eſt. Cauſa quidem proxima omnium morborum, qui a contagione proficiſcuntur, magna ex parte mortales lateat neceſſe eſt, cum natura contagionis vera, cumque effectus primarii, quos in ſyſtema edat, ex toto fere ſint ignota. Alii, contra, diatheſin phlogiſticam, quae hoc in morbo quidem magnopere invaleſcit, cauſam proximam eſſe credunt. Haec vero in omnibus morbis febrilibus, in aliis, ut rheumatiſmo, aeque, in aliis minus graviter, dominatur; pro cauſa tamen proxima nunquam habetur. Quinetiam, cum omnia rubeolae ſigna deceſſerunt, manere ſolet, aegrotumque ſaepe pneumonia adficit. Signa vero morbi, cauſa proxima ſubſtante, decedere nequeunt, utpote quae ab ea ex toto pendeant, et, uti Gaubius * illuſtris teſtatur, ea ablata, tantum tollantur. Quidnam igitur pro cauſa proxima habebimus? An acrimoniam illam, quae in omni fere exanthemate totum per corpus evidenter diffunditur? Haec forſitan contagii in corpus agentis primus effectus

* Vide Gaub. p. 18. ſect. 60. 61.

eſt,

eſt, et, quanquam naturam ejus non poſſumus rite exponere, ad diatheſin phlogiſticam movendam videtur non male accommodari. Hanc conjecturam de cauſa rubeolae proxima potius faciendam, quam nihil omnino dicendum, putavimus.

## NONNULLORUM SIGNORUM RATIO.

Cum cauſa rubeolam continens tanta obſcuritate involvatur, ſignorum ratio difficilius reddatur neceſſe eſt. Quod vero potuerimus, id conabimur. Cum vero multa huic cum aliis morbis acutis ſint communia, quaeque a perſpiratione obſtructa, auctaque vaforum actione, oriantur, ea omnia ſilentio praetermittenda ducimus, et ea ſola, quae morbo magis propria, attingemus.

Reliquis in febribus inflammatoriis acutis lingua fere ſemper areſcit; et hoc haud dubie a calore nimio, ſpaſmoque febrili per omnes partes internas aeque ac externas diffuſo, proficiſcitur. In hac vero ſemper madeſcit, quod Sydenhamium, virum in primis ſagacem, minime fugit. Cum vero plerique hoc morbo laborantes aetatem puerilem nondum ſint tranſgreſſi; namque morbus in aetatem provectiorem rarius differtur, et iis, quam aliis quibus plus aetatis acceſſit, vaſcula exhalantia molliora et apertiora ſint; et igitur humores, quibus os et lingua madefieri ſoleant, liberalius ſecernant; auctorem modo comprehenſum infantes et juniores ſolos ſignificaſſe opinamur. Inſuper, calor rubeolae proprius variolofo minor eſt; et idcirco, refrigerantibus rite adhibitis, et aegroto, quantum alia ſpectat, probe curato, limitibus angu-ſtioribus contineri poteſt, linguamque forſitan exſiccare nequit.

Sanguis ex utero iis mulieribus potiſſimum erumpere conſuevit, quas, menſtruis proventuris, morbus occupaverat. Hoc vero minime mirandum. Namque hoc tempore, cum mulieres nempe menſtruis mox ſunt purgandae, ſanguis in vaſis uteriuis eo uſque congeſtus eſt, ut inde non profundi non poſſit.

Si ſanguinis vomitio accedat, haud dubie a nimia vaſorum ventriculi plenitudine, impetuque ſanguinis adaucto, proficiſcitur. Cur vero haec in rubeola potius, quam in variola, aut quolibet alio morbo febrili epidemice graſſante, evenier, aeque inexplicabile, uti Hoffmannus teſtatur, ac feminii morbi ipſius natura.

Quantum ad puſtularum eruptionem attinet, qui de materia morbifica plurimum ambigunt, eam hic ſubeſſe plane fatentur. Cum autem in humores diffundatur, aegrotus ſer-

vari nequit, nisi haec materia foras expellatur. Natura igitur, quae mortales ab injuriis summa cum cura defendit, et omne nocivum, quod subest, e corpore diligenter expellit, hanc materiam, systemati adeo inimicam, ex eo omni ratione exigere conatur. Pars ejus e corpore excretionibus alvinis, urina, et perspiratione, rursus expellitur. Reliqua infra cuticulam deposita vasculis extremis stimulo est, et actionem eorum adauctam movet, quae tandem ut pustulae oriantur facit.

Quantum ad tussim et dyspnoeam spectat; hae a causa duplice possunt proficisci. Quae materia e pulmonibus constanter exhalat, ea perspirabilem quam maxime reddit. Materiam autem morbillosam e corpore sub hac forma potissimum expelli compertum habemus. Nihil vero obstare videtur, quo minus inde pulmones irritentur, et contractionibus spasmodicis afficiantur. Quinetiam, in historia morbi, diathesin phlogisticam constanter adesse, et cursus sanguinis morbidos ad pulmones facillime fieri posse, supra comprehendimus. Hinc nonnihil inflammationis potest oriri, quod tussim et dolorem, quae conditionem hujusce modi fere comitantur, movere valet. Propter dolorem autem aegrotus non spiritum aeque libere et facile poterit trahere, ac, valetudine commoda substante, consuevit.

*Palpebrae intumescunt.* Materia morbillosa non tantum perspirationem et urinam, sed omnes liquores excretos aliqua ex parte mutare videtur, adeo ut liquor e glandulis lachrymalibus secretus aliquantum acris evadat, et dolorem, tumorem, et secretionem lachrymarum adauctam ductus excernentes stimulando et oculum irritando faciat.

*Sternutatio.* — Haec nonnunquam a motu diaphragmatis convulsivo, sed saepissime ab aliquo stimulo naribus admoto, oritur. Hoc in morbo igitur per mucum, membranam narium internam stimulo adficientem, eam moveri concludimus.

## MORBI EVENTUS.

Si aegroti rite curentur, et contagio non admodum epidemice grassetur, rubeola raro funesta, et nonnunquam adeo mitis, ut auxilium medicinae vix sibi depostulet. Quae finem morbi faustum fore praesagiunt, ea sunt, diarrhoea; magna urinae excretio; sanguinis e naribus, capite aut pectore multum affecto, profusio; sputum liberum copiosumque tussim siccam excipiens; sub diem quartum quintumve ab initio, cutis in squamulas abiens, superficies ejus aspera et quasi furfure conspersa. Homius illustris memoriae prodit signa omnia

ec

eo graviora esse, quo tardior fuerit eruptio, quod nemo ante eum notandum curavit. Pessimum, contra, fore portendunt peripneumonia, potissimum diarrhoeae symptomaticae adjuncta, sudores nimii corpusque digerentes, lassitudo magna, dolores graves fixi papularum eruptionem antecedentes, dolores violenti capitis et oculorum post eruptionem manentes, petechiae; papulae subito et ante tempus retrocedentes, praesertim si hisce succedant delirium vel peripneumonia, extremorum frigoris sensus, inquietudo, devorandi difficultas, tremores, paroxysmi convulsivi et epileptici, papulae faciem lividam et scorbuticam prae se ferentes.

## RATIO MEDENDI.

Consilia autem huic morbo medendi tria sunt: I. Diathesin inflammatoriam tollere. II. Signis catarrhi occurrere. III. Sequelas morbi vitare.—I. Diathesin inflammatoriam tollere. Huic consiliore spondent sanguinis detractio, purgantia, regimen antiphlogisticum.

*Sanguinis detractio.*—Haec est remedium in auxilium diatheseos inflammatoriae, quae in rubeola subest, longe promptissimum. Sydenhamius quidem et alii ea sub initium abstinere consuerunt, ne vasa sanguifera aliqua ex parte deplere papularum eruptionem impediret. Caeterum, observatio quotidiana hoc nunquam incidere; sed, contra, eruptionem papularum ea accelerari testatur. Optimum est, inquit * Meadus celeberrimus, si fieri potest, ad eam, antequam papulae erumpunt, decurrere; si vero jam sese ostenderunt, ab ea nihilominus temperare non convenit. In eandem fere sententiam concessit Professor noster venerandus Cullenus †. Quolibet morbi tempore, inquit ille, vel spatio morbi solito ad finem perducto, tuta est, et tussi, dolore pectoris, et spiritu difficili gravibus, potissimum necessaria esse videtur. Cum papulae jam eruperunt, ea rarius opus est, quoniam per febrim, quae eruptionem comitatur, pneumoniae notae non saepe accedunt, et tussis eo tempore signis infaustis non potest annumerari. Non raro quam plurimum prodest, febri inclinata et tussi post morbum manente. In omnibus denique rubeolae exemplis, ubi nulla adsunt putredinis signa, et ubi non est cur ex indole morbillorum epidemice grassantium eam accessuram esse concludas, sanguinis detractio remedium est, in quo summa fiducia semper collocanda.

*Purgantia.*—Secundum sanguinis detractionem haec signa febrilia efficacissime levant. Caeterum caute adhibeantur;

* Vide Mead's works. † Vide Cl. Cull. prim. lin.

namque, si corpus, dum agunt, frigori nimis libere objicitur, metus est, ne signa catarrhi ingravescant. Quae cathartica potissimum necessaria sunt, ea sunt quae corpus refrigerant, qualia sunt sales medii, tamarindorum decoctum, &c. Haec adeo sunt danda ut alvum modice solvant, et ita stimulus, quo faeces durae redditae systema afficiunt, tollatur. Enemata laxantia, singulis diebus adhibita, utpote quae non tantum ventrem astrictum fundant, sed etiam pueris, qui potum recusant, humorem diluentem sufficiant, hoc in morbo sunt utilissima. Monroius celeberrimus, qui in sententiam longe diversam ivit, se per totum morbi spatium cathartica successu cum prosperrimo adhibuisse refert.

*Regimen antiphlogisticum.*—Hoc non minus in rubeola, quam in reliquis morbis frebilibus, utile. Hic autem, quatenus aer frigidus ad corpora aegrotantium tuto possit adspirare, quaeri potest. De hoc apud medicos optimae notae multum acriterque fuit certatum. Quidam, cum aer frigidus liberaliter admissus in febre, quae eruptionem pustularum in variola comitatur, tantopere prosit, eundem idem in rubeola praestiturum esse sunt opinati. Regimen quidem calidum in hoc, ut in plerisque aliis inflammationem habentibus morbis, summae noxae fore compertum habetur *. Impensius calefacientia, inquit Hoffmannus, cum nimio externo calore, materiam deteriorem ac subtiliorem reddendo, aestum cum anxietate augendo, et vires dissipando, nocent. Licet vero utilitas aeris frigidi in febre †, quae eruptionem papularum in variola comitatur, ut ad usum ejusdem aeque liberalem confugiatur, suadere videatur; catarrhum tamen cursusque humorum ad corporis interiora factos hoc vetare putamus. Multa etenim exempla non desunt, ubi aer frigidus, cur papulae, postquam sese in cute ostenderant, evanuerint, in causa fuit, et multa quoque apud auctores reperiunda, ubi eaedem, calore rursus applicato, in corpore summo apparuerunt. Hoc igitur inducti, nec nimium frigus nec nimium calorem adhiberi debere putamus; namque "in medio," uti Ovidius ait, "tutissimus ibis." Corpus in modica temperie per totum morbi decursum habendum. Namque aerem frigidum in casu, quem apud Nosocomium Edinense offendit, liberaliter absque successu adhibitum fuisse, refert Homius illustrissimus. Cibus animalis constanter vitandus, vegetabilis potissimum adhibendus. Potio modice calida et dilutior sumenda; sed frigida et omnia acida, utpote quae tussim adaugeant, fugienda. Liquores mucilaginosi reliquis praestant.

* Vide Hoff. Tom. II. cap. viii. p. 64.
† Vide Cl. Cull. prim. lin.

II.

II. *Signis catarrhi occurrere*—Quae remedia huic consilio respondent, ea sunt emetica, opiata, stimulantia, epispastica, et balneum calidum, potiusve tepidum.

*Emetica.*—Haec in rubeola in primis necessaria sunt; namque vi sua antispasmodica spasmum arteriis illatum solvunt, cursum humorum cutem versus faciunt, spatium spasmo vasculorum exhalantium magna ex parte suppressum liberius efficiunt, et impetui humorum ad trachearn, laryngem, et bronchia facto obsistunt. Horum autem ex antimonio praeparata, potissimum tartarus emeticus, sunt optima. Portiunculis, quae nauseam moveant, data, et diaphoresin et alvum movent. Per febrim, quae eruptionem comitatur, danda. Non raro, vomitione ad finem perducta, eruptio copiosa se ostendit, tussis levatur, et tertio post eruptionem die omnia signa decedunt. Sanguis vero, ne, propter diathesin inflammatoriam, affectus loco proprii vomitionem excipiant, praesertim si pulsus arteriarum nec molles nec parvuli sint, prius mittendus.

*Opiata.*—Haec haud dubie, cum tuto possunt adhiberi, tussim efficacissime levant, et plus forsitan in rubeola, quam quolibet alio morbo, prosunt; cum non tantum tussim leviorem reddant, sed quietem somnumque, quod ad vires reficiendas magnopere confert, aegroto comparent; sed etiam febrim minus concitatam efficiant, et spasmum vasorum extremorum solvendo, ad materiam morbillosam foras expellendam non parum conferre videantur. Sydenhamius * ut opium singulis noctibus daretur suasit. Quinetiam vir celebris † Dr Young, in libello, quem de opio conscripsit, verba sequentia habet: "Nonnullos," inquit, "pueros tussiendo adeo defatigatos, ut maculae maturius justo pallescerent, et succumbere morbo natura jam inciperet, opio semel dato, brevis horae spatio in melius restitutos, dolores consopitos, maculas evanescentes revocatas, oculorum vividam gratiam reductam, voci tonum salutarem et matri spem amissam rediisse, videre mihi contigit." In exanthematis, irritantis acrimoniae, per systema diffusae, effectibus obviam eundo, tussim in rubeola praecipue levando, et somnum conciliando, opiata caute data utilia esse possunt. Semper autem vi febris ingente, et dyspnoea valde molesta, pernicioса sunt.

*Epispastica.*—Haec plurimum prosunt, cum magna humorum acrimonia subest, et oculos, nares, fauces que adficit. Si papulae subito evanescant, pulsusque arteriarum parvuli et exiles evadant, epispastica ad eruptionem restauraudam quam optime accommodantur. Caeterum, si pulsus pleni et duri

* Vide Syden. op. † Vide Young, p. 155.

sint

ſint, et papulae ſubſidant, ſanguinis detractio illis praeſtat. Miſſio ſanguinis et epiſpaſtica per ſtatum hujus morbi inflammatorium utiliſſima ſunt, cum tuſſis moleſta ſputumque difficile, cum non ſolum ad ſigna catarrhi tollenda, ſed etiam ad actionem ſyſtematis ſanguiferi imminuendam, plane conferant.

*Balneum calidum.*—Hoc autem relaxat, tenſionem ſyſtematis minuit, et eruptionem tarde ſeſe oſtendentem accelerat. Caeterum, ſumma cura, ne calor aquae corporis humani ſani proprium excedat, nunquam non adhibenda.

Si vero rubeola, ut Londini annis 1763 et 1768 * incidit, ad putredinem vergat, ratio medendi non parum mutanda. Detractio ſanguinis multo minus liberalis eſſe, et non tam ſaepe reiterari debet. Brevi poſtea ad refrigerantia et lenia antiſeptica confugiendum. Cubicula, ubi aegroti decumbunt, ſpatioſa et a calore nimio immunia ſint. Potio communis ſit decoctum pectorale, cui aliquantum ſimplicis oxymellis, vel decoctum hordeaceum, cui aliquantum aceti acceſſit. Si cutis admodum arida, inquietudo admodum magna, et omnia ſigna gravia, aegrotus in aquam tepidam, non abſque commodo, poteſt demitti. Si ſpiritus gravis et oppreſſus ſit, in auxilium hujus prompta ſunt epiſpaſtica. Quamprimum vero ſigna debilitatis ſeſe oſtendere, et proclivitas ad putredinem evidens et manifeſta accedere incipiunt, ad vinum et decoctum corticis Peruviani protinus decurrendum. Si uſus corticis Peruviani ſpiritum difficiliorem, quod nonnunquam accidit, efficiat, in locum ejus radicem ſerpentariae Virginianae, quae quidem multo minus prodeſt, ſubſtitues. Hiſce et omni alia denique ratione contra putredinem, hoſtem haud dubie formidoloſum, conſtanter et enixe pugnandum.

III. *Sequelas morbi vitare.*—Quae vitia hunc morbum potiſſimum ſubſequuntur, ea ſunt affectus pneumonici. Hiſce, uti optimi auctores teſtantur, modicis et ſaepe reiteratis ſanguinis detractionibus; epiſpaſticis, diaphoreticis, et omnibus aliis quae curſum humorum a pulmonibus ad partes externas faciunt, et regimine antephlogiſtico conſtanter adhibito, occurrere pro virili conandum. Quinetiam, ſequelas hujus morbi periculoſas vitandi conſilio ad inſitionem rubeolae decucurrit Homius illuſtriſſimus †, opinione Monroniana, rem bene ceſſuram eſſe aliqua ex parte inductus. Auſum quidem laudabile, et ad felicitatem mortalium conſervandam et provehendam, in primis accommodatum! Tredecim experimenta inſtituenda curavit, quorum pleraque votis reſpondernnt. Morbum autem per ſila xylina, ſanguine rubeoloſo intincta,

* Vide Medical Obſervations and Inquiries.

† Vid. Cl. Home, Med. fact.

et

et in inciſiones brachiorum eorum, quos morbo erat objecturus, demiſſa, excitare conſuevit, et omnia ſigna morbum praecedentia, comitantia, ſubſequentia multo leviora eſſe, quam cum morbus ſponte accedit, compertus eſt. Namque nec febris concitata, tuſſis moleſta, inquietudo, notae inflammationis graviores, rubeolam inſitivam comitata ſunt; nec eandem, uti ſolent, ſubſecuta ſunt ophthalmiae, tuſſis indomita, febris hectica, pulmonum ulcera. Haec igitur inſitionis pericula a viro jure quidem celeberrimo, cum ſucceſſu tam proſpero facta, aliis debent ſuadere, ut idem quam plurimis in exemplis, in commodum generis humani, conentur.

---

## DE SCARLATINA.

HUJUS morbi definitio eſt, "Synocha contagioſa: Quarto morbi die facies aliquantum tumens, ſimul in cute paſſim rubor floridus, maculis amplis, tandem coaleſcentibus, poſt tres dies in ſquamulas furfuraceas abiens *." Licet quovis anni tempore accidere poſſit, ineunte tamen hieme praecipue ſe oſtendit, populariter, et prae caeteris inter infantes, graſſans. Cum frigore febrili et aliis febris inflammatoriae ſymptomatis incipit. Tertio vel quarto die primum vultus et cervicis, dein reliquum paulatim corpus, inferiora uſque extrema, maculis parvis rubris interſtinguitur, crebrioribus et multo latioribus, magiſque rubentibus, at non perinde uniformibus, ac ſunt illae quae morbillos conſtituunt. Tum cutis univerſa rubet, quaſi vino rubro tincta. Ad diem tertium aut quartum eruptio perſtat, ſine ulla febris remiſſione; tandemque cuticula in majoribus ac minoribus fruſtis deſquamatur, ac ſimul pruritus aegros vexat. Quo tempore febris per ſudorem ſolvi ſolet. Paucis diebus aliquando anaſarca corpus occupans cito plerumque abit.

Semper fere cum angina occurrit, ante eruptionem prodeunte. Haec a gangraenoſa dignoſcitur eruptione majore et latiore, deglutitione vulgo difficiliore, puris ulcerum ſpecie meliore, et haec operientium cruſtarum candidiore colore, deſtillationeque ubi coryza forte adſit multo minus acri et foetente.

Morbus anginae expers medicinae auxilio vix eget. Adminiſtratio antiphlogiſtica, aeris frigidi uſu excepto, et in ſcar-

* Cull. Gen. Morb.

latius

latina cum angina etiam gargarisinata detergentia sufficere solent. Emetica, dempto anginae metu, ita data, ut, praeter vomitum, nauseam moveant, maxime si alvum simul aperiunt, dare convenit. Sanguinis detractionem, in aetate praecipue adulta, febris vis quandoque requirit. Quod si morbus ita anceps sit, ut a cynanche gangraenosa difficile discernatur et typhi speciem praebeat, is omni ex parte pro cynanche gangraenosa habendus et tractandus est.

---

# DE CATARRHO.

*AUCTORE J. NANKIVELL.*

## HISTORIA MORBI.

CATARRHUS affectio est, aut primaria idiopathica simplex, aut symptomatica, aut aliis morbis conjuncta. Paginis sequentibus idiopathicam solum quam brevissime exquirere placet; quoniam caeterae, tantum differente de earum morbis primariis, apte tractari possunt.

Regionibus in frigidis, coeloque vario obnoxiis, maxima ex parte, saevit catarrhus. Aliquando sporadicus, aliquando etiam contagiosus, et, prae omnibus aliis morbis, epidemice vagatur: Tametsi alii quidem morbi contagiosi plagas diversas transeant; catarrhus autem longius latiusque illis in terra grassatur. Ita sub finem 1732, et ad initium 1733, totam Europam, magnamque Americae partem, pervasit *.

Sexus utrumque, omnem aetatem, cujuscunque temperamenti, firmos aeque ac debiles, delicatos teneroscque autem facilius et frequentius, catarrhus invadit.

Catarrhi initium languor, lassitudo, horroresque corpus, mentem hebetudo, plus minusve irreptantia, plerumque comitantur: Haec postea excipiunt calores; gravitas capitis vel dolor; nares farctae aditum aeris impedientes, ex iisque humoris, primum tenuis, postea crassescentis, perpetuum stillicidium; nonnunquam sternutatio, et oculorum, quasi distentorum, rubor, lachrymarumque fluxus; faucium, ut in cynanche, rubedinis, caloris, et colli intumescentiae aliquantum; tracheae siccitas et asperitas; vox rauca; tussis molesta, primum sicca, tunc humescens, tandem mucum copiose ejiciens:

* Med. Ess. vol. xi. art. 2.

thoracis

thoracis aliquando conſtricti ſenſus, cum dolore maxime ſub ſterno. Febris, haecce ſymptomata comitata, veſpere plerumque exacerbatur, et ſomnus, ſaepe ad mediam noctem uſque praepeditus, nunc demum aegro, jam ſudaturo, obrepit. Plerumque pulſus eſt durus, plenus; appetitus proſtratus; alvus adſtricta; urina rubra; et "ſanguis miſſus, jamque concretus, ſuperficiem coriaceam albam oſtendit."

Hiſtoriam jam traditam perpendenti propria et aptiſſima videbitur Profeſſoris noſtri ſequens

## DEFINITIO.

* "Pyrexia ſaepe contagioſa; muci ex glandulis membranae narium, faucium, vel branchiorum excretio aucta; ſaltem hujus excretionis molimina." Haecce enim definitio, ab eodem praeclaro viro, ſub ordine Profluviorum, claſſeque Pyrexiarum, collocata, ſatis characteriſtica, diagnoſtica, et eouſque hiſtoriae compendium utile eſt.

Quod ad fines morbi. Qui valetudine integra ante gaudebant, et quibus ſymptomata minus violenta ſunt, fluxu muci ſpiſſeſcentis gradatim imminuto, febre et aliis ſymptomatis paulatim remotis, cito optimeque convaleſcunt; et hoc modo morbo decedente, ſcabies nonnunquam ad os et nares erumpit. Aliquando, cauſa potentiori, ſymptomatiſque violentioribus, in cynanchen, aut in pneumoniam, et nonnunquam, praeſertim in ſenibus, in peripneumoniam nothan, tranſit. Catarrhus haemoptyſin praediſpoſitis excitat; gravior denique, diutius manens, jamque ſaepius renovatus, phthiſin ipſam pulmonalem progignere vulgo dicitur.

## DIAGNOSIS.

Initio vix ſine dubio praejudicare poſſumus, an morbus vel catarrhus, vel rubeola, vel pertuſſis ſiat. Si attamen aeger ante rubeola non tentatus fuiſſet, ſi in ſtatu ſano juxta rubeola epidemica laborantes ſe conſtitiſſet, et ſi ſternutatio, oculorum diſtenſio ruborque, lachrymarum fluxus, et anxietas magis, quam in catarrho plerumque, invaleſcant, rubeolam adeſſe credibile eſt; et paucis praeteritis diebus eruptiones omnem dubitationem tollunt. Iterum, ſi, cum pertuſſis epidemica ſit, aegrum puerilem pertuſſi jam ſemel non affectum fuiſſe cognoſcamus, et praeſertim ſi modus inſpirandi protractus convulſionis ſpeciem ferat, intervalliſque temporis longioribus redeat, exſpectanda eſt pertuſſis.

* Cull. Gen. Morb.

Incipiente phthiſi pulmonali, aliquando dignoſcere vix poſſumus, an adſtet catarrhus, an phthiſis, quod maximam ſimilitudinem inter ſe habent. Quoniam autem maximi ſit momenti, ut mutuo clare diſtinguerentur, ſigna diagnoſtica praeſcribere operae pretium erit. Imprimis phthiſis incipiens, per tuſſim breviorem, ſicciorem, obſcuriorem, et conſuetudine minus obſervatam, quam aeger frigori non attribuit, etſi ab eo auctam eſſe ſentiat, a catarrho diſcriminatur; praecipue ſi aegro ſint labes phthiſica haereditaria, habitus ſcrophuloſus, collum longum, mala thoracis conformatio, cumque temperamento ſanguineo. Item, catarrhum protractum, mucum vitiatum rejicientem, a phthiſi diſcernere neceſſe eſt. In phthiſi, febris eſt major, ſpiratio praeſertim ad corporis motum difficilior fit, dolores thoracem infeſtant, et ſputo jam purulento apparente, febris hectica, diagnoſticum phthiſeos minime fallax, tandem invadit: Haecce febris, paroxyſmis aliquibus circa meridiem, veſperem, ad horam octavam ſcil. et mediam noctem, exacerbatur; meridionalis praecipue ob cibum aſſumptum ingraveſcit, et in omnibus tuſſis ſitiſque magis vexant: Lingua ſordis eſt expers; vaſis tunicae oculi conjunctivae diſparentibus, tunica ſplendore quaſi candet; ſudores per noctem praecipue circa caput et collum plerumque effunduntur.

His animo attente notatis, de morbi adſtantis natura nil dubitare poſſumus: Sed quoniam ſputum, ut jam diximus, parum mucoſum, et potius purulentum in phthiſi apparet, et medici, ut bene ſciat an ſputum, optimum diagnoſticum, vere mucoſum an purulentum ſit, ſupremum debet eſſe votum; inter pus igitur et mucum diſcrimen haud alienum erit affectare. Quidam mucoſum eſſe ſputum, quod aquam ſupernatat, purulentum autem, quod imam petit, exiſtimarunt: Sed hoc experimentum fallere poteſt; nam harum mucus partium, quibus aer non admiſſus fuit, urethrae ſcilicet, ventriculi, aliarumve, et pulmonum quidem, aere prius educto ipſorum, in aqua ſubſidet *: Inſuper, ſatis conſtat, pus et mucum ita inter ſe cumque aere commiſceri poſſe, ut ſuper aquam facile ferantur. Alii diſcrimen inter ea, ſatis firmum ex qualitatibus ſputi ſenſilibus oriri, putarunt. Siquidem vero, antequam catarrhus ipſe vulgaris finitur, color varius pallidus nempe, flavus, fulvus, coeruleus, vireſcens evadat minimi ideo in hac re ponderis eſt color. Neque ſapor ſputi multum refert; alteri enim dulcis, alteri ſalſus, tertio ingratus ineffabilis, videtur; et forſan diſcrepantia haecce magis ſenſu guſtus depravato, quam qualitatibus ſputi permutatis

* G. Fordyce diſſ. med. inaug. Edinenſ. De Catarrho, 1758. p. 15. exp. 16.

pendeat

pendeat. Ex odore insuavi, sputo ipso, aut prunis superimposito, oriente, nonnulli rem adjudicant: Si odor ex sputo ipso oriatur, suspicionem dat, ex pure, a vomica pulmonum jam rupta, ejecto, evenire; sed si ustio muci, vel puris, foetorem gignat, quid mirum, cum et pus et mucus corpore in animali procreantur? Denique, sputi tenacitas signum satis commodum praebere putatur; pus minus firmiter cohaeret, lacerius est, et facilius per aquam disjici vel diffundi potest. Praeter haec, excerpta quaedam ab experimentis, rem procul dubio collocantibus, a juvene ingeniosissimo, Carolo Darwin, meo, paucis abhinc mensibus, collega carissimo, nunc eheu! vita defuncto, captis, mihi impertitis, Societatis Aesculapianae Edinensis causa susceptis, pro quibus praemium ex ea, merito laudatus, acquisivit, subjicere licet.

1. Acidum vitriolicum mucum facilius, et pus aegrius solvit: Illius solutioni aqua addita, sejunctus mucus vel supernatat, vel floccos nubilos format; hujus autem, vel pus imum petit, vel agitatione diffusio ejus uniformis turbida fit. In acido vitriolico aqua diluto pus, sed non mucus, diffundi potest. Idem quoque, in aqua simplici, et in salis marini solutione, accidit.

2. Vitriolicum acidum forte, vel aqua dilutum, lympham coagulabilem non solvit.

3. Acidum nitrosum pus mucumque solvit: Aqua, puris solutioni addita, hoc praecipitat, et pars liquoris superior viridis, sed pellucida, fit; muci autem, fluidum turbidum format.

4. Lixivium alkalinum causticum mucum, quoddam post tempus, quoque pus plerumque, solvit: In solutione muci aqua addita nullam edit commutationem; pus autem praecipitat. Si quidem lixivium alkalinum pus unquam non solvat, verumtamen, cum ejus in aqua diffusionem inhibeat, inter pus ideo et mucum discriminare jam tum inserviat.

5. Seri, per lixivium alkalinum, solutio aqua addita non afficitur, nisi post longum tempus, et tunc sedimentum levissimum demittitur.

6. Mercurii sublimati corrosivi solutio fortis mucum, sed non pus, coagulat.

His igitur apte stabilitis, acidum vitriolicum, aqua dilutum *, pus a muco bene distingnere, lympham coagulabilem simplicem effusam, eodem modo, a pure separari posse, et lixivium alkalinum causticum cum aqua, an pus adsit, an quoque liquor quisquam sit, vel pus, vel serum, ostendere, liquet.

* Mixtura aquae et acidi a C. Darwin ipso usurpata, hujus guttae quinquaginta, illius unciae duae, fuit: Sed tali restrictione, ut mihi dixit, non opus est.

Et hinc, si quis naturam sputi recte cognoscere velit, solvat portionem ejus unam acido vitriolico, alteram lixivio alkalino causticо; quibus solutionibus addat aquam purissimam, et si in singulis vera praecipitatio eveniat, pus adesse; si nec sit in una, nec in altera, praecipitatio, mucum sincerum esse, certo sciat; si denique, lixivium alkalinum, massulam, certo tempore, et agitatione, non solvat, purulentam esse suspicari liceat *.

## CAUSAE REMOTAE.

Causae remotae sunt, aut frigoris applicatio, aut contagio.

Frigus corpori humano applicatum, pro diversis circumstantiis, multimodis operatur. Catarrho in creando, praecipue vi astringenti, perspirationem supprimenti, ejusque materiam, ad glandulas faucium et bronchiorum mucosas, dirigenti, agere videtur. Sed tales effectus non semper producit; et ideo, quibus in circumstantiis maxime pollet, nobis statuere necessarium est.

Hae circumstantiae duorum generum, frigoris scilicet applicati, et personae, cui applicatur, conditiones quaedam, sunt.

Conditio frigoris applicati *prima* est, gradus vel intensitas. Si ex duobus inanimatis corporibus contiguis, unum, nempe A, frigidius sit altero B, temperies hujus certa ratione minuetur, prout frigiditas illius major sit. Hoc tamen, nec semper, nec eodem modo in corpore humano accidit; nam, ut corpus humanum vim caloris generandi in se possidet, si corpora temperiei inferioris ei perpetuo adhibeantur, vis haecce calorem ejus usque ad grad. therm. Fahrenh. 98. sustinere quit; et in regione Britannica, monente Professore nostro egregio, corporis humani calor, frigidioribus applicatis non multum, saltem non diu minuitur, nisi horum temperies infra gradum 62. ejusdem therm. descendat. Frigus ergo ex aere, aliisque, humano corpori communicatum, cum gradu frigoris illis in corporibus non semper respondet; nec omnino minuitur, nisi gradus frigoris eorum minor jam dicto sit: Et inferiores gradus solum, calorem corporis humani diminuendi vim ad gradum adhibitum respondentem, possident.

Sed hic observandum est, corpus humanum, sine ulla ejus temperiei dintina imminutione, frigus saepe afficere: Creat enim sensationem, et ita effectus haud parvos, qui, sub diversis

* Eadem pericula ab aliis iterata votis haud omnino responderunt. A multis autem, quae Dr Broughton, vir ingeniosus, fecit, et Societati Medicae nuper impertivit, pus a muco per sequentia optime distingui posse sibi persuasum est. 1. Si sputum aqua mistum et agitatum nil mutetur, pro muco sincero habeatur; at si aqua turbida fiat, aliquid puris adesse constat. 2. Si sputum in parte aequali lixivii causticі penitus solvatur, mucosum omnino, si autem visciditas evadat, ovi albuminis simile, purulentum pro certo habendum est.

frigoris

frigoris applicati gradibus, pares fieri poſſunt. Frigoris, uti quaeque alia, ſenſatio non prorſus eſt, ut vis impreſſionis abſoluta; ſed acutior aut levior, ſicut, quibus corpus humanum proxime ante verſari ſolebat, impreſſionibus, acutior eſt aut levior *. Sic idem temperiei gradus nunc frigidus, nunc calidus, eſt; et uni parti corporis frigidus, dum, eodem tempore, alteri calidus, ſit. Effectus igitur frigoris, ſenſationem creantis, gradu non ſemper, ſed tantum quatenus a temperie ſuperiori ad inferiorem mutata, pendeat. Et hinc frigoris applicati conditio *ſecunda*, in corpus humanum agere praeparans, ex ſuperioris temperiei, ad inferiorem, ſubita mutatione, et magna, oritur.

Frigoris applicati conditio *tertia* eſt ejus continuatio. Etſi frigus infra 62. grad. applicetur, et brevi tantum, totius corporis partem exiguam afficere poteſt: Et dum vis calorem generandi eadem manet, actione frigoris ceſſante, calorem partis affectae cito reſtaurabit; praecipue fluida calida in eam ex interioribus infundendo, dum fluida, ad ſuperficiem, jam refrigerata, in vaſa interiora redeunt, et ſic calorem recuperant. Inde patet, frigus, per quoddam temporis ſpatium, applicari, quo effectus diuturnos in corpus humanum gignat, neceſſarium eſſe. Et humiditatem, corpori applicatam, hoc modo tales edere effectus, veriſimile eſt: Nam ut humiditatis in vaporem converſio ſemper frigus generat, ita, ſi humiditas applicata corpore ipſo aliquanto frigidior ſit, ejus in vaporem converſio gradum frigoris adhuc majorem producet, quod, ſi diu applicetur, uti per veſtes humidas, &c. effectus diutinos notabileſque praebebit: Et huic experientia hominum prorſus conſentiens eſt; etſi exempla humidis veſtibus indutorum non deſunt, in quibus, ob alia conjuncta, effectus iſti non apparuerunt.

Frigoris applicati conditio *quarta* ex eo naſcitur, quod continuo aeris afflatu advectum ſit. Corpus humanum calida perpetuo emittit effluvia, quae aera vicinum calefaciunt, et ſic atmoſphaeram, aera frigidum arcentem, formant; et hoc modo ſaepe fit, ut corpus aeri frigido expoſitum, nullos effectus ſubit: Sed ſi continuo aeris afflatu atmoſphaera calida abigitur, frigus ſtatim propius accedit; et, prout gradus, potentius eſt: Fortaſſe quoque, humiditate, de ſuperficie corporis evaporata, frigiditatem augente, aeris afflatus majora efficit.

Frigoris applicati conditio *poſtrema* eſt, aeris afflatus in unam tantum corporis partem directus, aut frigidum quodvis aliud uni tantum parti applicatum, dum reliquum corporis conſueto calore manet. Hujuſmodi applicationis effectus vix ulli ignotus eſt; cujus hoc videtur eſſe cauſa, quod conſtrictio

* Vide Cullen's Phyſiology, § xliii. liv.

vaſorum,

vaſorum, frigore ſpaſmum inflammatorium gignente, parta, potiſſimum obtinere apparet, cum frigus, ad vaſa fluidis expanſis repleta, applicetur; ideoque, frigore uni parti tantum admiſſo, dum reliquum corporis ſolito calet, vaſa ejus partis, per fluida, utpote e partibus calidioribus provenientia, rarefacta, continuo diſtenduntur; et ſpaſmum inflammatorium, ex libramine ſolidorum conſtrictionis, et fluidorum expanſionis, inaequabili, ſaepe oriri, multa phaenomena monſtrant.

Conditio hominum, quibus frigus applicatur, eoſdemque frigoris injuriis magis obnoxios reddens, eſt debilitatis ſtatus, quo circulationis vigor ad corporis ſuperficiem minuitur; et ideo vaſa ibi facilius conſtringuntur, et excretio illorum ſupprimitur.

Haecce debilitas, quae pro catarrhi *feminio* haberi poteſt, vel congenita vel adſcita, eſt. Teneri igitur et imbecilli habitus homines, iique praeſertim, qui, vel ex labe haereditaria, vel ex conformatione innata, in phthiſin proclives ſunt, frigore et catarrho ſaepius afficiuntur.

Unumquemque autem, ob occaſionales debilitatis cauſas quaſdam, iiſdem impeti, vulgo obſervatur. Ita e morbo diutino convaleſcentes, aut quoquo modo prius morbo labefactati; tum exinanitionibus largioribus, jejunio protracto, pervigilio, lucubrationibus nocturnis, venere nimia, compotatione, aut pathematis denique ſedantibus, debilitati, frigore, et idcirco catarrho facile corripiuntur.

Ob ſimilem cauſam, homines dormientes, ſi non bene obtegantur, frigoris noxam ſaepe patiuntur; item ſedentarii, et cameras calidas frequentantes, tum ob debiliorem eorum ſtatum, tum ob varias temperiei, cui objiciantur, mutationes, frigore ſaepiſſime afficiuntur.

Hactenus de frigore, quatenus catarrhi cauſa remota, diximus: Et nunc de alia ejuſdem cauſa remota, contagione ſcilicet, dicendum eſt.

Contagionem hujuſmodi cauſam eſſe, abunde conſtat: Catarrhus enim, nulla frigoris actione prius adhibita, in hominibus ſaepe exoritur; et ex eo tantum, quod hi apud alios, catarrho laborantes, verſati ſint. Et inde catarrhus morbi epidemici latiſſime graſſantis ſpeciem ſaepe exhibuit; ut ab hiſtoria hujuſmodi epidemicorum in Synopſi Noſologiae Methodicae recenſitorum ſatis patet.

Quae hujus contagionis natura propria ſit, qua in regione, aut quando primum exorta ſit, vel quomodo ſubinde oritur, ſi revera quavis occaſione oriri queat, plane neſcimus. Profecto quae ad hanc contagionem pertinent, quam quae ad pleraſque alias contagiones, morbos epidemicos gignentes, nihilo melius intelligimus: Et nihil fere de pleriſque earum praeter

praeter effectus quosdam revera novimus. Utrum contagio, catarrhum gignens, perspirationem cutaneam supprimendo, uti frigus, operetur, an sanguini immista, vel natura sua ad glandulas faucium et bronchiorum mucosas deferatur, vel ad haec organa stimulanda, specialiter idonea sit, adhuc dubium videtur.

## CAUSA PROXIMA.

Ex symptomatis causisque catarrhi remotis, jam recensitis, causam ejus proximam in humorum ad glandulas mucosas faucium et bronchiorum affluxu aucto, materiam simul hasce glandulas stimulantem, et in iis aliquid status inflammatorii praebentem, illuc deferente, consistere verisimile videtur.

Haec materia, vel illa per contagionem supra memoratam immissa, vel ipsa materia perspirationis cutaneae retenta, et ad pulmones delata, esse queat: Probabile enim est, in homine sano partem materiae, quam excretione insensibili corpus fere perpetuo emittit, ex interna pulmonum superficie exhalere; et forsan ejusdem indolis excrementitiae, quam materia per cutem transiens, esse. Cum perspiratio igitur cutanea quoquo modo impediatur, partem materiae, quae hac emitti deberet, ad alteram excretionem, scilicet pulmonalem, deferri; et jam simul abundantiorem et acriorem inducere statum inflammatorium, et alia, quae in catarrho locum habent, concludere licet. Verisimile quoque est, secretionem et excretionem muci, praeter solitum citatam, eundem acriorem et magis stimulantem, effundere.

Causa proxima ita explicata, singulorum symptomatum rationem specialius reddere hic non omnino necessarium esse putamus; et ad prognosin ideo statuendam nunc progredimur.

## PROGNOSIS.

Catarrhus, sive frigore, sive contagione, exortus, maxima ex parte, nec violens, nec durabilis, nec periculosus, est; sed plerumque sponte, absque quoquam medici auxilio, cito desinit. Finis hujusce optabilis, appetitus adhuc vigens, pyrexia, indiciumque inflammationis minus notabilia, spiratio sat commoda, et muci, citius ex tenui, spissioris et uberioris excretio, signa sunt.

Res autem nonnunquam longe aliter se habet; catarrhus nempe, ut in historia allatum est, nunc refert cynanchen, quam "pyrexia, rubor, et dolor faucium, deglutitio vel spiratio difficilis, et angustiae in faucibus sensus," indicant; nunc pneumoniam,

pneumoniam, quam ſupervenire, diatheſis phlogiſtica, pyrexia, tuſſis, cum ſputo vel panciori vel copioſiori, dolores ſtricturaque circa pectus, et ſpiratio decubituſque plus minus difficiles, monſtrant. In quibuſdam, et praeſertim in ſenibus, peripneumoniam aliquando notham inducit, quam, tum adeſſe, quum inter alia " dolet," ut inquit Sydenhamius, inter primos, quos novimus, morbi hujuſce annotatores, " et thorax omnis, vel ſaltem pulmonum coarctatio adſtantium auribus percipitur quoties tuſſit aeger, pulmone non ſe ſatis dilatante, praecluſus adeo ab intumeſcentia, ut videtur, meatibus vitalibus; unde intercepta circulatione, ſanguineque quaſi praefocato, nulla fere, praeſertim in habitioribus, febris indicia ſunt *," ſuſpicamur. Aliquando hic morbus ſubito et fataliter terminat; quod ex fluido ſeroſo in bronchia effuſo provenire videtur; qui, pneumoniae, inter alios, nonnunquam eſt finis †. Haemoptyſi, per plethoram arterioſam, aliave, praediſpoſitis, cum hanc facile excitet, quoque periculoſior eſt. Denique gravior, diuturnior, neglectus, aut ſaepius renovatus phthiſin pulmonalem creare videtur; quod fortaſſe tum eveniat, cum, glandulis pulmonum mucoſis, ſanguinis in hiſce affluxu et congeſtione, ad copioſiorem ſecretionem, ſtimulatis, et muco inde ad partes deſignato defendendas, abluto, membrana, fluidis nimia copia ſecretis, irritatur, inflammatur, et tubercula formantur: Sed equidem huncce effectum eſſe rariorem cenſemus, et num catarrhus phthiſin pulmonalem gignere tam crebro queat, quam vulgo putatur, dubitamus; quibus, obſervatio communis, quod aeſtivus catarrhus periculoſior ſit, quam hiemalis, ſuadet: Si enim ante catarrhi acceſſum aeger valetudine integra gaudebat, medela ejus, tum maxima ex parte quam mitis morbi, facilius in aeſtate, quam hieme, ut methodus medendi clare probat, expeditur; ſin aliter accidat, glandulas pulmonum prius obſtructas et tumefactas, vel tubercula, adhuc latentia, catarrho ſuperveniente, incitari, inflammari, ſuppurari; et exinde obſervationem illam vulgarem oriri, veriſimillimum eſt.

## METHODUS MEDENDI.

Catarrho, ſive ex frigore, ſive ex contagione, proveniente, ſymptomata, effectus, cauſamque adeo veriſimiliter proximam, ut vidimus, eadem exhibente, bene perſpecto, indicationes curatoriae ſequentes commode exoriri videntur, ſcil.

* Op. univerſ. ſect. vi. cap. 4.
† Conf. Prim. Lin. Cull. vol. 1. § cccxxxix. cccxl. cccxli. cccxlii.

I. Di-

I. Diathesin phlogisticam tollere.

II. Sanguinis congestionem e membrana Schneideriana, faucibus et bronchiis auferre, et perspirationem restituere.

III. Irritationem ex muco jam acri ortam lenire.

I. *Diathesis phlogistica tolli* potest, 1*mo*, Regimine Antiphlogistico; quod, stricte ita dictum, irritationes quasdam, quae gradu majori minorive corpus fere semper adficiunt, nempe, impulsus in sensus externos, praesertim calorem; exercitationem corporis vel mentis; sitim; irritamina in viis dictis primis; acrimoniam fluidorum arcendo seu levando, absolvitur. 2*do*, Medicamentis sedantibus, aere, videlicet, non nimis calido, et refrigerantibus, ut acidis, acescentibusque, salibus neutris, &c. 3*tio*, Evacuantibus, praecipue missione sanguinis, ea quantitate, quae, symptomatis, aegrique aetati, sexui, viribus, temperamento conveniat; et alvum moventibus.

Quoniam autem diathesis phlogistica, vel febris, ut plurimum minus equidem notabilis est, vix aliud ad morbi curationem plerumque requiritur, nisi quod aegrotus ab alimento ex animalibus confecto abstineret; viceque ejus victum tenuem, blandum, ut lac vel olera leguminaque, sumeret; et, ad perspirationem jam obstructam restituendam, diluentibus, cubilique, si opus sit, calidiori solito, uteretur. Rem ita se habere, verba, L. B. observatoris sagacissimi fidelissimique Morgagni, ausculta: "Ac me quidem," de catarrho epidemico loquitur, "ilia eadem quam mox dicam, facili ratione percuravi, qua tunc solebam si quando hieme catarrhalis febricula prehenderet; a qua me postea, meosque tunc etiam cum quasi epidemice recurrit, plures jam annos servavi, ex quo in quotidiano hiemali caena haud aliis herbis ad acetariam utimur, quam cocta brassica. Scilicet ad prima suppressae insensibilis perspirationis, et ineuntis febris indicia, bene opertus decumbebam, tutissimoque omnium remedio utebar, perpauco alimento, eoque fluido, mane autem diluti juris unum aut alterum vasculum calidi, ut omnia, bibebam, quietusque expectabam dum per cutem, aut per vesicam, aut per hanc utramque prodiret viam; tunc porro tertium et quartum addebam. Sic febris cito se remittebat, neque ita multo post abibat, nisi forte intempestive surgere auderem, et corpus necdum satis confirmatum novis aeris injuriis objicere*." Sed ne propositum praeoccupetur, jam ad reliqua pergamus.

II. *Sanguinis congestionem e membrana Schneideriana*, &c. *auferimus, et perspirationem restituimus*, 1. Vesicatoriis;

* De Sed. et caus. morb. L. 1. Ep. 13. Art. 4. p. 98.

quae, vi antiſpaſmodica, cauſam perſpirationis defectus praecipuam adeo tollente, gaudentia; dolorem, ſi ſint prope admota, mitigantia; et circulationem aequabiliorem reddentia, congeſtionem ideoque quadantenus ſolventia; huic ſcopo bene inſerviunt. 2. Emeticis, vel vomitum, vel nauſeam tantum, moventibus; quae, ex conſenſu inter ventriculum et cutem, quam maxime eſſe antiſpaſmodica, ad aequabiliorem reddendam circulationem, inque ſuperficiem fluida corporis dirigenda, magnopere valere, nemini latet. Horum antimonialia, et praecipue tartarus emeticus, maxime arrident. 3. Eôdem modo agentibus, pediluviis et diaphoreticis ſudorificiſque mitioribus; qualia ſunt infuſio ſalviae, ſales neutri; et pulvis Doveri, ſi fortiora velimus; ſingula, cum liquorum hauſtulis aquoſorum tepidorum ſaepe repetitis. 4. Frigoris applicationem vitando, et aegrum in modico aequabili tepore, diaphoreſin promovente, ſervando.

III. *Irritationem ex muco jam acri ortam* medicamentis demulcentibus, blandis, faucis, laryngem, oeſophagum, aliaſque partes, in tranſitu lubricantibus, *lenimus*. Hujuſmodi maxime arridentia ſunt praeparata ex hordeo, ſagone, radice orchis moraeae, gummi Arabico, vel tragacantha, ſemine lini, althea, ſpermaceti, glycyrrhiza, melle, et ſaccharo; quibuſcum, febre vel inflammatione non obſtante, multo cum fructu conjungi poſſunt opiata, quorum uſu, ſenſibilitate et irritabilitate partium imminutis, mucus diutius ſtagnans, dum excretio ejus nequicquam impeditur, magis ſpiſſeſcit, et tuſſis admodum compeſcitur.

Sunt quibus indicatio quidem alia neceſſaria videtur, ſcil. ſecretionem vel excretionem muci promovere. Aliquando forſan mucus tam viſcidus evadat, ut expectorantibus dictis attenuantibus omnino opus erit. Huic uſui, prae caeteris, inſerviunt ſcilla; gummi ammoniacum; emetica, et corporis tandem modicum exercitium, quod omnibus corporis et mentis muniis vires addit novas; quo re vera, ſolidorum et fluidorum mutua peragitur actio, glanduiae mucoſae, jam relaxatae, vim propriam tonicam recuperant, colluvies mucoſa rejicitur, mucique ſecretio et excretio ſtatum in naturalem rediguntur.

DE

# DE PHTHISI PULMONALI.

*AUCTORE J. HALLILAY.*

QUONIAM affectus, qui phthiſis pulmonalis nuncupatur, prae caeteris fere omnibus, vitae humanae adeo inimicus eſt, ut confirmatus plerumque exitium inferat; de eo igitur paucis potiſſimum agere decrevi. Ejus notio, hac definitione, apte comprehendi videtur, " Tuſſis, ſputa plerumque purulenta, et febris hectica."

## PARS I.

### *De Phthiſeos Originibus.*

I. Potentiſſima noxa ad feminium phthiſeos pulmonalis faciendum labes haereditaria eſt. Quam in aliquo humorum vitio, ut nonnulli volunt, poſitam, haud rationi ſatis congruum eſt, quoniam humores inſtabiliſſima noſtri pars ſunt, breviſſimiſque temporum ſpatiis aſſidue, et conſtante tenore, corpore omnes dilabuntur. Quod cum ita ſit, ad firma, quae magis conſtantia ſunt, eamque horum partem, quae toto vitae tempore permanet immutata, nempe, ſtamina primaeva, labes, de qua agitur, referenda eſt.

II. Temperamentum, in quo phthiſis pulmonalis potiſſimum apparet, ſanguineum eſt. Cujus, cutis mollities, candor, florens genarum rubedo, capilli albeſcentes, ſaltem non nigri, firma tenera et delicata, ſecretiones variae, notae praecipuae ſunt: Quae omnes tenuitati telae cellularis, et firmorum ſimplicium cohaeſioni minori, tribuendae videntur. Cum hac corporis conditione, ſenſibilitas firmorum vivorum, et irritabilitas, mens mobilis, et vivida imaginatio, conjunguntur. Hinc acumine ingenii praeditos phthiſi pulmonali praecipue opportunos eſſe, obſervatur. Hoc temperamentum, et reliqua omnia, eidem corporis parti, cui labes haereditaria, nempe, firmorum primordiis, ſeu ſtaminibus primaevis, tribuendum eſt; deſcenditque, pariter ac corporis et animi ſimilitudo, a parente ad prolem.

III. Idem ſcrophulae proprium eſt: Cui phthiſis pulmonalis maxime affinis, quin et ipſa ſcrophula, eſſe, inſtrumenti magni momenti, vitaeque neceſſarium, adficiens, dici poteſt; niſi quod alter affectus alio vitae tempore; ſcrophula in infantia aut ante pubertatem, phthiſis inter hanc confirmatam et

tricesimum fere annum, incidere solent. Phthisin vero, validis excitantibus noxis, quolibet vitae tempore incidere posse concedimus.

Scrophula glandulas lymphaticas potissimum exercet, harum duritiem cum tumore intra corpus aeque ac extrinsecus afficiens. Hinc inflammatio paulatim succrescens, paulatim in suppurationem transiens, omnia scrophulae concitat. Quae, ante pubertatem desinens, raro in glandulis lymphaticis, cum tumoris aliquanto, alias sui notas non relinquit. Cur autem eam non comitetur phthisis pulmonalis, sed longo post intervallo sequatur, fortasse ex (IV.) apparuerit.

In aliis habitibus, ubi seminium minus viget, eaedem glandulae similiter saepe indurescunt, cum exigua inflammatione cito desinente. Ita ego in juniorum cervicibus, ubi hoc temperamentum suberat, duros nodulos haud raro deprehendi; quos tamen ante, et adhuc pueros, nulla justa scrophula affecerat, levesque tantum dolentes cervicis tumores, quibus non dolentes noduli succedebant, exercuerant. Qui noduli, seu reliquiae vel vestigia quasi quaedam, tumorum dolentium eundem eventum, ac major morbi vis trahebant. Inde tuberculorum phthisicorum foecundior, quam ulla alia origo, et frequentior, quam plerisque ad animum succurrit. Tales vero noduli quodlibet temporis spatium, immo per totam vitam, ubi nullus corporis status eos in inflammationem, et hanc sequentia, excitat, permanere sine dolore, aut ulla noxa, possunt.

IV. Inter pubertatem absolutam et trigesimum vel quintum amplius fere aetatis annum, ut, summa doctrina et ingenio sibi proprio, clare demonstravit maximus noster Cullenus, plethora arteriosa, cum rebus, ex lege corporum nostrorum, quibusdam, quae in pulmones sanguinis impetum dirigunt, incidit; et toto illo vitae tempore diathesis phlogistica, quae, ad affectiones inflammatorias producendas, potentissime valere, omnibus bene nota est, maxime in corpore viget. Hae autem affectiones eo facilius cientur, praecipue in pulmonibus, quo plethoricus is status, sive totius corporis, seu ipsorum pulmonum, exquisitior subest; recte igitur inter noxas annumerantur,

1. Quae in toto corpore agunt; ut excretionum consuetarum, maximeque sanguinearum, et, prae caeteris sanguineis, menstruorum, suppressio; item victus lautus, exercitationis parum, et quae simili opere sunt. Quibus verni temporis effectus addendus est, quo calor humores citius rarefacit, quam firma pro ratione relaxat. Neque affectiones animi, pathemata excitantia dicta, non quoque noxis annumerandae

randae videntur, eoque certius, quo quis in eas pronior ſit, et ſaepius adficiatur.

2. Quae pulmonum plenitudinem praecipue adaugent. Ad eas peculiaris quaedam thoracis conformatio pertinet; cujuſmodi procera ſtatura, longa cervix, praecordia depreſſa, humeri elati. Quae corporis figura phthiſicis quaſi propria eſt, ſibique ſtatum pulmonum tuberculoſum, (III.), qui plethoram relativam non multum augere non poteſt, conjunctum, haud raro vindicat. Tanquam ſimilis operis, thoracis, ex ſpina curvata, vel coſtarum a ſana mutata curvatura, deformitas ab auctoribus memorata eſt. Quam utique, quatenus obſervatio docet, raro ad phthiſin pulmonalem faciendam per ſe pertinere exiſtimo. Sed, quoniam dyſpnoeae et aſthmatis eam noxam morbificam eſſe vidi, ex hoc ejus effectu, ad phthiſin pulmonalem inferendam, eam quoque aliquid eventu quaſi conferre poſſe, concedo. Quaedam temporaria, quippe quae thoracis dilatationem minus facilem reddant, et pectus in anguſtiam cogant, ut poſitio diuturna trunci corporis procumbens, loricarum plus juſto arctatio, inſtrumentorum muſices longa inflatio, et hujuſmodi alia, ſupra memoratis noxis recte adjicienda videntur.

V. In hoc ſeminii (IV.) vel ad morbum proclivitatis ſtatu, ex frigore aut aliis noxis excitantibus, ſanguinis in pulmones copiam majorem conjicientibus, diſtenſio morboſa naſcitur: Quae pro ſtimulo agens, vaſorum pulmonalium actionem, perque eadem impetum adauget, et affectiones varias inflammatorias, prout variant modis cauſae, inducit. Has inter affectiones, quatenus noxae phthiſin pulmonalem excitantes, praecipue enumerantur,

1. Haemoptyſis; quae rumpendo plerumque pulmonum vaſa vulnus efficit. Quo vulnere per primam, ut aiunt chirurgi, intentionem non ſanaſcente, ſuppuratorium opus induci, et ulcus conſequi neceſſe eſt.

2. Peripneumonia, quae initio neglecta, aut remediis adhibitis non reſoluta, ſed in ſuppurationem tranſiens, alia ulceris origo eſſe poteſt.

3. Catarrhus, qui plerumque mitis morbus, medicinae auxilio parum indigens, et ubi membranae mucoſae adfectus purus eſt, raro in ſuppurationem deſinens, poteſt tamen eo magnitudinis provehi, ut membranae, quam afficit, partem deleat. Aut ſecreti ſub eo humoris acredo tanta eſſe poteſt, ut rodat partem, et ſic ulcus quoque gignat.

VI. Hos tamen morbos minime neceſſarie phthiſin pulmonalem inducere, monendum eſt. Pulmonum enim ſuppurationes, ſive ex haemoptyſi, ſive peripneumonia, ſeu ex aliis

cauſis,

cauſis, carnis regenerationem haud raro recipiunt. Quin et ſatis magna pulmonum vulnera cito ſaepe conglutinari, bene notum eſt. Quod pro argumento eſſe poteſt, quo neque pulmonum motum, neque aſſiduum aeris ingreſſum, ut nonnulli exiſtimarunt et exiſtimant, ad ulcerum pulmonalium ſanationem prohibendam, ſolos ſufficere, intelligatur. Difficilemque ergo ſanationem ex aliis rebus pendere, manifeſtum eſt. Quarum rerum, ut opinor, purulentia vitioſa praecipua eſt. Quam opinionem hoc confirmare videtur, quod nullum vulnus aut ulcus, ubi talis ſubeſt purulentiae ſtatus, facile ſanationem recipit, quodque tum demum febris hectica, cum talis purulentia (quam acredo peculiaris ſemper comitari mihi videtur) procreata eſt, apparet, nec pus illud mite, quod laudabile dicitur, fere unquam ſequi animadverſa eſt. Hoc etiam explicabile eſſe judicamus: Pus enim vitiatum, acredine ſua, vaſorum lymphaticorum oſcula abſorbentia, blando magis ſtimulabit, et validiorem abſorptionem, et, ut multo plus puris in corporis vaſa recipiatur, efficiet. Quod cum ita ſit, facile concipi poteſt, eandem, quam ſupra memoravimus acredinem, totam vaſorum irritabilium ſeriem irritando, humores corrumpendo, vireſque motrices debilitando, ita agere poſſe, ut multa phthiſeos pulmonalis confirmatae inde explicari queant.

VII. Cauſam igitur phthiſeos pulmonalis proximam inveſtiganti, quid pus vitiatum gignat, potiſſimum inquirendum eſt.

1. Ex haemoptyſi pus vitiatum et acre, a quovis cachectico corporis ſtatu, cum haemoptyſi operam conjungente, ut opinor, oriri poteſt. Ita, ubi menſtruorum ſuppreſſorum ſymptomatica exiſtit haemoptyſis, totum corpus ſimul morboſe afficitur. Quo in ſtatu vis naturae medicatrix aut languidius aut inordinatius agere poteſt, quam ut ſuppurationem bonam et idoneam producat. Hoc ex principio explicandum videtur, quod ab hac origine haud raro enaſcitur phthiſis pulmonalis. Frequentiſſima vero, et longe certiſſima, phthiſeos pulmonalis cum haemoptyſi conjunctio tubercula pulmonum ſequitur (III.). Quo in caſu haemoptyſis potius pro comite phthiſeos ſymptomate, quam cauſa ejus, habenda eſt. Haec enim tubercula ſpatii, quo ſanguini transfluendum eſt, partem occupantia, totum ſanguinem, qui toto et integro ſpatio tranſfluere debet, in libera vaſa conjiciunt, perque ſola haec ſolus ſanguini tranſitus dabitur. Cujus rei idem eſt effectus, ac ſi plus ſanguinis totis pulmonum vaſis affunderetur. Hinc quoque in vicinia tuberculorum ipſorum, aut in his ipſis, difficil-

linae

lime transibit sanguis, et eorundem inflammationi occasionem dabit, cujus sequelae ex (VIII.) apparebunt.

2. In peripneumonia, ex effusione, materiam bono puri conficiendo inidoneam suppeditante, aut ex longa puris, vomica inclusi, stagnatione, tanta acredo, quanta sine multo feminii phthisin pulmonalem gignat, procreari potest.

3. Catarrhus non membranae mucosae semper purus affectus est, sed aut incipiens, cum parenchymatis pulmonum inflammatione conjungitur, aut, ex producta in longum curatione, in talem inflammationem transit, obscuriorem equidem ea, quam acuta peripneumoniae symptomata comitantur; hujusmodi tamen, quae, tussi et aliis diuturni morbi rebus servata, in suppurationem, vomicam, et inde pendentem exulcerationem, demum desinere possit. Pus, hoc in casu, genitum stagnando accrescere, partes vicinas ex longa inflammationis mora indurescere, et vasa in statum morbosum adduci, verimile est. Qui status, ut mox dicendum (VIII.), bono puri gignendo inidoneus est. Atque hac ratione catarrhus aliquando, fortasse non valde raro, phthisin pulmonalem efficere posse, videtur. In summam vero certissimum est, omnes has affectiones inflammatorias ad eam efficiendam tum multo validius agere, cum, cum aliis feminii rebus conjunguntur, quarum praecipue (in I. II. praesertim in III.) commonstratae sunt.

VIII. Tubercula sic, ut supra (III.) dictum, formata, ex inflammatione, tempore (IV.) relato, adeo facile incidente, saepe inflammantur. Eamve inflammationem noxae leviores excitantes, aut quaelibet earum affectionum (V. 1. 2. 3.) inflammatoriarum occurrens, facillime in istis tuberculis accendunt. Quae sic inflammata, suppurationem demum passa, semper id puris vitiati genus edunt, quod conglutinationi adversatur, quodque semper acredo comitatur, et hecticam febrem, quae praecipua affectus, de quo agitur, pars est, gignit; (vide XIV.). Ad hoc illustrandum et confirmandum suppurationis, ex scrophulosa partis externae alicujus tumore, exemplum sufficere posset. Sed longius provehar, et bonam mitemque suppurationem, ex vasis, quorum conformatio, veterante duritie et tunicarum crassitie, mutata sit, vix unquam incidere posse, contendam. Tumores clausi omnium generum, et scirrhosi, hanc opinionem valida rationis similitudine confirmant. Unde etiam, ut opinor, quod ab aliis, quam scrophula, originibus, diversique generis, (quanquam minime inter se dignotis), nata tubercula similiter fere phthisin pulmonalem inducant, ratio reddi potest. Nunc igitur de aliis tuberculorum originibus pauca dicenda sunt.

IX.

IX. Tuberculis ex ſcrophula natis ſimilia, ſine hac, in habitibus quibuſdam malis, ſeu, ut dicuntur, cachecticis, ſubnaſci poſſe videntur. Unde varii morbi longi, variae acredinis ſpecies, et variae poteſtates debilitantes antecedentibus phthiſi pulmonali noxis, a ſcriptoribus annumerantur. Quae utique tubercula etiam certius pulmones occupabunt, ſi hi ipſi, noxis in eos recta agentibus, qualis eſt, carbonum et metallorum liqueſcentium, aut ex aliis ſimilibus, aer impurus, jam ante debilitati ſint.

X. In effuſione, ſub affectionibus inflammatoriis, jam ante (V. 1. 2. 3.) relatis, incidente, conditiones quaedam accidere poſſunt, quibus, humores effuſi, neque ſuppurationem, neque plenam abſorptionem, facile recipiunt. Inde omnes illae adfectiones, aut recta phthiſin pulmonalem, ut ſupra (V. 1. 2. 3.) dictum eſt, aut eventu eandem, prius tubercula faciendo, facere poſſunt. Fierique poteſt, ut aſthma aut ſimiles effuſiones faciendo, aut alio modo, (vide IX.), tuberculis formandis viam ſternat.

Materiae exanthematicae, praecipue varioloſa, et morbilloſa, in corpus agentes, tubercula etiam facere poſſe videntur. Propria enim illarum materiarum acredo, varias glandulas, per quas tranſeunt, inflammando et indurando, vel affectionem pulmonum inflammatoriam inferendo, per effuſionem tubercula facere, et ſic phthiſeos pulmonalis fundamentum jacere, poteſt. Poſtremo, eaedem, tuberculis, quae ante facta ſint, inflammandis, noxarum excitantium officio fungi poſſunt.

XI. Ex ſupra memoratis, maxime communes phthiſeos pulmonalis cauſas deduci poſſe, ſperamus. Aliae tamen ſunt, quae in illa facienda, partim quaſi mechanice, partim aliis noxis ſimiliter, agere videntur. Cujus originis ſunt tubercula inartificum pulmonibus, ex pulvere cum ſpiritu attracto, et calcareis illic, ab aliqua cauſa interna generatis, concretis, innaſcentia. Sic orta tubercula cito partes circumjacentes laedunt, tunica craſſa morboſa obducuntur, tandemque, mole aucta irritando, tuſſim excitant; cujus molimine tubercula labefacta et egeſta, lacerationem, inflammationem, et hinc orientia, efficere poſſunt.

Corpora aliena in bronchia illapſa, bronchiorum polypos, virus venereum, contagionemque, utpote quae aut rare occurrant, aut ancipitis et incerti operis ſint, ex conſulto omiſi.

XII. Ex ſupra dictis, phthiſin pulmonalem imprimis nunquam juſtum morbum, ſed ſymptomaticam tantum affectionem, eſſe; 2. Originem ejus, maxime et frequentiſſime a ſcrophu-

ſcrophula pendere ; 3. Si quando ab aliis morbis oriri videatur, ſcrophulae latentem labem ſaepe ſubeſſe ; vel, 4. Si haec non ſubſit, noxas antecedentes ſimili modo, tubercula ſcilicet, in pulmonibus formando, aut partem pulmonum alio modo vitiando, plerumque agere, patet.

XIII. Plerumque igitur ex his tuberculis ſuppuratis, aliquando ex alio fonte, ulcus mali moris, ut aiunt, cum materiae acris in venas abſorptione, pro cauſa phthiſeos pulmonalis proxima, omni in caſu habendum, cenſemus. Aliter enim rem eſſe, nullo idoneo teſtimonio confirmatum eſt.

XIV. Facies morbi in initio, pro noxarum excitantium varietate, diverſa eſt. Ubi vero a tuberculo, paulatim in inflammationem tranſeunte, phthiſis pulmonalis ortum ſuum ducit, ſequentia praecipua ejus ſymptomata evadunt.

Ante omnia tuſſicula ſicca, mane potiſſimum, ab aliis animadverſa, ipſum aegrotaturum fere latens, plerumque ante juſtum morbum, aliquando diu, incidit. Propius accedente, vel jam certo morbo, non amplius tuſſicula, ſed tuſſis abſoluta apparet, et ſputa, primum modica, et mucoſa magis, ſequuntur. Spiritus deinde affici incipit, et tractiones, moto propriis viribus corpore, frequentiores et difficiliores fiunt. Praecordia in aliqua parte quaſi gravantur, et quaſi conſtringi perſentiuntur, aut dolent, adeo, ut aeger in unum latus decumbens, magis quam in alterum, tuſſiat, ſpiritumque difficilius trahat. Acceſſiones naturales veſpertinae febriles augentur, et pulſus, hactenus a ſtatu ſolito non multum recedentes, celerius et frequentius micant, calorque corporis intenditur. Mox febris hectica juſta ſupervenit. Cujus exacerbationes bis intra horas vicenas et quaternas, una obſcurior, minor, meridie circiter, altera ſub noctem, praeeunte languore, frigoriſque ſenſu, accenduntur. Hae acceſſiones per aliquot horas, cum calore aucto, ſiti, inquietudine, frequentiore tuſſi, et ſputis minus facilibus, perſtant. Mane ſudores plus minus profluunt, urina ſedimentum leve furfuraceum deponit, et omnia febrilia aliquid levaminis recipiunt. Jamque corpus tabeſcit ; ſputa copioſiora, purulenta, colore variantia, albentia, flaventia, viridentia, nonnunquam ſanguine ſtriata, rejiciuntur ; et ſapor inſolitus, ſalſus, dulcis, aut putridae quaſi materiei, in ore eſt. Procedente morbo, increſcit febris. Sudores magni tota fere nocte diffluere incipiunt, ſecutoque mane levamen, quam ante minus eſt, omniaque dira ſymptomata citius, et auctis viribus, indies redintegrantur : Macies rapide procedit ; lingua et fauces quaſi leviter inflammatae rubent, aut aphthis obducuntur. Pallor cadaveroſus totum, praeter exiguum circumſcriptum genarum ſpatium, vultum occupat. Acuuntur nares ;

tempora deprimuntur; oculorum orbes subsidunt, et in tunica adnata nihil demum rubedinis cernitur. Diarrhoea colliquens, cum sudoribus vices alternans, pedes oedematosi inflati, capilli decidentes, ungues aduncti, elata praecordia, summam virium defectionem demonstrant. Sputa non amplius ejici queunt. Suffocatio postremo supervenit, et mors amica aegrum, inopem salutis, spem etiamnum fere sovventem, e medio tollens, miseram scenam claudit!

XV. Ex omnibus supra expositis, cum per aliquod temporis spatium provecta est, ab aliis morbis phthisin pulmonalem facile distingui, satis aperte patet. Quae a catarrho utique, praesertim ei originem praebenti, difficilior adjudicatu est. Quo facilius autem ab eo dijudicetur, omnia seminii, noxarum excitantium omnia, et praesentis morbi symptomata, perpendenda sunt. Et, si quid dubitationis etiam relinquetur, sputorum natura, ut mucosa, vel purulenta, optime inservit *.

Certissima nota est comes febris hectica, quae ut absoluta fortasse nunquam sine purulentia incidit, ita phthisin pulmonalem, nulla adhuc purulentia in sputo apparente, aliquando haud ambigue detegit; ut ubi vomica intus in pulmonibus subsistens nondum in bronchia viam fecerit. Quo in casu omnia symptomata phthiseos pulmonalis confirmatae, et inde, licet rarissime, mors, sine sputis purulentis, accidere possunt.

XVI. Prognosis in phthisi pulmonali incipiente anceps est. Confirmata plerumque miseros ad exitium ducit. Nonnulli tamen, perpauci equidem, convalescunt, et prospera valetudine dein utuntur. Ex seminii et febris hecticae magnitudine, sputi natura, debilitate, et aliis morbi rebus, judicium eventus, sive faustioris aut infaustioris, sive propioris aut remotioris, trahendum est †.

## PARS II.

### *Phthiseos Pulmonalis Curatio.*

Quoniam phthisis pulmonalis confirmata plerumque fatalis est, ut modo dixi; ideo morbum omnino evitare, aut advenienti occurrere, maxime medici interest. Cum vero noxae excitantes, eoque primi stadii indicia, perquam varient, curationem pariter variaturam haud difficile conceptu erit. Ubi temperamentum phthisi pulmonali opportunum, aut labes haereditaria, obtinet, noxae omnes, quae in hujus disputationis parte priore exponuntur, vitandae sunt; maximeque illo vi-

* Vide p. 316. † Vide Culleni Primas Lineas, dcccIxv.

tae

tae tempore, quo in morbum incidere ſolent ii, qui ſeminium habent. Quae adminiſtratio potiſſimum procedit, vitae ratione accurata, victu modico, exercitatione, coelique ex frigore in temperatius mutatione, et, ſi exoriatur catarrhus, haemoptyſis, vel alius inflammatorius pulmonum affectus, ut cito et feliciter terminentur, quam maxime curandum eſt. Ubi jam tuberculo inflammatio accenditur, ne in ſuppurationem tranſeat, ſedulo conandum. Itaque ſanguis, pro virium ſtatu et ſymptomatum magnitudine, ſaepius detrahendus: Ea, de quibus in prophylaxi mentio facta eſt, et alia, quae ex mox dicendis de confirmatae phthiſeos curatione facile innoteſcunt, ſervanda ſunt.

Conſilium curatorium phthiſeos confirmatae ad ulceris ſanationem totum ſpectat. Quod efficere quidem, proh dolor! raro in noſtra poteſtate eſt. Cum enim omnis ulceris conglutinatio naturae opus ſit, ita nihil arti relictum eſt, niſi ut impedientia amoveantur, quae in hoc caſu videntur diatheſis phlogiſtica, impetus humorum in pulmonibus auctus, ſtatuſque puris vitiatus. Ut hunc, a morboſo et ſaepiſſime diuturno vaſorum partis ulceratae vitio, pendere, judicavimus, ita ei certam medendi rationem nondum ars medica deprehendit. Neque tamen aliquid faciendi conatu deſiſtendum, cum ejuſmodi pulmonum ulcera aliquando ſanata fuiſſe, teſtimoniis fide dignis, compertum eſt. Et, ut illuſt. De Haen, de alia tabis ſpecie agentis, verbis utar, "Nemo certo novit eam ſolidorum fluidorumque corruptionem adeſſe, quae nullam ultra curam admittat."

Imprimis igitur tentanda eſt ulceris conglutinatio,

1. Diatheſin phlogiſticam minuendo,
   a. Sanguinis detractione,
   b. Regimine antiphlogiſtico,
   c. Refrigerantibus dictis;
2. Sanguinis a pulmonibus impetum avertendo; Vide 1. a. b.
   a. Sanguinis topica detractione,
   b. Veſicatoriis, fonticulis, ſetaceis,
   c. *a*. Emeticis. *b*. Nauſeam moventibus,
   d. Idonea veſtis ratione,
   f. Temperie externa non frigida, aequabili,
   g. Exercitatione palliva——praeſertim navigatione,
   h. Graviditate;
3. Statum ſuppurationis et inflammationis in ipſo ulcere mutando,
   a. Aere puro,
   b. Victu nutriente. Vide 1. b.

c. Antiſepticis—intus—*a*. Aquis aere fixo ſcatentibus—*b*. Acidis—*c*. Infuſo bynes—extrinſecus.—*e*. Aere fixo, reſpirabili communi commixto, imbibito. *f*. Effluviis a reſinoſis.

d. Quibuſdam ſtimulantibus—*a*. Balſamis nativis—*b*. Myrrha.—*c*. Mercurio,

e. *a*. Sarſaparilla—*b*. Tuſſilagine,

f. Narcoticis quibuſdam—*a*. Cicuta—*b*. Dulcamara,

g. Cortice Peruviano:

Secundo, graviora ſymptomata levanda ſunt,

1. Tuſſis, Vide 1. a. 2. b. c.
   aa. Demulcentibus dictis.—*a*. Mucilaginibus ex vegetabili materia.—*b*. Oleis blandis expreſſis,
   bb. Opio;
2. Diarrhoea,
   aa. Adſtringentibus,
   bb. Opio,
   cc. Mucilaginibus;
3. Sudor colliquens,
   aa. Acido vitriolico,
   bb. Temperie externa non calida.

I. Incipienti phthiſi, ſanguinis detractiones (1. a.) remedio eſſe jam dictae ſunt. Quae in eadem confirmata, multum quoque ad febri hecticae moderandum valent. Poſtquam autem multum provectus morbus eſt, debilitas demum inducta, illud remedium, niſi urgente neceſſitate, ut, ubi dolor acutus in aliqua thoracis parte, cum difficili ſpiritu ſuboritur, renuit. Hoc autem in caſu, nempe, acuti in thorace dolores cum difficili ſpiritu, tantum ſanguinis, quantum pulſus ferre videatur, quolibet morbi tempore, ſaltem ante oedematis extremorum adventum, detrahi poteſt. Quod recte fieri, oſtendit ſanguis detractus ſemper fere cruſta coriacea obductus. Non tamen temere detrahendus eſt; et ſub finem, cucurbitulae cum ferro (2. a.) et veſicatoria ei ſuperſedere debent: Forſitan ſine ferro cucurbitulae aliquando prodeſſent.

II. Sanguinis, in diatheſi phlogiſtica inminuenda, miſſi effectum adjuvat adminiſtratio antiphlogiſtica accurata, (1. b.), maximeque victus, quam minime ſtimulans; quia, quo tempore cibus digeritur, et chylus in ſanguinem fluit, febris hectica vulgo creſcere, et pro cibi ſtimulante natura, animadvertitur. Ob quam cauſam, circa morbi principia, farinacea decocta, lacte, fructibus, et alia plantarum materia, parum alente, admixtis, ſolus cibus permittenda videntur. Hoc alvus

vus plerumque satis fluens servabitur. Aut, si haec durior justo fuerit, eccoproticis leniter movenda.

III. Hoc quoque morbi tempore, refrigerantia dicta, (1.c.), qualia nitrum et acida sunt, adhiberi, praecipue si haemoptysis, aut hujus periculum, subest, licebit. Provectiore morbo acida, (3. c. *b.*), prae caeteris vegetabile nativum, perquam grata phthisicis sunt. Quae antiseptica et refrigerante virtute saepe morbum sublevarunt, et large data eum ex toto sustulisse, a nonnullis dicuntur. Quod si eadem acida tussim exasperent, quia inde suboriens irritatio plus obesset, quam vis eorum refrigerans aut antiseptica prodesset, ideo illa omittenda sunt.

IV. Quoniam macies et debilitas cito accidunt, ideo aegrotans tantum alendus est (3. b.) quantum citra nocentem stimulum fieri poterit. Quem in finem lac recens merum, ebutyratum, et farinacea, praecipua materia sunt. Asininum vero lac, quippe quod partis coagulabilis minus, saccharinae plus habeat, quandoque bovino anteponendum ust, eoque magis, quod placidius et lenius ventriculo est, faciliusque digeritur, Contra acidum, si id intus molestum est, magnesia, aut terra calcarea, pro alvi statu, lacti adjicienda est. Ex plantarum genere parata quaedam, multum mucilaginis habentia, cujusmodi sunt sago, orchidis speciei radix, salep vulgo dicta, et lichen Islandicus, quoque usui sunt, et tum maxime, cum diarrhoea colliquens apparebit: Quo in casu ad paulo liberiorem victum decurrendum, et vini paululum atque carnis, ad aegrotantem summopere nunc debilem sustentandum, non negandum est. Quae victus ratio etiam necessaria est, quia, ex lacte et materia plantarum constans, auget diarrhoeam. An etiam, superiore morbi tempore, lautior victus eo, qui ex lacte et materia e plantis petita constat, phthisicis indulgendus sit, aut qui casus phthisici eum commodius recipere possint, pro certo dicere non possum *.

V. Vesicatoria (2. b.) ad inflammationem localem solvendam aut imminuendam prodesse, experientia testatur. Haec, summo corpori imposita, quam proxima affectionis sedem fieri potest, et aperta servata, multum ad salutem valent; humoris detractione ad diathesin phlogisticam imminuendam pertinent, et stimulando ita circuitum afficere possunt, ut humores ad partem derivent, et sic pulmones hic laborantes sublevent. Setacea et fonticuli simili opere sunt. Et, nisi effectus protinus requiritur, ut in magno lateris dolore, et spirandi labore, vesicatoriis etiam anteponenda videntur; quia

* In praelectionibus suis egregiis, professor noster Gregorius ex tenui solitoque ad lautiorem victum transitum manifeste prodesse, se vidisse testatur.

facilius

facilius adminiſtrantur, et aequaliore opere ſunt. Experientia propria adductus, bonum ab iis fructum ſperandum judico, et tanto meliorem, quanto maturius adhibeantur.

VI. Emetica (2. c.) humores in ſummum corpus avocare intelliguntur. Fierique poteſt, ut ad bronchia muco et pure liberanda, ubi copia major eſt, aut materia viſcidior, quam ut comitis tuſſis conatu ejici poſſit, vomitus pertineat. Sed cum juſti vomitus pro tempore tantum effectus reſpondeat; ideo emetica, ita data, ut nauſeam tantum moveant, ſaepius adhibentur, et circa morbi initia efficaciora eſſe videntur. Eadem, poſtquam ſudor colliquens incepit, non uſui ſed noxae ſunt; et perſpiratio melius ſequentibus ſuſtentatur (VII. VIII.).

VII. Tantum veſtis utendum, (2. d.) quantum frigoris ſenſum prohibeat; ſub quo ſanguis ad interiora ferri, et ibi accumulari ſolet; item laneum aut xylinum induſium pro lineo gerendum, et ſaepe mutandum. Cujus uſus eſt leni ſtimulo vaſculorum perſpiratoriorum actionem excitare, et corporis calorem, ea proprietate, qua calorem pariter et frigus lente tranſmittit, quod laxior textura efficit, conſtantius ſervare. AEqualis coeli temperies quaerenda (2. f.), frigidaque et varia vitanda. Quo nomine Britannia fugienda eſt; cujus hiems longa, tempeſtaſque mutabilis, phthiſicis parum reſpondet. Gallia meridionalis, Italia, Luſitania, Inſulae Madeirae, petendae. E quibus, hae illis anteponendae videntur. Calor, quo intelligo omnem temperiem ſupra 64 thermometri Fah. gradum, genus nervoſum in ſummo corpore ſtimulando, humores ubique rarefaciendo, ſudores colliquentes et debilitatis omnia augendo, protinus phthiſi pulmonali ſummopere nocet, et, ut jamdudum obſervatum eſt, certius ad mortem paucis hebdomadis miſeros rapit, quam totidem menſibus, et quandoque annis, modicum frigus. Quam quidem ob cauſam, calida regio aeque vitanda eſt ac frigida. Loci delectus ex dicendis in (X.) diſcetur.

VIII. Ut exercitatio (2. g.) ab omnibus laudata eſt, ita de ſpeciebus ejus minime inter medicos convenit. Vehi equo, adeo a Sydenhamo laudatum, ad occurrendum potius, quam medendum, morbo pertinere videtur. In catarrho longo, ubi, ex diuturnitate et aliis morbi rebus, ſputa puris ſpeciem praebuerant, ex debilitate pulſus increbruerant, et acceſſiones veſpertinae, febrem hecticam quodammodo referentes, acceſſerant; equo vehi, et tonica, atque etiam cortex Peruvianus, multum profuerunt. Tales caſus forſitan ſunt, qui magnum virum in errorem duxerunt. Eademque forſitan cauſa eſt opinionum, quae phthiſin pulmonalem accidiſſe, et exitio

fuiſſe,

fuiſſe, nullo pulmonum ulcere, propoſuerunt. In phthiſi igitur pulmonali juſta geſtatio ſola exercitationis ſpecies reſpondet. Cujus ex ſpeciebus navigatio reliquis praeſtat; quippe quae, ſine conatu muſculari, perpetuo motu corpus afficiat, et aequaliorem, quam in terra, temperiem conjunctam habeat. Opus ejus, tanquam ejuſdem naturae, ac alia geſtationis genera, explicatum eſt. Quod tamen multum ab iis differre, vel una hac nota judico; quod nauſea, quam facit, aliis vix excitata, et proprietas ejus diarrhoeae et haemoptyſeos cohibendae, ſaltem, quantum reliquis geſtationibus, in perſpiratione ſuſtentanda, praeſtet, argumento eſt. Quin et ab aliis exercitationis modis, eo quoque differre nobis videtur, quod pulſus tardiores reddit. Verum, omiſſa ratione, ab antiquis commendatam, et a recentioribus nuper optimo cum fructu receptam, eam non maturius adhiberi, dolendum eſt. Iterum dico, pleroſque alios non tantum exercitationis, ſed geſtationis, modos ſanguinem percitare. Quod omni ratione vitandum eſſe, ex iis quae ſupra dicta ſunt patebit, multoque plures caſus navigatione, quam ulla alia ratione, ex medicinae annalibus ſanatos, recordandum eſt. Cumque omnis conatus, pulmones afficiens, ſummopere cavendus ſit; ita ſermonem perpetuum, aut quemvis alium ſimilem laborem, in primis noxae eſſe, non eſt obliviſcendum.

IX. Graviditas (2. h.) phthiſeos impetum manifeſte retardat. Quod minus mirum videbitur, ſi, quae mutatio poſt conceptum fiat, reputetur. Tum novus ſtimulus corpori admovetur, et in aliam partem impetus convertitur, ac proinde a pulmonibus avertitur. Hoc uteri incrementum, craſſitudo, et amplitudo aucta declarant. Qui graviditatis effectus, quantumvis retardandi morbi potens, pro tempore tamen tantummodo obtinet, poſt partum deſinens, et morbum celerius, quam ante, procedere ſinens. Neque tamen tota morbi vis totos annos non hoc auxilio ſuſpenſa eſt. Si igitur graviditatem continuando, tempus illud, quo morbus potiſſimum incidere periclitatur, ſuperari poſſit, auxiliis phthiſeos pulmonalis jure annumerandum videtur.

X. Puro aere (3. a.) nihil ad vitiata ulcera medenda magis neceſſarium eſt, impuro nihil magis ſanationem impedit. Multum igitur aeris ratio curationis intereſt; primum, quia ſolum eſt quod aſſidue admovetur; dein, quia purus aer ſpirandi facilitatem expedit, et noxam ex difficiliore motu accedentem tollit. Hinc locus arenoſus phthiſicis commodus; aut, ſi juxta praeterfluentem aquam erit, inde quoque aere purificabitur. Vitandae urbes ſunt, ubi ex multorum animalium, eodem congeſtorum, ſpiritu, et aliis rebus, putreſcentis materiei

teriei copia, aſſidue ſuboriens, aerem contaminat. Frigus omnibus vitiis pulmonicis inimicum eſt. Ob quam cauſam, ſi manendi in Britannia, hiemali tempore, neceſſitas forte erit, ventus ex ſeptentrione, aut hunc inter et orientem perflans, fugiendus eſt. Et, quamvis aer montanus propter puritatem reſpondet, tamen, ne nimis frigidus ſit, media altitudo ad habitandum eligenda eſt. Eudiometer, nuper inventum, ad aeris puritatem indagandam, uſui eſſe poſſe, judicamus.

XI. Omni medicinae tempore novitas multum valuit. Hinc multa auxilia commendata, et egregiis laudibus elata, quae experientia maturior et periculi, ſaepius facti, lux clarior mox repudiavit. Quod ipſum quam metuo, ne aeri fixo, (3. c. *e.*) accidat. Qui, quantum phthiſi prodeſſe poſſit, aut profuturus ſit, nondum ſatis exploratum eſt. Sed experimenta, quatenus proceſſerunt, ad ſummam pro uſu illius faciunt. Antiſeptica ejus virtus, ſatis explorata, partim puris abſorpti noxam imminuendo, partim ipſius ulceris naturam malam corrigendo, aliquid boni promittit. Quo conſilio aqua Seltzerana, et Briſtolenſis, aut ſimilis arte facta, largius ſumenda. Et ex miſturis effervescentibus gas ſuboriens, et aere communi dilutum, imbibendum. Hic quoque aqua Matlockiana, ut in phthiſi et haemoptyſi bona, quamvis ab acre fixo non forte trahens virtutem, memoranda videtur.

Infuſum Bynes, (3. c. *c.*) quod morbis putridis et occurrere et mederi, et ulceribus malis prodeſſe, compertum eſt. In phthiſi quoque experiendum videtur, eoque magis, quod, ſaccharum et mucilaginem poſſidens, ſaltem ſublevare tuſſim promittit. Quod non ex ſola ratione dictum intelligas. Hoc enim et lacte, cum alio, tum ebutyrato, phthiſis, quae mihi confirmata videbatur, ſublata eſt. Verum poſtquam diarrhoea colliquens ſupervenit, idem illud infuſum, ut alvum movens, minus idoneum erit.

Quatenus acida refrigerantia et antiſeptica ſint, jam ante dictum. Vide III. et XVII.

Vaporum ex reſinis (3. c. *f.*) hauſtorum, periculo facto, virtus nondum comperta eſt. Et, ubi profuerint, catarrhus longus potius quam vera phthiſis eſſe potuit.

XII. Balſama naturalia, (3. d. *a. b.*) ex opinione falſa, adeo laudata olim, et in uſu medendi celebrata, hoc tempore merito rejiciuntur; quippe quae olei eſſentialis multum continentia, ideo calefacientia et ſtimulantia ſunt. Nec myrrha, quae nuper magnis laudibus elata eſt, non quoque nunc damnatur, recte, annon, eo incertum, quod alii ſuppurationem per eam corrigi, et inflammationem adhaeſivam, ſeu carnis

reparationem

reparationem procliviorem reddi, contendunt; alii ſtimulantis eam naturae et acredinis arguunt.

Ob ſalutarem aliis malis ulceribus medendi facultatem, mercurius in phthiſi quoque commendatus eſt. Quam utique in hac virtutem nondum experientia comprobavit, et, e contrario, vis ejus corpus ſtimulandi manifeſte perniciei fuit.

XIII. Quae ſit ſarſaparillae (3. e. *a.*) virtus, nondum inter ſcriptores convenit, alios eam imbecillem et inertem praedicantes, alios acridinis in humoribus corrigendae vim ei tribuentes. Quam virtutis medicae non expertem eſſe, vis ejus obſtinatis ulceribus venereis medendi, febremque illam quaſi hecticam, quae longo mercurii uſui quandoque ſuccedit, tollendi, argumento eſt. Quam rem eo magis memorandam hic putavi, quod, quibus caſibus phthiſicis myrrha profuiſſe dicitur, in iis eam ea ſarſaparilla conjungi ſolita, aliquid ad proſperum effectum contuliſſe poteſt. Eodem pertinet quod, teſtante mihi ingenioſo amico hic medicinae ſtudioſo Jacobo Currie, eadem contra ulcera ſcrophuloſa proſpere nuperrime adhibita eſt, cum autem neque aqua, neque alcohol, totam ejus virtutem extrahunt; ideo integra et largius ſolito ſaltem ad ℥i. quotidie danda eſt.

Cum tuſſilago, (3. e. *b.*) quae diu in obſtinata affectione pulmonica commendata, a Fullero medico in phthiſi quoque laudatur, et contra ulcera ſcrophuloſa, comitante febre hectica, uſui fuerit; inde eam, magna doſi datam, ſatiſque diu et rite adminiſtratam, in phthiſi ex ſcrophuloſa labe bonam fore, ſperandum eſt.

XIV. De cicutae et dulcamarae (3. f. *a. b.*) virtute medica nihil, in hoc effectu, ex propria obſervatione, habeo dicere. Cum vero vi peculiari pollere videantur, et ad ulcera mali moris ſananda, tumoreſque ſcrophuloſos reſolvendos, multum poſſe experimentis compertae ſint; neque in phthiſi ex ſcrophula quoque earundem poteſtas non multum ab illuſtri noſologo Sagar, laudetur; ideo non ex toto contemnendae videntur.

XV. Cortex Peruvianus, (3. g.) varia mente phthiſicis datus eſt. Verum effectus ejus, in aliis caſibus, ſuppurationem bonam excitando, et febres remittentes tollendo, agentes, aut quicunque ſint, neutiquam ulceri pulmonum aut febri hecticae medendis accommodantur. E contrario, cortex pectus ſaepe conſtringit, ſpiritum difficilem reddit, et diatheſin phlogiſticam adauget. In quibuſdam phthiſeos pulmonalis caſibus ego corticem, nullo febris hecticae levamine, haud ſemel adminiſtratum vidi.

XVI. Tuſſis perpetuum phthiſeos moleſtiſſimum ſymptoma

eſt; neque ulceris ſanationi non plurimum obſtat. Ad quam igitur mitigandam, danda ſunt demulcentia (1. aa.). Inter quae, mucilaginoſa, quippe quae minus ventriculo, quam oleoſa, noceant, his anteponenda ſunt. Quae blanda pectoralia, ut dicuntur, ſi a tuſſi requietem non concilient, ad opiata (1. bb.) decurrendum. Sed cum, in primo morbi tempore, vigenti diatheſi phlogiſtica, opium hanc augeat, cautius igitur tum, cum opus eſſe eo videbitur, dandum. Verum, provecto multum morbo, cum levamini ſoli proſpicitur, dolores ejus uſu leniendi, et placidior e vita exitus miſeris conciliandus, neque metuendum eſt ne ſputa reprimat; nam haec, poſt ſomnum recreantem, faciliora et expeditiora redduntur. Opium in tuſſi ſedanda non totam ſuam operam collocat. Nam et diarrhoeae colliquenti magno remedio eſt. Quem in finem cum terra Japonica, gummi kino, et aliis e regno plantarum aſtringente facultate praeditis, item alumine, et mucilaginibus conjungitur. Omnibus vero mucilaginibus palmam fortaſſe Lichen Iſlandicus praeripiet; ut ex clari viri et medici Ebeling, nuper in hac academia medicinae ſtudioſi, Diſputatione inaugurali, Glaſguae edita, addiſcere licet. In qua non ſolum ad tuſſim componendam, et diarrhoeam ſiſtendam, et phthiſin quoque funditus tollendam, Lichenem valuiſſe, et magnis efferri laudibus videbis. Porro, ubi cutis areſcit, cum nauſeam moventibus opium, ubi ſudores magni colliquentes ſunt, cum acido vitriolico commode conjungitur. Acria pectoralia, Expectorantia dicta, qualia Scilla et G. Ammon. ſunt, quamvis a nonnullis laudata, nos raro tamen uſui, ſaepe noxae eſſe, judicamus. Quod, ſi difficilis quando ſpiritus et ſputorum rejectio erit, ea modis jam relatis, praeſertim in VI. expedienda cenſemus.

XVII. Ad ſudores colliquentes cohibendos, multum poteſt acidum vitriolicum (3. aa.) quod aqua dilutum, et idoneis temporis intervallis datum, ſedante opere calorem imminuit, et ad febrem hecticam componendam, ſudoremque reprimendam, plurimum confert; alumen quoque ad hoc faciendum bonum eſſe dictum, et laudatum a Godarto, celeberrimus Profeſſor noſter Home, periculo facto, parum reſpondere comperit. Calor cubiculi, lecti ex multis ſtragulis, evitandus eſt.

# DE GONORRHOEA VIRULENTA.

*AUCTORE SAM. GRAHAM.*

## DEFINITIO.

GONORRHOEA virulenta eſt fluxus ex urethra, abſque voluntate factus, induſia lintea quadam labe ichoroſa tingens, in qua media plerumque reperiunda eſt macula colore magis fuſca, cum gutta aliquando ejuſdem materiae in urethrae ore haerente, ardore urinae ſtipatus.

## SIGNA MORBI.

Tribus quatuorve diebus a contagione accepta, vel a tertio ad duodecimum uſque, vel nonnullis in exemplis ſerius forſitan, aegrotus pruritum inſolitum circa penis glandem perſentit, quae aliquantum tumida, et, praeter conſuetudinem, dura, cum rubore partis ejus extremae parvulo, evadit. Os urethrae quoque ſolito apertius eſſe videtur, et paucis in exemplis teſticulos ſibi quaſi rotari notat aegrotans. Brevi, poſtquam haec ſigna ſeſe oſtenderunt, guttula materiae, muco ſano magis albae, ex urethra exprimi poteſt, quae parietes ejnſdem propemodum conglutinat. Inter urinam reddendam dolor ſenſum titillationis movens, urethram extremam verſus, ſentitur, qui graviſſimus eſt, dum ultimae urinae guttae excernuntur. Haec ſigna brevi multo graviora fiunt. Quod excernitur, non ſolum quantitate augetur, ſed quoque tenuius evadit, et colore variat, modo flavum, modo ſubviride, ſaepe ſanguine tinctum. Dolor urinam reddendi tantopere augetur, ut aegrotus ad omnes poſituras diverſas, quae ei ſuccurrant, quo eam facilius excernat, quamvis fruſtra, decurrere cogatur; et ſaepe guttis ultimis nonnihil ſanguinis admiſcetur, adeo ut aegrotus miſerandus excretionem urinae tantopere metuat, ut potionem, ne ut urina ſaepius reddatur faciat, reformidet. Glans penis magis magiſque tumeſcit, et aegrotus tentigine frequente, praeſertim inter cubandum, infeſtatur, quae tantum ei dolorem faceſſit, ut in ſomnum illabi nequeat. Haec ſigna per dies octo decemve gravia manent; ex quo tempore inflammatio imminui incipit, tentigo minus frequens fit, nec tantum doloris movet, et ardor urinae non parum decreſcit. Quod ſolum ſignum brevi ſupereſt, eſt parca materiae albidae et viſcidae excretio, quae gradatim imminuitur, et id, quod excernitur, cum urina ſimul

in modum duorum triumve globulorum foras tandem expellitur, et morbus nunquam, hoc in exemplo, nisi virus rursus fuerit admotum, redit.

Hoc modo signa hujus morbi solita, eorundem duratio et finis, semet ostendere consueverunt; sed res nonnunquam aliter sese habent. Namque modo excretio, modo ardor urinae, prius accedit; et exempla etiam non defuerunt, quanquam ea rarissima esse credam, ubi tentigo nocturna alia signa praecessit. Nunc fluxus tantum cum ardore urinae adest, nunc ille solus; et, quod multo rarius, notae inflammationis absque ullo fluxu nonnunquam sese ostendunt. Aegrum aliquando tentant genitalium abrasiones, phymosis, vel paraphymosis, bubones, quique omnibus aliis signis gravior, testiculorum tumor, perinaei tumores, suppuratione, stranguria, ischuria et eneureti saepe finiti. Semen nolenti, hac in morbi specie, de qua agitur, nunquam profundi opinamur. Si haec signa supra comprehensa adsunt, curatio morbi semper multo difficilior et longior. Saepe morbo supersest testiculi vel epididymidis durities; et bubones, quamvis rarissime, in scirrhum mutant, et stranguria ardorque urinae in tempus diuturnum manent. Quod saepius, quam ullae ex hisce morbi sequelis, vel ob pravam curandi viam, vel incuriam, incidere consuevit, est humor tenuis ex urethra constanter effusus, qui nihil aliud quam materia excerni solita, reliquis signis sublatis, tenuis et copiosa manens. Hic saepe annos complures manet, et medicinae aegerrime paret. Potatione nimia vel multa exercitatione, veneriscve usu, augetur, et nonnunquam sanguinolentus fit; rarissime tamen dolore vel ardore urinae concomitatur. Noxas ab hoc morbo oriundas multos annos aegrotus persentit; nec iis totum per vitae decursum, si morbus pauculas urethrae strictiuras caruncularive, uti appellantur, reliquerit, vacabit. Historia morbi ad finem perducta, proximum est, ut ad causas dicendas transeamus.

## CAUSAE.

Utrum ullae causae proclivitatem ad hunc morbum necne dent, dictu quidem difficile; alios tamen facilius, quam alios, contagione affici solere compertum. Quae causa morbum excitat, ea est coitus impurus; et reliquae a scriptoribus, qui de hoc morbo scripserunt, traditae, utpote quae ad morbum movendum parum sufficiant, repudiandae videntur. Hunc morbum igitur facit virus admodum subtile, et si ex effectibus quos edat judicari potest, e particulis acerrimis conflatum. Hoc urethram lacunasque ita stimulat, ut inflammationem partium

cum

cum excretione muci adaucta faciat, qui viro admiſtus corrumpitur et vitiatur. Omnia fere hujus morbi ſigna, ut vulgo ſeſe oſtendit, ab inflammatione deduci poſſunt. Ab hac ab oſtiis abſorbentium uſque ad inguina diffuſa, et a viri quoque abſorptione bubones ipſi, quos hoc in morbo nonnunquam oriri dixerimus, proficiſci poſſe videntur. Illud necne tumores inguinum excitaverit, conditio inflammationis caeterarum partium demonſtrabit; namque, niſi gravis ſit inflammatio, glandulas inguinis, judicio noſtro, tumefacere nequit. Sin vero ex hac cauſa intumuerint, abſorbentia a pene ad inguen fere tumeſcere et dureſcere comperies; quod idem quoque, abſorptione viri bubones movente, incidere poteſt. Ab immunditia oriuntur partium abraſiones et phymoſis et paraphymoſis; humor tenuis ex urethra conſtanter effuſus, a partium atonia, et aliquando ab urethrae ulceribus, quae haud dubie, morbo graviſſimo, fiunt; et ex hac cauſa ſtricturae urethrae caruncula eque. Quinetiam ulcerum hujuſcemodi cicatrices, ut inciſiones Morgagnii plane teſtantur, oſtia lacunarum, quae mucum ad urethram ab acrimonia urinae defendendam accommodatum ſecernunt, occludunt; quod facit, ut dolor urinam reddendi hunc morbum nimis ſaepe ſubſequatur.

## DIAGNOSIS.

Hic morbus a quolibet alio facile ſecernitur*. Notae inflammationis partium genitalium ad eum a qualibet ſimplice gonorrhoea, vel ab ulceribus veſicae urinariae et renum, diſtinguendum ſufficiunt. Si ſigna inflammationis deſunt, hiſtoria, quam aegrotus tradat, illum ab ea diſtinguat oportet, et in his materia ſemper cum urina, et nullo alio tempore, excernitur, niſi ulcus in cervice veſicae ſedebit. Quod ſi incidat, urina nolenti conſtanter effluet, et foetor materiae deſcendentis plerumque eam ab ulcere proficiſci teſtabitur. Quinetiam ſedes morborum admodum diverſae ſunt; namque in ea gonorrhoeae ſpecie, quam exequimur, digitum unum alterumve tantum ab extrema urethra diſtat, et illic loci dolor inter urinam reddendam graviſſimus ſentitur; in aliis, contra, morbis ſupra poſitis dolor ab urina excernenda oriundus cervice veſicae urinariae ex toto continetur.

* Clar. Duncanus, in praelectionibus ſuis egregiis, in Noſocomio Regio anno 1774 habitis, materiam, quae luem, diverſam eſſe ab ea quae gonorrhoeam, gignit, his fere argumentis probare conatus eſt. Lues, inquit ille, triginta ſaltem annos ſe in Europa ante gonorrhoeam oſtendit. Nemo gonorrhoea ſola laborans luem communicare poteſt. Mercurius non eſt remedio gonorrhoeae, quae nunquam in luem nec lues in eam commutantur.

RATIO

## RATIO MEDENDI.

Hic morbus, quod neminem latet, in modum aliarum inflammationum loco propriarum, absque ope medicamentorum, sponte sua nonnunquam decedit, regimine antiphlogistico tantum adhibito, et ratione munditiae habita; cum hoc vero non toties in gonorrhoea quoties in aliis inflammationibus loco propriis incidat, quaedam medendi consilia proferemus:

I. Viro admoto, antequam notae inflammationis ullae semet ostenderint, occurrere.

II. Signa inflammationis tollere.

III. Tonum partibus reddere.

Quantum ad primum attinet, ut diversae injectiones in urethram immittantur, aliae virus, si id forte contingerent, delendi, aliae talem muci excretionem, qualis virus prius foras expellat, quam lacunas ita occupet, ut inflammationem faciat, movendi consilio, nonnulli suadent. Alii vero praecipiunt, ut injectiones astringentes fortiores, postquam rem cum muliere habueris, quam a morbo non immunem esse suspiceris, protinus adhibeantur, quales sunt solutiones sacchari saturni, &c. Quo virus deleretur, solutiones mercurii fuerunt adhibitae, et in multis exemplis, quantum judicari potest, votis ad eas decurrentium responderunt. Solutiones corrosivi sublimati ex aqua destillata saepe tentatae sunt, et effectibus, quos edant, inducti, easdem aut fere easdem esse, ac antidotum venereum celebre, quod a nonnullis tantis laudibus nuper elatum est, opinamur. Non tantum earum saepe, post infectam initam, sed quoque ubi signa leviora accesserunt, velut testiculorum rotatio, glandis penis pruritus et inflammatio levis, ostium urethrae, praeter naturam, apertum, etiamque gutta materiae urethram extremam occupans, periculum successu cum prosperrimo factum est. Hanc curandi viam, ut omnino tutam, auctoritate optimorum medicorum confisi laudamus; namque, si nihil prodest, haud dubie nocere nequit. Cum aliquantum hujus solutionis ita fortis redditae, ut singulae unciae granum unum contineant, in urethram per syringem injectum est, paulum tepidae quoque in eandem immittere conveniet; namque, hoc neglecto, inflammatio levis forsitan movebitur, quae ad curationem promovendam minime conferet.

Proximum est, ut alias injectiones consideremus, quae talem fluxum faciunt, ut virus una cum eo foras expellatur. Non nostrum omnia medicamenta, quae hoc praestare credita sint, enumerare ducimus. De uno dicere sufficiat, lixivium caustiCUM

um ſignifico, quod nuper omnibus in ore eſſe coepit, quodque, ante omnia alia idem genus, huic conſilio reſpondere videtur. De hoc medicamento a D. Balfour, in diſſertatione ſua de gonorrhoea virulenta, primum narratum eſt; ſed idem poſtea D. Warren fuſius deſcribendum curavit. Ratio id parandi eſt paululum ejus tali aquae quantitati admiſcere, ut miſtura guſtanti aliquantulum calida videatur. Si unam forte lixivii partem viginti aquae adjeceris, ſolutio ſatis fortis eſſe reperietur. Haec protinus brevive poſt coitum impurum in urethram inmittatur. In diem unum alterumve fluxum majorem cum dolore et ardore urinae movet, deinde omnia ſigna decedunt, et valetudo commodiſſima redit. Haec haud dubie gonorrhoeae occurrendi ratio efficaciſſima eſt; neminem vero ad remedium tantum doloris excitans, niſi pro certo ſe infici ſciat, decurrere debere opinor; praeſertim cum multo tutius, et non minus praeſens, corroſivum ſublimatum ſignifico, adhibere poſſit, quod ea inflammationis ſigna graviſſima, quae ab hoc aliiſque genus ſimile applicationibus oriuntur, nunquam aut rarius excitat. Alkali cauſticum mucum, quo virus involvatur, diſſolvendo, et excretionem ejuſdem faciendo, morbum quolibet alio medicamento certius praecavere ferunt. Hanc autem theoriam fundamento parum ſtabili inniti putamus, cum ſolutio tam mitis nihil aliud quam ſecretionem muci vi ſua ſtimulante augere, et hoc modo virus foras expellere, poſſit.

Quantum ad injectionum aſtringentium uſum ſpectat, eas adhibere moris chirurgicorum militarium eſſe novimus; quam ob cauſam vero ita faciant, ignoramus. Si inflammationem tollere, nullam adeſſe contendimus; ſin vero eidem occurrere velint, multis in exemplis virus hoc modo in lacunas urethrae, oſtiis earum contractis, incluſum iri, et inflammationem igitur moturum eſſe opinamur. Quinetiam, eandem ob cauſam, virus abſorberi, et in maſſam ſanguineam devehi, et ita lues venerea moveri, poteſt. Si medicorum, qui injectiones hujuſmodi laudibus concelebrant, oſtia lacunarum ita conſtringere, ut virus in ea non admittatur, nec ultra urethram progrediatur, ſed facile foras expellatur, conſilium ſit; hoc, ſi ullo tempore poſſit, protinus a coitu fieri debere exiſtimamus. Quinetiam ſub hoc tempus exitus hujuſce conaminis admodum incertus eſt, cum virus venereum naturae tam penetrabilis ſit, ut in unam pluresve lacunarum urethrae extremae, ſub primum contactum, necne ſe inſinuaverit, dicere nequeas. Hic loci pretium eſt notare, quod omnes, qui carunculis urethrae fuerint tentati, eas aſtringentibus ſub initium curationis adhibitis tribuerunt. Has ob cauſas, aſtringentia non adhibenda

benda putamus; ſed injectiones e mercurio, potiſſimum e corroſivo ſublimato, confectas, non tantum tuto, ſed etiam poſtquam ſigna morbi ſupra poſita acceſſerunt, ſucceſſu cum optimo adhiberi poſſe, nobis perſuaſum eſt.

Non pauci injectiones ex oleo et mucilagine confectas ad huic conſilio reſpondendum accommodatiſſimas eſſe putant; at nos non minus fiduciae in calida collocaremus. Qui cauſticum alcali laudibus efferunt (namque hoc ſilentio non praetereundum), id in omnibus fere exemplis intra ſex horas ex tempore, quo ſigna acceſſerint, et in multis tuto intra viginti quatuor horas, adhiberi poſſe affirmant. Hanc curandi viam periculoſiſſimam eſſe ducimus, et Doctorem Warren, virum doctum et ingenioſum, in eandem proceſſiſſe miramur. Ubi inflammatio jam ſubeſt, remedium omnium aliorum ſtimulantiſſimum adhibere, experientiae quotidianae adeo contrarium eſt, totieſque in aliis inflammationibus nocet, ut cauſa graviſſima ſit, cur omnes, qui medicinam labris primoribus attigerint, uſu ejus hoc in exemplo temperaturos eſſe putes. Quinetiam ipſi peſſima a temeritate hujuſcemodi oriri vidimus. Cum de primo conſilio ſatis dixerimus, proximum eſt ut alterum conſideremus, viz. Signa inflammationis tollere.

A. Evacuantibus. { *a.* Sanguinis miſſione, *b.* Catharticis, *c.* Diureticis.

B. Narcoticis.

C. Fomentis et injectionibus topicis.

D. Regimine antiphlogiſtico.

A. Evacuantibus. *a.* Sanguinis miſſione.

Haec non ſemper hoc in morbo neceſſaria eſt; ad eam tamen, ſi notae inflammationis magnae ſint, et diatheſis phlogiſtica invaleſcat, ut confugiatur, et pro gravitate ſignorum reiteretur, ſuademus. Miſſio ſanguinis topica per hirudines, ſigna certa levandi gratia, qualia ſunt, phymoſis, paraphymoſis, tumorque penis gravis, nonnunquam adhiberi poteſt; ſed, morbo leviore, vix neceſſaria evadet. Nonnulli medici ut vena dorſi penis pertundatur hortantur; cum vero ligatura ſanguinis ſiſtendi conſilio nulla poſſit adhiberi, hirudines huic anteponendas eſſe putamus. Sydenhamus in miſſionem ſanguinis, donec alvus per ſpatium menſis unius fuerit purgata, ne morbum in habitum corporeum repellat, acerrime invehitur. Caeterum, experientia recentiorum, qui ex quo vir ille celeberrimus fatis conceſſerit, multas medicinae partes excoluerint et illuſtrarint, nec miſſionem ſanguinis ſub initium

morbi

morbi pertimescendam esse, nec alvi purgationem, quam tantopere laudet, necessariam esse testatur.

*b.* Catharticis.

Qui primi hunc morbum curandum susceperunt, ii purgantibus drasticis, in tempus diuturnum reiteratis, solis confisi sunt. Haec autem medendi ratio ad seculum Sydenhamianum usque invaluit; et igitur, mense praeterito, detractionem sanguinis ad inflammationem, quam usus purgantium continuus movisset, nonnunquam necessariam evasisse, haudquaquam miraberis. Multi auctores non infimae notae hodierni, quamvis purgantia drastica non adhibent, ut talia cathartica tamen, qualia alvum diebus alternis, in dies quatuordecim, deinde die unoquoque tertio, in alteros quatuordecim, terve quaterve moveant, dentur praecipiunt. Quanticunque vero auctoritas horum aestimanda sit, experientia quotidiana nihil aliud, quam alvum quolibet laxante mitiore solutam tenere, necessarium esse demonstrat.

Pulvis jallapii solus, vel electuario lenitivo ea quantitate admistus, ut alvum singulis diebus semel leniter ducat, hoc apte praestabit. Haec ratio medendi hodie efficaciissima esse reperitur, noxis quae a purgantibus drasticis oriantur caret, et ad aegrotum refrigerandum, et ad diathesin phlogisticam absque incommodo tollendam, manifestissime confert.

*c.* Diureticis.

Medicamentum hujusce classis praecipuum est nitrum. Refrigerat, urinamque magnopere movet, ex aliquo potu mucilaginoso, velut gummi Arabici solutione, althaeae decocto, linive infuso solutum. Hoc modo datum non tantum per se multum prodest, sed liquor, quo solutum sit, urethram ab acrimonia urinae ita defendit, ut aegrotus, quanquam potu olim abstinuerit, ne dolor urinam reddendi augescceret, semetipsum usu ejus admodum levari sentiat, cum urina non amplius acris sit, sed mucilaginosa facta partes quodammodo foveat.

B. Narcoticis.

Haec, propter gravem dolorem et tentiginem, quae saepe noctu tam graviter urgent, ut aeger absque ope alicujus narcotici nequeat dormire, non raro necessaria evadunt. Cum ad ea decurrere coginur, reliquis praestat opium ejusve tinctura.

C. Applicationibus topicis.

Hae in cataplasmata, fomenta, et liquores in urethram injiciendos, apte dividi possunt. Quantum cataplasmata spectat, ea gonorrhoea laborantibus rare necessaria esse putamus, nisi accesserint phymosis, paraphymosis, magnus penis tumor,

&c. Si haec quidem invaſerint, ut cataplaſma ſacchari ſaturni, vel extracti Goulardi ex aqua ſoluti, adhibeatur ſuademus; namque cataplaſmata hujuſcemodi emollientibus efficaciora ſunt.

Fomenta hoc in morbo admodum utilia ſunt, et huic conſilio in primis reſpondent. Non tantum partes ab immunditia immunes redduut, et ita abraſionibus penis et inflammationi externae occurrunt, ſed poteſtate emolliente et relaxante inflammationem quoque urethrae multum imminuunt, et tentiginem tollunt. Qui modus ea adhibendi optimus eſſe videtur, eſt penem in poculum ſatis profundum, et aliquo decocto emolliente ad labra uſque fere adimpletum, in ſemihoram aut circiter demittere, et idem bis terve ſingulis diebus facere pergere. AEger, inter fomentum hoc modo adhibendum, urinam ſaepe ſumma cum facilitate excernet.

Liquores in urethram immiſſi fumnis laudibus elati ſunt, et varii, dolore, ardore urinae, tentigine gravibus, adhibiti fuerunt. Qui in hanc medendi viam proceſſerunt, et eandem tamen non acerrime propugnant, injectiones ſuas e calida, oleo, gummi Arabico ſoluto, aliiſque emollientibus, confecerunt. Haec haud dubie prodeſſe poſſunt; ſed quemlibet expertum rogare liceat, utrum penem in calidam decoctumve emolliens, demergere, non idem omnino, quod injectiones, praeſtiterit, omnis noxae et incommodi expers. Namque, ſi liquores in urethram immiſſi ultra ſedem inflammationis aſcendere permittantur, partem viri ſecum ferendo plus, quam medici opinantur, nocebunt. Nonnulli forſitan dicent, quod partes purgando, et aliquantum viri in urethra deliteſcentis ſecum foras expellendo, magnopere proderunt. Nonne vero hoc melius praeſtabunt liquores emollientes vel mucilaginoſi liberaliter epoti, unde urina quantitate, ut ſupra poſitum, multum augebitur, et, acrimonia ejus magna ex parte ſublata, urethram aeque accurate, ac quilibet liquor in eam injectus, purgabit? Alii vero, injectionibus magis etiam capti, ut aſtringentes refrigerantes in urethram, ſub hoc morbi ſtadio, infundantur, ſuadent. Inflammationem imminuendo agunt, et virium aſtringentium non parum habentes fluxum brevi ſiſtunt. Haec medendi ratio morbum aliquando tollere poteſt, et nonnunquam revera ſuſtulit; experientia tamen, proh dolor! ſigna, quanquam ex toto decedere videantur, vel cum gravitate priore nonnunquam redire, vel aegrotum infeliciſſimum bubone aut ulcere gutturis brevi infeſtari teſtatur. In exemplo ſuperiore medicus aegroto, contagionem recentem eſſe, et morbum priorem ex toto depulſum fuiſſe, in poſteriore, ſi idem cauſari nequeat, contagionem, uti eum appellat,

appellat, duplicem fuiſſe, perſuadere conatur. Praeterea eadem, quae ſimplicioribus injectionibus, his objici queunt; namque inflammationem augere poſſunt, quae hac curandi via ad teſticulos ſaepe tranſit. Hoc medicus candidus verum eſſe fatebitur; et quicunque res attente notavit, idem haud dubie vidit. Tumorem autem teſticulorum in primis, cum dolorem ſummum moveat, et aegroto moleſtiam fere intolerabilem faceſſat, vitandum eſſe, omnes uno ore conſentiunt.

Dolorem et ardorem urinae tollendi conſilio nonnulli medici opium hiſce injectionibus adjiciendum curarunt. Hoc multum prodeſſe dictum fuit, quique eo uſi ſunt, dolorem et ardorem urinae, duobus tribuſve diebus, ex toto fere deceſſiſſe, fluxum multum imminutum eſſe, et omnia denique ſigna octo, decemve diebus, omnino ſublata eſſe, memoriae prodiderunt. Caeterum hic loci notandum, eos, qui hoc injectionis genus adhibuerint, mercurium eodem tempore, et aliquamdiu poſtquam omnia ſigna evanuerant, ſumpſiſſe, quod facit, ut haec exempla admodum dubia eſſe videantur.

Injectiones e mercurio compoſitae huic conſilio reſpondere poſſe ſunt creditae. Nonnulli, quos ſummo honore ſemper merito proſecuti ſumus, quorumque opiniones quam plurimi nunquam non faciemus, mercurium vi antiphlogiſtica praeditum inflammationem minuere, et igitur non parum in morbum poſſe opinati ſunt. Unguentum mercuriale oleo admiſtum, vel ex vitello ovi ſolutum, ad hoc conſilium accommodatur. Sed, cum bona tantorum virorum venia, opinionem propriam liceat proferre; viz. mercurium potius virus, quod contingat, extinguendo, quam ulla poteſtate quam habeat antiphlogiſtica, agere, et ita cauſam inflammationis tollere, morboque mederi. Denique, ſi ullam injectionem ad hoc conſilium accommodari putaremus, ultimam reliquis anteponeremus; ſed morbum abſque ulla tutius faciliuſque depelli poſſe exiſtimamus.

D. Regimine antiphlogiſtico.

Hoc diligenter adhiberi debet, quod per hoc ſolum, abſque medicamentorum ope, multi ad ſanitatem reducti ſunt. Cibus aegroto ſit levis et refrigerans. Omnibus ſalitis et condimentis, potiſſimum vero liquoribus ſpirituoſis vel fermentatis, abſtineatur. AEgrotus ſerum ſuccumve limonum dilutiorem bibat; exercitationem violentam, cum nihil ad curationem hujus morbi tantum, quantum quies, conferre compertum ſit, diligentiſſime caveat; et veneri, et cogitationibus libidinem moventibus, bellum indicat. Nunc ad conſilium ultimum ventum eſt, viz. Tonum partibus reddere.

Si ſigna inflammationis ex toto decedant, et fluxus parcior tantummodo reſtet, laxitati partium, a qua morbus omnino

pendeat, quamprimum succurrendum. Totum igitur systema cortice Peruviano et diaeta lautiore firmare conveniet. Quinetiam tonica topica, qualia sunt injectiones astringentes, magnopere proderunt; namque, signis inflammationis sublatis, et materia igitur virosa extincta, nihil noxae ab iis metuendum. Injectiones autem optimae ex extracto Goulardi, saccharove saturni ex aqua rosarum soluto, compositae sunt. Alii astringentia alia laudarunt, qualia sunt corticis quercini decocta, &c.; sed, hoc in morbi stadio, talia adhibere, nostro judicio, rarius necessarium erit. Balneum frigidum, sub hoc tempus, multum auxilii promittit, vicem tonici, cum universi tum topici, supplens; etenim, balneo universo frigido utili, applicatio frigidae topica non inutilis erit.

Cum fluxus hisce remediis non tollitur, sed tenuis et copiosus, absque ullis inflammationis signis, manet, balsama varia in eum posse affirmarunt auctores; quod vero omnes efficacissimum esse fatentur, est balsamum copaibae. Alii hoc medicamentum summis laudibus nuper concelebrarunt; alii, contra, in id, ut prorsus ineficax, acerrime invecti sunt. Quantum nos spectat, id non inutile esse putamus, iis quae ipsi notavimus, quaeque auctores graves retulerunt, inducti. Qui ex toto repudiandum esse contendunt, eos id nimis parva quantitate dedisse suspicamur. Non quidem semper efficax fore affirmamus; morbum tamen, cum aliquot, si fides aegrotis ipsis sit habenda, annos manssisset, sustulisse compertum habemus. Vir celebris Ellis, qui dissertatiunculam de hoc morbo, ante aliquot annos, conscripsit, hoc medicamentum magnopere laudat, et nonnullis forsitan id nimiis laudibus ornasse videbitur: Nos vero iis, quae de ejus utilitate tradiderit, facile fidem habemus. Non pauca ejus pericula eodem modo, quo ab illo fuerit datum, et eadem quantitate, successu cum evidente, fieri vidimus; adeo ut non dubitemus, quin plures ejus periclitationes factae fidem adversariis ejus, multis in exemplis fore utilissimum, fecerint. Qui plura de eo scire vult, Ellis de gonorrhoea virulenta adeat.

Qui fluxu hujusce modi conflictatur, is omnem exercitationem violentam, praesertim equitationem, fugiat; cum experientia sanguinolentum plerumque, hac adhibita, fieri testetur. Pauci vini generosi cyathi aegroto non nocerent; e vero potationem minuam, et, ante omnia alia, venerem, interdicimus. Cum fluxus hujusmodi aliquandiu mansit, et e signis certis eundem ab ulceribus urethrae, quae, ut opinamur, ardor urinae in certa urethrae parte tantum semper concomitabitur, proficisci judicamus; ad usum mercurii internum, cortice Peruviano, aliisque tonicis universis omissis, at in nulla

ali

alio morbi ſtadio, conſugi debere exiſtimamus. Quinetiam injectiones corroſivi ſublimati utiliſſimae erunt; cum omnia ulcera in primis expurgent, pus melius efficiant, et proclivitatem ad ſaneſcendum inducant. Nonnulli auctores hoc in caſu ad ea, quae Anglice *Bougies* appellantur, decurrunt, et per ea carunculis occurrere, vel, ne diameter urethrae cicatricibus earum imminuatur, cavere conantur. Ea vero, niſi fluentum urinae manifeſte fuerit imminutum, non adhibenda putamus; namque in ulcera ipſa parum nihilve poſſe, et nihil aliud quam urethram dilatare, credimus.

Cum fluxus ſupra poſitus a laxitate partium pendet, et injectionibus vim aſtringentem meram habentibus non paruit, eis vitriolum album cum ſucceſſu proſpero fuit adjectum. Hoc ſemel ſingulis diebus tantum, et ſub tempus cubitum eundi, utendum eſt; cum exercitatio poſtea adhibita inflammationem non parvam moveret.

His, quae tribus conſiliis reſpondeant, jam expoſitis, tantum reſtat, ut injectiones primo potiſſimum accomodari dicam. Quae e corroſivo ſublimato compoſitae ſunt, eae, propter cauſas ſupra relatas, reliquis anteponendae videntur. Per ſtadium morbi inflammatorium, haudquaquam adhibendas putamus. Unica ad quam tuto poteſt decurri, ex unguento mercuriali Saunderive praecipitato, oleo admiſto, confecta eſt. Per ſtadium ultimum utiliſſimas eſſe judicamus, et aſtringentes aliis praeferimus; niſi, ut ſupra poſitum, cauſa ſit, cur ulcera in urethra eſſe credamus. Si vero res ſeſe ita habet, ut ad corroſivum ſublimatum rurſus decurratur, ſuademus. Quantum ad curationem ſignorum ſingularium, hunc morbum aliquando concomitantium, attinet, ſatis forſitan jam diximus. Cum vero omnia plerumque inflammatoria ſint, iis per miſſionem ſanguinis, et topicam et univerſam, laxantia lenia, et cataplaſmata ſacchari ſaturni partibus laborantibus admota, occurrere conandum eſt. Quantum curationem teſticulorum tumefactorum propriam ſpectat, lectorem ad diſſertationem a D. Threlfal in vulgus editam relegamus. Quantum vero ad curationem ſtricturarum et carunculorum attinet, fiducia in uſu comprimentium (Anglice *Bougies*) in canalem uriniferum introductorum, nobis ex toto collocanda. Alii auctores alia laudarunt. Alii ea, quae vim cauſticam habeant, ad carunculas delendas accommodatiſſima eſſe crediderunt. Alii, contra, forma ſola agere, et nihil aliud poſſe, quam obſtructiones urethrae comprimere, et ita exitum urinae liberum conciliare, opinati ſunt. In hanc ſententiam concedimus.

Ex emplaſtro adeo duro, ut obſtaculum quodlibet, quod in urethra poſſint offendere, facile exſuperent, et adeo flexili, ut

ut introducta quam minimum doloris moveant, confici debent. Quinetiam ex emplaſtro adeo tenaci componantur, ut in urethra frangi non periclitentur. Compoſitum ſequens forſitan has dotes habere reperietur.

℞ Reſin. alb. ℥i.
Cer. alb.
Empl. commun. *aa.* ℥ſs.

leni calore admoto liqueſcant, et adde pulv. rad. anchuſ. ℥ſs. Cola, emplaſtrumque fiat, in quod panniculi linei ſunt demittendi, et in formam *Bougies*, uti vocantur, redigendi. Denique, ſi multum auxilii ab uſu eorum ſperaveris, diu et conſtanter adhibeantur.

---

## DE SYNOCHA VEL FEBRE INFLAMMATORIA.

QUONIAM rariſſime hic morbus abſque aliqua phlegmaſia, aut ad hanc ſaltem proclivitate, aggreditur, eoque quodammodo ante tractatus exiſtimandus eſt. Eadem fere ſymptomata, eaſdem cauſas, eandem curationem generatim, quae ad phlegmaſiam, comitante febre, pertinent, agnoſcit.

Calore plurimum aucto, pulſu frequente, valido et duro, urina rubra, ſenſorii functionibus parum imminutis, definitur *. Ab horrore perquam inſigni incipit, calore intenſo, vultu rubro et turgente, dolore capitis magno, arteriarum temporalium vibratione enormi, lucis impatientia ſequentibus. Cutis, lingua, et fauces arent, ſitis magna, ſpiritus cito et aegre tractus, lumborum dolor gravis, alvus plerumque aſtricta, inquietudo et jactatio moleſta, delirium, progrediente morbo, adeo effraene, ut aeger vix lecto retineri poſſit, conſueta ſymptomata ſunt. Exacerbationes et remiſſiones admodum obſcurantur.

Morbus circa diem ſeptimum aliqua vacuatione ut haemorrhagia vel ſudore, urina ſedimentum deponente, ſolvi ſolet.

Curatio in diathеſi phlogiſtica ſupra modum provecta, adminiſtratione antiphlogiſtica † et ſanguinis per venas detractione minuenda omnino fere vertitur. Ut in ſynocho, qui inter ſynocham et typhum medium aſſerit locum, reactio vehemens, cito in debilitatem deceſſura, prima morbi ſtadia occupant, ita judicium etiam in ſynocha ſanguinis detractione proſpere utendi, aut ſaltem eandem repetendi, non ſine ſcrupulis eſt. Synocha nunquam, ſaepe ſynochus, contagione malum, typhi

* Cull. Gen. Morb. † P. 38.

more,

more, ſpargente, per populum graſſatur. Quae res praecipuum initio diſcrimen horum morborum praebet. Poſt quod ſanguinis detrahendi modus his rebus praecipue, aetatis, roboris, habitus, coeli, anni tempeſtatis, conſuetudinis ſanguinem mittendi, morborum ſuperiorum, morbi vehementiae et temporis, ſanguinis detracti ſpeciei et effectus, ratione regendus eſt. De his fuſius poſtea dicendum erit. Cathartica lenia et refrigerantia, praeſertim ſi de venaeſectione haereamus, uſurpari poſſunt; his tamen, maxima ex parte, clyſmata ſubſtituuntur. Ad alvum ducendam, calorem minuendum, et diaphoreſin promovendam, ſales neutri, acida, et prae caeteris vegetabile, diluentibus adjunctis, optime conducunt.

ORDO

# ORDO TERTIUS.

# MORBI FEBRILES.

## DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

*AUCTORE JOS. BRANDRETH.*

"INTERMITTENTES, eae ſunt febres, quae paroxyſmis pluribus, apyrexia, ſaltemre miſſione evidente interpoſita, cum exacerbatione notabili, et plerumque cum horrore redeuntibus, conſtant *."

A circuitu, vel tempore in quo hae febres recurrunt, characteres generici repetuntur; atque eo quotidianae, tertianae, quartanae nuncupatae fuerunt. Hae ſunt praecipuae, ſi non unicae periodi, quae accidunt, vel clara obſervatione ſanciuntur. Licet, apud obſervationum ſcriptores †, longiore circuitu quaedam rediiſſe reperiantur; id tamen adeo ‡ raro evenit, ut nobis illas, num alienam ab illa caeterarum cauſam agnoſcant, ſuſpectas habere fas ſit. Immo quam maxime veriſimile eſt, meo ſaltem judicio, illas vel ex caſu, vel aliis quorum ſum ignarus, morbo ipſo minime propriis, potius quam ex ullo diſcrimine ſingulari pendere.

Exempli gratia, ſi uno paroxyſmo prorſus careat tertiana, vel ſi quartana per diem procraſtinetur, typus gigni quintanus videretur. Tertiana, paroxyſmos duos praetermittens, ſeptenariam ſe praeberet. Sic de aliis ratiocinari poſſumus. Ideoque, merito jure omnes typi, ultra quartanum porrecti, ſunt omnino negligendi.

Nunc operae pretium erit, nonnulla de tribus generibus antea memoratis praefari: Horum enim diſcrimina non dilucide ſatis videntur explicniſſe auctores; cum tamen haec noviſſe, non parum ad ſingulorum indolem detegendam conferat.

I. Apud plures eruditiſſimos atque obſervantiſſimos medicos, de *quotidiana* auctorum, multum dubitatur.

Hippocrates nuſquam quotidianae mentionem injecit.

* Culleni Synop. noſol. meth. par. iv. p. 254.
† Schenckii Obſ. med. de rar. et inſol. feb. typ. p. 745.
‡ Schenckii, ibid. ex Galeno, et omnes.

Mercurialis,

Mercurialis, qui artem medicam per quadraginta annos verſatiſſime factitabat, ne ullum quidem exemplum quotidianae ei occurriſſe dixit *.

Riverius, inter ſexcentos acceſſione indies vexatos, vix unam nomen quotidianae mereri, ſcite notat †.

Senac quotidianae inter febres veras intermittentes nullum praebuit locum ‡.

Cleghorn, necnon Pringle, inter intermittentes exercitatiſſimi, ne quidquam ſane de hac commemorarunt.

Haec igitur efficiunt, ut, annon quotidiana vera unquam exiſtat, ſuſpicari liceat. Et, ſicubi febres talem ſe ferant ſpeciem, potius ad aliquid adventitium, quam quidvis ſpecificum, attribuendae ſunt. Etiamſi illud interdum lateat, tamen valde perpetim ſtimulantia, et prae caeteris diatheſis inflammatoria, ſive ſit naturalis, ſive regimine calidiore inducta, incuſanda ſunt. Quo enim major, caeteris paribus, haec diatheſis viget, eo longiores violentioreſque forent paroxyſmi: Et quoque pro vehementia durationeque paroxyſmorum, eo crebrius recurrunt. Atque, ſi unus ad alterius acceſſum produceretur, febris tunc continua vel ſine remiſſione eſſe videbitur. Propterea quod exacerbatio vix notatu invadat, et morbi facies ab intermittentium indole adeo deflexerit, ut forma longe diverſam putaveris, niſi cauſa totaque ſerie et morbo tum publice graſſante probe obſervatis, quaelibet ſobolis ſpecies ſui originem prodidiſſet.

En febrium intermittentium, et aliarum prae ſe continuarum ſpeciem ferentium, cognationem quaeſtiſſimam ‖!

II. Tertiana paroxyſmis ſimilibus intervallo quadraginta octo circiter horarum revertentibus conſit.

Univerſa fere hujuſce dominatio admodum probabile reddit, eam omnibus caeteris eſſe fundamento.

Cleghornii aliorumque quos ipſe citat auctorum, Pringelii quoque, et Lindii obſervata, plane tertianam ſingularum regionum paluſtrium epidemiam eſſe, monſtrarunt. Nec, quantum ſcio, legitur de alio febrium typo populariter graſſantium. Praeterea, aliarum in alias, frequens faciliſque tranſitus hanc firmat opinionem, vel minimum omnibus quiddam commune ineſſe clare demonſtrat. Quin etiam, ſtimulantibus ablatis, quotidiana promptiſſime in tertianam migrat; et febris perraro quartanae typum aſſumit, niſi ex tertiana male judicata et inveteraſcente §, vel temporum viciſſitudine **, vel in hominibus ſenectute aut adverſa valetudine confectis.

* Tract. de febr. lib. v. cap. 12. † Prax. med. lib. xvii. cap. 4.
‡ De recond. febr. nat. lib. i. cap. 1. et 12. ‖ Cleghorn, p. 166.
§ Hipp. de Affect. ** Lanciſi de nox. effl. pal. lib. i. par. i. c. 12. § 5.

Ex quibus, hanc, de qua verba nunc fiunt, aliarum esse principium, pronum est credere.

Haec vero febris ipsa interdum varias admodum exhibet facies: Adeo ut Cleghorn, qui has perquam accurate depinxit, hunc nomine morbi proteiformis apprime designat. Saepe diversas, vel in singulis paroxysmis, formas induit.

In species hoc genus febrium, secundum diversitatem. 1. Typorum; 2. Symptomatum; 3. Causarum iis saventium; 4. Conjunctionemque cum aliis morbis, reductum fuit. Si vero ad tria postrema spectes, species absque ratione numeroque augeri inveniemus. Itaque de typorum varietate tantum sermo nobis erit. Et ex his principes sunt:

1. Legitima, ea dicitur tertiana, cujus accessus alternis diebus, nec ultra duodecim horas, extenditur.

2. Si vero ultra has progreditur, spuria vel illegitima nominatur.

3. Duplici incidit accessu quotidianus, et multis pro quotidiana habetur; verum paroxysmis alternis aequalibus cognoscitur.

4. Duplicata accessus binos habet alternis diebus, ut primo et tertio, nullum vero die secundo, quarto, &c.

5. Triplex illa est quae primo tertioque die duos, secundo et quarto unicum accessum, consequitur *. Haec est semitertiana Hoffmanni.

III. Satis de typo quartano jam jam egimus.

Intermittentes quoque in vernales et autumnales interstinctae fuerunt. Tempora singularum ortui assignata non nimis stricte sumenda; et forsitan utilior divisio, quanquam haec ab illa haud multum distet, foret, prout phlogisticae vel putridae corporis diatheli implicantur. Illa primo vere, climatis frigidis, hominibus in flore aetatis; haec praecipue in autumno, et in regionibus calidioribus, valet.

## HISTORIA MORBI.

Intermittentis paroxysmus per symptomatum tria diversa stadia designatur, quae hoc in ordine occurrunt:

I. Stadium Exhorrescentiae, horroris, frigoris.
II. Caloris.
III. Sudoris.

In hujusce morbi recursum tradendo, ex votis est, signa singulorum stadiorum, quantum res sinet, seorsim denarrare. Sed monendum est, aliud in alterum tam sensim obrepere, ut dici, ubi illud terminet vel hoc incipiat, non possit.

* Op. omnia, § i. cap. 5. tom. II.

I. Instantem

I. Inſtantem febris intermittentis acceſſionem praenunciant, gravativus ſomnolentuſque torpor, languor, et laſſitudo. Haec partim ad pigritiem, partim ad veram debilitatem, referenda ſunt. Itaque aeger, quaſi fatigatus, ad ſuſtinendum ſe erectum parum valet, ac protinus decumbere cupit. His illico accedunt pandiculatio, oſcitatio cum quodam oppreſſionis ſenſu; et in ſomnum aliquando proclivitas urget. Dolet haud raro quoque dorſum; et ſenſus praecordiorum, tenſionis hypochondriorum adeſt, moleſtus. Inde fere proximus tranſitus eſt ad horripilationem, et corporis refrigerationem, praeſertim partium extremarum, aurium nempe, naſi apicis, digitorum, manuum, pedum, quae cito liveſcunt.

Haec vero non modo anteit inſignis decoloratio, verum etiam externi habitus extenuatio, evaneſcentiaque omnium vaſculorum ſuperficiei. Praeterea cutis ita ſtatim ſe ad capillorum radices adſtringit, ut pellem anſerinam mentiatur. Frigoris ſenſus haec comitatur; qui primo adortu ſaepiſſime in pedes, at haud raro per dorſum, quaſi ſerpere videtur; magis magiſque autem auctus, transfuſionem aquae frigidae, vel aeris rivulum, ſolet aemulari. Mox equidem totum pervadens corpus eo intenditur, ut aeger nullatenus calefieri poſſit. Veruntamen calor corporis minorem revera imminutionem, quam facile credere poſſumus, patitur. An minimam, inter medicos diſceptatur. Sed ab experimentis Sauvageſii *, et aliorum ſaepiſſime in Noſocomio regio Edinenſi ad amuſſim captis, conſtat ſane, plerumque calorem incipiente paroxyſmo deprimi: Nonnunquam vero ſub horrore, ſaltem in calidis regionibus, intendi poteſt, quando maxime de frigore clamitatur.

Paulo poſt, his pedetentim ſuperveniunt varii anomali motus, horror, rigor, et tremores, primo parum conſtantes; at cito occupant totum corpus; atque imprimis has partes quibus imbecilles ſunt antagoniſtae. Hac de cauſa, maxilla inferior et artus vehementer ſuccutiuntur: Dentes magno cum ſtrepitu ſtridunt. Motus illi haud parum convulſivi eſſe videntur; et aeger validiſſimo conamine illos refraenare nequit.

In principiis, videbitur arteria quodam modo eſſe alligata, atque ad interiora retracta, et prohiberi ne inſurgat. In inſultu enim paroxyſmi, frequens, exilis, debiliſque, et in quibuſdam admodum irregularis fit pulſus: Atque ita per hoc ſtadium perſtat. Hoc utique prope perpetuum eſt. Cleghorn autem, quidam et alii, plenum invenerunt pulſum ma-

* Noſol. meth. vol. i. p. 279.

gno cum dolore capitis: Ex quibus plerumque exoriebatur febris ardens cum delirio.

Invadente acceſſione, tarde et graviter, ſed brevi arcte, difficulter, et admodum frequenter, ſpiratur. Tuſſis quoque aſſidua et perſicca, cum anxietate, ſaepius vexat aegrum.

Secretiones cujuſcunque generis aut penitus ſupprimuntur, aut multum imminuuntur. Os et cutis ſicca ſunt: Exinde ſitis urget. Urina vel prorſus retinetur, vel parca prodit, odore carens, limpida tenuiſque, nullum ſedimentum deponens. Venter adſtrictus eſt. Haemorrhagiae obſerantur. Omnes appetitus, vel rerum aſſuetarum, delentur. Senſus caligine cooperiuntur. Animi mire vacillant functiones.

Haec ſtipantur inquietudine anxia et praecordiorum nauſeabunda anguſtia, quae primo in conatus, tandemque actum, movendi erumpunt; quamvis quidem per hoc ſtadium incaſſum potius ſeſe torqueat patiens, quam multum evomat.

II. Hactenus ea ſigna retulimus, quae primum ſtadium conſtituunt. Haec etiam varie gradu et duratione, pro aegrorum aetate, corporis habitu, morbo ipſo, caeteriſque indagationi minime ſubjectis, ſaeviunt.

Nunc vero alia toto coelo a prioribus diſcrepantia imminent. Scire enim licet, calorem non longo poſt tempore ſenſim accendi, et cito per totum corpus diffundi. Hac periodo equidem, ſigna prioris ſtadii haud pauca eouſque manſerunt. Refrigeratio fervorque viciſſim ſollicitant. Sed aliquantulo temporis ſpatio peracto, ardore ſicco valente, horrores atque tremores penitus fugantur: Simulque corpus, potiſſimum vero interiora, valde inardeſcunt: Superficies quoque, prae caeteris facies et manus, nunc turgidiores, multum ruboris prae ſe ferunt. Caput graviter dolet: Tumidi ſunt oculi, ac lucem refugiunt. Mens valde perturbatur. Homo delirat. Arteriae temporales vehementer agitantur, et digito admota ictus fortiſſimos reddunt. Nonnunquam coma, vel altus ſopor, propemodum apoplecticus, obſervatus fuit.

Simulatque hoc ſtadium incipit, pulſus ſe pleniorem, validiorem, minus frequentem, et magis regularem praebet; ſed naturali durior et magis contractus etiamnum remanet.

Reſpiratio pari greſſu incedit; nunc liberiore facta, ejus infauſta phaenomena paulatim evaneſcunt.

Secretiones adhuc occluduntur. Os, cutis, &c. ſicca ſunt. Lingua arida et ſcabra. De ſiti inextingibili aeger conqueritur. Ulcera tument dolentque.

In variis haec varie ſaeviunt durantque.

III. Poſtquam ſecundi ſtadii deferbuerunt ſymptomata febrilia, aeſtus ſit lenior, cutis laxatur et madeſcit; ſitis ferme tollitur.

tollitur. Sudores primum circa caput exſudant, ac dein pedetentim in partes vicinas obrepunt: donec corpus aequaliter molle et calidum efficiatur, et inſudatio ubicunque invaleſcat. Sudores tandem copioſi tenueſque paroxyſmo finem imponunt.

Quam primum apparent ſudores, pulſus minus frequens, tardior, magiſque mollis, plenior, et cito ſimilis ac in ſanitate, devenit.

Pulſui ex toto concurrit reſpiratio. Itaque fit in hoc ſtadio magis libera, rara, et ſine mora naturalis.

Reſtituuntur, immo uberiores fiunt, omnes ſecretiones. Os, fauces, humectantur; et haud raro alvus reſpondet.

Urina largiter profluit; et quamvis in aliis alia, in pleriſque tamen craſſa turbidaque eſt, ſedimentum copioſum et ſubrubrum, lateritium apud medicos dictum, demittens. Idem in ſcorbuticis aliquando accidit *. Modo enim urina limpida et pura eſt; ſed hoc perraro evenit; modo quaedam ſubſidunt, haud pulveri cretaceo abſimilia. Quin haec non huic morbo ſolummodo, verum etiam arthritidi †, contingunt.

Sub finem hujus ſtadii, ceſſant nauſea et vomitus; redit cibi et aliorum cupiditas.

His abſolutis, ſanitatem propemodum conſuetam recuperaſſe videntur patientes.

Per apyrexiam haud pauci quodam languore, debilitate, vel ſaltem inſueta frigoris externi ſenſibilitate, afficiuntur. Pulſum tardiorem et quodammodo debiliorem eſſe, urinam ſedimentum magis ſolito deponere, nonnulli ſe obſervaſſe dicunt. Porro, paroxyſmis vel naturae moliminibus pacatis, febricitantes haud raro, circa tempora acceſſionum, quibuſdam moleſtis perceptionibus, deſidia, proſtrationeque appetituum, anguntur. Aliquando caput et dorſum dolent, et ſigna vel evidentiora paroxyſmi ſaepe ſe exſerunt.

De reditu vel circuitu ſupra agebatur. In opinione fuit, quotidianam plerumque tempore matutino invadere; tertianam magis ante et verſus meridiem; quartanam poſt meridiem ‡. Haec vero non nimis ſtricte intelligenda ſunt.

Talia ſunt in genere ſymptomata circuitus febris intermittentis, ſatis ut ſpero lucide quamvis carptim depicta. Verumenimvero, ſilentio minime tranſeunda ſunt alia frequenter occurrentia. At ſaepe tam larvata fuit propria intermittentium indoles, ut vix et ne vix quidem expertiſſimi eam detegere potuiſſent. Notat enim Sydenhamus ||, "In conſtitu-

* Haller. Boerh. praelect. acad. tom. vi. § 8.

† Caverhill on the Gout, chap. 13.

‡ Stahl. in Haller. Diſp. med. vol. v. p. 10. Carl. ſpec. Hiſt. med. et Sauvages, de ſingulis.

|| Epiſt. prim. reſp.

tione

tione quadam epidemica contigiſſe, ut earum paroxyſmi non cum rigore et horrore, quos poſtea febris excipit, invaderent, ſed aeger iiſdem plane ſymptomatibus tentaretur, ac ſi vera apoplexia laboraſſet." Quid multis? quoniam ſibi tam varias induerunt formas, ut fere omnes morbos, quibus homines obnoxii ſunt, ſimulaverint. Coma ſcilicet, motus convulſivos *, dolores vagos, praeſertim capitis, vomitiones, purgationes, ſyncopen, aſthma, ophthalmiam, &c.

Item acceſſiones frigorificae, nullo fervore ſenſibili exceptae †, obſervatae fuerunt. Neque deſunt exempla febrium a calore, nullo praevio frigore exorientium, dum aliae cute plane ſicca et abſque ſudore abſolvuntur ‡.

## PRINCIPIA MORBI.

Cauſae remotae ad quatuor genera referri poſſunt: Scilicet, ad

I. Effluvia quaedam ex paludibus vel agris humidis ſub quodam caloris gradu exhalata. De his infra.

II. Contagium, vel materiem ab infecto hoc morbo emiſſam, homini ſano applicatam, quae eundem morbum creat. Unde fiat, vix patet; ſive effluvia circa aegrum accumulata tranſmittuntur, ſive, quod veriſimilius eſt, fermentationem in noſtrum corpus cientia vel ſeipſa augmentant, vel contagium ſpecificum faciunt. Clare nunc elucet, haſce febres nonnunquam contagioſas eſſe ||, potiſſimum quidem in calidioribus regionibus, ubi non raro diatheſi putridae implicantur.

III. Frigus externe admotum. De hoc poſtea agendum eſt.

IV. Debilitatem ſeu nimiam mobilitatem generis nervoſi; quae imprimis haſce cauſas agnoſcit:

1. Idioſyncraſiam, quae facile in debilitatem labitur.

2. Morbos praegreſſos, praeſertim febres intermittentes. Caeteris enim paribus, quo diutius hae perſtiterunt, eo facilius recidivae ſunt. Ideoque convaleſcentes facillime in eundem relabuntur. Quippe quum, ex lege oeconomiae, motus plerique et conditiones primum minime naturales, ſaepius iterati vel diuturne continuati, quaſi ſolennes fiunt; et aegre extolluntur, vel, ſi poſſent, data occaſione, prompte repullulant.

3. Errores in rebus vulgo non naturalibus nominatis. Quibus debilitas ſuccedit.

4. Pathemata enervantia; qualia ſunt timor, deſperatio, moeror, et alia id genus.

* Senac. de recond. feb. natur. lib. i. cap. 17.
† Manget. Bib. med. pr. tom. ii. p. 14. ex Ettmuller.
‡ Lieutaud. Synop. med. pract. univ. p. 35. || Cleghorn, p. 132.

5. Quaſdam

5. Quaſdam ſtomachi affectiones, vel ex morbo proprio vel ſympathetico vel ex crapula orientes, quarum ſingulae debilitatem afferant.

6. Evacuationes enormes.

Ad illa, I. unde abii, redeo, quippe quae maximi momenti ſunt.

Ex cauſis hujus morbi remotis, quam efficaciſſima ſunt miaſmata paludoſa, quibus intelligimus, quiddam a paludibus vel agris madidis ſub quodam caloris gradu eductum, et in aere diſſitum.

Omnes ab Hippocrate ad noſtrum uſque ſeclum, de intermittentibus tractantes, in locis paluſtribus, vel aliis poſt inundationes, illas maxime graſſari notaverunt. Quamobrem haud pauci quidem eaſdem ex humiditate mera, vel vaporibus pure aquoſis, contendunt oriri. Talia autem nequaquam poſſe tantos effectus edere, ex ſequentibus documentis liquido patebit.

Primo, nautae, et homines juxta lacus profundos et maria alta accolentes, non ſpecialiter intermittentibus proclives ſunt: Nec, ſecundo, illi ſaepe imbribus delaſſati. Tertio, cujuſdam meridionalis gentis meminit Arbuthnot, ſub jove fervido undis collum tenus ſe per totum diem tenentis immerſos: Hos vero ſpeciatim intermittentibus infeſtari non liquet. Quarto, laborantem ante acceſſionem in balneum tepidum demittendo, et eum ibi per primi ſtadii tempus detinendo, ſaepe ex toto obviam eidem ire valemus. Poſtremo, agris, receſſu vel evaporatione aquarum limoſis relictis, hae febres ſolummodo graſſantur: At, ſi reducantur aquarum copiae, febres, vel epidemice ſaevientes, aeque certe ſupprimuntur, ac ſi terra ipſa ſiccior reddatur *.

Proinde manifeſtum eſt, paludes vel lacus depreſſos ſolum iſta emittere poſſe, quibus homines intermittentibus objiciuntur. In his locis, maxime veriſimile eſt, fermentationem quandam fortaſſe putredinoſam naſci. Sed, a quacunque cauſa, pro certo ſane ſcimus quaſdam materies ſui generis evolvi.

De miaſmatum indole nihil comperimus. Opinatur Lanciſius partim animatam partim inanimatam eſſe. Utrum necne, haudquaquam liquet, neque multum refert.

De eorundem utique effectibus in homines certiores facti ſumus. Namque, per aerem diſſeminata, pro cauſa intermittentium, ſaltem epidemicarum, ſi non omnium, praeter has ex contagione orientes, recenſenda ſunt. Quandocunque enim haec abſunt, vel iſta quae ſupra monſtravimus ad eorum ge-

* Lanciſi de noxiis palud. effluv. paſſim.

neralionem

neratione necessaria esse, tunc homines harum febrium expertes vitam degunt.

Haec noxia vel haud longe per coelum dispergunter, vel per diffusionem vel misturam, vim corpori nocendi prorsus amittunt. Hoc comprobant multi.

Ramazzinus ait, hunc morbum, in humilioribus locis, ac ubi stagnant aquae, sedem fixisse, et non ampliora spatia occupasse.

Pringle observat, non solum milites advenas, sed etiam terrae incolas, tanto magis universe febricitare, quanto propius ad paludes commigrabant; et loca altiora, quamvis non longe remota, esse salubria.

Lind quoque, febrium continuarum remittentiumve oppido minantium apud *Portsmouth*, et fere per totam insulam *Portsea* saevientium, meminit. Sub eodem tempore *Gosport*, a Magno Portu mille passuum solummodo dissita, omnibus fere morbis vacavit. Has febres obiter ad intermittentes referre licet; tunc epidemicas et cortice Peruviano curabantur optime.

Praeter haec, his miasmatis inest aliquid notatu dignum. Peregrini nempe multo facilius quam indigenae illis contaminantur. Hoc, consuetudini vel potentiae systematis nostri, qua omnia ei applicata, mobilitatem minime augentia, iteratione aut flaccescunt aut omnino debellantur, deberi videtur. Hanc ob causam etiam videre est, quare intermittentes illos magis saeviter quam hos aggrediantur.

Si ad tempus anni et aeris constitutionem respiciamus, sub quibus intermittentes imprimis grassantur, scire licet, calore haud minimo opus esse; namque in summa hieme vel primo vere rarissimae occurrunt, et ne semel quidem epidemiarum nomen meruere antequam solis ardore exhalationes ex stagnis factae fuerunt uberiores, et aquae nunc coenosae in putredinem vergunt. Hoc expedite, aquis impuris, variisque fracescentibus refertis, et calori patentibus, contingit. Multum obtinet calor in plerisque morbis epidemicis et contagiosis promulgandis, inter quos locum tenent intermittentes.

Praeter ejus potestatem miasmata producendi, corpus magis opportunum quod cantis febrium afficiatur. Namque firma simplicia laxat, vires enervat motrices, earum vero mobilitatem intendit, et fortassis fluida ad putredinem solito majorem trahit. Si calida et uda aeris temperies sit, quod saepe accidit, magis noxia et periculosa fit. Aer, jam aqua gravatus, minus ad evehendum perspirabile pollet; adeoque perspirationem et omnes secretiones valde inhibet, et corpus debilitat.

Docuit Lind, Eurum vapores aeque ac fuliginem densos ex stagnis

ſtagnis limoſis ſuſtuliſſe, qui ſubito mercurium in thermometro infra gelu ſaepiſſime deprimunt.

Nonne hoc ad peſtiferam hujus venti qualitatem explicandam, et intermittentium cum crebras invaſiones tum relapſus illo tempore, conducet?

Ex cunctis proinde creditu facile eſt, eadem origine omnes intermittentes vel ſporadicas eſſe prognatas. An per longum tempus in corpore latere queant miaſmata, vel an omnis humida terrae pars, quod veriſimile eſt, haec ſubinde ſuppeditare poſſint, quo imbecillis, et his ad hunc morbum aptiſſimis, noceant, nihil refert.

Idcirco quidem, ut opinor, valde dubitatur, num intermittens ſaltem primigenia ſine his vel contagio unquam conſit.

Haec vero in genere ſola non ſufficiunt; ſed intercedentem aliam poſtulant cauſam, quae ſaepius eſt frigus, vel alia ſupra relata, ut morbus adducatur. Aliquando autem ſcla valere videntur *.

## CAUSA PROXIMA.

Febres aeque ac plerique morbi fluidorum intemperiei aſſignatae fuerunt. Antiquorum pars melior febrem tanquam calorem ſanguinis praeter naturam auctum habuit; illamque variis acrimoniae generibus adſcripſerunt auctores nonnulli.

Nuper doctrina, fere omnibus adſcita, eſt illa viſciditatis et lentoris in ſanguine pollentium, quibus fluida obſtruuntur in vaſis minimis, ibi ſtagnant; et inde, ut illis videtur, tempus frigoris oritur, quod ſanguinem repellit a corporis ſuperficie verſus interna viſcera et cor. Hoc ſtimulare excitareque creditur. Sic in opinione eſt, fluida obſtructa, impetu ſanguinis aucto, propelli; lentore morboſiſque ſanguinis concretionibus evictis, et vaſis ſecernentibus amplificatis, humores depravatos e corpore eliminari, atque ſic paroxyſmum terminari.

Totam hanc diſciplinam hypotheticam eſſe, nemo facile negaverit; at, ni fallor, ſi indagationi ſubjiciatur, male fundata reperietur. Nec fluidorum viſciditas, nec alia quaevis intemperies, unquam adhuc fuit demonſtrata. At, ſi poſita eſſet, nequaquam ad phaenomena febris illuſtranda ſufficiat. Quomodo enim frigus febrile efficere poteſt, quod procul dubio ne minimam quidem morbi partem conſtituit, quandoquidem prima ſemper apparet *, et inde effectus cauſae febrilis, cau-

* Sir John Pringle, obſ. part III. ch. iv. § 2. Lind, diſeaſes incident to Europeans, &c. p. 31.

† Hoffman. tom. I. p. 301. § 10.

ſaque temporis caloris mox accedentis, eſſe videtur. Eo quod aliud alterum hoc ordine jugiter inſequitur; qui notitiam mortalibus datam cauſae et effectus ſuggerit ſolus.

Itaque cauſa frigoris febrilis aeſtimanda eſt illa, qua nititur febris. Hanc eſſe affectum ſyſtematis motricis, propter inopinatum ſuum inſultum, atque poteſtatem animi pathematum vel in arcendo vel inducendo eundem, perliquido patet. Praeterea, remedia brevi ante paroxyſmi acceſſum exhibita, ad eundem propulſandum prorſus valentia, rem ita eſſe, luce meridiana clarius oſtendunt. Quod ſi ex lentore vel quovis alio fluidorum vitio nata eſſet febris, tum pedetentim obrepere debent ſymptomata; nec fugari, niſi remediis ſaepius iteratis lentor prius corrigeretur, potuit morbus.

Boerhaavius, in noviſſimis Aphoriſmorum editionibus, hanc cauſam in liquidi nervoſi inertia eſſe poſitam, cenſet; et commentator ejus, argumentis minime denegandis, impetum faciente proguatam eſſe comprobavit *.

Hoffmannus vero princeps erat qui probe ſtabiliebat doctrinam febris, quaſi affectum facultatum motricium vel ſyſtematis nervoſi. Febrem autumat, ex ſpaſmodica conſtrictione arteriarum ultimarum pendere; et hanc ſolvere, eſſe ſanationem.

Sed neceſſe eſt, ut ulterius progrediamur, et, quantum valeamus, hujuſce ſpaſmi rationem indagemur.

Ex laſſitudine, debilitate, aliiſque horum ſimilibus febrium acceſſionis indiciis, quam clariſſime effecimus, vires animales labefactari. Verumenimvero, omnes qualeſcunque corporis actiones muſcularibus fibris peraguntur, quarum demum officiis energia quadam a cerebro aſſidue ſubmiſſa omnino opus eſt. Ex quibus idcirco manifeſte colligitur, energiam hanc in acceſſu febrium utcunque deficere. Quod certe eo pluris aeſtimabimus, ſiquando in memoriam ſuccurrat, mentis vacillationem, ſenſuumque caliginem, ſenſorium ipſum, energiae hujus fontem et originem, oppreſſum itidem et turbatum eſſe, demonſtrare.

His extra controverſiae aleam poſitis, in proclivi eſt, phaenomenôn febrilium rationes divinare. Si enim de prima cauſa agitetur quaeſtio, poſſumus pro compertiſſimo affirmare, *debilitatem*, ſeu inertiam generis nervoſi, hanc eſſe. Ex hac ſymptomata primum obſervanda in acceſſione facile et dilucide explicare poſſumus.

At enim, unde eveniat, haec ſerie ſymptomatum, ſecundo ſcilicet ſtadio, ex toto adverſis, ſtatim excipi? Hic collocatur illud, ne plus ultra, quoad cauſam aut modum mechanicum,

* Boerh. Aph. 755.

per

per quem haec obtinguntur; quae, quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus. At, si pro facto ponatur, omnibus, qui modo corporis constitutionem attente animadvertant, facile concedetur, vigoris instaurationem et symptomata hujusce stadii a facultate ea quae oeconomiae animali inest, suos corrigendi errores, noxia depellendi, et vires suas enervatas restituendi, pendere. Haec virium naturae medicatricium, diu et multum apud medicos celebratarum, pars est. Ex hac lege nostro systemati indita, potestates energiam nervosam infirmantes, ad certum gradum tantum, talem inferunt conditionem, qualis incitet sensorium; et actionem fibrarum motricium, praecipue cordis et arteriarum majorum, insigniter intendat, ut causae debilitantes vincantur *.

Fluida nunc rapide circumeunt, et eorum impetus in vasa valde intenditur. Exinde symptomata secundi stadii conficiuntur.

In incessu morbi pallorem et superficiei collapsum, sive imminutionem, optime exponit arteriarum cordisque infirmitas. Arteriae enim, cum sint elasticae, ex sanguinis impetu distendi debent; quam primum igitur ac, propter defatiscentem cordis actionem, cessat haec distensio, vasa extemplo collabentur. Porro haec vasa vi musculari instituuntur, quae frigore febrili acriter exercetur, et contractio spasmodica inducitur. Si res ita sese non habuissent, simulac cordis actio restauraretur, statim resolvi oportebat totius corporis superficiem. At constrictio antea formata, una cum secretionum suppressione, longe post frigoris decessum restat. Inde perspicuum est, contractionem *spasmodicam* valere, et causam esse aestus commorationis veram; cum enim solvatur, eruinpit illico sudor, effluunt secretiones, et sic finitur paroxysmus.

Hoc citius vel serius, facilius vel aegrius, efficitur, pro constrictionis vasa ultima occupantis vi, et reactione vel sanguinis impetu: Diathesis phlogistica, regimen calidius, et irritamina cujuscunque generis, spasmum tam fixum inferre queant, quam non facile adauctus sanguinis impetus superabit; et tum diu inardebit, vel tantum obscure remittet febris. Hic sub speciem quotidianae vel tertianae irregularis, illic continuae, se manifestabit.

Videtur, impressionem sive sensum debilitatis et constrictionis efficere, ut in cerebro gignatur reactio, ad cor et majora vasa modo singulari demissa; eo quod hujusce reactionis causa praesertim arteriis ultimis et corporis superficiei incubat, et admodum probabile, eandem tanquam stimulum in cerebrum agere.

* Vid. Gaub. inst. path. 633—650.

Febris cauſam remotam demonſtravimus venenum eſſe quiddam vim nervoſam minuens; et ex hoc cum aliis concurrente debilitas et conſtrictio ſpaſmodica exoriuntur. Haec duo, ſi ita dicam, ſtimulant ſenſorium commune, quod viciſſim excitat cor ipſum, et tum infertur caloris tempus, quo ſpaſmus ſuperficiei inſedens, quodam temporis ſpatio elapſo, domatur, et ſudore copioſo deſinit paroxyſmus.

Quapropter ex tribus partibus vel ſtadiis conflatur febris cauſa proxima:

I. Debilitate ortum ex effluviis venenatis ducente.

II. Spaſmo peripherico.

III. Cordis et arteriarum actione aucta.

Propter ordinem quo hi ſtatus alii alios inſequuntur, pronum eſt credere, illos eſſe cauſas et effectus. Atque debilitas pro fundamento habenda eſt; ut plane, ex ſymptomatis et cauſis remotis, quae ſedant, aut corpus debilitant, appareat.

Huic doctrinae objici poteſt, frigus, ut opinantur nonnulli, ſaepius febrem creare ſpaſmum primo inducendo, et mox alia ſequuntura ſua. Sed examine accuratiori habito, haud raro frigus ſedare ſolum, nunquam ſufficere ad efficiendam febrem, ſtrictius dictam, inveniemus. Quum talem edat effectum frigus, veri admodum ſimile eſt, miaſmata in corpore latitaſſe, quae per ſe minime valuiſſent ſpaſmum gignere, quaeque adeo alterius cauſae infirmantis opem flagitarunt: Saepenumero contingit frigus talem ſe praebere. Proinde frigus febris eſſe cauſam, qui ſentiunt, hallucinantur plane; tantum enim eam ſyſtematis conditionem parat, quae actioni cauſae propriae ſive miaſmatum favet citiſſime.

Phaenomena febris quaecunque doctrina quam ſecutus ſum facile exponuntur; quorum compluria, cum de cauſa proxima diceretur, enodare tentavi. Hoc igitur paucis in verbis adjungam, horrorem nempe tremoremque ſigna eſſe ſyſtematis reactionis excitatae ſpaſmique generati, ſtatu debilitatis adhuc manente: Quare natura fere his utitur, difficile dictu. Verum enimvero energiam cerebri exanctam plerumque ſequi, vel ex atonia, anxietate, aut reſiſtentiae ſenſu oriri, et actionem ſenſorii, in partes vel muſculos ſolutos, multiplices et abuerimes motus plus vel minus valentes edere, docuit quotidiana atque diuturna experientia.

## MORBI DISCRIMINA.

Febres, in intermittentes, remittentes, et continuas, diviſae fuerunt; ſed ſtatuti nunquam juſti ſingularum limites. Omnes remittentes ad intermittentes retulerunt auctores nonnulli:

Et,

Et, ex rebus argumentisque, verisimilitudini parum repugnat, remittentes nimirum ad alterutrum genus relegari posse. Hoc sane est maxime optandum, et magis quam probabile exstat, mehercule! quoniam remittentes tam prompte in intermittentes transeant, et vice versa. Item eandem curationem postulant, et forte unam causam agnoscunt; nam, in iisdem regionibus, et sub eodem coelo, publice grassantur. Potissimum vero transitus quam maxime facilis unius in alteram se ejusdem naturae esse ostentat.

Quippe quum intermittentes atque illae continuae dictae, etsi vel hae semper remittunt, restant, summopere interest, inter has luculenter distinguere; sed arduum. Signa tamen subsequentia nobis aliquantulum opitulabuntur.

1. Morbi epidemici tum grassantis natura maxime valebit. Sydenham * multum intermittentibus formam continuarum induentibus erat irretitus; sed, caute iter singularum animadvertendo, signa illa tandem detegebat, quibus subnixus illas ad epidemiam tum pollentem pertinere callebat.

2. Si horroris rigorisque symptomata exacerbationes comitantur, plerumque dein febris intermittit †.

3. Aucta etiam bilis secretio vel urina lateritia intermittentis symbolum alterum praebet.

4. Remissio autem conspicua signum exhibet objectioni minime obnoxium.

5. Felix nonnullorum remediorum successus, praesertim corticis Peruviani, paroxysmorum reditum arcendo, idem probat.

Intermittentium proclivitas speciem continuarum sibi arrogandi, vere, ex irritatione diathesis phlogisticae, plerumque vero in autumno, caloris putredinisque, nascitur. Attamen quibusdam in casibus mutantur de reapsa febres, saltem quod ad earum tractationem attinet. Adeoque, quamvis in primo adortu febris sub continuae facie invaderet, tamen, si intermitteret postea, est curanda quasi intermittens; et e contrario: Hic autem cautione atque consilio optime perpenso opus est.

Summopere interest ut caveamus, ne typus quarumvis intermittentium irregularis nos decipiat; medela enim in his prorsus diversa ab illa continuarum admovenda. Magnas exinanitiones, potissimum sanguinis detractionem, et alia deprimentia remedia inflammatoriis continuis idonea, ferunt male. Sydenham, Cleghorn, et Lind, in cortice Peruviano solam medelam esse positam, repererunt, ubicunque satis liberales remissiones habuerant, ut hic daretur.

* Sect. i. cap. 5. Boerh. Aph. 748.
† Galen. meth. med. ad Glauc. vol. x. p. 349. Charteri.

ME-

## METHODUS MEDENDI.

Ratio intermittentium curandi ultro in duas partes se dispertit. I. Altera paroxysmum; II. Altera tempus intercalare seu intermissionem amplectitur.

I. Dum saevit paroxysmus, nostri est propositi, quam primum ei finem imponere, et adeo ut integra apyrexia insequatur. Cum hoc consilio,
   1. Spastica vasorum extremorum constrictio solvenda est; libera et aequabilis sanguinis ac vis nervosae conficienda est partitio,
      Emeticis,
      Antispasmodicis,
      Salibus neutris,
      Diluentibus.
   2. Symptomata singularia sublevanda,
      Remediis praedictis, 1.
      Phlebotomia,
      Enematis,
      Vesicatoriis, &c.

II. Inter apyrexiam, A. paroxysmi sequentes, si res ita postularent, leniendi, vel, B. sunt ex toto averruncandi.
   A. Huic intentioni remedia, I. 1. ante nominata conveniunt. Quibus subjicere liceat
      Cathartica.
   B. Insultum propulsare valemus,
      1. Spasmi invasioni obsistendo,
         Antispasmodicis.
      2. At maxime debilitati tamen obstando, quod exequamur:
         a. Tempus caloris, periodo frigoris imminente, arte accendendo,
            Calore scilicet,
            Sudorificis et stimulantibus,
            Exercitatione violenta.
         b. Potissimum vero medicamenta tonica adhibendo, quae profecto sunt compluria:
            *a*. Astringentia, ut
               Gallae,
               Alumen,
               Sales metallici.
            *b*. Amara:
               Absinthium,
               Getiana,

Gentiana,
Centaurea,
Chamaemelon, &c.

*c.* Et aſtringentia et amara quae habemus
In cortice Peruviano,
Per miſturam.

*d.* Lavatio frigida.

Intentionibus jam detectis, et medicamentis ad illas complendas propoſitis, nonnulla ſunt proxime notanda de horum principibus. At primo

*De Regimine.* Cum primum ingruat paroxyſmus, ad lectum ſe recipere oportet aegrum. Dum tempus frigoris perſtat, vel omnino a potu abſtinere, vel perparce indulgere ſolummodo debet: Et, ut ſitis ſedari poſſit, ſuccum limonum ſaccharo attemperato vel ſimilia ſorbillet aegrotans. Quum provenerit caloris tempus, tum ſibi modice propinare, atque a ſudoris eruptione potum ſumere, licebit patienti ad libitum.

Longius a periculo abeſt tepida adhibere potulenta; quod ſi frigida ſenſim ingerantur, compluribus in caſibus, ſine ulla primarum viarum affectione, ſunt innocua, ſatiuſque ſitim compeſcunt, et pergrate aegrum refocillant; ſaltem in calidioribus regionibus ſe talia praebent *.

A cibo cujuſcunque generis abſtinere homines decet, dum viget paroxyſmus †.

Si copioſiores atque protracti ſint ſudores, caute mutanda ſunt induſia: "Corpus interim ab aere frigido praemunitum probe abſtergeri debet. Sudor largus, in corporis ſuperficie diu durans, ſolida ſimplicia relaxat, materiem perſpirabilem inhibet, mobilitatem febrilem auget, vireſque corporis enervat, peſſundat ‡."

Emetica inter medicos tantum inclaruerunt, ut De Haen, propter cognitionem illorum effectuum ſane nimis contractam, unicus ſit vir peritus, qui emeticorum opem repudiat prorſus. Utiliſſime enim, atque opportuniſſime, ingruente paroxyſmo, in talibus doſibus, et ita iteratis, adminiſtrantur, ut excitetur Nauſea fortior, et abſque vomitu ſuſtentetur donicum temporis caloris innotuerunt ſymptomata; et tum ipſa maximo cum commodo provocari poſſit mitis vomitio, vel copioſius, dando potus tepidos, vel emetici doſin augendo.

* Riverii. obſ. xix. cent. 1.

† Victus generoſus appetitui et viribus coctricibus accommodatus et frequens exercitatio citra fatigationem inter apyrexiam, ut tonica, optime conveniunt.

‡ Ant. Fothergill. diſſ. med. inaug. de feb. intermit. p. 28.

Sic

Sic emeticorum doſes nauſeabundae paroxyſmos aliquando fugant, et plerumque curtos magis atque mitiores eos reddunt; ductus excretorios ventriculi inteſtinorumque emulgent, alvum ſolvunt; ſpaſmo extrema occupanti occurrunt, curſumque fluidorum verſus cutem promovent; exinde accumulationes viſcera opplentes interna praeripiunt; vim quoque nervoſam ſeu ſyſtematis reactionem intendunt. Adeoque frigoris caloriſque tempora decurtant, et ſudorem uberrimum, apyrexia integerrima per diem intercalarem ſubſecutum, eliciunt. His de cauſis, inter antiſpaſmodica valentiſſima locum tenent, haudquaquam vulgarem. Quotieſcunque medico bonum videtur, ut redintegretur morbus, toties repeti poſſint.

In pleriſque intermittentibus, et neceſſarium et utile eſt, ut vomitio plena ſemel minimum cieatur, ad bilioſum et mucoſum magma aliaque irritantia e ſtomacho ejicienda. Sed bilioſae, et aliae ſordes, toties ſe manifeſtabunt, quoties movetur vomitus. Hoc itaque iterationem ejus nequaquam indicat; nam bilis, aliique ſucci, ipſa vomendi actione evocantur. Denique, ſi febris rebellis fieret, utiliſſima ſunt emetica, ut remediis ad morbum depellendum certioribus locum faciant, quae aliter incaſſum adhiberentur.

Propoſita reſpondent omnia vomitoria: Caeteris autem longe anteponendus eſt tartarus emeticus; quia jucundius et facilius dari queat, nec injuria aliis efficacior eſſe creditur, forſitan quod nauſeam diutius protrahit, quo latius ejus diſpergantur vires.

Optime adminiſtrabitur in aqua ſtillitia ſolutus, aliis ſalibus et teſtaceis caute evitatis: Quum haec acidum vel antimonium praecipitare, vireſque tartari diſperdere, valeant.

In aetate adulta, quadrans vel dimidium grani, vel unum, ſat erit. Haec, quaque ſemihora, vel majori vel minori intervallo, pro re nata, repetenda eſt doſis.

*Antiſpaſmodica.* Ex his opium caeteris palmam praeripit. Opii in intermittentibus uſus hactenus erat incertus, parumque ſtabilis. Haud ita pridem patefecit, forte fortuna, Dr Lind, opium feliciſſimos edere effectus caloris tempore exhibitum: Et hos ſaepiſſime in noſocomio regio Edinenſi, cum doceret praxin clinicam in annis 1769 1770, ratos fecit noſter praeceptor Cl. Gregory. Praetereaque expertus eſt, doſin largam ante acceſſum deglutitam, quemadmodum antiqui, nonnullique hodierni, eo uſi fuerunt, illum ſaepius arcere, aut ſaltem paroxyſmum inſequuturum reddere leniorem *. Haud raro ſomnum in aliquot horas paravit ſerenum, quo expergebatur

* Beryat. Mem. de mathemat. et de phyſ. tom. ii. p. 24.

batur patiens omni aegritudine liberatus. In frigoris ſtadio, pene eadem protulit effecta. Si vero, ubi primum ſtadii ſecundi ſigna ſe innotuerunt, daretur, ſicut Lind praecepit, maxime profuit opium; hoc tempore exhibitum, vim febrilis caloris frangit, durationemque ejus contrahit, capitis dolorem, delirium, et id genus alia, praevenit; pulſus duritiem frequentiamque imminuit; calorem quoque et pellis ariditatem compeſcit.

Denique hac opii adminiſtratione, id quod diu in curatione intermittentium deſideratum fuit, et quo unico poſt corticem Peruvianum inventum opus eſt, conſecuti ſumus, caloris nimirum mitigationem perfectamque interniſſionem. Haec quidem certius, quam ſomnum, conciliat opium. Sic etiam habitus conſervatur minime morbo fractus; ictero, hydropi, obſtructionibus, aliiſque anomalis aegritudinibus, frequentiſſime intermittentium diuturniorum pediſſequis, obſtare comperit Lind.

Nunquam fuit obſervatum, quicquam valuiſſe, quum adeſſet delirium. In hoc ſtatu, igitur, exſpectare, dummodo una cum calore deceſſerit, monemur; et tunc temporis effecta edit opium iis ſupra memoratis ſimilia; languori quoque et debilitati ſaepiſſime delirio ſuccedentibus ſucurrit. Si neceſſe ſit, ut alter acceſſus praeverteretur, et ſimul alvus ſit adſtrictior, ſordeſcantque primae viae, tincturae ſacrae doſin idoneam opio adjicere oportebit.

Sic opium eſt remedium plane pretioſiſſimum; Peruviano cortici viam munit eximie; et quodammodo agit, ut ad morbi curationem minor hujus quantitas ſufficiat.

*Sales neutri*, ſunt antiſeptici, ſedantes, refrigerantes, leniterque laxantes, ferme abſque ſtimulo. Non diu exſerunt vires ſedantes et refrigerantes; brevi enim ſyſtema, uti reagat, incitant, verſus ſuperficiem fluida propellunt, ſpaſinumque laxant. Quod hac via operentur, clarum eſt; namque primum calorem, frequentiamque pulſus, imminuunt; at, haud multo poſt, eadem augentur, et ſudor provocatur.

Circa frigoris finem, et per totum caloris tempus, utiliſſime adhibentur; hoc enim contrahunt, mulcent, atque uberiorem faciunt ſudorem: Ante acceſſionem, et prae reliquis ſal ammoniacus, ad illam praeveniendam valuerunt nonnunquam.

Hauſtus ſalinos cuicumque alii minime cedere, probabile videtur; at in quantitate tamen, qua ſolenne adhibentur, nugae ſane merae ſunt aeſtimandi. Libram ſpiritus minderi, per diem propinatam, producere effectus vix obvios, notatum fuit. In inſultu febris, cretae drachmas duas cum tot

unciis aceti collaudat Lind, dum efferveſcunt, ſumptas. Iſtumque hauſtum fere paroxyſmum compendioſiorem facere et ſudorem affluentem parare dicit; et eundem, in paroxyſmis eodem cum commodo poſterioribus, repeti poſſe, inſuper addit idem auctor. Sed, utrum magis, quam hauſtus ſalini, proſit, anceps eſt.

Si efferveſcentia plus illa quam poſtea valent remedia, num non aeri mephitico tum abſoluto ſedantiſque vicibus quaſi fungenti attribuenda ſit haec diſcrepantia?

*Venaeſectio.* Ad intermittentium curationem, ſanguinem mittere ne minimum quidem confert, nocet autem ſaepius. Fieri tamen poteſt, ut ſymptomata quaedam id deſiderent. Si aeger ſit robuſtior, aetate florentiſſimus, morbis inflammatoriis obnoxius, et ſanguinis detractioni aſſuetus; ſi ſtadium praeterea caloris violentius, delirium acerbius, aut plethora, opprimat; ſi febris continuam mentiatur, vel ſolum remittat obſcure; maximeque cum affectio adſit localis inflammatoria; tum venam tundere opportunum erit. Venaeſectio ita celebrata non ſolum ad remiſſionem febris plenam viam parat, quin morbum aliquando radicitus extollit, ſimulque emeticorum adhibitionem, aliorumque remediorum, reddit minus periculoſam.

Tempus ſanguinis extrahendi eſt oportuniſſimum, cum ſaeviat calor febrilis. Quantitas, necnon repetitio, medici judicio regendae ſunt; atque in memoria eſt tenendum, ſanguinis detractionem tantum eſſe praeſtandam, quo quod ſymptomata graviora compeſcantur, ac igitur non niſi ſumma cautela inſtituenda.

*Cathartica.* Iis ſolum, ut quaedam primarum viarum mala extollantur, vel ut via tuta pro aliis muniatur, utimur.

Quippe in intermittentibus, maximeque autumnalibus, et climatis a ſolis ardore percuſſis, intus conjiciuntur fluida, augenter ſecreta, bilisque fortaſſis indoles polluitur. Praeterea, ultima inteſtinorum vaſcula, ſicut omnia alia, ſpaſmo afficiuntur; et tales ex hoc fonte congeſtiones oriri poſſunt, quales optime catharticis amoveantur. Haec enim excretoria emulgent, et ſpaſticam conſtrictionem ſufferunt.

In regionibus calidis, cathartica refrigerantia, fructus, ſales neutri, et chryſtalli tartari, ſunt praeſcribenda, quia valde irritabilis eſt tubus inteſtinalis. At in frigidis tamen, ubi torpor et inſenſibilitas ſunt haud parvi, melius calefacientia conveniunt, minimeque corpus inquietant: Hujuſce generis ſunt aloetica, rheum, jalapium, et reſinoſa.

Purgationes vero, ut interdum neceſſariae ſunt, ſic, ubi frequentiores ſunt, periculum afferunt, magnopere infirmant, hydropibus

hydropibus anſam praebent, morbum inordinatum et curatu difficiliorem efficiunt.

Poſtquam ſiſtunt paroxyſmi, cavendum eſt, ne alvus adſtrictior ſit; at purgatio ſevera certiſſime morbum revocaret. Ergo in medio tutiſſimus ibis.

Auxilia, de quibus hactenus diſſeruimus, plerumque adjuvant ſolummodo, vel quaedam ſymptomata allevant, vel habitum ad corticem Peruvianum, aut alia, maximo cum emolumento accipienda, ut tollatur morbus, aptiſſimum faciunt.

Utrum vero intermittentium, praecipueque vernalium, curatio arte tentanda ſit, ſive naturae mandanda, quae illas ſubinde ad exitum felicem perducat, acriter diſceptatum fuit. Prius pauca, ad hanc quaeſtionem decernendam, enarrabimus, quam de remediis agatur. Febrium abſolutio rarius multo, maximeque in regionibus frigidis, evenit ſpontanea, quam nonnullis creditum fuit. Imno corporis vires frangit illarum diuturnitas, morbiſque variis contumacibus, exempli gratia, diabeti, eruptionibus rebellibus, potiſſimum vitiis abdominalium viſcerum topicis, congeſtionibus, hydropicis effuſionibus, ſpirandi difficultati, ictero, doloribus vagis, occaſionem praebet, ſtomachumque male perturbat, et hominibus aetate confectis vel infirmiſſimis exitium haud raro affert lethale. Quandocunque hae repetantur, ſaepius curationi aegrius cedent; febres enim mobilitate vigent, et eundo vires acquirunt. "Poteſt enim morbus, etiam qui per ſe finem habiturus eſt, citius tamen adhibito tolli, quod duabus de cauſis neceſſarium eſt; ut et quamprimum bona valetudo contingat, et ne morbus, qui remanet, iterum, quamvis levi de cauſa, exaſperetur." Celſus, lib. ii. cap. 14.

Contra, intermittentes aliis ſaepe morbis mederi, confitendum eſt; et ergo ubicunque morbus exſtat quivis, quem, experientia docti, has ſanare didicimus, exſpectare paroxyſmos paucos expediet, ut illorum effecta conſpicerentur, niſi cum aliis conditionibus febris conjungatur, quae ſtudii plus, quam veteris morbi propulſatio, vindicant.

Morbi, quibus intermittentes praecipueque vernae medentur, ſunt, quos hae diuturniores pervicaciores inferunt, ut ſupra diximus. Interdum quoque, intermittentis ope, paralyſis, epilepſia, et convulſiones ſolvuntur.

In regionibus autem calidis, et ubi autumno publice pervagantur hi morbi, imprimis tunc paroxyſmorum reditus eſt amovendus; tales enim lethales, perraro iterati, ſaepe evadunt.

Cum argumentis, quod ab experientia plurimis notum eſt, ut utile etiamque neceſſarium in pleriſque caſibus ſit, has fe-

bres coercere; reſtat ſolummodo, ut, quibus modis hoc expleatur, expeditiſſime tutiſſimeque exploremus.

Hoc cum conſilio, debilitatis regreſſui obviam ire contendimus, *aſtringentibus, amaris, utrorumque combinatione*. Exempla numerum ſane ſuperantia in lucem prodiderunt, quibus haec remedia quaevis ſanationem perfecerunt. Hujuſce diſputationis limites nos vetant de ſingulis ſpeciatim tractare; quapropter de tutiſſimo ac praeſentiſſimo, cortice nempe Peruviano, dicendum eſt tantum. Rationale quidem, quo de cortice uſi fuerimus, caeteris fere accommodari poteſt.

*Corticem Peruvianum*, et aſtringentem amarumque et quadantenus aromaticum eſſe, patet manifeſtiſſime. Ex experimentis quoque, illum eſſe tonicum valentiſſimum, liquet; tali in modo eum operari, intermittentis curatio, et gangraenae tardatio, etiamque ejus in diuturnis febribus a debilitate productis utilitas, inſuper, dum ſyſtematis vigor floret, ſicuti in omni febre peracuta, cum inflammatio adſit localis, et tempore caloris intermittentium, periculoſior ejus uſus, uno ore conclamant. Tractatu facilior, minuſque nocens, necnon alio quovis remedio eſt potentior.

Paroxyſmorum redintegrationem ex debilitatis regreſſu exoriri vidimus; et liquido, quodcunque hunc depellat, acceſſum itidem depellere patet; ideoque corticem talem editurum effectum, cum maxima veri ſpecie a priori ſperandum eſt, et ex uſu rem ita ſe habere diu comperimus. Multa tamen cortici, ex opinionibus penitus theoreticis provenientia, objecta fuerunt. Nonnulli, illum materiam morbificam ſolummodo reprimere, parum vero emendare, ideoque corporis habitum graviori, leviſſima tantum data occaſione, morbi reditui eſſe oblatum, putabant. Alii corticem ancipitem quaſi vituperaverunt. Uſus recentior crebriorque malitiam talis infamiae retexit.

At quaedam ſunt tamen adventitia intermittentibus nonnunquam alligata, quae uſui corticis interdicunt: Inter haec imprimis diathesis phlogiſtica, ſi cum topicis ſanguinis accumulationibus conjungatur, et febris remittat obſcure duntaxat; ut his occurramus, ſemper neceſſe eſt phlebotomia, vomitoriis, purgantibus, veſicatoriis, aliiſque ejuſdem generis auxiliis uti, antequam corticem experti fuerimus; aliter enim ingraveſcet febris, fermeque continua evadet, et haud raro lethalis. In regionibus tempeſtatibuſque frigidis, haec potiſſimum eveniunt, quae corticis uſui adverſantur praecoci, ibique minus urget ad eum praematuro adhibendum neceſſitas. In locis vero aduſtioribus, autumnali tempore, paroxyſmis ſane paucis quam plurimum periclitantur febricitantes. Hic igitur ubi primum

primum potest, quamvis obscuriores sint remissiones, cortex adhibendus est Peruvianus, ut morbus curetur. "Chinae cortex," inquit Hoffmannus, "non tamen non nocens est, ut vulgo creditur, sed ipsis etiam senibus cum fructu datur. Neque etiam sine exceptione illa practica est regula; quod nunquam sit offerendus, antequam urina compareat cocta. Ego enim multiplici compertum habeo experientia, nunquam ipsum nocuisse, si primae viae probe expurgatae, si corpus non impuris succis scatet, viscera sanguinea integra, et nullus inflammationis internae metus." Tusses inveteratae, hydrops, aliique morbi chronici, exhibitionem ejus minime recusant. Aegris circiter septuaginta hydrope laborantibus eum dedit Lind, qui recidivam passi fuerant; et febrem abegit, et fecit ut hydrops, qui accessibus singulis gravior graviorque fiebat, haud ultra procederet.

His provisis, nunc de methodo, qua cortex optime dandus, agendum est.

Plerumque corticis drachmae sex vel plures et aliquando uncia etiam duae ad sistendam accessionem sunt necessariae. Eum in apyrexia ita adhiberi, si possit, oportebit, ut toti ejus effectus exerceantur in ipso temporis puncto quo atonia accederet. Certo enim in dosibus parvis, longis intervallis per totum intermissionis tempus datus, minus est efficax, quam si paulo ante insultum eadem quantitas hauriretur. Sex enim drachmae, sic in stomachum exceptae, quam uncia modo priori administrata, plus valent. Adeoque quantitatem, puta unciam, intra sex vel octo horarum spatium ante accessionem, dosesque postremas maximas, dare convenit. Documenta sunt quae corticis effectus parum esse perennes demonstrant; itaque paroxysmo quamvis officiat, haud diu tamen eundem habitum sustentabit; exinde recidiva fit atonia, ac proinde paroxysmus. Propterea quod periodo proxima morbi invasura, ut ante ultimam, iterandus est cortex. Post haec, nisi insigniter periculosus sit casus, aut propter crebros relapsus vel durationem pertinax, duae periodi sequentes tuto absolvi possunt, nullo medicamento admoto; at, ante tertiae accessum, repetendus est cortex. Deinde tres praetereundae; sed priusquam quarta accedat, necesse erit iterum, ut antea, exhibere antidotum, quod ad perfectam sanationem, ni fallor, sufficiet.

Si post corticem datum alvus fusior fiat, quod ejus effectus irritos facit; hoc, opio, quo vires corticis ipsius intenduntur, refraenari potest.

In pulvere semper quam maxime deglutiendus, cum vino vel spiritu vinoso et aqua commistus. Si vero haec obtinere nequeant,

nequeant, vel pulvis ſolus, vel in electario, vel pilulis coactus, cruſtulo farinaceo tenuiſſimo celatus, devorari convenit. Extractum glycyrrhizae aut ligni Campechenſis, lac ebutyratum, *coffee*, aliaque ſapida, illum gratiorem reddere inventum fuit. Si patiens adhuc corticem in pulverem redactum ſorbere non valeat, extractum ejuſdem, cujus ſemuncia vel minus aeque valere ac pulveris unciam creditum eſt, ſumat. Vel pulvis aqua diffuſus, et in alvum injectus, poſt venter enematis ope mollitus fuerit, morbum curabit; at tum quantitas duplo major illa ore exhauſta ad minimum neceſſaria eſt. Cum infuſus eſt, quantum fieri poteſt, continere ſe in lectulo debet aeger, nec primae cupiditati dejectionis protinus cedere. Pulvis etiam ipſe ad cutem vel ad abdomen in modo cataplaſmatis admotus fuit ſecundo exitu.

---

## DE TYPHO, VEL FEBRE NERVOSA.

*AUCTORE GUL. FEARNE.*

### HISTORIA MORBI.

### STADIUM PRIMUM.

QUO tempore febris nervoſa incipiat, nonnunquam ſtatuere difficillimum; ſigna enim ſub initium non gravia ſunt, et multos in dies, aliquando ſeptimanas, ante ingraveſcunt, quam aegrotus ſe continere medicumve accerſere cogatur.

Plagarum tempeſtatumque calidiorum morbus eſt, et, quanquam a nonnullis morbo pro novo habetur, quicunque Fracaſtorium cum Huxhamio comparaverit, febrim aeque accurate ab illo, ac hoc, depictam comperiet *.

Primi ſtadii notae, quae plurimum moleſtiae aegroto faceſſunt, ſunt, debilitas ubique corporis, languor, appetitus proſtratus, reditus frequentes frigoris levis et caloris alternorum abnormes, quae animum inſigniter demiſſum ſemper comitantur. Haec brevi ſubſequitur nauſea et omnis cibi averſatio, quae ſi eo uſque augeatur ut vomitionem moveat, nihil niſi phlegma inſipidum rejicitur. Vultus palleſcit et mole imminuitur; aegrotus inquietudine et anxietate tentatur; ſemet adeo affici, ut negotia ſolita nequeat curare; adverſa tamen

* Fracaſtor de morb. contag. lib. ii. cap. 4.

valetudine

valetudine non ita premi, ut semetipsum ex toto cogatur continere, sentit. Caput ei dolore obtuso, vertigine sensuque frigoris, praesertim occipitis, afficitur, et luce sonituque mirum in modum movetur aegrotus. Lingua parum mutatur, et a statu naturali non longe deflectit, muco quidem albido obducitur, et aeger magnum ejus calorem, quamvis sitis modica est, conqueritur. Pulsus arteriarum celeres, debiles, inaequales, modo tremuli, modo admodum tardi et intermittentes.

Adsunt spiritus gravior, suspirium frequens, constrictionis circa praecordia sensus, quae omnia tamen saepe nulla tussis comitatur. Urina pallida, limpida, aliquando colore serosa, et parum mutationis, donec ad ultima morbi stadia sit perventum, subit.

Mane omnia aegroto signa levantur; sed vespere redeunt non parum adaucta. Dolor capitis, vertigo, calor gravior, pulsus arteriarum crebriores, et aegrotus ad somnolentiam quam maxime proclivis est, somno tamen non reficitur.

Sanguis, hoc in morbo missus, textura admodum laxus est, in vase, in quod fuerit receptus, vix concrescit, vel in crassamentum serumve separatur, nulla crusta coriacea in ejus superficie semet ostendente.

Quinetiam sensus visque cogitandi langueseunt: Qui languor, prout febris provehitur, increscit, illumque animi statum demissum, qui quidem a metu et anxietate super morbi eventu oritur, facit.

## STADIUM SECUNDUM.

Postquam hoc in statu septem vel octo dies mansit aegrotus, languor et debilitas multum augentur; praecordiorum gravitas, anxietas, et proclivitas ad deliquium potissimum urgent; et, si semet levare conatur aeger, non raro linquitur animo. Sudores frigidi in sincipite et aversis manibus subito apparent, et non minus subito evanescunt. Genae non parum rubescunt; extremae tamen aures et nasus ex toto frigescunt. Vertigo et gravitas capitis admodum intenduntur, dolor juxta futurae coronariae decursum se extendit, et aurium tinnitus accedit. Hic summam aegroto molestiam facessit, et brevi frequenter typhomania accedit. Verba rite enunciare nequit, et, quanquam circumstantibus dormire videtur, id ignorans, rem ita sese habere negat. Hoc subsequitur magnus manuum tremor, subsultus tendinum, surditas, in nonnullis maxima, quanquam, sub initium, lux sonitusque fuerint intolerabilia.

Sub hoc tempus lingua sicca, rubra, aliqua ex parte fissa,

in

in medio malum punicum colore referens, marginibus ſubflava vel ſubviridis, magnopere tremens ſi exſeratur.

Spiritus admodum gravis et difficilis. Eruptio frequenter accedit, quamvis morbum, niſi aegrotus in aere nimis calido habeatur, non ſemper comitatur. Signa parum levat, modo colore punicea vel pallido-rubra, modo ad colorem magis lividum vergit, et ſupra cutem nunquam attollitur. Quas partes hae maculae occupant, eae ſunt, pectus, dorſum, nonnunquam crura et brachia. Haec quidem rarius afficiuntur. Maculae tam parum conſpicuae ſunt, ut, niſi eas attente conſideremus, nulla inter eas interſtitia notare poſſimus; ſuperficies enim tantum paulo rubrior, magiſve, quam pro conſuetudine, florida eſſe, videtur. Hae hoc morbi tempore non circumſcribuntur; namque interdum ſub quartum quintumve diem, interdum non ante decimum quartum, et denique interdum non niſi poſt mortem ſeſe oſtendunt.

Urina nunc magis limpida, abſque ſedimento, eſt; quamvis nonnunquam aliquid furfuraceum continet, quod fundum non petit. In aliis ſudores copioſiſſimi a die nono ad duodecimum uſque profunduntur, quanquam calor corporeus, praeſertim extremorum, multum imminuitur; in aliis diarrhoea perpetuo adeſt, quae eos magnopere exercet. Haec utraque aegrotantibus vires brevi convellunt.

## STADIUM TERTIUM.

Nunc omnia ſigna, quae ſummam debilitatem ſignificant, magnopere augentur. Extrema perpetuo frigida manent, et ſubſultus tendinum, prout vires imminuantur, pulſuſve arteriarum ſubſidant, increſcit. Oculi immobiles fiunt et collabuntur, aut idem non ſpectant, et aeger eminentia in ſtragulis parietibuſve adjunctis carpere conatur. Ungues pallescunt et liveſcunt, labia intremunt, et delirium comate profundo finitur. Ictus arteriarum adeo celeres, et eodem tempore adeo debiles, ut numerari nequeant; ſenſus ſuffocationis in gutture adeſt; verba enunciandi impotentia, et vox quaſi faucibus haeret. Omnes ſphincteres relaxantur; ſtercus et urina abſque voluntate excernuntur; et lachrymae, quaſi furtim, per genas labuntur. Hoc, convulſiones toto corpore, tremores permagni, ad extremum jam ventum eſſe teſtantur.

Aliquando per morbi extrema ſtadia, ſigna putredinis humorum accedunt, qualia ſunt, petechiae, maculae, vibices, aphthae circa os et fauces colore nigrae, animae foetor, ructus nidoroſi, cum odore totius corporis cadaveroſo. Urina et alia excreta ſanguine tingi videntur; faeces immodice calidae foetideque

foetidaeque ſunt, adeo ut nutrices, quarum eas tollere eſt, in morbum incidant. Omnes notae ingraveſcunt, ſitis inextincta, amaritudo oris ingrata, nauſea et vomitio graves et frequentes. Oculi in omnibus fere cornu vitrive ſpeciem prae ſeſe ferunt. Quod in fluore albo excernitur, colore ſanguineo admodum rubro tingitur, ſanguis e gingivis, naribus, et ulceribus vetuſtis profunditur; quae cum ſingultu vitam aegroto miſerando finire conſueruut.

## DURATIO MORBI.

Hic morbus raro judicatur. Nonnullis in exemplis, aegrotus complures dies comate obrutus jacet, morbumque, nullis judicii ſignis ſe oſtendentibus, ſomno vincere videtur. In aliis, ſub ſeptimanam alteram tertiamve, nonnihil ſpei ex nubeculis urinae innatantibus, et ſudoribus abnormibus, affulgere ſolet. Caeterum morbus plerumque in ſpatium multo longius, dierum nempe triginta vel quadraginta, producitur. Si tam diu maneat, aegrotum ſaepiſſime ſatuitatis aliquanto adficit, quod non multos per menſes decedit, donec vires ei ex toto reſtituantur. Vir doctus et ingenioſus Dr Clephane ſigna plerumque, die decimo ſeptimo, ex quo aegrotus ſemet continere fuerit coactus, in melius maxime conſpicue mutari notavit. Alii vero celebres medici vel morte vel ſalute, quamvis rarius, ſeptem diebus morbum finiri memoriae prodiderunt. Aliquando in parotidum vel maxillarium glandularum ſuppurationem definit. Multi gangraenam, quae in partibus, quibus aegrotus incubuit, oritur, pro bono ſigno habuerunt; hoc vero illis aſſentire non poſſumus, cum a partibus compreſſis tantum proficiſci videatur, et, abſque ullo bono effectu, ſeſe frequenter oſtendat.

## DEFINITIO.

" Morbus plerumque contagioſus, calor parum auctus, pulſus parvus, debilis, plerumque frequens, ſenſorii functiones plurimum turbatae, vires multum imminutae *."

## MORBI DISCRIMINA.

Hiſtoria et character, ſupra tradita, ad hanc febrem a ſynocha † diſtinguendam, ſufficiunt.

* Cullen. Synop. Noſol. method. G. 5. † Vide p. 350.

Quantum ad ſynochum † attinet, nihil aliud, quam mera typhi varietas, quam nonnihil diatheſis phlogiſticae ſubſtans, dum cauſae typhi corpori admoventur, dare ſolet. Huxhamius, qui typhum accurate depinxit, multaſque obſervationes ſuper eo ingenioſas memoriae prodidit, hujus et ſynochi ſimilitudinem probe noviſſe videtur, et poſſe, et non raro revera, conjungi fatetur. Quantum febres putridas malignas et peſtilentiales ſpectat, idem obſervator ſagaciſſimus eas violentius invadere, rigores eſſe majores, et omnia denique ſigna eſſe multo graviora, affirmat, adeo ut poſſimus concludere, putredinem pro ſigno tantum habendam, quod febres remittentes et nervoſas ex aequo poteſt comitari.

## SEMINIUM.

Si hiſtoriam ſupra traditam attenti conſideremus, vim nervoſam imminutam non tantum ſub initium, ſed per totum morbi decurſum, ſe evidenter oſtendere, non opinari non poterimus. Hanc igitur pro typhi ſeminio habemus.

## SEMINII CAUSAE.

Ad has autem omnia, quae debilitatem faciunt, relegamus, qualia ſunt,

A. Affectus animi eundem contriſtantes.
   a. Metus.
   b. Amor faſtidio penſatus, &c.
B. Omnia quae nimia ſunt.
   a. Potatio.
   b. Cibus ſumptus.
   c. Venus.
C. Diaeta tenuis.
D. Vita ſedentaria.

*Affectus animi eundem contriſtantes*—Eum animum inter et corpus nexum intercedere, ut quilibet illius affectus functiones hujus non parum ſoleat afficere, omnes quaſi uno ore fatentur. Affectus animi triſtes, quotquot ſunt, vires inſigniter ſedantes habent, et nullus forſitan affectus animum humanum ſua agendi et cogitandi poteſtate aeque potenter orbat, aut aeque cito agit, ac *metus*. Hic vim cerebri, et igitur actionem cordis et arteriarum, imminuendo, ſanguinem ad partes extremas propelli prohibet, ſuperficiem pallidam et frigidam reddens, et ad univerſas functiones debilitandas plane confert.

† Synochus eſt febris ex ſynocha et typho compoſita, initio ſynocha, progreſſu et verſus finem typhus. Cull. Gen. Morb.

Actio

Actio metus non semper sedat; namque pro gradu variat. Ita magnus, potestates insigniter sedantes edit, paralysin, apoplexiam, syncopen, mortemque ipsam faciens; caeterum modicus, renisum faciendo, motibus convulsivis, ut in epilepsia, quam actione sua nonnunquam tollit, incidit, manifeste occurrit.

Ut *cibus nimius sumptus*, praesertim animalis, plenitudinem morbidam facit, vimque vasis contractilem tandem imminuit; ita *nimis parce captus*, vel quantitas *alimenti aquosi justo* major, machinam animalem non satis nutrit. Typhum ibi multo violentius grassari, ubi penuria et moestitia subsunt, experientia clare testatur. Hinc Gilchristius pauperculos huic morbo potissimum opportunos esse, et se pauca ejus in iis, qui cibo generoso usi sunt, vinumque modice biberunt, exempla compertum esse notavit *. Coldenus, in sua febris nervosae, quae apud Americanos multum saevit, historia, idem observavit †.

Omnes aliae causae, quae vires ventriculo musculares convellunt, totum tandem systema debilitant. *Potatio nimia*, hoc seculo luxuria diffluente, hanc debilitatem in primis facit. Quamvis vinum modice adhibitum ut tonicum gratum potensque agit; liberaliter vero sumptum corpus nimis excitat: Quod collapsus necessario subsequitur, qui vires admodum sedantes edit, omnem ad extremum oeconomiae animalis functionem debilitans.

*Venus nimia*.—Haec in primis nociva est. Si ei ultra, quam natura desiderat, indulgeas, corpus brevi debilitat, et proclivitatem ad morbos genere et gravitate diversas manifestam haud dubie dat. "Concubitus vero," inquit Celsus, "neque nimis concupiscendus, neque nimis pertimescendus est. Rarus corpus excitat, frequens solvit. Cum autem frequens non numero sit, sed natura, ratione aetatis et corporis, scire licet, eum non inutilem esse, quem neque languor neque dolor sequitur ‡." Idem verbis quam clarissimis affirmat doctus ingeniosusque Gaubius. "Immoderata seminis profusio non tantum utilissimi humoris jactura, sed ipso etiam motu convulsivo, quo emittitur, frequentius repetito, imprimis laedit §."

*Vita sedentaria*.—Divina autem providentia, ut status quietis et inertiae, utcunque mortalibus gratus sit, multa mala secum adducat; ut tales morbos generet, quales homines aliquantum laboris, ut ad vitam jucundam, immo tolerabilem, reddendam omnino necessarium, subire possunt cogere, ita

* Med. Essays of Edinburgh, vol. iv. p. 281.
† Med. Observ. and Inquiries, vol. i. p. 226.
‡ Celsi Opera, lib. i. c. 1. § Gaubii Patholog. § 562.

comparavit. Hinc, ab exercitatione neglecta, mala innumera oriuntur, deſcriptu quam depulſu multo faciliora. Vis nervoſa imminuitur, circuitus ſanguinis languidus evadit, vires muſculis convelluntur, concoctio et nutritio parum accurate abſolvuntur, et omnes ſecretiones magna ex parte vitiantur. Swietenius celeberrimus, exercitationis vitaeque ruſticanae utilitatem exponens, inquit, "Dum duro labore victum ſibi et ſuis comparat ruſticus, quam firma habet omnia, quam robuſta! Omnes aeris injurias ſpernit, duriſſimos vorans cibos digerit perfectiſſime. Otio et luxu perditus homo quam debilis, quam miſere vivit! Minimam aeris ambientis mutationem ſentit illico; et millenis gulae irritamentis, quae ſatietas, non fames invenit, vix poteſt languentem excitare ventriculum *."

*Calor*—Eſt ſtimulus ad vitam animalem et vegetabilem ſuſtentandam neceſſarius; cum tamen nimis liberaliter admovetur, valetudini commodae ſummo eſt exitio. Calorem corporis proprium imminuit, et, ſyſtema nervoſum debilitando, ſecretiones et excretiones magnopere turbat. Vires mentales languidae redduntur, circuitus impeditur, tonus primarum viarum non parum imminuitur, et totum corpus debile et irritabile fit, et hinc typho opportunius.

## POTESTATES NOCENTES.

Hae autem potiſſimum ſunt *frigus* et *effluvia humana*. De quibus ordine dicetur.

*De frigore*.—Frigus plures, quam peſtem, famem, aut gladium, rapuiſſe Sydenhamius ſagaciſſimus notavit; id tamen, niſi alii cauſae adjunctum, nunquam febrim nervoſam, ſemper ſynocham, facere; ſed contagio humano additum naturam febris, perſpirationem forſitan diminuendo, non parum regere et moderari credimus †.

Actio frigoris triplex eſſe videtur:

a. Sedans.

b. Stimulans, vel

c. Tonica vel aſtringens.

a. *Poteſtas ſedans*.—Calor modicus, ut ſupra poſnimus, vim animalium nervoſam potiſſimum vivam conſervat et excitat. Contrarium igitur frigus praeſtet oportet. Nimium vel intenſius vitale principium vel totius corporis, vel cujuſlibet ejus portiunculae, ex toto perdit ‡.

* Van Swiet. Comment v. i. § 30. p. 41.

† Chalmers Eff. on Fevers, eſſ. i. ch. 1. Gorter de Perſpir. inſenſ. c. xii. art 46.

‡ Vid. Banks voyage, v. ii. p. 49.

b. *Sti-*

b. *Stimulans.*—Cum frigus ſyſtemati tempus in breve admovetur, cordi arteriiſque ſtimulo eſt, calorem partis et rubborem, cui applicatur, faciens. Ita, ſi nivem manibus illinamus, ſenſum frigoris ſubſequitur aliquantum reniſus.

c. *Tonica vel aſtringens.*—Si frigus modicum corporibus inanimis applicetur, omnes eorum partes non parum durat et contrahit, et gravitatem eorum ſpecificam auget. Eundem effectum fibras in animatas edit, vaſorum ſuperficiei contractionem, igiturque pallorem perſpirationemque ſuppreſſam, faciens. Haec quoque contractio totum in corpus aliqua ex parte diffunditur, et ſyſtemati univerſo tonum conciliat.

Actionem frigoris ſemper ſedantem eſſe, et poteſtatem ejus ſtimulantem a reniſu ſyſtematis, vel conamine virium naturae medicatricium, pendere probabile. Namque, quo magis vis circuitus ſanguinei ante imminuta eſt, eo ſemper illud agere neminem poteſt latere.

*De effluviis humanis.*—Materia quaedam e corpore humano ſano morbiſve laborante conſtanter exhalatur, quae in atmoſphaeram diffuſa, et hoc modo diſſipata, homini, unde emittitur, vel cuilibet ex adſtantibus rariſſime noxae eſt. Si vero circa corpus retineatur, vel in locis, ad quae ventus non adſpiret, accumuletur, inde vires quam maxime nocivas ſibi comparat, eoſque quibus admovetur, praeſertim, ſi a febribus notis putredinis ſtipatis oriatur, magnopere laedit.

Hoc modo typhum a contagione humana plerumque oriri, et hanc contagionem graviorem eſſe, cum a fomite, quam cum a corpore humano, proficiſcitur, volentes credimus *.

Quod hanc opinionem quodammodo firmat, eſt obſervatio Pringeliana: Viginti tres homines, nempe, in tabernaculis vetuſtioribus, ubi nonnulli cubuerant aegri, reficiendis occupatos eſſe, et ſeptemdecim ex hoc numero febre infectos, eaque extinctos, eſſe.

Cum effluvia in ſyſtema nervoſum, debilitatem faciendo, plane agant, effectus eorum, prout ſyſtema validius aut debilius eſt, major minorve erit; namque corpus humanum, pro ſuis viribus, cauſis debilitantibus obſiſtere poteſt. Rem ita ſeſe habere, actio frigoris, ſupra poſita, abunde teſtatur; namque frigus, niſi aliae cauſae debilitantes ei adjungantur, rarius agere conſuevit.

## CAUSA MORBUM CONTINENS.

Non minus in typho, quam in intermittentibus, tria eſſe ſtadia, quae, quamvis minus evidenter, haud dubie incidunt,

* Vid. Lind on fevers and infect. p. 221.

ſtatum

ſtatum nempe debilitatis, frigoris, et caloris, contendere non dubitamus. Haec ſtadia autem ſe invicem modo regulari, et ordine ſupra comprehenſo, excipere conſtanter notantur, et pro ſerie quadam cauſae et effectus habentur; namque cauſam frigoris omnia, quae per paroxyſmum ſubſequuntur, facere nemo non opinatur *. Boerhaavius, et ejus aemuli, ſaltem quantum intermittentes ſpectat, hanc in opinionem conceſſerunt. Quanquam miaſmata paluſtria intermittentes, et humana effluvia typhum faciant; utraque tamen, quantum in ſeſe eſt, ad vim nervoſam perdendam eodem modo conferre admodum probabile. Ex iis, quae magis minuſve evidenter in omnibus febribus incidunt, partibus, nempe, externis mole imminutis, excretionibus ſuppreſſis, &c. rite conſideratis, frigus notis ſpaſmi vaſorum extremorum manifeſtis ſtipari, aperte conſtat. Spaſmus autem illatus, pro lege ſyſtematis notiſſima, cordi arteriiſque ſtimulo eſt, et illum reniſum facit, qui manet, donec vis cerebri reſtauretur, et motus vaſorum ſuperficiei, quibus ſanguis rurſus partes in extremas diffunditur, ſudorque tandem moveatur. Hinc debilitatem et ſpaſmum reniſui fundamenta ponere, cauſamque febris proximam conſtituere, cogitare non dubitamus.

## EVENTUS MORBI.

Febres plerumque, decurſum per ſuum, varias facies induunt, quae majoris minoriſve momenti ſunt, utpote quae ſalutem mortemve denuncient. Studium igitur earum a nemine, qui medicinam cum judicio et ſucceſſu proſpero facere cupit, neglectui habendum, quam manifeſtiſſimum eſt.

Inter omnes autem convenit, certa ſigna in omni febre ſeſe oſtendere, quae noxae ſunt, et ad vitam extinguendam conferunt, quaeque *vis morbi* appellari conſuerunt; et alia, contra, non deeſſe, quae prioribus obſiſtunt, quaeque *vires naturae medicatrices*, diu apud ſcholas AEſculapii celeberrimas, nominantur. Multi ſua praeſagia ab his illiſve ſignis ex aequo petiverunt. Si vero noſtra doctrina fundamento ſtabili innitatur, hoc factu difficillimum eſſe comperietur, cum, ad utram claſſem multa ſignorum relegare debeamus, i. e. utrum a morbo ipſo vel a conaminibus naturae, valetudinem commodam reſtaurare molientis, ſalutiferis, proficiſcantur, ignoremus. In hoc rerum ſtatu parum certo, prognoſin typhi e ſignis, quae mortem portendunt, vel magnam debilitatem vel proclivitatem humorum ad putredinem ſignificant, attente conſideratis, melius diſci poſſe putamus. Hanc vero

* Cullen, Firſt lines, pract. § 36.

pe

per tabulas subsequentes quam maxime claram reddere conabimur.

Quae signa magnam debilitatem significant.

1. *In functionibus animalibus*, ea sunt.

A. Motuum voluntati subditorum debilitas.

a. Lassitudo.

b. Incubatio in dorsum, cruribus extensis.

c. Impotentia corpus vertendi.

d. Delapsus in lecto.

B. Motuum voluntariorum irregularitas, a debilitate vel mobilitate eorum pendens.

a. Tremor manuum vel linguae.

b. Subsultus tendinum.

c. Stridor dentium.

d. Convulsiones.

e. Linguae titubantia.

f. Oculi omnia sibi objecta oblique spectantes.

g. Tardus oculorum motus.

C. Debilitas sensus, quam adesse testatur insensilitas solitorum stimulorum.

a. Lucis, quod ostendunt,

*a.* Oculi fixi,

*b.* Visus duplex parumve distinctus.

b. Soni, quod indicat,

*a.* Surditas universa,

*b.* Tinnitus aurium.

D. Debilitas vel irregularitas functionum mentalium.

a. Caecitas.

b. Coma.

c. Pervigilium.

d. Affectus animi tristes.

e. Delirium mite.

Quae signa debilitatem demonstrant.

2. *In functionibus animalibus*, ea sunt.

A. Pulsus arteriarium debiles, abnormes, vel tardi, quos adesse indicant,

a. Sudores frigidi,

b. Pallor faciei,

c. Ungues lividi.

B. Frigus extremorum,

a. Manuum,

b. Pedum,

c. Ex-

c. Extremi naſi,
d. Extremarum aurium.

C. Deliquium animi, vel
a. In poſitura erecta,
b. Motu adhibito.

D. Spiritus debilis vel difficilis, abſque affectu loco proprio.

Quae ſigna debilitatem oſtendunt.

3. *In functionibus naturalibus*, ea ſunt.

A. Debilitas ventriculi.
a. Anorexia.
b. Nauſea.
c. Vomitus.
d. Sapor amiſſus.
e. Odoratus.

B. Excretiones involuntariae, a paralyſi ſphincterum pendentes.
a. Urina male retenta.
b. Faeces.

C. Difficultas devorandi, a debilitate paralyſive muſculorum proficiſcens.

*Quorundam e ſignis in tabula praecedente comprehenſis ratio.*

Nullum organum, ſanitate ſubſtante, impreſſiones acutius quam *Oculus* ſentit. Hinc in febribus medici celeberrimi ſe progreſſum debilitatis, ſpeciem, quam prae ſeſe ferat, attente conſiderando, poſſe deſignare exiſtimarunt. Igitur, febribus bene provectis, cum aegrotus ſibi objectum parum clare videt, aut ea, quae abſunt, adeſſe putat; et unum horum et alterum conditioni ſenſorii communis tribuere moris fuit, quanquam forſitan a ſtatu organi ipſius per collapſum cerebri affecti, aliqua ex parte poſſunt pendere. Ita cum omnia, quae in febribus aegrotus contemplatur, maculis nigris operiri videntur, aut tumores nonnullis in locis parvulas habere, adeo ut febricitans digitos ſuos in hiſce maculis, &c. tollendis adhibeat, antiquiores eventum morbi infauſtum fore ſunt opinati.

*Viſus duplex vel obliquus.*—Haec ſigna tantam muſculorum, qui oculos movent, debilitatem ſignificant, ut utrumque ad eandem rem eodem tempore vertere nequeant, adeo ut ſinguli tantum eam verſus alternatim dirigi poſſint.

*Surditas.*—Hoc ſignum per ullum affectum, organo auditus proprium, non facile poteſt exponi. Igitur conditioni collapſus ſenſorii communis tribuatur neceſſe eſt. Non multum

tum periculi plerumque portendit; contra, modica ſurditas nonnullis pro fauſto habetur; ſed hoc in caſu per coma, quod ei plerumque adjungitur, decipi poſſunt.

*Delirium*—Hoc ſymptoma pleraſque febres comitatur, et ab aliqua excitationis cerebri inaequalitate, undeunde nata, pendere videtur, vim ejus nervoſam eodem tempore imminutam eſſe ſignificans. Varietates ejus diverſas a ſe invicem ſecernere, cum nunquam non ſignum naturae horrendae ſit, inter medicinam faciendam ſummi momenti eſt. Delirium ferox in hiſce febribus plerumque ſeſe oſtendit, ubi diatheſis phlogiſtica ſub initium invaleſcit, et acuta pyrexia, capitis dolore, faciei et oculorum rubore, ſenſu lucis et ſonitus acuto, ſtipatur. His accedunt, magna ad iram proclivitas, loquela celeris, vox ſublata et irati ſimilis, et aegrotus e lecto exilire ſaepe conatur. In typho, contra delirium mite eſt, et id praecedunt ſigna magnae totius ſyſtematis debilitatis, qualia ſunt, pulſus arteriarum debiles, celeres, magna anxietas, vertigo, ſtupor, facies Hippocratica, oculique vitrum referentes. AEgrotus non ferox aut iracundus, lecto facile continetur; et ſermo, quamvis alienus, et muſſitatio placida. Memoria ei deficit, ideas aſſociare pro conſuetudine nequit, maxime ſolitas dediſcit; amicos, conclave, cubile, miniſtros obliviſcitur: Harum autem ſpecierum, dum medicinam exercemus, certas conjunctiones ſaepe offendimus, quae faciunt, ut eas ſecernere, utcunque neceſſarium, in primis difficile ſit. Rebus veris ita ſeſe habentibus, nihil aliud medico agendum reſtat, quam ingenium ſuum et ſolertiam remediorum, affectu ſyſtematis univerſi ſemper quam maxime diligenter obſervato, periculum caute faciendo, demonſtrare.

Debilitas, in una alterave functione ſeſe oſtendens, niſi complures ſimul invadat, non admodum formidoloſa. Quanquam nonnullis in exemplis maxima eſt, aegrotus tamen praeter ſpem, et non abſque noſtra ſumma voluptate, convaleſcit. Signa enim debilitatis ſola, quamvis adſunt, non plurimum periculi habent, et eventum tantummodo funeſtum fore dicere audemus, ſi ei adjungantur affectus loco proprii et horrenda putredo.

Quae ſigna *putredinem* ſubeſſe teſtantur, ea ſunt:

A. Ventriculi.
   a. Anorexia.
   b. Nauſea.
   c. Vomitus.
   d. Magna ſitis.

e. Acidorum deſiderium.
f. Ructus nidoroſi.

B. Maſſae ſanguineae.
a. Sanguis, abſque impetu adaucto, e qualibet parte profuſus.
b. Sanguis, ut ſanitate ſubſtante, e venis emiſſus non concreſcens.
c. Effuſiones ſubter cutem.
1. Sanguinis rubri facientis,
*a.* Petechias.
*b.* Maculas.
*c.* Vibices.
2. Seri flavidi.

C. Conditionis excretionum.
a. Dejectiones foetidae, liquidae, vires convellentes.
b. Urina colorata, quaſi ſanguine tincta.
c. Sudores olidi et foetidi.
d. Foetor ab epiſpaſticis ortus.
e. Foetor animae. Et

D. Odor corporis cadaveroſus.

*Quorundam ex hiſce ſignis ratio.*

Signa, quae *primis in viis* apparent, et putredinem ſignificant, virium naturae medicatricium, naturaeve ipſius, effectibus morborum occurrere conantis, notae quam manifeſtiſſimae ſunt. Ita ab omnibus conceditur, cibum animalem putrediuem, quae in ventriculo ſubeſt, auctorum eſſe, et deſiderium potus acidi, ad acrimoniam diluendam, et ad proclivitatem eorum, quae eo tempore putreſcentia primis in viis adſunt, quaeque alioquin ſyſtema ſanguiferum indirecte ſtimularent, in putredinem corrigendam, in primis eſſe neceſſarium.

*Maſſae ſanguineae.*—Sanguis, ſanitate ſubſtante, e venis emiſſus, frigidus quietuſque cito cogitur, et in craſſamentum ſerumque dividitur. Hoc coagulum a glutine lymphave, quam contineat, globulos rubros inter ſeſe firmiter connectente, pendet, et facies diverſas, pro conditione ejus glutinis, induet. Hinc, quod huic contrarium eſt, pro ſigno putredinis manifeſto ſemper fuit habitum. Hoc modo febribus in putridis ſanguis firmam ſuam texturam poteſtatemque ſeſe cogendi amittit. Colorem magis lividum fuſcumque, quam qui ſibi proprius eſt, habet; nonnunquam tamen floridus manet, ſed brevi putreſcit, ſi aliqua ex parte cogatur, motu leviſſimo adhibito, globuli rubri facile diffunduntur, et ſpeciem

ciem loturae carnis praebent. Sanguis, firma textura amiſſa, per varia corporis vaſa excernentia effundi, et ſemetipſum urinae et ſtercori admiſcere, periclitatur. Quinetiam metus eſt, ne in telam celluloſam profundatur, petechias, maculas, vibices colore diverſos, plerumque vero ſubrubros, lividos, fuſcoſve, gradatim ex toto nigros evadentes, progreſſumque putredinis deſignantes, efficiens. Inſuper, aliud magnae putredinis ſignum eſt, ſerum nempe ſub cutem effuſum; quod inde magnam ſibi flavedinem adipiſcitur, et illum colorem in febre Indorum Occidentalium dat, unde nomen ſibi adquirit.

*Conditionis excretionum.*—Quanquam ſub hoc capite dejectiones foetidas, liquidas, vireſque convellentes, recenſuimus, non inde labem humorum putridam totius corporis eas ſemper deſignare cogitamus; cum haec aliqua ex parte in inteſtinis craſſioribus, abſque affectu totius corporis, poſſit incidere.

*Species urinae*—In febribus quolibet alio ſigno adhibito forſitan fallacior eſt: Si tamen putredo longe provecta ſit, e tenuitate ſanguinis adaucta, ſtatuque organi ſecernentis debili, eum facilius profundi patiente, urinam ſanguinolentam ſummam putredinem ſignificare, concludere licet. Alia ſigna multo certiora, qualia ſunt, *Status ſudoris*, qui e miti inodoro magis magiſque foetidus evadit, vel ichor ſubviridis, e partibus per epiſpaſtica exulceratis profuſus, qui frequenter adeo foetidus eſt, ut chirurgi eas curare nequiverint, ſub hoc capite quam aptiſſime fuerunt collocata. Inter univerſos quidem medicos convenit, aliquid ex toto corpore in febribus, quarum exitus funeſtus eſt, exhalari conſueviſſe, quod non abſque ratione graviſſima, cadaveroſum poteſt appellari, quodque mortem appropinquantem haud dubie denunciare compertum eſt. Haec putredinis ſigna ſub morbi initium accedere poſſunt; ſed, eo provecto, frequentius ſeſe oſtendunt, cum effectus debilitatis magis invaleſcunt. Quanquam nonnulla eorum, per ſe ſumpta, metum incutere poſſunt; conjuncta tamen ſimulque ſemet oſtendentia, periculi pleniora multoque magis reſpicienda ſunt.

## RATIO MEDENDI.

Cauſis typhi conſideratis, conſilia medendi hujuſmodi eſſe debere putamus.

I. Spaſmum vaſorum extremorum tollere.

II. Tonum ſyſtematis univerſo reddere.

III. Per ſtadia typhi poſteriora proclivitati humorum ad putredinem occurrere, eandemve corrigere.

Quaenam hiſce conſiliis auxilia accommodentur, in tabula ſubſequente optime oſtendetur, ubi totam curationem unum in conſpectum dare ſumus conati. De ſingulis autem, quae indicantur, poſtea fuſe dicetur, prout poſſunt referri ad

1. Adminiſtrationem,
2. Remedia,
3. Medicamenta.

*Curationis Typhi Tabula.*

I. Spaſmum vaſorum extremorum tollere :
  A. Internis, quae ſunt,
    a. Ea remedia, quae curſum humorum ad ſuperficiem faciunt ; ut
      *a.* Diluentia,
      *b.* Sales medii,
      *c.* Sudorifica,
      *d.* Emetica.
    b. Remedia antiſpaſmodica appellata.
  B. Externis, qualia ſunt,
    a. Epiſpaſtica,
    b. Balneum calidum.

II. Cauſis debilitatis effectibuſve ejuſdem occurrere : Quod fit,
  Actionem cordis et arteriarum ſuſtentando et augendo,
  A. Tonicis, qualia ſunt,
    a. Frigus ;
    b. Medicamenta tonica ; quae ſunt, vel
      *a.* Foſſilia, ut
        *aa.* Saccharum Saturni, &c.
      *b.* Vegetabilia, ut
        *bb.* Cortex Peruvianus.
  B. Stimulantibus, qualia ſunt,
    a. Aromata,
    b. Vinum.

III. Proclivitati humorum ad putredinem occurrere, eandemve corrigere ;
  1. Materiae putridae vel putreſcentis applicationem fugiendo ;
    A. AEgrotum a locis, aere corrupto repletis, removendo ;
    B. Accumulationem effluviorum aegri vitando ;
      a. Aerem

a. Aerem recentem et frigidum conſtanter adſpirare permittendo;
b. Stragula et indulia lintea, &c. frequenter mutando;
C. Omnia, quae e corpore excernuntur, diligenter et ſubito tollendo;
D. Cibum animalem vitando.

2. Materiam putridam vel putreſcentem, quae jam in corpore ſubeſt, evacuando;
A. Inteſtina ſaepe deplendo;
B. Excretionem perſpirationis et urinae promovendo;
a. Diluentibus,
b. Salibus mediis.

3. Materiam putridam aut putreſcentem, quae in corpore ſupereſt, corrigendo;
A. Diluentibus;
a. Aqua aere fixo imbuta,
b. Vinis minus fortibus fermenteſcentibus,
c. Succo pomorum vel pyrorum fermentato.
d. Cum hic non eſt, liquoribus e byne confectis eodem in ſtatu;
*a.* Cereviſia Londinenſi;
*b.* Cereviſia fortiore.
B. Antiſepticis univerſis,
a. Aere fixo ſub forma enematum in anum immiſſo,
b. Aere e rebus fermenteſcentibus inſpirato,
c. Antiſepticis, cum aere frigido corpori ſummo admotis.

4. Progreſſui putredinis ulteriori obſiſtendo, vel effectibus ejus occurrendo;
Tonum vaſorum per remedia tonica ſuſtentando:

5. Violentiam reniſus ſyſtematis compeſcendo, quatenus putredinem adauget.

## ADMINISTRATIO.

Sub hac primum conſiderandae ſunt *frigoris applicationes*. In omni febri *aer recens* aegroto omnino neceſſarius eſt, et ad eum quam liberrime adſpirare ſemper permittendus. Si fieri poſſit, conclave aegroti amplum et ſpatioſum eſſe debet. Cubile ita collocandum, ut omnia aeris fluenta poſſint vitari; quamvis adſpiratio ejus nullo modo interpellenda. Eum autem nulla ratione melius, quam feneſtram ab ima parte paululum, ut aer recens ingrediatur, et alteram a parte ſuprema,

ſuprema, ut aer corruptus vel mephiticus foras expellatur, paululum aperiendo, admittere poteris.

Si morbus ſignis putredinis ſtipatur, aer frigidus ad ſuperficiem etiam corporis eo uſque, ut vires tonicas edat, tuto poteſt admitti. In Sileſia et nonnullis aliis regionibus, corpus frigida abluere non dubitarunt medici, et in febribus admodum prodeſſe putant. Cum vero in hanc medendi viam apud noſtrates non fuerit proceſſum, nihil omnino de effectibus ejus experientia docti, dicere poſſumus. Totum corpus ſpongiis frigidae, cui aliquantum aceti fuit adjunctum, intinctis abluere forſitan prodeſſet.

Quanquam aer frigidus, ut tonicum potentiſſimum, laudatur; tamen non abſque cautelis idoneis, quantum ſpatium temporis et gradum, ad quem uſque debeat adhiberi, ſpectat, praecipiendus; namque, liceat modicus vires tonicas et antiſepticas habeat, nimius admodum ſedat, vitamque ex toto extinguere poteſt. Non abſque ſummo generis humani commodo contingit, in locum regiminis calidi, quod ubique fere in deſuetudinem abiit, uſum aeris frigidi liberalem, veſtes linteas frequenter mutatas, et rationem victus idoneam eſſe ſuffecta; etenim hoc modo multi patres proli ſuae numeroſiſſimae, multi mariti conjugibus merentibus, et multi liberi parentibus eorum amantiſſimis, fuerunt reſtituti. Aer quidem frigidus recens ab aegroto tantum deſideratur, et remedium in auxilium febris putridae tam promptum eſſe videtur, ut non mirari non poſſimus, ad eum tam ſero fuiſſe decurſum. Dr Lettſom inquit, aerem frigidum, quantum ille potuerit notare, non minus, quam corticem Peruvianum aut diaetam, aegroto prodeſſe, et febrem putridam, ſe judice, citius aere recente ad aegrotum liberaliter adſpirante, abſque cortice, quam cortice abſque aere recente, poſſe depelli.

Febres putridae non ſaepe pueros impuberes invadunt; ſi vero hoc incidat, utilitate aeris frigidi in variola confluente inducti, ſuademus, ut aegrotus in campos apertos hortoſve devehatur; ibi etenim aer per incrementum vegetabilium pergens magis ſalubris efficitur, putredinique potentius occurrit.

*Potio frigida.*—Proxima frigus admovendi ratio eſt ad potionem frigidam confugere. Hanc in febribus utilem eſſe, omnes fere hodie confitentur, et, ob illum nexum arctiſſimum, qui ventriculum inter et ſuperficiem intercedit, in ſpaſmum vaſorum extremorum multum poſſit oportet. Frigida in ventriculum ingeſta vim tonicam ſingularem habet, actionem ſyſtematis ſanguiferi adaugens, et igitur, cum diathefis phlogiſtica invaleſcit, aliena; in typho vero, cum nullus ad pulmo-

nes

nes humorum curſus eſt factus, ubi totius corporis debilitas ſubeſt, magnopere prodeſt. Quantum ad quantitatem ejus attinet, errare vix periclitamur; namque omnes ſecretiones augendo, tonumque ventriculo et inteſtinis conciliando, diverſa per excernentia e corpore rurſus brevi expellitur, et materiam ſalinam, acrem, vel putreſcentem primis in viis diluendo, fermentationem compeſcit, et expulſionem ejus accelerat.

*Diaeta.*—Haec in morbis curandis ſummi momenti eſt, et hanc tam parum attendi apud hodiernos mirabile eſt. Hippocrates, medicorum princeps, ſuper parte medicinae diaetetica quam optime ſcripſit, et opus ejus peritiae et obſervationis ſedulae monumentum ſemper manebit; hanc vero curae vetulae nutricis recentiores frequenter committunt, et nihil aliud quam uſum alimenti pinguis vetant.

In typho, propter debilitatem, quae ibi invaleſcit, alimentum magis nutriens, quam aliis in febribus, adhiberi poteſt; et quanquam ſubſtantiae animales plurimum nutrimenti continent, ob proclivitatem tamen earum ad putredinem, hac in febri admodum alienae. Farinacea igitur indicantur, utpote quae maximam materiae ſaccharinae et oleaginoſae quantitatem comprehendant, in qua principium nutriens plane conſiſtit. Conveniunt idcirco ptiſana grata, aqua hordeata; id, quod *ſalep* vel *ſago* appellatur, vino admiſtum; gelatina e cornu cervino vel uvis Corinthiacis confecta, panis toſtus e vino Burdigalenſi, Rhenano, vel Luſitano; fructus omnigeni acescentes, potiſſimum limones, aurantia, &c. cum ſitim tollant et putredinem corrigant. In febribus nonnunquam appetitus certa deſiderat, quae nunquam recuſari debent. Si natura haec ipſa indicans non exaudiatur, ſumma anxietas et inquietudo oritur. Ita febribus in pleriſque cibum animalem ſolent reſpuere aegroti, et nihil aeque ac fructus ſubacidos expetere. Aliquando contrarium incidit, et cibus animalis magnopere deſideratur. Hoc in exemplo, appetitui indulgere nunquam, quod vidi, nocivum, quamvis non tantum alimenti quantitas, ſed dotes ejus perquam alienae ſunt viſae. Sub exitum typhi victus lautior et exercitatio modica aere in frigido et temperato curationem magnopere expediunt.

*Lux, ſtrepitus, et alloquium*, plerumque primum per ſtadium ſunt fugienda, quoniam ſyſtema non parum irritant. In nonnullis delirii exemplis, praeſertim per ſtadia ſubſequentia, ubi ſenſilitas imminuta eſt, aegrotus luce abſente, quam praeſente, magis afficitur. Quandocunque hoc incidit, lucem in conclave admittere neceſſarium eſt, ut aegroto occurrant ea quae contemplari ſolitus eſt.

*Affectus animi triſtes, motuſque ingrati*, quoque vitandi.

Metui

Metui illi et desperationi super morbi eventu, quibus aeger affici consuevit, quam maxime occurrere conandum, si modo febricitans potest ratiocinari. Qui contra affectus grati, ii movendi, et animi tranquillitas omni ratione fovenda et promovenda. Administratione jam exposita, proximum est ut remedia exequi aggrediamur.

## REMEDIA.

Sub his primum sunt considerandi effectus *Epispasticorum*.

E remediis numerosis, quae in febribus adhiberi solent, nullum forsitan est, de cujus actione acrius, quam de epispasticorum, fuit certatum. Effectus cantharidum in humores nullius momenti esse videtur; quantitas enim absorpta tam exigua est, ut in massam tam amplam nullam mutationem notabilem edere possit. Ad actionem earum in fibras motrices animum nostrum potissimum attendere debemus, et multis in exemplis vis earum stimulans accurate fuit comperta. Hic stimulus autem loco plerumque proprius est, et, epispastico sublato, serove effuso, brevi cessat. Haec autem effusio, quantumcunque ei fuit tributum, generalem humorum circuitum mutare nequit; caeterum in inflammationibus loco propriis, cum epispastica prope partem laborantem sunt applicata, per vasorum communicationem, ad spasmum iisdem in illis solvendum nonnihil confert. Ex hac analogia cantharides, cuti admotas, in fibras motrices partis, cui applicantur, per vim antispasmodicam potenter agere, et bonos earum effectus, cum nexus perpetuus unam superficiei partem inter et omnes reliquas intercedit, a constrictione vasorum extremorum spasmodica relaxanda oriri, concludimus. De tempore epispastica in typho applicandi idoneo multae lites sunt motae. Pringelius Lindusque celeberrimi, ut ad ea sub initium decurratur, suadent, et aegrotos multum beneficii ab usu eorum accipere se vidisse, opinantur. Monroius, contra, licet ad ea mature saepe confugerit, febrem per ea non tam cito, quam Lindus fuerat expertus, sublatam fuisse refert *. Typho in puro multum levaminis a maturo epispasticorum usu jure sperandum. Si capiti sub initium superimponantur, delirium saepe depellunt. Si vero ea adhibere negligamus, donec systema magis sensile evaserit, stimulus eorum sensilitatem augere, pulsusque arteriarum magis exiles et contractos reddendo, subsultum tendinum movere potest. Si igitur epispastica non brevi, postquam febris accessit, applicentur, iis abstinere debemus, donec vis remissa non parum debilitata sit, et conatis aliquantum accesserit.

* Monro on military hospitals, p. 17. note k.

Semper

Semper ita admoveantur, ut prius exulcerationem, quam febris concitata fit, faciant. Omnia typhi ſigna veſpere magnopere ingraveſcunt. Igitur ea ſub noctem, ut moris communis eſt, admovere alienum, cum ſtimulus epiſpaſtici et exacerbatio febrilis delirium et ſubſultum tendinum poſſint augere. Prudens medicus igitur non ad ea, niſi cum ſigna ſe remiſerint, decurret †.

Quantum locum, cui ſunt admovenda, ſpectat, quo propius partem laborantem, topico affectu ſubſtante, applicantur, eo magis prodeſſe ſupra poſuimus. Ita, cerebro inflammatione laboraute, capiti raſo ſuperimponere utiliſſimum; cum vero conſtrictionem vaſorum extremorum tollere volumus, cui admoveantur parti non multum refert. Dum doctrina derivationis et revulſionis invaluit, ea talis interioribus applicare ſoliti ſunt medici; caeterum hoc in loco exulcerationem ſemper tarde, et, ſi artus non calidi ſerventur, nullam omnino faciunt. In febribus, quae vires aegroto admodum convulſerint, epiſpaſtica dorſo adhovere minime convenit, cum aeger ob debilitatem huic ſaepiſſime incumbat, et commodum non minus ab iiſdem, brachio femorique admotis, oriatur. Hanc rationem igitur illi anteponendam putamus. Inſuper, hoc modo applicata, minus moleſtiae tam chirurgo exulcerationes curanti, quam ipſi aegro, faceſſunt. Hoc in typho quoque maxime neceſſarium, ubi partes exulceratae non cito ſanari debent. Si partes frigidae ſint, accurate fovendae vel fricandae, antequam epiſpaſtica applicentur, et poſtea panno laneo, ut exulceratio profluviumque, eam ſubſecuturum, promoveantur, diligenter involvendae. Si ſigna ſtranguriae ſeſe oſtendant, liquores mucilaginoſos et julapia camphorata liberaliter bibere debet aegrotus.

*Balneum calidum.*—Hoc remedium ab antiquioribus, ut e multis Galeni et Celſi locis apparet, frequenter fuit adhibitum; tempus vero, quo maxime idoneum et utile eſſe crediderint, ignoramus. Gilchriſtius pater, Dumfriſienſis medicus celebris et expertus, uſum ejus revocare conatus eſt, eo ſaepe feliciſſime uſus. De veritate eorum quae tradiderit ambigi nequit; ſed totum corpus demergere difficillimum, et aegroti debilitas id erigi vetat. Igitur in locum ejus, vel balneum vaporiferum, vel, quod non minus prodeſt, extremorum fomenta ſufficere, cogimur. Artus inferiores fovere in omnibus typhi ſtadiis magnopere prodeſt; ſed, inter hoc faciendum, quam minimum moleſtiae aegroto faceſſi debet. Stragula ad genua uſque invertantur, panni applicati modice ca-

† Medical Eſſays, Edinb. vol. iv. p. 309.

lidi ſint, ſed humoris expertes, et ſumma cura agendum eſt ut ſtragula omnino ſicca conſerventur; quoniam aqua, per evaporationem frigus faciens, perſpirationem impediendo, periculum multo majus efficere poteſt. Fomenta per ſpatium temporis ſatis longum adhibere convenit, per horam ſaltem; minus enim diu adhibita nihil commodi ſecum adducunt. Cum delirium, ſtupor, ſubſultus tendinum aegrotum vexant, per ſtimulum ſuum lenem et humorem, vaſis ſuperficiei topice admota, horum ſpaſmum relaxant, ſomnum faciunt, excretiones cutaneas et omnes ſecretiones promovent.

*Cucurbitulae.*—In typho, propter debilitatem quae omnibus in functionibus invaleſcit, evacuationes omnis generis ſummae noxae ſunt, morbumque adaugent. Sanguinis miſſio igitur, licet omnium plurimum in ſpaſmum poſſit, in typho nunquam poteſt adhiberi. Nonnunquam tamen impetus humorum ad cerebrum, pulmones, &c. fit, et has partes non parum irritat, quamvis haec irritatio non in totum ſyſtema inſigniter diffunditur. Si delirium, ante mite, ferocius evadat, vel curſus ad pulmones ita fiat, ut medico minus cauto perſuadeatur aliquid pneumoniae adeſſe, et ſanguinis miſſionem igitur neceſſariam eſſe, et periculum hujus revera faciat, omnia ſigna multo graviora fient, et ſalus aegroti in poſterum fruſtra ſperabitur *. Cum haec ſigna accedunt, parum auxilii a remediis antiphlogiſticis exſpectandum, et cucurbitulae cruentae et hirudines tantum adhibendae ſunt, quae, evacuatione ſua topica, ſyſtemate interea non debilitato, proſunt. In capitis dolore typhum ſaepe comitante cucurbitulae maximi momenti eſſe ſolent. Aliquando non parva ſanguinis quantitas per hirudines etiam emittitur: Curandum igitur, ut evacuatio ſit adeo modica, ut debilitatem non augeat. Si curſus humorum hujuſmodi incidunt, et febris magna putredine ſtipatur, Timonii et multi alii medici profuſionem ſanguinis, ex oſtiis vel per cucurbitulas vel per hirudines factis, ſiſtere in primis eſſe difficile notarunt.

## MEDICAMENTA.

*Sales medii.*—Hi plerumque ex alkali fixo et acido vegetabili conficiuntur; ſed omnes alii ſales medii aliqua ex parte eoſdem effectus edunt. Secretionem urinae adaugent et perſpirationis, et, ſi corpus calidum ſervetur, diaphoreſin lenem movent, et vomitioni in febribus perquam frequenter occurrunt, ſpaſmumque ſolvunt †. Acida vegetabilia ni

* Huxham on Fevers, p. 83.

† Alkali et acidum ſeorſum, aut inter effervescendum, exhibita, saepe nauſeam et vomitum profligarunt, quando, peracta effervescentia, hoc efficere neequaquam valebant.

neralib

neralibus anteponimus, quoniam magis liberaliter adhiberi, et, cum humoribus noſtris facilius commiſceri poſſunt. In typho tamen ſemper danda ſunt effervescentia, cum, per vim aeris fixi, qui eo tempore explicatur, antiſepticam, putrida, quae primis in viis coiverint, poſſint corrigere.

*Sudorifica.*—De utilitate horum in febribus acerrime a multis fuit diſceptatum. Quamvis autem in typho mador cutis lenis et corpori toti communis prodeſt, et aegrotus, cute madeſcente, multum levatur; profuſi tamen ſudores nunquam movendi, quoniam debilitatem jam nimiam augent, et proclivitatem humorum ad putredinem majorem reddunt. Conſilio autem diaphoreſin faciendi adhibeantur ea diaphoretica, quae leniter ſtimulant; ut pulvis Doverianus pharmacopoeiae Edinenſis, vel, qui ei forſitan praeſtat, tartarus emeticus ſolutus, iis doſibus parvulis, quae nauſeam excitent, datus, opio adjuncto, et ex intervallis idoneis repetitus *.

*Emetica.*—Haec a ſeculis remotiſſimis uſque adhibita fuerunt; ſed de quantitate, qua debeant dari, multae lites ſunt motae. Alii ea quantitate, quae plenam moveat vomitionem, alii contra portiunculis, quae nauſeam tantum excitent, danda eſſe, contendunt. Vomitus plenus ſub initium typhi non raro neceſſarius eſt, utpote qui phlegma viſcidum evacuet, ductus biliarios et pancreaticum emulgeat, excernentia ventriculi et inteſtinorum aperiat, et, curſum humorum ad corporis ſuperficiem faciendo, cutem ubique madidam reddat. Hos optimos effectus ſub initium edit pulvis ipecacuanhae, cujus doſis ſatis accurate et facile regi poteſt: Sed ſemper curandum eſt, ne, doſin nimis frequenter repetendo, ſigna pejora reddamus, et debilitatem majorem faciamus.

Cum curſus humorum, ad ſuperficiem factus, non tam diu maneat, ſi plena vomitione moveatur, medici emetica quantitatibus, nauſeam moventibus, danda putarunt, et varia ex antimonio praeparata, qualia ſunt kermes mineralis, pulvis Jacobi, &c. adhibuerunt. Caeterum, propter vires admodum diverſas, quas inter praeparandum recipere conſuerunt, et ob conditionem ventriculi praeſentem, tartaro emetico ceſſerunt, medicamento quod, doſi certiſſimum, omnes eorum dotes bonas plane pollidet. Hoc ex ſolutione, et doſibus idoneis diviſis, in ventriculum diutius agere pergit, et, quanquam minus vomitu rejicitur, major medicamenti pars per pylorum tranſit, et alvum modice ſolvit; adeo, ut hoc cum pauxillo

* Dum legio ſeptuageſima, apud quam rem chirurgicam eo tempore exercebam, in arce Edinenſi manebat, complura typhi exempla, ubi notae putredinis non defuerunt, ſe oſtenderunt. In his omnibus, poſtquam tartarus emeticus alvum ſolverat, ad corticem Peruvianum et liquores vinoſos ſummo cum fructu ſtatim confugi.

rhabarbaro, ex idoneis intervallis dato, caveat, (quod semper in omni typhi ſtadio caute fugiendum), ne ſtercus in inteſtinis accumuletur *.

*Antiſpaſmodica.*—Horum praecipuum eſt *opium*, quod, diatheſi phlogiſtica ſublata, parvis quantitatibus datum, ſyſtema ſanguiferum ſtimulat, et curſu, quem ad ſuperficiem facit, ſpaſmum vaſculorum ſolvit. Liberalius adhibitum vim ſedantem haud dubie dat, et, quanquam ſuporem ſomnumque, uti videtur, facit, aegrotus tamen languorem, ſenſum frigoris, dolorem capitis, et tremores totius corporis, queritur, et ſe non dormiviſſe affirmavit. In typho opium prodeſt, ſi irritabilitas, delirium, vel convulſiones ſeſe oſtendant. Potiſſimum vero indicatur, multumque levaminis praebet, ſi evacuationes, ut ſudores, vel diarrhoea, quae vires aegroto brevi convellunt, accedunt.

*Moſchus.*—Hoc medicamentum quantitate praeter conſuetudinem magna dare, ab incolis Chinae primum didicimus, et vim admodum antiſpaſmodicam habet, ſi modo ſit genuinum. In omni exemplo, ubi ſingultus, tendinum ſubſultus, vel convulſiones accedunt, quantitate ſatis ampla datum, magnopere prodeſt.

*Aether.*—Hic non vulgo adhibetur; ſed magnas vires antiſpaſmodicas poſſidet, et, cum eum genuinum eſſe ſemper noviſſe poſſimus, haud dubio accurate tentari debet.

*Alkali volatile.*—Hoc a Pringelio in febribus, propter vires antiſpaſmodicas, fuit laudatum; ſed e doſibus parvulis, quibus id adhibuit, et actione ejus celeri, in ventriculum potiſſimum, et, per conſenſum, in vaſcula capillaria, uti appellantur, magis, quam in humores, vires ſuas edere concludimus. Si adhibeatur, purum, et non ſalem in medium converſum, et ex intervallis brevioribus, cum effectus ejus propter naturam volatilem fugaces ſint, praeſcribatur.

*Camphora, Crocus, Caſtoreum, Contrayerva*, et complura alia, ab auctoribus memorata fuerunt. Caeterum experimenta recentiora, alia eorum hiſce virtutibus, ob quas laudibus fuiſſent

* Tubus alimentarius in typho atoniae particeps ſit, unde tardiſſima faecum excretio obtinet; hae autem, etiamque ab exhalantibus excreta, cum felle, &c. ſtagnando, putredini proclives ſiunt, et veluti fomites nocent. Haud levis momenti itaque ſit, alvum ſubinde ducere leni cathartico aut enemate. Hoffmannus, ab multiplici experientia, laxantia in febribus putridis laudibus cumulavit, praeſertim a ſeptimo die, ad decimum quartum uſque; id eſt, a tempore quo plerumque ſeſe oſtendunt putredinis indicia. Sin alvus vehementius fluens aegrotum nimium infirmat, monente Pringelio, mitiganda, ſed nunquam ex toto ſupprimenda eſt diarrhoea; quo putridiores etiam dejectiones, eo majori cautela coercendae ſunt. Clarke de putredine, &c.

elata,

elata, ex toto carere, et alia nullis omnino praedita esse, testantur.

Classis remediorum proxima, quam nunc exequamur oportet, est *tonica* et *antiseptica*.—Quantum vero hanc spectat, fiducia nostra praecipua in *cortice Peruviano*, *vino*, et *aere fixo*, sit collocanda.

*Cortice Peruviano*.—Multum apud medicos de modo, quo hoc medicamentum celebre agat, certatum fuit, et hunc rite exponere, in primis difficile multi putarunt. In ea, quae corticem sumptum comitantur, cauti inquiremus, et inde aliquid super ejus natura et usu concludere conabimur, memoria semper tenentes, quod, "inter varios medicinae ramos, nullus incertior, nullus difficilior, nullus obscurior, nullus utilior, quam qui agendi modum usumque medicamentorum tractat."

In opiniones super actione corticis diversas fuit itum. Quam vero primum excutiemus, ea est, corticem *in humores*, per potestatem antisepticam, agere. Haec autem fundamento parum firmo inniti videtur, et ei non pauca plane adversantur.

1. Intra pauculos annos quorundam medicorum moris fuit, corticem a ʒi. ad ʒiij. vel statim antequam, vel postquam, nonnullae frigoris notae se ostenderunt, dare, qui hac medendi ratione se febrem ad finem ex toto perduxisse, confitentur. Hoc in exemplo corticem solutum fuisse, et humoribus admistum in eos egisse, non possumus opinari, cum solutionem corticis tardam et in primis difficilem esse, notissimum sit.

2. Multis in exemplis febrium, ubi cortex utilissimus est, summa, absque ullis putredinis humorum notis, debilitas invalescit.

3. Huic agendi modo hoc etiam adversatur, quod gangraenae progredienti occurrit, et eandem ex toto depellit.

Parvula corporis humani parte saepe continetur gangraena, et, si ullum medicamentum vi antiseptica agat, in humores diffundatur, et parti laboranti perquam liberaliter applicetur, necesse est. Caeterum ob tarditatem solutionis, quae supra comprehensa est, et pauxillam quantitatem, quae ex eo extrahi solet, hoc incidere nequit; namque morbi progressum brevi sistere notatur.

Proximus agendi modus, qui mentione dignus est, quique fundamento stabili, cum supra posita ei objici nequeant, et omnia phaenomena inde possint exponi, inniti videtur, est, corticem *in systema nervosum* potissimum, et in ventriculum proprie prius, unde effectus ejus in reliquas partes diffunduntur, agere consuesse. Dotes autem ejus praecipue a vi tonica pendere videntur, quoniam in omni morbo, a debilitate ni-hilave vi sedante proficiscente, quam maxime utilis est. Si

haec

haec ejus actio non in incerto versetur, in typho, ubi omnia signa summam debilitatem functionum animalium, vitalium, et naturalium, subesse testantur, magnopere profuturum esse, concludere licet. Sub febrium initium, ubi diathesis phlogistica invalescit, tonum dando et renisum augendo, magnopere et evidentissime nocet, et igitur diligenter vitandus; sed in typho, cum signa debilitatis accedunt, sola, vel putredini adjuncta, ad corticem Peruvianum, liberaliter datum et frequenter repetitum, nulla remissione vel intermissione, summo cum aegroti incommodo, et saepe frustra, exspectata, quam maturrime decurrere necessarium est *.

Cortex in pulverem redactus cuilibet alii praeparato praestat, si ventriculus eum ferre valeat; quoniam hujus humores eum facilius assimilare, quam quodlibet aliud menstruum, posse videntur. Si ventriculus eum hoc modo datum respuat, infusum frigidum decocto melius est, cum vires hujus exaequet, et aroma, ut in decocto incidit, coquendo non amittat †. Sub quacunque forma adhibeatur, si alvum nimis fusam reddat, aut vomitum cieat, his per opium, prudenter datum, occurrendum; si vero, contra, alvum nimis astringat, parvulam pulveris rhabarbari quantitatem ei adjungendam, curandum.

*Vino.*—Hoc in febribus hodie ubique recipitur, et prudenter datum, est tutissimum stimulans cardiacum, quod nobis adhuc novisse contigit. Ventriculo gratum est, actionem cordis arteriarumque excitat, et dolori et delirio occurrit. Quocunque febrium tempore stimulantia desiderantur, hoc adhibere debemus, cum ejus dosin tam facile regere, et hoc modo, quodcunque potest, absque difficultate nobis comparare possimus. In eo tamen utendo multum curae adhibendum; namque, ut summo commodo est rite datum, ita summae noxae est incaute adhibitum.

Quae usum ejus etiam incipiente typho indicant, ea sunt omnia, quae magnam debilitatem in functionibus demonstrant, et, quo magis haec invalescunt, eo liberalius sumendum. Si vero impetus humorum ad certas partes, ut in delirio phrenitidis proprio, vel affectibus pneumonicis incidit, fiat, ea summa cum cura, ob potestatem ejus stimulantem, abstinendum est.

In delirio a collapsu pendente, ut supra dictum, ad id confugi potest, et medicamentum quidem praecipuum est, in quo fiducia collocanda. Saepe celeriter et modum in mirandum

* Vid. Med. Observations and Inquiries, and Lettsom Med. Memoires.

* Hujus disputationis auctor ingeniosus, apud Liedenses medicinam prosperc exercens, eandem praxin summo cum fructu adhuc secutus est.

† Decocto aut infuso pro enemate uti res aliquando requirunt.

agit,

agit, anxietatem animi consopiens, et irritationem systematis nervosi, quae debilitatem comitatur, imminuens.

1. *Quantitas danda.*—Quantum vini uno die in febribus sit dandum, monstrabunt signa quae adsunt; namque nulla regula generalis hoc spectans tradi potest. Libras duas vini Rhenani militibus aegrotantibus praecepit Pringelius. Quod vero aliis nimium est, id aliis nihil proderit. Cum prudens cautusque medicus vinum necessarium esse putat, quantum sumendum sit per sequentia statuet.

2. *Per consuetudinem priorem.*—Si aegrotus vinum quotidie liberaliter sumere fuerit assuetus, et semet nonnunquam inebriare, multo copiosius dandum, et quidem, ob languorem et anxietam, quae absque stimulo solito sentit aeger et queritur, omnino necessarium evadit.

3. *Per morbi durationem.*—Nonnullis in febribus incipientibus diathesis phlogistica substans usum ejus vetat: sed per stadia posteriora debilitas vel signa putredinis, accedentia, usum ejus liberalem postulant.

4. *Per appetitum et fastidium.*—Si aegrotus ejus desiderio flagret, et semet per id refici, remisu non aucto, sentiat, ad id rursus tuto decurrere possumus *.

5. *Per effectum vini jam sumpti.*—Si vinum datum aegroto sit gratum, si eum multum reficiat; si pulsus arteriarum, qui prius debiles et tardi fuerint, pleniores validioresque evadant; si idem dolori et anxietati occurrat; si delirium imminuat aegrotumque consopiat, id pro tuto habere, et liberaliter repetere possumus. Si contrarium incidat; si delirium augescat; si oculi rubescant et inflammentur; si ictus arteriarum validi, pleni, et frequentes evadant; si aegrotus calidus et inquietus fiat, phrenitidem subesse, est cur suspicemur, et vino, quod summae noxae foret, et omnibus aliis stimulantibus, diligenter abstinere debemus.

Nonnunquam tales delirii conjunctiones offendimus, quales distinctionem ejus in primis difficilem reddunt et incertam.

Rebus ita sese habentibus, medici est peritiam judiciumque suum, vinum omni modo quam maxime caute periclitando, demonstrare.

6. *Per tempus anni, regionem, aetatem, sexum, temperamentum.*—Haec omnia consideranda sunt, quoniam quantitatem vini necessariam magnopere mutabunt. Memoria autem semper tenendum, vinum ad vires vitae tantum sustentandas destinari, et nunquam ea quantitate esse adhibendum, ut pulsus arteriarum concitare vel sudores elicere possit; quoniam potestates ejus sedantes postea agent, et consilium ejus primarium ex toto perdent.

* Vid. Pringle on the diseases of the army, p. 295.

7. *Forma*

7. *Forma et genus.*—Multi medici vinum liberaliter dilutum dandum putarunt; et, si quid diatheseos phlogisticae, superfit, hoc forsitan convenit sub initium febrium: Sed per stadia provectiora, cum aegrotus sitim non queritur, et aliquid cardiacum tamen appetit, meracum, cum aegrotus multum bibere non possit cogi, dare non dubitandum.

Qua forma hi medici usi sunt, ea est serum, aut uti appellatur Anglice, *posset*. Haec vero plerumque minus grata sunt; et, si id diluere necessarium est, hoc optime praestat aqua frigida, cui aliquantum sacchari et nucis moschatae adjunctum est. Quae mistura *negus* appellari consuevit, haec ut adhibeatur suademus; quoniam pauca exempla sunt, in quibus vinum potest dari, quae frigidam etiam non recipiunt. Immo, potestas hujus tonica mistura hujusmodi angeri potest. Hi casus tamen sunt excipiendi, qui catarrho, tussi, vel aliqua inflammatione loco propria stipantur, quoniam calidum vinum dilutum tutum esse potest, sed frigida periculo vacare nequit.

Effectus vini pro genere adhibito erunt diversi, quoniam hoc quantitatem alcoholis multo majorem, quam illud, continet. Delectus, igitur, summa cum cura habendus. Quae minimum spiritus ardentis comprehendunt, ea adhibenda sunt, qualia sunt Burdigalense et generosum Rhenanum vetus. Huxhamius, qui ipse bonum Lusitanum delexit, id omnibus aliis anteponit *. Effectus autem ejus salubriores reddentur, si per succum aurantiorum, limonum, vel elixir vitrioli, magis acidum efficiatur, et aromatis imbuntur. In iis regionibus, ubi liquores, e succo pomorum, vel pyrorum fermentato, copiosi igiturque parabiles sunt, potum saluberrimum suppeditant, potissimum fermentescentes, cum aerem per fixum, quem contineant, processui putrido, primis in viis pergenti, efficacius occurrant. In pauperculis, qui ob tenuitatem vinum aliosque liquores comparare nequeunt, cerevisia Londinensis vetusta, Anglice *porter*, et cerevisia fortior, sunt adhibendae.

*Aere fixo.*—Si fides nuperis observationibus multorum eruditorum, et philosophorum et medicorum, habenda est, aer fixus multum in morbis auxilii promittit, et attentionem majorem, quam quae ei a multis medicis in praesentia impenditur, mereri videtur. Vires antisepticas potentes habere compertus est, non tantum res adversus putredinem tutas reddere, sed jam putridas corrigere, et dulces rursus efficere, valens. Observationes quaedam a se factae doctum et ingeniosum Priestleium, philosophum, cui multa, et ea summi momenti, debeat scientia, ad suadendum, ut periculum hujus

* Huxham on fevers, p. 123.

in

in febribus putrida diarrhoea ſtipatis, ſub forma enematum faceret, impulerunt. Succeſſus proſper plus quam votis reſpondit. Heius, chirurgus celebris, et vir, cui ſumma fides ſit habenda, cuique primum Prieſtleius ſententiam ſuper hoc argumento ſuam patefecit, primum ejus periculum in viro, cui Lightbowne nomen eſt, fecit, et cum ſucceſſu tam proſpero, ut ad multa alia, quae ad idem firmandum et illuſtrandum contulerunt, conanda fuerit impulſus †.

Haec forſitan non unica huic adhibendi ratio eſt. Nonnullis in exemplis forſitan conveniret, aegrotum in atmoſphaera, aere fixo repleta collocare, ut aerem hujuſmodi inſpiraret, et, cum applicatio frigoris tonica neceſſaria eſt, vaſis cutis abſorbentibus, cum fructu fortaſſe aer ejuſdem generis poſſet admoveri.

Alia cum adhibendi ratio eſt ea dare, quae multum hujuſce aeris continent, qualia ſunt liquores fermenteſcentes, vina recentia, cereviſiae diverſae, aqua eo per artem imbuta. Cum vinum diluere neceſſarium eſt, ſi ſigna putredinis acceſſerunt, aquam eo bene ſaturatam adhibendam putamus; quoniam maximas eorum virtutes hoc modo nobiſmet comparabimus, et potio aegrotantis, quo plus aeris fixi continet, eo efficacior eſſe reperietur.

Dum aegrotus convaleſcit, ſumma cura nunquam non adhibenda, ut reditus febris, cujus periculum per debilitatem, a febre priore factam, quam plurimum adaugeretur, praecaveatur. Nihil autem hoc efficacius praeſtat, quam omnes cauſae remotae diligentia ſumma vitatae, uſus corticis Peruviani liberalis et continuatus, diaeta generoſa nutriens, modica exercitatio, et balneum frigidum.

---

## DE FEBRE FLAVA INDIAE OCCIDENTALIS.

*AUCTORE SAM. CURTIN.*

### MORBI HISTORIA.

FEBRIS maligna flava ab rigore et ſenſu frigoris leviore, potiſſimum poſt ninniam ſub ſole meridiano moram, ut plurimum praeludit. Vertigo ſimul urget, caputque dolore gravativo ſuper oculos, leviuſcula pariter nauſea et appetitu

† Vid. Prieſtley's obſervations on air, vol. i. p. 292.

proſtrato comitante, laborat. Calor vehemens, urens, et tangenti digito admodum ingratus, rigorem brevi excipit; pulſus interim plenus, velox, altus, ſimulque mollis deprehenditur; arteriae carotides vibrant, dum dolor capitis, tempora quaſi percutiens, intenditur. Vultus ſubtumidus rubeſcit; oculi, lucem refugientes, ſanguine ſuffunduntur, et cum ſenſu ardoris dolent; multuſque interea dolor in juncturis haeret, lumboſque pervadit. Creſcit nauſea, vomitus ciens, qui per totum morbi tenorem eo uſque infeſtare perſtat, ut ventriculus quodlibet aſſumptum pertinaciter reſpuat.

Materies, per iſta conamina rejecta, varia admodum conſpicitur; nunc ingeſta tantum potulenta, nunc bilis ipſa ſincera, ſive flava, ſive virideſcens et acris, ſurſum rapiuntur. Anguſtia circum praecordia, et anxietas moleſtiſſima, vomitum comitantur; hypochondria item plus minuſve ut plurimum tumida evadunt, et aeger ſurgens, vertiginoſus, jactabundus admodum, agrypnia pertinaci haud raro tentatur; vel, ſi levior ſomnolentia urget, inſomniis quaſi territus exagitatur. Sitis adeſt intenſa, et oris amaror vexat. Lingua inter initia morbi alias nitida, alias albida, nunc illita, rarius ſordida, flaveſcens apparet. Alvus pleriſque compreſſa eſt; at diarrhoea paucos exercet: Urina rubeſcit, et minus quam ex conſuetudine exit. Cutis fere areſcit, atque interdum ad ſuperiora rorida.

Hoc modo febris accenditur; die attamen ſecundo, nempe 36 vel 48 circiter horas poſt morbi ingreſſum, mane ut plurimum, mitiora ſymptomata remiſſionis imaginem quaſi prae ſe ferunt. Pulſus enimvero lentior, ſed languidus; dolor capitis non aeque moleſtus; nauſea et vomitus tamen neutiquam ceſſant; cutis naturaliter fere temperata evadit; adeo morbum eſſe ſuperatum nonnunquam credunt aegroti, immo et adſtantes amici. Verum his induciis non habenda eſt fides; poſt meridiem enim ſymptomata auctis viribus redeunt; vomitus quam antea atrocior aſſurgit, atque guttas ſanguinis inter vomendum ſtillant nares; ſitis ſit inexplebilis; atque lingua ſuper medio ſcabra, fuſca, ad inferiora et latera una cum labiis vividiſſime rubeſcit; verſus morbi finem haud raro nigricans conſpicitur. Symptomata, appropinquante veſpere, plerumque exacerbantur, et nox aegerrime tranſigitur; alia frequens in ſomnum inclinatio ſubrepit, alias vigiliae perturbantur, in utroque ſumma irrequies. Ecce ſtadium inflammatorium!

Sudor viſcidus tertio die, nunc citius nunc ſerius obortus, minimeque reficiens, pulſus languidus, mollis, parumque citatus, cutiſque egelida, ſpeciem quandam levamenti iterum exhibent;

exhibent; ſed nihil minus; namque vires, prius infirmatae, nunc magis ac magis elangueſcunt; anxietas non minus moleſta perſtat; ſpiratio rarius perficitur, et alta trahuntur ſuſpiria. Anima ex cauſa fere leviſſima interdum deficit, maxime dum aeger ſeſe in lecto erigere nititur, premente interea ſyncope. Flavedine vice rubedinis facies et collum imbuuntur, quae reſurgenti brevi deceſſit. Somnolentia magis urget. Decumbentes non raro leviter deſipiunt, rurſumque mentis ſatis compotes evadunt. Oculorum rubor, in fuſcum ſenſim mutatus, ad flavum tandem accedit, quo tota corporis ſuperficies brevi poſthac imbuitur. Niſus ad vomitum die quarto non aeque moleſtus; bilis vermtamen putrida, atro ſanguine commiſta, ore rejecta, prorumpit, dum uterque deorſum ſine torminibus praecipitatur. Sanguis nunquam cohaerens, nunc e naribus diſtillat, nunc per gingivas percolatur. Pulſus exilis, vacillans, intermittens evadit. Hypochondria aeſtuant et tument. Singultus inceſſanter fere urget. Manus et pedes frigeſcunt, tument ſimul, purpureoque foedantur colore. Labia arida et ſordibus obſeſſa liveſcunt. Foetet anima. Livida lingua tremeſcit, et oculi pulverulenti apparent. Urina quam maxime flaveſcens turbida demittitur, ex qua quod decidit, fere vel ex toto, nigreſcit.

Ecce nunc coma altum! dum febricitans, interdum apoplecticorum aemulus, nunc ſtertit, nunc abſque moleſtia ſpiritum ducit. In aliis vero coma levius adeſt, cum deliriis interruptum. Sub hac rerum facie manet nonnunquam vita per horas 36 et ultra, dum vix ad carpum micat arteria, et exanimis fere jacet moribundus. Exanthemata interea livida et lata, circa praecordia et lumbos ſparſim diſſeminantur. Muſculi labiorum et manus tremiſcunt et ſubſiliunt, et laborans ſenſim vehementius convulſione univerſa corripitur, et vitam pro morte commutat *.

## DISTINCTIO NOSOLOGICA.

Ne quis arrogantiae aut novitatis deſiderii, propterea quod a Sauvageſio noſtroque celeberrimo Culleno, in ipſo opuſculi limine exigua in re diſſentire audeo, me temere incuſet, obſecro. Morbum, de quo nunc diſſerere aggredior, uterque in ſyſtemate ſuo noſologico inter typhi ſpecies retulerunt. Nec ego inficias eo, quin funditus et intima ſua natura haec febris typhus ſit; propterea quod ſigna putrae debilitatis cito adparent, nec eo ipſo tempore, quo contraria cernuntur, ex toto abeſſe videntur. Cujuſmodi nauſea, vomitus, anxietas,

* Mackittric. Diſſert. med. inaug. Edinb. edit.

## POTESTATES NOCENTES.

Praecipua haec poteſtas nocens, atque etiam neceſſaria, quippe ſine qua non exoriatur morbus, eſt noxa ſedans, Indiae Occidentali, Orientali, et ſimilibus locis, ſi qui alii ſunt, propria. Ea per contagionem, an alio modo agat, nondum inter hujus morbi obſervatores conveniſſe videtur. Sed, quocunque modo agat, aliae res ſunt, quae partim ſeminii effectum flectunt, partim poteſtatis nocentis vim intendunt; ideo Poteſtates Excitantes adpellandae.

Eae ſunt coeli praecipue ex frigido ad fervidum mutatio,

Intemperantia,

Corpus, nocturnis roribus, ibi, ubi morbus occurrit, expoſitum, quibus vaſa perſpirabilia ſubito contrahuntur et occluduntur.

## CAUSA PROXIMA.

De cauſa febrium proxima, jamdudum inter medicos certatum eſt, variaeque de hac opiniones utrinque allatae ſunt; inter quas dogmata illuſtriſſimorum Boerhaavii et Cullenı maxime noſtram attentionem merentur. Ille acrimoniae et iluidorum viſciditati, hic autem ſolidorum atoniae et ſpaſmo, cauſam attribuunt.

Pulſus celeritatem, vel auctam cordis vaſorumque actionem, ſymptoma febrium omnigenarum pathognonicum eſſe, maxima pars medicorum crediderunt. Sed quid in febribus pulſus celeritati vel vaſorum auctae actioni cauſam praebet?

Febris, a ſtimulis cordi applicatis, originem trahere, pleriſque placuit. Verum illorum opinio, ut mihi videtur, et rationi et obſervationi prorſus contraria obſervatur. Nam ſtimuli abſque ullo incommodo frequentiſſime noſtro ſyſtemati applicantur; per calorem enim, ambulationem, vinum, et ſimilia, circulatio ſanguinis et pulſus celeritas augentur, cum tamen febris omnino abeſt. Porro, aeſtum et pulſus rapiditatem, in febribus, ſemper horror et frigus praecedunt; et nemo adhuc explicavit, quo pacto ſtimuli directe ſtadium frigidum inducere queant.

Boerhaavius, et omnes qui ejus veſtigiis inſtiterunt, proximam febrium cauſam liquidi arterioſi viſcoſitati attribuerunt; et ejus rei cruſtam albam, quae ſanguinem, hominibus morbis inflammatoriis laborantibus emiſſum, tegit, argumentum eſſe contenderunt.

Sed cum, ex quo clariſſimus ille medicinae cultor mortem obiit, multi, qui in experimentis obſervationibuſque fac[illegible]is vitam impenderant,

impenderant, claruere, errores quosdam, quos humana parum cavet natura, ab illo admissos, his praeclaris viris emendatos esse, aequum erit credere. Sed Boerhaavii errores, maculis quibusdam, quas in clarissimo solis orbe, totum qui illuminat mundum, existere astronomici comperiunt, merito comparari possunt.

Dominus Hewson, qui de re medica bene meritus est, variis experimentis de sanguine institutis, hanc visciditatem nunquam in febribus occurrere, et crustam coriaceam, quae Boerhaavium in errorem duxit, minime a visciditate, sed vi cohaesionis diminuta, oriri demonstravit; unde, et ob alias quoque causas, opinio Boerhaaviana melioribus cedat necesse est.

Noster illustrissimus Cullenus hic palmam omnibus praeripuit. Ille, argumentis validissimis, causam febrium proximam ex atonia et vasorum extremorum spasmo pendere, patefecit et illustravit.

Cum autem multi bilem causam esse proximam hujus febris putaverint, et quia hoc placitum multis hypothesibus locum praebuerit, id nunc notatu dignum videtur.

Medici, tam antiqui quam recentiores, ad unum consentiunt, fervidas regiones et tempestates aliquo modo bilis secretionem afficere, et has tempestates ad choleram morbum inducendam maxime valere. Sydenhamus, omnium seculorum medicus sagacissimus, choleram spontaneam, in illa Angliae parte qua vitam degerat, mense Augusto solummodo fere oriri asseruit *. In Minorca Insula peritissimus Cleghorn, choleram morbum in fervidis tempestatibus semper grassari, et citius vel tardius, secundum aestus gradum, incipere, observavit, quamvis in universum ex Idibus Julii ad Septembris grassatur †.

Sic res sese habere videtur; sed quomodo accidat, haud facile apparet: An bilis aucta secretione vel acrimonia fieri credendum est? Utramque causam ad morbum excitandum plerumque aliquid conferre verisimile est. Sed, quoniam choleram frequenter oriri, absque febre praecedente vel sequente, certum est, ideo bilis mutationes minime febrem movere existimandae sunt. Tamen non inficias ibo, cum talis conditio bilis subest, et corpus causis febrium occasionalibus eodem tempore objicitur, quin febris cum largis bilis evacuationibus accidere possit. At haec evacuatio effectus, non causa, febris est. Inter febrium initia, debilitas totius systematis et vaso-

* Sydenhamus, de cholera morbo. Van Swieten, Com. in Aph. Boerh. §. 586.

† Cleghorn's diseases of Minorca.

rum

rum ſuperficiei conſtrictio adſunt; hinc ſanguis ad ſuperficiem non impellitur, ſed prope venam portarum accumulatur, quia in his vaſis circuitus languidus et impeditus fit. Sic eorum qui lautis dapibus veſcuntur, et parvo exercitio utuntur, hepar et lienem ad magnam molem augeri obſervatum eſt *. Et ſi ſanguis in venae portarum regione ita accumulatur, neceſſe eſt, ut bilis majore copia ſecernatur. Quae igitur aucta ſecretio ſolummodo effectus febris eſt. Vomitus etiam, qui febres paene omnigenas comitatur, ad bilis excretionem multum confert, ductus biliarios emulget, curſum bilis in ventriculum convertit, et ſic ſpeciem auctae ſecretionis prae ſe fert, quum revera nihil ejuſmodi accidat. Licet igitur ex his hanc inſolitam bilis evacuationem nihil ad febres inferendas conducere pateat, nihilo tamen minus talis opinio apud auctores, tam antiquos quam recentiores, praevaluit, et febris bilioſa etiam hodie in omnium ore eſt. Celeberrimus Pringle, quamvis cauſa proxima eum omnino latet, tamen bilem effectum, non cauſam, eſſe aſſeruit †. Et ſic etiam ſentire videtur illuſtriſſimus Senac, " Si febris intermittentis cauſa ſit bilis, vim quandam peculiarem, eamque inſolitam, ſibi ipſa adſciſcat neceſſe eſt; nam exundat ſaepiſſime ana et cata abſque ullo febris inſultu; nec vero in eam magis proni ſunt, qui ictero laborant, atque tamen tunc, ſi uſpiam, debet eſſe noxia ‡."

## DIAGNOSIS.

Symptomatibus hujuſce morbi in animo ſedulo perpenſis, cum Sauvageſio vel Culleno, in charactere tradendo, conſentire nolui. Qui viri illuſtriſſimi eum ad genus Typhi referendum eſſe putaverunt. Ille, in ſuo opere egregio, Febrem Icterodem, hic autem Febrem flavam Indiae Occidentalis, nuncupavit; ſed, ut ſupra dictum eſt, ad genus Synochi, ni omnia me fallunt, referenda eſt. Jam oportet notas enarrare quibus a typho dignoſcatur; ſed de his ſuſe diximus in definitione tractanda; itaque nunc ſolummodo reſtat, ut de ſymptomatibus pathognomonicis mentionem faciamus, quae typum ſpecificum deſignant.

Multae typhi et ſynochi ſpecies, in ultimis ſuis ſtadiis, putredinis ſigna communiter prae ſe ferunt; ſed huic morbo unum ſymptoma pathognomicum eſt, quo a caeteris liquido diſcernitur, nempe totius corporis ſuperficiei flavedo, quae evidentiſſime cito in tunicis oculorum adnatis apparet. Licet

* Cullen. Primae Lineae, et Praelectiones Practicae.
† Pringle's diſeaſes of the army, p. 186.
‡ Senac. de Febribus, lib. i. cap. 5.

hoc

hoc ſymptoma hanc febrem ab omnibus aliis diſterminet, tamen, qui ejus naturam non animadvertunt, ab hac ipſa flavedine aegrum ictero laborare conjiciunt. Sed diſſimilitudo icterum inter et febrem flavam, omnibus in re medica ſatis verſatis clariſſime apparebit. Icterus, dummodo nullus adſit alius morbus, nunquam febris ſymptomatibus ſtipatus occurrit; cum, e contrario, in febre flava, omnia febris ſigna eoque peſſimi ominis, ſeſe manifeſtent. Haecce porro febris, in certis fervidis regionibus, tantummodo graſſatur, et ſolum albos affligit. Nigri, quamvis multum inter aegros verſati, nunquam conflictantur, quae rariſſime in incolas ipſos ſaevit, etiam ubi maxime ſtrages edit. Haec hactenus. Nunc ad prognoſin progrediendum eſt.

## PROGNOSIS.

Quo magis capitis dolor acutus et conſtans eſt, quo magis intolerantia lucis urget, quo citius morbus primam periodum abſolvit, eo periculoſior evadit. Si color luteus mature apparet, in ſecundo ſtadio, cum pulſu debili; ſi vires deficiunt; ſi vomitus materiae nigrae incidit; ſi urina in primis diebus ſedimentum copioſum deponit; aeger in ſummo periculo verſatur. Lividae maculae, genarum rubor, dejectiones frequentes, putridae et nigri coloris, urina ſanguinea vel ejus ſuppreſſio, mortem indicant. E contrario, ſi, ſub primum febris inſultum, dolores neque vehementes neque acuti ſunt; ſi prima periodus extra tertium vel quartum diem protrahitur, ac neque pulſus neque virium proſtratio valde premunt, et flavedo oculorum neque intenſa neque cito apparet, ſpes ſalutis haud deeſt. Modica narium haemorrhagia, menſium fluxus, cum ſymptomatum levamen ſequitur, boni ſunt ominis.

## SYMPTOMATUM QUORUNDAM EXPLICATIO.

*Superficiei corporis color luteus.* Medici, qui phaenomena hujus morbi graphice depinxerunt, in univerſum flavidinem cutis ad bilis reabſorptionem retulerunt. Analogia, ex ſimili colore in ictero occurrente, et copioſa bilis excretione, petita, huic opinioni fidem fecit. Quaecunque ſides eorum auctoritati habenda eſt, ad credendum adducor, argumenta in aſpectum lucemque proferri poſſe, quae omnino huic placito contradicunt.

Primo, objectiones quaſdam proponam, quae contra hanc doctrinam, bilis flavedini faventem, urgeri poſſunt. Poſtea

argumenta proferam, quibus, ut mihi videtur, hoc phaenomenon rite elucidari poteſt.

Fatendum eſt, hunc luteum colorem ſimilem eſſe ei qui in ictero apparet; praeterea, ut in ictero, ſic in hac febre, oculi maxime flavedine decolorantur; in utroque etiam morbo cutis urinaque flavae redduntur. Quae cum ita ſint, tamen icteri cauſam ſemper firme indigitare poſſumus, obices nempe, qui tranſitum bilis ex veſica fellea in duodenum impediunt. Jecur in ictero ſaepiſſime durum tumefactumque occurrit; alias dolor pungens et acutus regioni ductus communis choledochi adeſt, qui veriſimiliter vel ex ſpaſmis, vel ex calculis biliariis, hunc ductum obſtruentibus, oritur; alias calculi ſurſum et deorſum ejiciuntur, et ſic plerumque penitus morbo finis imponitur. Faeces alvinae albeſcunt, et nonnunquodque ſymptoma ductuum obſtructionem et bilis defectum in tubo inteſtinali indicat, ex qua obſtructione reabſorptio bilis ſolum oriri poteſt. Contra, in hoc morbo nulla obſtructionis ſigna apparent; nam ductus, felleam veſicam inter et duodenum, ſic ab obſtructione liberi evadunt, ut bilis copia inuſitata in duodenum fluat. Immo ſaepiſſime tam abundanter ſupra et infra ejicitur, ut cholerae morbi naturam induat. Difficile ergo dictu eſt, quomodo abſorberi poſſit, niſi tranſitus ejus in inteſtina quadam obſtructione impediatur. Hinc bilem minime cauſam colori luteo praebere concludere licet. Etenim bilem in ſyſtema per vaſa lactea intrare poſſe dices. Si res ſic ſeſe haberet, eundem calorem, in cholera morbo, dyſenteria contagioſa, et quibuſdam intermittentium ſpeciebus, quibus bilis maxime abundat, ſemper oriri oporteret. Quod rariſſime tamen occurrit. Hoc argumento eſt, bilem nunquam tanta copia vaſis lacteis abſorberi poſſe, quanta ſufficiat ad flavedinem cutis inducendam. Unde igitur, ex aliqua alia cauſa, hoc phaenomenon originem deducere, de cujus natura nunc dicendum eſt, apparet.

Vaſa ſanguifera partim coeli calore, partim morbido fluidorum ſtatu, relaxantur et debilitantur. Hinc ſanguis et caetera fluida putredine tenuiora redduntur. Quo fit, ut propriis vaſis non contineri poſſint, ſed in telam celluloſam protinus ſub cute diffundantur. Craſſamentum et ſerum in putridum liquorem diſſoluta, in minima peripheriae vaſa, quorum proprius liquor lympha eſt pellucida, ruunt. "Morbus ille periculoſiſſimus, quem, ob ſanguinem in flavum ichorem diſſolutum, Angli flavam Febrem, Galli Mal de Siam, vocant, haemorrhagias per aures, nares, oculoſque, aliaſque corporis partes, ciet, funeſto equidem fere eventu *." Et

* Halleri opera magna, lib. i. ſect. ii. de Arteriis, p. 101.

iterum,

iterum, " Sed etiam in celluloſas telas effuſus ſanguis, quoties reſolvitur, et pene nigro rubore in flavedinem tranſit, ut omnino a ſanguine flavedo non aliena eſt, et ſi ſani adultique hominis aut animalis ſanguis etiam in aqua dilutus nullum flavoris veſtigium oſtendit *." Celeberrimus etiam Pringle, ſerum noſtri ſanguinis, cruoris pauxillo addito, putrefactione in luteum lividumque colorem mutari, demonſtravit †. Hinc luteum colorem in febre flava ex hac cauſa ſola pendere, liquido patet. Phaenomenon, quod contuſionem ullius corporis partis ſequitur, vel viperae morſus, nec non vultis ſcorbuto laborantium flaveſcens, huic opinioni maxime fidem faciunt.

Poſt viperae morſum pars affecta cito flaveſcit, quod ex bile eſſe, nemo ſanus viri illuſtris Mead opinioni aſſentietur. Nam, etſi concedatur, aliquo ex partium conſenſu, poſt viperae morſum ductus biliarios ſpaſmo teneri; nulla tamen argumenta, ab hac obſtructione, totum corpus intra unius horae ſpatium flavedine corripi, quod ille vir parum recte contendit, probant. Nam rationi prorſus incongruum eſt, tam brevi ſpatio tantam bilis copiam abſorberi, quae tali modo totum corpus flavedine adficiat.

Sed nonnulli, noſtros humores nunquam in vivo corpore in putredinem ruere, aſſeruerunt: Quod utique dictum experientia illuſtriſſimorum medicorum refutavit, et, inter varia exempla, periiſſimus Huxham unum memoriae prodidit ‡. Porro, ab experimentis de humana bile a medico M'Lurg inſtitutis, compertum habemus, materiem tingentem hujus fluidi ex phlogiſto pendere, quod a ſeptica fermentatione evolvitur ||. Et neminem latet, cui hic morbus paulo notior ſit, flavedinem cutis nunquam ſeſe oſtendere, donec ſanguis et caeteri humores diſſolutione et inſigni putrefactione inquinati ſint. Eoque ſimilem materiem tingentem in ſanguine generari poſſe, conjectura veriſimilis eſt.

Aliud etiam ſymptoma, de quo nunc dicendum eſt, et cui ab auctoribus nomen *vomitus niger* imponitur, reſtat.

De hoc phaenomeno perdifficile eſt aliquid pro certo aſſerere.

In ſententiam Domini Lining § haud pedibus ire poſſum. Si bilis huic ſymptomati anſam praeberet, totam materiem ex ſtomacho rejectam, luteo colore tinctam eſſe neceſſe eſt. Nam

* Ib. lib v. de Sanguine, p. 14.
† Pringle's appendix to the diſeaſes of the army, Ex. 45.
‡ Huxham on Fevers. A nimio corporis motu, aeris calore, et morbis malignis, ſanguis ſolvi poteſt. Haller. Prim. Lin. § 139.
|| Machurg on the Human Bile.
§ Edinb. Phyſical Eſſays.

bilis natura non obſtat quo minus aquae adnetur. Unde fortaſſe non abs re erit conjicere, ſanguinem coagulatum, et quodammodo putridum, huic materiae nigrae anſam praebere. Laxitas vaſorum, ſanguis in celluloſam telam effuſus, haemorrhagiae ex naribus et diverſis corporis partibus, ſanguinem in ventriculum etiam effundi poſſe, argumento ſunt.

## METHODUS MEDENDI.

Duae hic tantummodo occurrunt indicationes. 1. Spaſmum ſcilicet et diatheſin phlogiſticam tollere. 2. Tonum ſyſtematis reſtaurare, et putredini obviam ire.

Medici etiam accuratiſſimi, ſub hujus morbi initium, in curatione inſtituenda, quo ſe vertant, neſciunt. Calor vehemens, inquieta praecordia, faciei rubor, lucis intolerantia, pulſus plenus, durus, et frequens, auctum ſanguinis ad caput impetum indicant; et coma deliriumque paulo poſt opprimentia, idem manifeſte confirmant. Ex natura tamen morbi cognita, ex ſymptomatibus, ſummam debilitatem, ſummamque putredinem, exprimentibus, quae in ſecunda periodo fere ſemper oriuntur, cautiſſime ſanguinem detrahendum apparet. Si aeger in flore ſit aetatis, robuſtus et ſanguine dives; neceſſe erit, ad primum febris impetum, pauxillum ſanguinis detrahere. Si ſanguis emiſſus et jam concretus cruſta coriacea coopertus apparet, et, ſi ſymptomata inflammatoria non leviora fiunt, haud inutile erit, venaeſectionem, maxima adhibita cautione, repetere.

Inter ſanguinem mittendum, aegri brachium manu apprehendere oportet, et accurate punctum temporis obſervare, quo pulſus mollis et debilis evadit. Si enim ultra progrediatur medicus, nec quam citiſſime fluxum ſiſtat, morbo laborantem jugulare, non curare, merito dici poteſt. Quae cum ita ſint, melius fortaſſe erit, cucurbitulas cruentas aut hirudines temporibus admovere, quibus vires non adeo debilitantur, et aegro magnum adfertur levamen.

Sanguine hac cautela emiſſo, ad primam indicationem porro abſolvendam, proſunt *emetica*, quamvis a multis, in hac febre, omnino repudiantur, qui ad ſuam opinionem confirmandam, hoc genus medicamentorum inflammationem inducere, et omnia ſymptomata augere, contendunt. Frequens autem vomitus, qui ex vaſorum extremorum ſpaſmo, vel ex ſordibus in primis viis latentibus, vel, quod magis veriſimile eſt, ex utraque re, pendere videtur, manifeſte emetica exhibenda demonſtrant. Et experientia, quae ſola practicos ducere debet, ea medicamenta, cum ſummo aegri emolumen-

to,

to, poſtquam ſymptomata inflammatoria ſanguinis miſſione leviora redduntur, exhiberi poſſe, docet. Tartaro igitur emetico, parvis doſibus, hoc in morbo, uti licet. Tali enim caſu multo magis ſic proderit, quam largiore doſi acceptum, quia, ſtomacho ſumma irritabilitate praedito, minima doſis ad vomitum ciendum ſufficere, et ſic alvum ducere, poteſt: At ſi alvus adſtricta ſit, medicamenta leviter laxantia adminiſtranda ſunt; quae inteſtina exonerando, irritationem auferunt, et diatheſin phlogiſticam minuunt. Faecum retentio certe ex quadam conſtrictione inteſtinorum ductuum excernentium pendet, ſolitam fluidorum copiam non effundentium. Hinc faeces, parum madefactae, in alvo diu retinentur. Itaque, laxantibus clyſmatibuſque per curſum morbi adminiſtratis, non ſolum irritationem auferre et alvum ducere, ſed etiam putredini obviam ire, poſſumus. Et, quum ſpaſmum ex omnibus corporis partibus tollere magni ſit momenti, hoc, alvum laxando, magnum numerum vaſorum, in inteſtina hiantium, aperiendo, certiſſime perfici poteſt. Hinc injectiones aquae calidae frequentes multum ad ſymptomata levanda conducunt.

*Balneum* etiam ad vomitum compeſcendum, ſpaſmumque tollendum, multum conferre poſſe, credibile eſt. In quod ſi, ob aliquam cauſam, totum corpus demitti non liceat, pediluvio oportet uti.

Eadem illa remedia inſuper ad irritationem cerebri, ex ſanguifero vel nervoſo genere orientem, imminuendam, maxime accommodantur, extremitates nervorum corporis ſuperficiei relaxando, et, ſanguinem ex ſuperioribus et internis ad externas et inferiores partes, derivando.

## INDICATIO SECUNDA.

Tonum ſyſtematis reſtaurare, et putredini obviam ire.

Modo jam enarrato, ſymptomata inflammatoria et vomitus pertinax ſaepiſſime tolluntur, et ſtadium ſecundum plerumque nunc ſequitur: Quod in univerſum, debili pulſu, ſumma debilitate, et ſymptomatis putredinis, conſtat.

Ut his occurramus, ad corticem Peruvianum fugiendum eſt; quod huic ſtadio putredinis praeſtantiſſimum eſt remedium.

Cum primum cortex Peruvianus in uſum vocatus eſt, nonnulli prudentiſſimi viri de hujus virtute multum detraxerunt, et exhiberi omnino vetuerunt. Quantum vero omnibus fere aliis medicamentis, in morbis removendis, praecipue febribus, quas ſymptomata diatheſis phlogiſticae non comitantur, praeſtet, ſatis nunc, periculo facto, compertum eſt. Quod, quamvis

quamvis ita eſt, nihilo tamen minus medici, etiam hujus ſeculi, de ejus in hac febre uſu non penitus conſentiunt.

Cum febris manifeſtas habet remiſſiones, pauci corticem exhibere cunctantur. At, ſi febris continua evadit, omnis ratio tentatur regulares remiſſiones inducendi: Si hoc abſolvi non poteſt, et vires aegri languent, alexipharmaca, epiſpaſtica et cardiaca, ad vires refocillandas perhibentur. Eoque tempore cortex Peruvianus periculoſus eſſe exiſtimaretur, reque vera ab omnibus fere medicis, Sydenhami aequalibus, caute prohibitus fuit. Quae ratio, in regionibus calidis, male fundata eſt, ut experientia compertum habemus, ubi cortex non ſolum tutiſſime adhibere poteſt, tam in remiſſionibus quam exacerbationibus, ſed etiam cum febris manifeſto continua eſt.

Omni igitur contra corticem Peruvianum ablato praejudicio, obſervandum eſt, eum crebris et largis doſibus adhibitum eſſe, quibus aegri in ſummo periculo verſati, quaſi ex faucibus orci mirabiliter erepti ſunt. Cui, radix ſerpentaria, quae antiſepticis viribus maxime pollet, eſt adjicienda.

Aliquando tamen accidit, ut vomitus pertinaciter perſtet, eoque corticis exhibitionem omnino impediat. In tali caſu, inordinatos ventriculi motus, frequenti acidorum et julapii ſalini, in ſtatu effervescentiae, uſu compeſcere, neceſſarium erit. Quod ſi his remediis vomitus minime aufcultat, et pulſus debilis et mollis evadit, opio uti debemus, quo hoc ſymptoma lenire, et corticem Peruvianum, caeteraque remedia, adhibere poſſimus.

Huic etiam indicationi vinum reſpondet, quod aſtringens, auſterum et guſtui gratiſſimum eſt. Juſta et modica quantitate ſumptum mentem exhilarat, imaginationem jucundiorem reddit, curas pellit, irritationem aufert, circulationem ſanguinis excitat, perſpirationem movet, robur fibrarumque tonum adauget, urinam ciet, omnes ſecretiones promovet, et denique putredini obviam it.

Ex vino igitur, his virtutibus praedito, hujus febris curatio praecipue pendet; quippe enim longa experientia quotidianoque uſu conſtat, nihil, ad vires refocillandas, delirium, quod in ultimis hujus febris ſtadiis plerumque accedit, amovendum, et putredini occurrendum, conferre magis, quam hocce gratiſſimum medicamentum.

Ut putredini fluidorum et totius ſyſtematis debilitati porro obviam eatur, ſub ſecundi ſtadii initium, aqua frigida, vino vel limonum ſucco mixta, adhibenda eſt. Ad eundem quoque ſcopum aer frigidus maxime conducit. Immo etiam experientia docuit, ſpongias aqua frigida madidas, et toti corpori applicatas, putridis febribus profuiſſe, praecipue illi epidemiae,

miae, quae anno 1737 Uratiſlaviae graſſans, tria millia hominum e medio abſtulit *.

Per totum morbi curſum, aegro in amplo conclavi cubandum, induſium ſtragulaque quotidie mutanda, et omnes excretiones ex cubiculo quam citiſſime removendae ſunt.

Injectiones etiam aeris fixi magno commodo hic futuras eſſe, experimentis compertum habemus †. Aer enim fixus, ut ex antiſeptica virtute, qua multum praeditus eſt, colligere licet, ad putredinem corrigendam aut tollendam efficax erit, aut ſaltem non nocebit.

Praeter haec, plurima reſtant remedia, quae, initio et morbi progreſſu, utilia reperiuntur, qualia veſicatoria et fructus acidi, tum acida foſſilia ac chryſtalli tartari, caeteraque, ſunt, et, pro varia aegri conditione, uſui eſſe poſſunt.

* Sauvageſii Noſologia Methodica, tom. i. p. 335. de Tritaeophya.
† Prieſtley on fixed air.

---

# DE FEBRE MALIGNA, QUAE, ANNO 1779, LEGIONEM DE BUCCLEUGH AFFLIXIT.

*AUCTORE J. BELL.*

## PROOEMIUM.

EX obſervationibus eorum, qui de febribus malignis ſcripſerunt, conſtat, omnibus in febribus a contagione ortis, varietatem ſaepe, cum ſymptomatibus, tum methodo medendi, adeo inſignem occurrere, ut modum tractandi omnibus conſentaneum ſtatuere vix liceat. Hiſtoriam morbi igitur alio tempore, aliis in rebus occurrentis, narrare, ad ſcientiam promovendam utile futurum patet.

Ineunte Maio, anno milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo nono, coorta eſt febris contagioſa inter milites legionis de Buccleugh. Ii primum correpti qui Gallos captivos aegrotos cuſtodiebant. Morbi captivorum nequaquam contagioſi; apud arcem Edinenſem tamen admodum erant militum habitationes incommodae, plurimis, cum uxoribus et natis, ſub eodem tecto degentibus; et, propter aedificationis conſtructionem, aere ſtagnante, et materia reſpirationis noxia imbuto, ſeminium ad febres malignas producendum admota occaſione praebebat. Ex cura et humanitate tamen viri illuſtris Equitis Jacobi Adolphi Oughton, qui copiis Britannicis in Scotia

Scotia praeeſt, haec omnia incommoda omnino amota ſunt; in aere puro, et in munditiis, milites vitam degunt. Tredecim milites, et plurimi oppidanorum, eadem febre laborantium, erant in Noſocomium recepti.

Quum, ab officio in noſocomio Edinenſi regio, ſaepius aegros viſendi occaſione data, quaedam de morbi ingenio in medium proferre decrevi; et primum quidem pauca de contagionis indole breviter abſolvam.

## QUAEDAM DE CONTAGIONE.

De ultima contagionis natura, nihil certi habemus; omnes tamen, vel pleriqne ſaltem, nihil aliud eſſe, niſi effluvia quaedam, vel a corpore humano, praeſertim morbo laborante, vel ab aqua putrida, corrupta, in locis minus perflatis ſtagnante, oriunda, contagionis materiam conſentiunt. In aliis, alios edit effectus. In febribus igitur a contagione ortis, paria ſymptomata neqnaquam ſunt in omnibus obſervanda. Ingens enim occurrit in diverſis ſymptomatum diſcrepantia, prout malignitatis intenſitatem, et iſtum corporis ſtatum cui admota ſit contagio. Peſtis, exempli gratia, ſumma ſaepe ſanitate fruentes, maxima cum virium proſtratione, adoritur, et quidem ſubito ſaepe necat. Hac febre aegrotantium nonnulli, admota contagione, morbo ſtatim ſunt correpti, alii non niſi intra paucos dies; in quibuſdam levibus incepit ſymptomatibus, alios ſubito invaſit, et ſumma cum moleſtia, ipſo morbi limine afflixit. Minuitur vis contagionis, prout magis per aerem diffunditur, et plerumque niſi corpus humanum, unde originem habet, vel fomites juxta, minime nocet. Qua ſemel eſt imbuta fomes, din contagionem ſervabit; et funeſta conſtat experientia, malignitatem ab hoc fonte pronanantem, quam ab ipſo corpore humano, intenſiorem reddi. Hoc modo, peſtis, variolae, aliis orbis terrarum oris appulſae, cladem tam lugubrem ſaepe dedere. Licet inde obſervemus, febribus a malignis convaleſcentes eodem cubiculo detentos, morbo iterum mulctari; jam enim devecta febre, ſi, unde primum exorta ſit, iterum cauſa admoveatur, effectus ſaepe intenſiores edit *.

Quum corpori humano ſaepius ſit oblata contagio, ad morbum ſuſcitandum impar fit. Quo magis eſt repetita impreſſio, eo minor evadit effectus. Talis autem eſt quaedam generis contagio, ut ſemel corpori admota, poſtea non nocet; variolarum, exempli gratia, et rubeolae. Nequaquam tamen idem omnibus in morbis contagioſis contingit. Peſte enim, vel fe-

* Vid. Cull. Prael. vol. i. p. 27.

bre

bre maligna, bis terve ſunt homines correpti *. Luis ab aliis diſcrepat contagio, ut niſi ab ipſo contactu minime noceat.

Ex hominum corporibus immundis oriuntur ſaepe effluvia peſtifera, cane vel angue magis evitanda. Ipſi tamen nihil moleſti ſentiunt. Hinc exorta clades illa funeſta, quae eos qui ad curiam Old Bailey anno milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo, cauſa reos judicandi, adveniſſent, cecidit.

Ad contagionis in corpus humanum actionem requiritur ſeminium, quod in ſtatu generis nervoſi debili conſiſtere videtur. Quo magis enim debilitatur corpus, eo intenſius agit contagio. Variolae tamen et lues venerea ſine ſeminio effectus edunt.

Saepe latet in corpore ſeminium, ſine cauſa occaſionali innocuum. Cauſa tamen actionem juvante admota, morbus ſtatim in medium profertur.

## DE FEBRE.

Ex mox enumerandis ſymptomatibus, pro ſynocho vero, licet hanc febrem habeamus, et in ſtadia duo dividamus: Primum ſtatum inflammatorium, alterum ſtatum putridum continet.

### *De Febris Statu inflammatorio.*

Erat invaſio repentina plerumque, et levibus inter initium ſymptomatibus comitata, capitis lumborumque dolor gravidus, cum ſubita tam animi quam corporis virium defectione; nauſea et vomitus apud initium praecipue vexabant. Nonnullis rigor levis, aliis intenſior; rigorem praegreſſum, coma, calor pungens, reſpirationis anguſtiae, ſuſpiratio frequens, ſitis ſequuntur. Pulſus celer, tenſus, diatheſin inflammatoriam mentitur. A primo fere ingreſſu, tuſſis frequens, ſicca, cum lateris dolore vexant. Ineunte morbo, remiſſio poſt meridiem diſtincta, veſperem verſus ingraveſcunt ſymptomata, nullo, ut mihi viſum, praecunte horrore. Progrediente, evadunt remiſſiones incertae, exacerbatio veſpertina aucta, tuſſis frequentior. Oculi ſanguine ſuffuſi, genarum color rubro-lividus, oris ſpeciem efferarunt. Evomitio nigra, foetida, doloris ſenſus corpus fere totum infeſtans, mentis functiones turbatae, e naribus ſanguinis profluvium, in omnibus adſunt.

### *De Statu ſecundo, vel putrido.*

Haec ſymptomata primis morbi diebus adparent, febrem creſcentem comitantur delirium, vigiliae, reſpiratio calida,

* Vid. Hiſtory of Aleppo by Dr Ruſſel.

frequens, laborioſa, cum corporis jactatione, ad convulſionem fere oriente, evadit. Aliis, alio tempore, praeſertim tamen intra diem ſextum et duodecimum, omnia ſubito in pejora ruunt. Pulſus vires franguntur, celeritate nihil diminuta; calore aeger acriore vexatur. Lingua arida, dentes nigra ſorde foedatae, ſitim intenſiorem reddunt, voxque faucibus haeret. Maculae exiguae rubrae, morbillis ſimillimae, praeſertim circa collum et thoracem, erumpunt.

Eruptio, ingraveſcente morbo, ſit magis purpurea, mortem verſus omnino livida, et adeo in ſe invicem implicata, ut interſtitia ſint prorſus deleta. Hinc inde, quo magis eruptio lividior, eo magis febris periculoſior evadit *.

In omnibus fere hac febre laborantibus, alvus initio adſtricta, et pleriſque per febris decurſum niſi ope clyſmatis nunquam dejicitur: In aliis, alvus laxior, ſine ullis tamen, in dejectionibus, corruptionis ſignis, niſi uno in aegro ex quo ſanguis una cum faecibus mixta defluxit. Urina, initio rubra, per febris decurſum tamen facie tam varia, ut ex hoc fonte, quidquam vel de morbi ingenio, vel de criſi, ſtatuere haud liceat. Aliis cito poſt morbi ingreſſum, perſpiratio aucta levamen attulit. Quidam ab ipſo fere primordio, ſudore ſponte eliminato liquefactus, moritur. Alteri ex hac febre necato idem accidit. Cum hic, tum ille, a teneris unguibus ſcrophula dire fuerunt vexati. In iis, quam in quovis hac febre aegrotante, et erant graviora putredinis ſymptomata, tum ea etiam quae prae ſe catarrhi ſpeciem tulerunt. In iis, ſtupor, coma vigil, potius quam delirium, intendunt, quae quidem Hoffmanni ſententiam juvant: "Qui temperaturae humidioris, ait, exiſtunt, et corpus magis laxum et ſpongioſum nacti ſunt, aeſtum ſentiunt leniorem, delirium longe remiſſius eſt, frigidis et copioſis et debilitantibus perfunduntur ſudoribus. In pectore tuſſiculoſi et catarrhoſi aliquid percipiunt."

Paulo antequam dira coegit neceſſitas, una cum urinae et faecum dejectione ſpontanea naſcitur ſingultus, mali omini ſymptoma, et remediis vix debellandum. Antequam erumpebant maculae, reſpiratio admodum laborioſa, frequente ſuſpirio interrupta, pectoris gravitas aegrum vexarunt. Duobus erat deglutitio impedita, ſymptoma periculoſum, quum et remediorum exhibitionem fere omnino praeveniat, et ad convulſionem diſpoſitionem, levi admoto ſtimulo, denunciet. Ex eodem fonte promanat urinae ſuppreſſio, ſymptoma aeque periculoſum quod, etſi ſaepe in hujus generis febribus occurrat, in ha fuit nequaquam moleſtum; oleo camphorato, cum infuſo ſe

* Vid. Huxham on malignant fevers.

mini

minis lini in anum injecto, evanuit. Summam hoc ſymptoma in cerebri functionibus debilitatem denotat.

Qui ex hac febre mortui ſunt, intra diem undecimum obierunt. Vir, qui hoc morbo laboravit, circiter diem decimum octavum e vita diſceſſit. Evanuerant tamen dies ſex vel ſeptem ante obitum omnia putredinis indicia, omniaque fere febris ſymptomata; incertum igitur annon ex quovis alio morbo in ſyſtemate latente mortuus ſit. Brevi ante mortem, convulſionibus gravibus vexatur, et quidem convulſus moritur. Ex tredecem militibus in noſocomium receptis, tres tantum animam efflarunt.

*De Morbi Criſi.*

Quoad morbi criſin, nihil certe habemus. In pluribus, gradatim ſymptomata mitiora evaſerunt, praeeunte ſtupore comatoſo, ſecretionibus tamen nihil auctis *.

Uno, ex hac febre laborante, die quinto vel ſexto, in facie maculae rubrae elevatae, ſummo cum ſymptomatum levamine, eruperunt; in altero, jam fractis morbi viribus, exanthemata phlegmonoidea, in ſuppurationem abeuntia, totum fere corpus infeſtarunt. Mulieri hac febre correptae, miteſcente morbo, urina turbida, viſcida, fit.

Morbi ſtatum tamen ſigna minime certa comitata ſunt, et ceſſavit febris, vulgo tempore ſymptomatum remiſſionis prorſus incerto.

Haec febris haec ſymptomata comites ſibi adjunxit. Quoad cauſam, quoad morbi faciem, illam febrem malignam a Pringle celeberrimo eleganter deſcriptam refert. Quamvis tamen, apud aegros, in hoc noſocomium admiſſos, nec erant tam inſignia putredinis indicia, nec eventu tam lugubri, quam ſaepe in febribus malignis accidit, fuit haec febris comitata; hoc tamen modo tractandi, ante omnes ſaluberrimo, quam febris ingenio miti, referamus oportet.

## PROGNOSIS.

Anno 1779, tempore verno, erat coelum calidum, terra pluviis negata; menſis Aprilis finem verſus, coorta tempeſtate, coelum lugubre, pluviis copioſis frequentibus, nive, aerem hominum ſanitati inſaluberrimum reddit. Quum enim calorem vernum ſuſcepit coeli temperies frigida, minuitur perſpiratio, cujus ope humorum particulae noxiae, a calore praeeunte putreſcentes redditae, eliminari e corpore ſolebant. A perſpiratione, calida in regione, impedita, plurima quidem

* Vid. Huxham on fevers, p. 97.

oriuntur mala. Si igitur febris cauſam, ſi coeli temperiem animo volvamus, prognoſin eſſe inſauſtam futuram conſtabit.

Mali ominis imprimis ſymptoma erat reſpiratio frequens, laborioſa, impedita. Hoc ſequuta eſt macularum eruptio, et primum ſtadii ſecundi, vel periculoſi, ſymptoma notare licet.

Quum pulſus, celeritate minuta, validior fiebat, quum ſitis mitior, calor minus acer, evaneſcente reſpirationis difficultate, aeger convaleſcebat. A morbi tamen hiſtoria jam dicta, de ſymptomatibus quae vel mortem, vel ſanitatem, praedixerunt, judicare licet.

## CURATIO.

A morbo initio levi, et a ſymptomatum natura, primis in diebus ambigua, pauliſper cunctari, antequam ad remedia magna concurrendum, oportebat. Morbus ſubito cum virium prolapſu invaſit; et ab hoc forſan, una cum cauſae cognitione, aliquid de febris natura judicari poſſe videatur. Adeo tamen catarrhum aemulantia urgebant, febriſque faciem prae ſe tam inflammatoriam primordio ferebat, ut nihil reſtabat agendum, niſi ut ſumma ope ad poteſtates laedentes vel juvantes operam daremus: Primo emeticum, ad ventriculum, et clyſmata purgantia, ad alvum detergendum, exhibita. Emeſin interdum ſuſcepit diaphoreſis, cui, liquoribus diluentibus adjutae, vis ſymptomatum ceſſit.

Omnibus in febribus, praeſertim tamen in malignis, ſummi eſt momenti, ut ad excretionem alvinam ſedulo attendamus; his enim, ni ſordes inteſtinalis ſaepius ſit eliminata, vim morbo inſitam promovet. Catharticum exhibitum ſequitur nonnunquam hypercatharſis; quum ex hoc fonte plurima poſſunt proſluere mala, ſedulo vitemus oportet. In febribus malignis, nocent ſemper evacuationes nimiae, utpote vim rite ad febrem debellandum imparem reddunt.

Ad alvi purgationem, clyſmata igitur adhibenda ſunt, cathartici acribus omnino rejectis. Lenia tamen cathartica, ut decoctum tamarindorum, et alia hujus generis, eventu felici nonnunquam exhibere poſſe, Huxham teſtatur. In hac febre laborantibus, rarius, niſi diſcedente morbo, ſunt cathartica exhibita, alvo ſemper a clyſmate dejecta. Si unquam his in febribus ad catharſin plenam confugiendum eſt, hoc, niſi ipſo morbi limine, noxium Hippocrates, Hoffmannus, aliique, uno ore conſentiunt. Monet enim Hippocrates: "Si quid movendum vel evacuandum eſt, illud ſemper ab initio morbi, ubi vires vigent, futurum." Ut et Hoffmannus: "Si itaque

que vomitoria, si purgantia, si sanguinis missiones indicantur, quod tamen rarius sit, duobus prioribus diebus id fieri necesse est."

Primis morbi diebus, ad capitis dolorem sublevandum, sanguinis missiones, ope hirudinum factae, et quidem felici cum eventu. Hinc inde patet, hoc symptoma, saepe febribus in malignis molestum, ex congestione in cerebri vasibus, ab oculorum suffusione, ab epistaxi manifesta, omnino forsan pendere.

A primo fere febris ingressu, lateris dolor, a tussi gravior redditus, cum expectoratione viscida, mucosa, parca, saepe sanguinea, omnes infestat; et hoc, ineunte morbo, symptoma fere omnium gravissimum. Quamvis symptomata catarrhum referentia alios aegrius vexarunt; utpote tamen omnes infestarunt, huic febri propria notare licebit. An ex febre, an ex inflammatione pneumonica, haec originem ducunt, et prout causam diversam alium tractandi modum requirunt, omnino incertum. Res certe est attentione digna, quum ab hac rite perpensa curatio pendeat oportet.

In pneumonia sanguinis missiones juvant. Quum tamen in febre maligna, una cum pulsu pleno, valido, celere, haec occurrunt symptomata, ut mihi in hac febre laborante visum, venaesectio indicari videatur; sanguinis evacuationes tamen mali ominis symptomata saepe sequuntur. Si ab hoc igitur de affectionis natura quidquam judicare liceat, minus esse inflammatoriam, et remediis antiphlogisticis haud debellandam, patebit. Viro insuper, cui ex hac febre conclamatum est, per anatomiam symptomatum naturam indagandi copia facta est; thorace enim aperto, nulla sese inflammationis signa prodiderunt. Recentiorum experientia, Sydenhamum haud secuta, testatur, si sanguinis missionem requirant symptomata, id prioribus morbi diebus fieri necesse esse. In hac febre, nihil profuit; e contrario enim, haud ita multa post insequitur delirium intensius, pulsus debilis, pectoris affectione nihil sublevata. Cum in multis, inflammationis pneumonicae magnopere symptomata urgebant, a chirurgo perito, et de militibus optime merito, secatur vena; sanguinis missionem tamen mali ominis symptomata secuta sunt, et in iis quos amisit venaesectio fuerat celebrata. Sanguis missus minime dissolutus apparet; per totum enim febris decursum, nulla fere sanguinis dissoluti indicia cernuntur; quod quidem Huxhami sententiae consentaneum; maculas enim, ait, has exiguas, morbillos referentes, rarius sanguinis profluvia comitari. Sanguis his aegris extractus, et aeri expositus, cogitur; nullam tamen separationem

parationem patitur, nisi uno in cyatho, ubi minima partis serosae quantitas in crassamenti superficie adest.

Morbo illo, peripneumonia maligna ab Huxham nominato, nocebant sanguinis missiones. Cuivis secum reputanti, summa inter peripneumoniam Huxhami malignam, et hanc febrem similitudo apparet. Morbis ab eadem causa orientibus idem est tractandi modus.

Adhibita sunt febris primordio epispastica. Eventu tamen parum tam fausto, ut a cel. Lind aliisque memoratur. Ob irritationem molestissima, a corporis jactatione inde oriunda, ausugit somnus, affectione pulmonali paulo tantum adjuta *.

Aliis alio tempore ingredientibus malignitatis indiciis, ad alia remedia concursum est.

Vinum rubrum Lusitanicum, vulgo *Port*, aqua modice dilutum saepe porrigitur, remedium febribus in malignis ante omnia utilissimum. Dosi minime parca, et saepe repetita, exhibetur. Naturae dat vires conatibus, pulsum languidum debilem suscitat, limites putredini imponit, calorem acrem inde oriundum temperat, mitioremque reddit. Quam faustissimos in hac febre aegrotis effectus edidit: ipsa in exacerbatione vespertina adhibito, aegris serpit gratissima quies, ausugit stupor, delirium remissius evadit.

Cortex Peruvianus, vel in decocti, vel pulveris forma, prout ferat ventriculus, adhibetur. Elixir vitrioli acidulatum aegro decoctum jucundius fit.

Apud recentiores, ad febres malignas putridas medendas, saepe adhibetur feliciter cortex Peruvianus. De modo operandi nihil certi dicendum. Vires forsan naturae, his semper in febribus defectas, reficit. Omnibus hac febre correptis profuit. Nonnullis morbi limine adhibitus, cum distincte remittebat febris, praemissis antimonialibus, jam symptomata mitiora reddidit, et morbo finem imposuit. Apud arcem Edinensem, cum plurimi milites, inter contagionis fomites degentes, hac sunt febre correpti, cortice cum modica vini quantitate, primis morbi diebus adhibito, jam vel leni catharsi vel emesi facta, omnia cedere febris symptomata, a chirurgo erudito, qui milites cohortis aegrotos curavit, mihi nuntiatum. Quinquaginta homines, eadem febre affectos, hoc modo tractavit, et eventu quidem fausto. Licet inde statuamus, in febribus, vel a miasmate humano oriundis, vel cum putredinis signis in decursu comitatis, utilissimum esse corticem Peruvianum, ipso morbi limine adhibitum. Bene tamen

* Vid. Lind on fevers, and infection, paper i. p. 17. pap. ii. passim. Vid. Pringle on the diseases of the army, p. 268. 2d edition. Vid. Huxham on malignant peripneumonies.

novi,

novi, esse qui, in his febribus, de hujus remedii utilitate dubitant, multos qui omnino negant. Rationis solummodo certum est experientia fundamentum. In scientia medica, hypothesi haud cedat experientia oportet; et plurima quidem experientia constat, corticem Peruvianum, etsi non semper febres malignas abigat, saepissime tamen ex ipsius faucibus Plutonis aegrum eripere. In morbo tam lugubri et lethali, cujusvis utilitati remedii minquam est *a priore* inficiandum.

Cel. Pringle aegris febre maligna laborantibus corticem exhibuit; quum tamen vel cerebri meninges inflammari credidit, larga quantitate abstinuit *.

Ab Huxhamo, quo non alter creditu dignior, ad haec remedia, febribus in petechialibus, feliciter concursum est. Hoffman tamen et Sydenham de iis omnino tacent, remedii utilitate quo tempore vixerunt haud experientia stabilita †.

Ille, omni studio, ea quae vim circulationis augent, vitavit, ab evacuationibus abstinuit, et blanda in diaphoresi, per totum morbi decursum, aegrum retinuit; quo fine nitro, antimonio diaphoretico, camphora diversimode conjunctis, utebatur; reliqua naturae omnia commisit. Hic, febris initio, sanguinem libere detraxit, et ad sudorem eliminandum, ope remediorum volatilium, operam dedit; aegrum per diei spatium sudare fecit; nam, si antea cessasset sudor, multa, ait, profluere mala. Haud tamen inter recentissimos valet hic tractandi modus; constat enim his remediis aestum et delirium magis accendi, vel sudores colliquativos induci, aut benignas febres in malignas verti ‡.

Si tamen emetici operationem blanda suscepit diaphoresis, juvat. De hoc omnes consentiunt. Hoc modo Lind cel. febres a malignitate ortas multas curavit. A diaphoresi leni mitescebant hujus symptomata febris. Nocebant tamen, apud initium, sudores copiosi, vel arte vel a natura eliminati.

Aggrediente diarrhoea, in uno aegroto vis morbi fracta est; in altero, quum diarrhoeam sequitur singultus, maculaarum lividitas aucta, pro mali moris symptomate habetur. Narcotica ad diarrhoeam compescendam prosunt; alios tamen effectus edunt; vigilias enim, quo non alterum gravius symptoma, abigunt, et, exigua tart. emet. quantitate addita, diaphoresin benignam inducunt. Alvi adstrictione, quae opium exhibitum nonnunquam sequitur, ope clysmatum ex aceto saepius injectorum praecautum est.

* Vid. Diseases of the army, p. 271.
† Vid. Sydenham. de curatione feb. pestilent. et pestis.
‡ Vid. Hoffman. de feb. petech. putrid. tom. iv.

Omnibus

Omnibus in febribus a contagione ortis, aucta sanguinis velocitate, augetur etiam malignitas. Actionem igitur cordis effraenatam compescere necesse est. Huic inserviat manuum et pedum cum aceto lotio frequens. Remedium aegro gratissimum, et nostris quidem utilissimum. Abraso capillitio, et capite loto, cessavit stupor, et delirium. Acidi forsan absorptio inceptam putredinem mitiorem reddit, et ne ultra limites progrediatur cavet.

Si fides est Hoffmanno habenda, aer frigidus, nequaquam hisce in febribus remedium esse tam utile, ut ex variolarum analogia liceat credamus. In variolis aerem frigidum prodesse, omnibus notum, *a priori* constat, summi esse febribus in malignis momenti. Sic tamen loquitur Hoffmannus: "Experientia etiam testatur, tam febres quam variolas, aut morbillos, plerumque pertinaciores evadere, quo magis gelu urget, et quam primum remittit gelu, remittere etiam malignitatis vim." Qua decet modestia, a medici eruditissimi sententia, ne mihi discrepare vitio vertatur; verosimile tamen videtur, hac in febre, symptomatum benignitatem, unde infectionis periculum minus fuit, pendere omnino, ex aere hypocausti puro, et etiam gelido, fenestris semper apertis, servato. Hypocausto insuper aceto fumigato, et statim quavis materia excrementitia amota, summaque et ad lecti et ad corporis munditias attentione data, mitis illa febris evasit, quae ab origine summam omnibus sit cladem minata.

Dantur aurantia ad libitum; hac arte "suppressa lingua palato restituitur." Nauseam, his semper fere in febribus vexantem, ahigunt, putredinem in primis viis inceptam temperant.

Nec tantum juvat libera aeris admissio; sed permutatio ipsa saepe morbi remissione comitatur, ut ex historia, quam memoraturus, patet. Mulierem, alio morbo laborantem, in nosocomio regio Edinensi nuper febris contagiosa corripit. Moritura, familiam repetere cupida, petechiis operta, mense Februario domum profecta est. Distabat ab Edinburgo decem millia passus. Finito itinere, cessabant malignitatis symptomata, pulsus, celeritate minuta, validior fiebat, et ilico convalescebat. Mihi porro a medico hujus nosocomii celeberrimo, qui plurima in Germania emeritus fuerat stipendia, saepe, exercitu castra movente, plurimos ilico convalescere, audire contigit. Multae ab auctoribus narratae observationes idem probant *.

In nonnullis, ubi magnopere delirium et alia febris symptomata urgebant, exhibita *calce antimonii nitrata*, fractae sunt

* Vide Lind on diseases of Europeans in hot climates, part ii.

morbi

morbi vires. Remedium quidem utile, et tart. emet. vix poſtponendum. Quoad agendi vim, et doſis quantitatem, in diverſis diſcrepat. Utilitatem remedii tamen, nullam vi actionis, quae ſaepe abnormis, rationem habere, ex plurima in hoc noſocomio experientia conſtat; et egomet oculis vidi, hoc, quovis febris die, ullo ſine detrimento exhibitum remedium. Doſis eſt, apud nos, a granis tribus ad grana quinque plerumque uſitata; haec, prout effectus edat, eſt intervallo horarum duarum repetenda.

Jam morbo finito, multi ſunt ſtupore affecti: Symptoma quod in hac febre convaleſcentibus ſaepius obſervare licet. Aliis, ceſſantibus febris ſignis, tuſſis moleſtior fit. Sponte tamen haec, viribus refectis, evaneſcebant ſymptomata. Mihi quidem pergratum eſt divulgare, tantam curam eſſe ad omnia impenſam, ut nemo, vel juventutis ſtudioſae, vel eorum, quorum erat ſaepiſſime inter aegrotos adeſſe, febre correptus fuit; et ex omnibus, cum militibus, tum oppidanis, hac febre affectis, et in noſocomium receptis, tres tantum e vita diſceſſerunt.

---

## CAUTELAE DE VENAESECTIONE IN FEBRIBUS CONTINUIS.

*AUCTORE GUL. DRENNAN.*

1. PRIUSQUAM lanceola diſtringenda eſt, horum morborum, qui tunc temporis per populum graſſantur, indolem notare erit digniſſimum. Utendum eventu. Synocha rariſſime vel potius nunquam morbus eſt epidemicus; ſaepiſſime et typhus et ſynochus. Harum indolem febrium tempus erit et occaſio, quoniam comparatio plurium eodem tempore aegrotantium novam lucem caeco affundet, donec ex toto forma morbi patebit et character. Si ex caſibus pluribus praeviſis, vires inflammatorias potiſſimum et per totum morbi curſum eſſe regnaturas, medico notum ſit; certe, ſanguinis detractio, et ſaepius repetita, re urgente, placebit. Qua cuſpide vulnus infligitur, hac ipſa cuſpide corpus ſenſit opem. Vehemens febris, ait Celſus, ubi rubet corpus, plenaeque venae tument, venaeſectionem requirit. Sed cum providentia audendum. Si, paucis elapſis diebus, diſceſſura poteſtas ſtimulans, debilitate in locum ſuccedente, et poſtremum protractiuſque morbi ſta-

dium ſibi afferente ; ſi animus (namque etiam ad animum penetrat morbi contagium) et robur vireſque minutatim fractae ſint ; ſi pulſus celeres, debiles, inaequales, vultus pallentes, capitis gravitas, vertigines, oculi ſuffuſa luce nantes, nauſea, vomitus, membra defeſſa, anxietates adſint ; tunc aimaphoborum placet ſententia, et vires cuſtodiendae et firmandae ſint. Plerumque, non ſemper, ſtat Sydenhami ſententia, quo propius ad indolem continuarum accedunt febres, eo ſaepius ad venaeſectionem confugiendum. In febribus continuis nervoſis ſanguinem ſaepe mittere, hominem jugulare eſt. Non ignoro, quoſdam dicere tutius eſſe venaeſectionem tentare non neceſſariam, quam ab ea praeter rationem temperare. Nunquam hac via ſcopuloſa ad febrium typhorum curationem tendimus. At ſi inflammatio adſit localis in parte corporis nobili, inter mala minimum eligendum, et, debilitate maxima nequaquam obſtante, venaeſectionem ſaltem topicam adornare neceſſe eſt. Dubia ſpes certa deſperatione potior : Anceps remedium melius quam nullum. Quaedam ſymptomata ſanguinem nimium capiti miſſum, vel impetum auctum, deſignant. Quorum erint arteriarum temporalium vibrationes, faciei citra ſpirationem valde impeditam color purpureus, oculi rubentes ſplendida fugitantes, ſenſilitas aucta, cephalalgia, vigilia, delirium ferox. Impetum in pulmonibus periculoſum notant anxietas pectori relata, reſpiratio difficilis laborioſa, inſpiratio magna, dolor in thorace fixus ſeu erraticus, tuſſis, decubitus difficilis, facies purpureo turgens. Viſcerum abdominalium vaſa nimium repleta deſignant in hypochondriis tenſio, dolor ; dolor totius abdominis quam ex flatu intenſior, decubitus difficilis affectionem citra pulmonicam ; in praecordiis anxietas, nauſea, vomitus. Obſervatione dignum erit ſtadium inflammatorium in febribus ſynochis per quatuor ſeu quinque dies perſtare, deinde ad primae finem hebdomadis debilitatem ingreſſum facere.

2. Cauſa morbi remota indagatione noſtra erit digniſſima ; aeſtimatio cauſae ſaepe morborum ſolvit. In febribus ſynocho et typho remota cauſa contagium praecipue videtur ; ideoque ad debilitatem et putredinem facilius labitur morbus. De febre ſola hoc dictum reſpuunt aliae pyrexiae contagii auctoritatem aeque afferentes, attamen ſanguinis miſſionem clare depoſcentes, ut probatur ex variolarum, rubeolarum, eryſipelatis, &c. curatione ; dummodo itaque ex contagioſorum ſpecu obrepit non intellecta febris, ſumma cum cautela lanceola diſtringatur, nunquam niſi ſub morbi initio libere uſurpanda. Exſurget cito vis morbi debilitans, et eo immitior, quia toleraverat. Attamen, quoniam in hiſce etiam febribus

frigus

frigus cauſae remotae pars ſaltem audit, et primis morbi ſtadiis ex hoc fonte poteſtates ſtimulantes potiſſimum ortum ducunt, in unam venaeſectionem alteramve audentius ibimus. At ſi, e contrario, ingurgitationem, nimiam venerem, animi terrores, praecurſores morbi eſſe videantur, lanceola aegrum in periculum maximum adducit. Re vera, ad omnium ſolutionem febrium, poteſtatem ſtimulantem agere neceſſe eſt. In amicum ergo medici ſtudio flagrantem non temere lancea convertenda. Veniet tempus, quando medicus, tacito muſſitans timore, vis ſtimulantis medicatricis opem precabit nequaquam.

3. In venaeſectione inſtituenda, coelum et anni tempeſtates attentionem traherent noſtram. "Non inficior," ait Sydenham, "nonnullos morbos omnium eſſe horarum, tamen nec pauciores annorum tempora, non ſecus quam quaedam aves aut plantae, ſequuntur."

In omni anni tempore libramen inter ſolidos fluidoſque mutationem patitur. In tempeſtate anni hiemali frigoris vi ſolidi conſtricti ſunt, fluidi etiam denſantur. At praecipue ſolidos afficit frigus, quoniam ex ejus impetu humores facilius evadunt, et interiora petunt; hinc tonus ſyſtematis auctus et diatheſis exſurgit inflammatoria; hinc plethora ad ſpatium vel reſpectiva toleratur, et venaeſectio utiliſſime adornabitur. Vere, et praecipue ea anni parte inter ver et aeſtatem ambigente, libramen denuo movetur, caloris vi ſolida relaxantur, fluida expanduntur; at ſolida ſerius, fluida citius ita mutantur. Plethora ad volumen oritur, et adhuc poſtulatur venaeſectio. Per aeſtatem calor corpus permanat, ſolidorum relaxatio plena producitur; ideóque humores rarefactos facile ferunt. Venaeſectio inconſulto inſtituta relaxationem hancce adauget, et exinde vires nimium imminuuntur. Incidit autumnus in corpora quae aeſtate deflagrarunt: Validiore circuitus impetu nunc in alkaleſcentiam et putredinem inclinant humores. Conſtrictis a frigore occurrente partibus, ea retinentur quae eliminare neceſſe erat. In hoc anni tempore contractius venaeſectio utatur.

Regionum ſitu ſanguinis detractio variatur. In plagis frigidis quam in calidis rarius ſerpit contagium; frequentius experitur diatheſis phlogiſtica. Britannis ergo, Belgis, Gallis, Germanis, caeteris paribus, plus ſanguinis, Luſitanis, Mauris, Hiſpanis, minus, detrahere decet. Praxis Hippocratica ex diaeta catharſi, emeſi, pendere videtur, venaeſectione rarius uſa. Certe, caloris effectu in ſolidis abſtracto, magis in locis calidioribus ad alkaleſcentiam et putredinem ruunt carnes, quia ſucco copioſiore turgent. At regiones humidae aeque ac

calidae venaesectionem respuunt; hinc in Belgis, aliisque locis magis ad Boream vergentibus, infausta videtur venaesectio. Eos in America Septentrionali degentes venaesectionem incommodius tolerare, quam in Europa, dicitur. Ex ardoribus aestivis, quam nobiscum gravioribus, et ex relaxatione exinde inducta ab algore hiemali non ex tuto amota, procedere haec videtur dissimilitudo. Forsan atmosphaera ex saltibus paludibusque densis humidissima, agri cultura minus extensa, causa extat probabilior.

4. Signa quae diathesin inflammatoriam demonstrant diligenter notanda; sed saepe difficulter deprehenduntur. Diatheseos phlogisticae cognitio a virium stimulantium excessu colligitur. Hunc excessum indicant pulsus, corporis calor, spasmus periphericus.

*Pulsus* ex arteriarum distensione oritur, sanguine in eas, cordis vi, acto. Pulsus celeres, frequentes, validi, inaequales, intermittentes, duri, vires stimulantes potissimum monstrant, ideoque diathesin phlogisticam. Pulsus celer, in quo, unico pulsu seorsum ab aliis sumpto, arteriarum systole et diastole celeriter absolvuntur; frequentes, ubi cum aliis collato pulsu, unus alium celeriter consequitur. Pulsuum frequentia ad irritationem potissimum refertur. Pro sexu, tamen, aetate, temperamento, diversimode variatur. Ad 90, pulsus plerumque tangitur febrilis, ad 120 periculosum; at si per duos tresve dies perstet adeo incitatus, conclamandum est. Pulsus validus, in quo sanguis contractione cordis valida et citatiore digitum fortiter ferit. Durus, ubi arteriarum tunicae, sanguine immisso non legitime expanduntur, et in quo arteriae magnitudo ad percussionis vim parum respondet; contractionem tunicarum spasmodicam, et tonum systematis arterioси auctum, deliguat. Ad judicium arteriae magnitudinis verum, ejus aestimatio in corpore sano utilissima erit; namque in diversis, etiam in iisdem, variat magnitudo, quoniam saepe ad superficiem tendit arteria in uno magis quam in altero, ideoque pulsus in carpis utriusque tangendi. Intervallis tempore inaequali transactis, pulsus fiunt irregulares, et etiam intermittentes, dummodo intervalla per pulsus spatium unius durent; utriusque omne quod ad cor sanguinem urgeat, pro causis latentibus; attamen, irritatio minor, debilitate praesente, eundem producit effectum.

*Calor* corporis auctus, thermometro demonstrante, diathesin producit phlogisticam, quia vim stimulantem suppeditat. Frigus circulationis vigorem minuit, ideoque vim vitalem caloremque nativum.

A *spasmi* gradu superficialis diathesis phlogistica monstratur;

tur; namque ex ſpaſmo irritatio potiſſimum oritur febrilis. Raro ſtimulos directos pro cauſa agnoſcunt febres. Indicia ſpaſmi haec ſunt: Cutis ſicca, arida, aduſta, contracta, lingua ſicca, ſcabra, pellicula cooperta, ſitis, ſecretiones imminutae, urina parca, alvus aſtricta.

*Cruſta* coriacea, quam ſanguis exhibet detracta, vires indicat ſtimulantes, et venaeſectionem plerumque poſcit.

5. Stadia morbi excogitare decet: Intereſt enim ut medicus opportunitatem et occaſionem medendi cupiat, et cum febris inſtet, incipiat, augeatur, conſiſtat, decedat, optimum tempus pro venaeſectione ſcire jucundum erit: Ne quid in hac re nimis cito vel nimis ſero.

Quamvis in febre intermittente, paroxyſmo durante, ſanguinis miſſio ſaepe bona ſit; attamen in ſtadio frigido nunquam celebratur. Dum ſtadium iniret calidum, lanceolam dimittimus. In febribus etiam continuis per dies primos, horrores vagi, leves, aliaque ſtadii frigidi ſigna locum aſſerunt, et frequenter recurrunt. Eos horrores excipit calor fugax, qui denuo frigori cedit. In hoc ſtatu vena ſaepe ſecta eſt; at male. Diffidentia ipſa nimium properamus. Pulſus, quanquam frequentiores, venaeſectionem non ſemper poſtulant. Namque, ſi in hiſce primis diebus, priuſquam ſtadium calidum exquiſite conſummatum ſit, venaeſectio adornaretur, debilitatem in febrium ingreſſu ſaepe exſuperantem, ideoque ſpaſmum ex debilitate pendentem, graviores reddimus. Quieta cum induſtria procedat medicus. Inertiam pro ſapientia colat. Rem differat, donec reactio abſoluta ſit. At ſi tunc temporis indicia ſtadii calidi mitiora eſſe videantur, morbum protractiorem et febrem, in extrema parte, nervoſam eſſe futuram colligit, ſuaeque prudentiae gratulatur.

Attamen, ex venaeſectione, in ſtadio morbi provecto, non minus aliquando capitur detrimenti. In ſynochi initio potestates praevalent ſtimulantes; ideoque ſanguinis detractionem non nimis eſſe protractam deſiderant. Dimiſſa egregia praeſidia poſtea juvant nihil, interdum nocent. In genere, ſtadio calido perfecte formato, venaeſectionem feſtinare melius erit, et dies tertius plerumque ad id auxilium capeſcendum erit aptiſſimus. Supra hunc vel quartum haud aeque vel utiliter vel tuto ſanguinem mittere, morbo jam multum ingraveſcente, ac viribus conſumptis, antiqua erat opinio. Attamen in toto curſu, dummodo vires inflammatoriae iterum ſaevire videantur, febre domita, ut pareat non ut ſerviat, venaeſectionem inire, etiam in provectiſſimo morbo, optima curandi via erit; et nonnunquam in die typhi quarto decimo, hanc medelam utiliter adhibitam auctores referunt. Forſan plerumque

que cucurbitulae cruentae vel ſanguiſugae, partibus praeſertim affectis admotae, ſatis eſſent. Hic et ubique experientia, optima veritatum medicarum parens, nos ignaros docebit. Haec regula erit: Quo propius ad febris indolem nervoſae morbus accedat, eo cautius ſanguis detrahatur.

Dierum criticorum auctoritas in ſanguine mittendo medici curam traheret. In eas febrium cardines vertuntur, et numne tunc temporum naturam ſtimulare aut refraenare neceſſe ſit, ex mali fronte colligere debemus.

6. AEgri aetas, vires, et ſanguinis quantitas aeſtimanda.

In genere, venaeſectionem prima aetas reſpuit et ultima. Attamen in variis morbis, v. g. morbillis, dentientium convulſionibus, pertuſſi, &c. aeque feliciter in infante ac in adulto venaeſectio inſtituta ſit. Sunt etiam in ſenectute qui, appetentia integra, victu lauto uſi, parum corpora exercentes, ſanguinis majorem quam par eſt colligunt quantitatem. Sed ut plurimum in aetate puerili et decliviore manum temperare debemus. In annis creſcentibus, ſolidorum laxitas, nulla ſyſtematis tenſio exquiſita, magna ſenſilitas, irritabilitas, mobilitas adſunt, miſſo ſanguine, vires facilius collabuntur, et modicam tantum vacuationem, urgente morbo, admittunt. AEtate puerili ad acmen progrediente, vacuationes facilius fert tenſio ſolidorum exquiſitior. Praeterea, ex materia praecipue animali alitur et ſtimulatur aetas adulta, eoque proclivior ad diatheſin phlogiſticam. Ab annis 25 ad 35, virium robur adeſt maximum, etiam ab 35 ad 50, ſolidorum non deficiunt vires. In omni hoc vitae curſu frequenter reſurgit diatheſis phlogiſtica. Hac aetate elapſa, labitur per iter declive corporis vigor, tarda per membra ſenectus ſerpit, et eadem ratione venaeſectionem averſamur. Nulla re magis quam ſanguinis miſſione acceleratur debilitas ſenilis. At nos recte monet Celſus, "Si juvenis imbecillus eſt, male ſanguis mittitur; at firmus puer et robuſtus ſenex ſic tuto curantur."

AEgri vires aſſidens medicus ſubinde inſpiciat, dum ſupereſſent aut deficerent. Functiones animales, vitales, naturales, recte inſtitutae; vires integras, illegitime infirmas arguunt. Laſſitudines, oculi languentes, vultus pallidus; linguae, maxillae inferioris, manuum tremores; ſenſus obtuſiores; animus triſtis, ſpem abjiciens, perturbatus; aurium tinnitus; ſurditas; viſus imminutus, depravatus; coma vigil; lethargia; vertigo; delirium mite; virium animalium teſtantur debilitatem. Cordis debilitas pulſu indicata, tremor, palpitatio; pulſus parvus, obſcurus, debilis, compreſſibilis, et tactui facile cedens; reſpiratio anhelosa, ſtrepens, ſtrangulata: vox tremula, aphonia; manuum, pedum, aurium, naſi partes extremae

tremae frigidae; facies collapſa, Hippocratica; idem de functionibus vitalibus declarant. Functionum naturalium debilitatem indicant, anorexia, nauſea, vomitus, deglutitio laeſa; alvi et veſicae incontinentia. Omnia haec ſymptomata venaeſectionem reſpuunt.

Ad ſanguinis quantitatem circulantis dirigendi ſunt oculi noſtri. Saepe ſpecie exundantis ſanguinis ſola decipimur. Perutilis in praxi medica inter plethoram et obeſitatem erit diſtinctio. Tenuioribus magis ſanguis, plenioribus magis caro et pinguedo abundant; hi ab illis probe diſtinguendi. In obeſis vaſa exilia, progreſſus humorum lentus; in carnoſis, ſecus ſe res habet. Macilentiores ſaepe plus ſanguinis in vaſis alunt quam corporis habitu ſpongioſi. Iis qui pleno habitu gaudent, plethora nequaquam conſtans. Corporis moles minus aeſtimanda ex vaſorum ſanguiferorum capacitate aucta, ſeu fluidorum quantitate circulantium, quam ex ea materia quae ex ſanguinis maſſa ſecernitur, et extra circulationis leges remanet. A pinguedine nimia, vaſa premuntur, eorum volumen minuitur. Praeterea, fortaſſe non eadem lege et numero, vaſa ſanguifera in omni corpore ad peripheriam diſpertiuntur. Rarioribus vaſculis ſubcutaneis, profundioribus, magiſque exilibus, obeſi praediti ſunt. Gracilioribus et rubicundis plura vaſa largiuntur ſanguinea. Ex omni colligitur, tenuiores facilius, obeſos difficilius, venaeſectionem tolerare. Attamen, macilentiores a natura, ab iis qui victus parcimonia, morbis, ſtudiis, animi commotionibus, veneris exercitio, ita ſunt, probe diſtinguendi.

7. Morbi praeeuntes, et ſanguinis mittendi conſuetudo inducta, attentione digniſſimi videntur.

Permultis, ad haemorrhagias quaedam proclivitas ab origine inducta, vel ex haemorrhagiis praeviis acquiſita, ſeſe manifeſtat. Ad phlegmaſias eodem modo ſaepe inclinat corpus. Anginae, catarrhi, affectiones pneumoniae, cum annis juvenilibus conſociant. Annis adhuc crescentibus rarius; demum rariſſime apparent hi morbi. Ubicunque talis adſit proclivitas, liberalius admittitur ſanguinis abſtractio.

Conſuetudo ex venaeſectionis frequenti uſu contracta, res eſt idonea, de qua quaeratur. Plethoram gignat uſus venaeſectionis frequens. "Conſuetudo ſanguinis mittendi," inquit Gaubius, "naturalis, artificialis, uti reparandae jacturae ſtudium indit, ita reparatae creat intolerantiam, cui moles alier haud gravatiore onere eſt." Seu neceſſario in morbis, ſeu abſque neceſſitate in ſanis confirmata, in caſu utroque, facilius venaeſectionem admittit haecce conſuetudo.

Forſan, moribus humanis magis et magis ad luxuriam deſidiamque

fidiamque vergentibus, eadem ratione, cautius admittenda venaefectio. Morbos inflammatorios, lanceolam praefertim poſtulantes, hiſce diebus rarius ingreſſum facere, nec impetu tam vehementi, aut curſu tam rapido, ut olim invadere, pro certo habetur. Rheumatiſmo acuto urgente, uncias quadraginta pro quantitate media detrahendas jubet Sydenham; at, nunc temporis, talem vacuationem in hoc morbo difficulter admittunt aegri. Febrium intermittentium vernalium, emeſi una vel altera, cortice Peruviano poſtea ſine mora exhibito, venaeſectione neglecta, facilis perficitur curatio. Caeteris paribus, ab iis in rure quam in urbe degentibus plus extrahere poſſumus ſanguinis.

8. Speciem quam ſanguis exhibet detractus oculis ſubjicere in votis erit. Sanguis e corpore miſſus, primo homogeneus apparet; poſtea, in ſerum et craſſamentum ſponte ſecedit. Gluten, quae reſtat ſanguinis tertia pars, in ſolutione chemica ſeroſitati juncta, vel aliis in partibus diffuſa, aliquando ab iis ſeſe ſeparat, et ubi refrixit, ſevi liquati prae ſe fert ſpeciem, craſſitie in genera conſpicua, et ſuperficiem albam coriaceam, veri puris aemulam a reliquio divulſam, cuticulae formam tenacis praebentem. Cruſtae inflammatoriae nomine gaudet, et ex maſſa ſanguinis quam par eſt tenuiore pendere videtur. Haec ſanguinis ſpecies et diatheſis phlogiſtica inter ſe nexum habent intimum; at non ex illius praeſentia, diatheſin phlogiſticam adeſſe, ſemper colligitur. Tempeſtate hiemali, ſi vires adſint potentes, ſanguis miſſus ſaepe hanc exhibet ſpeciem; et ſaepiſſime in mulieribus gravidis. Annis 30 abhinc, cruſtam hancce albidam, a nulla ſanguinis denſatione, nullo lentore ortam eſſe, experimentis certiſſimis probatum erat. Re vera, quoniam poteſtates inflammatoriae prius prodire videantur, quam ullum corii extat ſignum, et nonnunquam eo omnino abſente; hujus velamenti lentorem non ſemper eſſe cauſam, a priore, ut aiunt, veriſimilitudini conſentaneum videtur. Enimvero, in diatheſi inflammatoria, ſanguis evadit fluidior; et ſane haec ipſa fluiditas huic corio originem praebet. Cruſta ſupernatans gluten eſt, pars ſanguinis naturalis, et perpetua, quae, variis rebus plerumque fortuitis cauſantibus, a reliqua materia ſeſe ſeparat, et hanc ſpeciem novam oculis offert. Ex iis rebus quaedam notandae ſunt. Si orificium anguſtius, ſive quid aliud obſtiterit, quo minus pleniore gurgite exeat ſanguis, pleuriticorum ſanguinem non aemulatur. Si orificium amplius ſit, res eſt contraria. Hoc caſu quam illo, aeri externo ſanguis ſuperficiem porrigit minus extenſam. Aeris opera vis concreſcendi ſemper intenſior fit. Aeris externi quantitatem non parvam, ad primum exitum,

ſanguine

ſanguine commixtam eſſe, valde erit probabile, recordanti ſpumam quae in ejus ſuperficie apparet, aere, pneumaticae ope antliae, exhauſto. Super ſanguinem, cucurbitulae ope cruentae extractum, nulla elevatur ſpuma. Hinc, etiam ex quantitate aeris minore vel majore commixta, celerior vel tardior eveniat concretio. Quo celerior ſanguinis concretio, eo minor cruſtae quantitas; namque ſubita concreſcendi vis, ut gluten disjunctionem faceret, nullam dat opportunitatem.

Praeterea, brachio in ſitu prono vel oblique ſuſtento, inter venam pertuſam et cutim obtegentem membrana cellularis ſaepe ſeſe intinuat, et, quo tempore effluit ſanguis, obſtaculum ad tranſitum liberum oritur, et exinde cruſtam in primo vaſculo praeſertim, in altero, nullam deprehendimus. Vulnus magnum, patulum, flumen ſanguinis liberum, pelliculae formationi favent, quam prohibet effluxus guttatim brachium permanans, namque hic quoque in ratione ſanguinis aeri expoſiti, pellicula adeſt ſeu abeſt coriacea.

Forma vaſculi qui ſanguinem excipit, in hac re valet. Quo minus profundior et latior, eo magis ad aeris et vaſculi ipſius frigidi actionem ſanguis exponitur; ideoque vis concreſcendi augetur, et nulla vel ſaltem minor accidit cruſtae coriaceae ſeparatio. Quo altius et anguſtius vas, acer ſerius aget, ſerior eveniet concretio, cruſta denſior et ſolidior, et ſeri circumfluentis quantitas copioſior: Limbi vel margines inſulae ſurſum elevantur, et ob corii contractionem retorti, in ſcutellae figuram excavantur. Vaſe latiore, per ſuperficiem totam pellis aequaliter porrecta vix ullum ſeri indicium, niſi ex maſſa ſciſſa, praebet.

Agitando, ſanguinis haec forma variatur. Si recens ſanguis extractus, quocunque demum modo fluxerit, immiſſo digito vel ullo alio modo agitetur, nulla extabit pellis; vel ſi praeſens eſſet, cum reliquis partibus commixta, et ſanguis ſuperficie rubente ac florida ſpectabitur. Plus minus, concretio tardior ſemper cruſtam producit; niſu enim ad concreſcendum minore fit, ut tardius coeat gluten, vaſculi fundum petunt globuli rubri, et gluten per ſe demum coactum a partibus reliquis ſemotum relinquunt. Sanguis itaque fluidior, minorique cohaerentia gaudens, cruſtam exhibebit.

Namque, ut in vini vel ſacchari a faecibus depurgatione, ovi albumine vel ſanguine bovino utimur, eodem modo cruſta inflammatoria formari videtur. Aeri enim frigido, ſanguine per quietem expoſito, coit gluten, rubroſque globulos una ſecum implicitos in maſſam trahit, non aliter quam vini faeces, albuminis fibris filamentiſque irretiuntur. Aer circumambiens, frigus, et quies concretionem facilitant, prae-

ſertim aer et quies. Cur in primo pocillo cruſta appareat, in altero nulla, actio vaſorum ſubito mutata in cauſa perhibetur. Sed in tantillo tempore, varietas tam celer, tam ſaepe repetita, vix credibilis.

Ex aeris mutationibus concretio evadit tardior vel celerior; atmoſphaerae calori, frigori, gravitati, levitati referenda.

Quo tempore poſt venam ſectam oculis ſanguis ſubjicitur, auctoritatem habet. De ejus natura die ab ejus detractione primo judicium, ſequenti die contrariis omnino apparentibus ejuſdem phaenomenis, mutandum, et prorſus contrarium concludendum erit. Citius non formatur cruſta; ſerius liquefacta et reliqua cum maſſa commixta erit. Ex omni, cruſtam e variis rebus et fortuitis pendentem, nullam in praxi regulam, ſeu legem certam futuram eſſe, videmus. Cruſta abſens non ſemper finem ſanguinem mittendi jubet. Ne hoc quidem afferendum, ſanguinis miſſionem, quantumlibet hoc praeeat ſignum, ſemper celebrandam: Namque, utrum viribus inflammatoriis hocce phaenomenon exquiſite reſpondeat, non bene notum videtur. Plerumque pellicula denſior et durior diatheſin inflammatoriam deſignat auctam; at nonnunquam, cruſta plane detecta, abeſt poteſtas ſtimulans. Sub peſtis aliorumque morborum, vi ſeptica pollentium, ingreſſum, quamvis in genere florenti rubedine et craſſamento vix cohaerente, utcunque cruſta etiam obtectus nonnunquam ſanguis apparet. Hinc nexum ſed non indiſſolubilem viribus cum inflammatoriis, non perpetuo venaeſectionem indicantem, colligere eſt. Attamen in hiſce febribus putridis varietas in corii forma evidens eſt. Hic, membrana tenui ſubcoerulea, materiam gelatinoſam viridentem obtegente, craſſamento livido ſoluto, ſero viridi turbido inquinato conſtat ſanguis, et ſic ſe re habente, nec canem et anguem pejus quam venaeſectionem fugimus. Inter cruſtam veram et hanc ſpuriam nulla ab antiquis diſtinctio patet, et fortaſſe hac ſola ſpecie deceptus, in venaeſectione larga ſaepe repetita, peſtis curationem ponit Sydenham. Haec verba ad ſententiam ſpectant: "In peſte, ſanguinis detracti cruſta colorem qui pleuritide ac rheumatiſmo laborant aemulatur."

9. Porro, ad hujus vacuationis ſequelas, animum advertere non dedecet. Quo inflammatio fit vehementior, eo a ſanguinis miſſione magis ſublevabitur aeger. Quid valeant pulſus, quid ferre recuſent, inquirendum. Si pulſus, venaeſectione praemiſſa, demiſſiores fiant, labeſcant; nequaquam repetenda venaeſectio. Sed ſi, e contrario, duri validique perſtiterint, recte celebratam eſſe intelligimus. Utile erit, digito aegrotantis venae continuo ab inciſione admoto, obſervare fortiores an

an languidiores (ſanguine effluente) fiant ictus. Si fortiores fiant, tuto et ovanter pergimus; ſin minus, vel ſi langnidiores fiant, incommodius afficietur aeger, niſi ſtatim deſinatur. "Vis corporis melius ex venis quam ex ipſa ſpecie aeſtimatur," ait Celſus. Quandoque poſt uncias duas treſve detractas, in animi deliquium cadit aeger, et nihilominus alia ſymptomata venaeſectionem quam maxime deſiderant. Tali caſu, ſi ex ſymptomatibus, et cauſae cognitione remotae praevia, diatheſin inflammatoriam haud dubie adeſſe, notum ſit, venaeſectio feliciter repetatur, aegri corpore in ſitu horizontali poſito, et quamvis linquentis indicia animi jam tum occurrant, nec hoc quidem venaeſectioni contradicere debet; namque plerumque melius fertur altera quam prima venaeſectio, et poſtea frequentiores largioreſque vacuationes facile tolerari poteſt. Febricitantes quibus cum morbo incipiente, ſanguine ad ſex miſſo uncias, protinus animi accederit defectus; morbi progreſſu, tres ſanguinis libras aut amplius ſundentibus ne quidem ullus languor aut animi defectus contingunt. Quamvis diatheſis inflammatoria ac pulſus pleni ac validi ſaepiſſime comites ſiant, quandoque tamen exiliores contractioreſque pulſus evadunt. In hoc caſu, priuſquam vena ſecetur, inter pulſum debilem ac fortem difficilis erit ſeparatio. At, venaeſectione praemiſſa, clarius illuceſcit; quia pleniores ac validiores ſiunt pulſus, alteram ſectionem poſtulantes.

Pulſuum infirmitas aut oppreſſio a plethora vel repletione nimia ortum habens, probe et equidem non difficulter diſtinguenda ab oppreſſione quae ſanguinis inopiae originem debet. Vera debilitas eſt a virium deperditione: Debilitas apparens ab earum ſolummodo ſuffocatione. Proinde natura deoneranda ut recreari poſſit. Levat haec res exoneratque corporis rectricem naturam; arteriae facilius vibrant; pulſus fortiores ſiunt. Animi deliquium iis potiſſimum accidit, quibus laxi ſunt ſolidi, vi contractili vel elatere quae vaſorum parietes, pro ratione ſanguinis effluxi, ſua cava arctant, minime praediti. Plethora igitur ex laxitate quandoque pendet, atque robore parietum vaſorum hac cauſa imminuto, fit, ut fluida majore vi agunt in latera, quam haec reagendo ſuperare poſſunt; et hinc oritur pulſuum oppreſſio. At, quoniam inter contentos et continentes, fluidos ac ſolidos, juſta ſervanda aequilibritas, neque in tali caſu ſervari poteſt; a venaeſectione ſola vis parietum elaſtica, quorum dilatatione nimia omnino deficit, augetur; aequilibrium renovatur; ſolito vigore agunt ſolidi; aequaliter perficitur circulatio, naturae viribus non imminutis at potius creſcentibus.

Quae nocuerunt, ob id quod non recte uſurpata ſunt, nocuerunt.

cuerunt. Omnes igitur irritationes in venaesectione ornanda evitare debet aeger. Irritationem consequuntur tensio aucta, diathesis phlogistica; epispastica vi stimulanti praedita, cordis et arteriarum actionem, et systematis totius tonum tensionemque, augent. Dum seri effusio succedat, et cuticula elevatur, stimulo cessante, venaesectio dimittenda.

Male etiam instituitur ubi primae viae colluvie scatent; hac enim facta, retinentur sordes facilius, ob imminutam ventriculi et intestinorum vim expultricem. Alvi laxantia igitur praemittere debemus. Musculos agendo multos stimulus praebetur magnus, in eo situ ponatur aeger in quo pauciſſimi agunt musculi.

---

# DE PESTE.

*AUCTORE BARTHOL. THOMAS.*

MORBUM, quem hic tractandum suscepimus, inter eos, qui generi humano maxime infesti habentur, primum locum obtinuisse, ex nominibus ei ab omni natione inditis evidenter apparet; nec ictius horrorem cognomine solo designatum esse, attestantur et adversae valetudinis diversae species, quae, prout huic violentia et malignitate appropinquent, eadem ratione lethales existimantur. Varia incommoda, quibus laborabant et morbi investigatio et cura, quicunque perpendebit, tantum luminis huic illatum, quantum, ex naturalis philosophiae scientia, hoc seculo faustis avibus culta, reliquis medicinae partibus affulsit, haud sperandum confitebitur. Antiqui, quibus naturae phoenomena fideliter observandi, quibus sedulo indagandi, laus merito debetur, scientia attamen non longe provecta, cognitionis istius ope orbati, quam in lucem ediderunt recentiorum investigationes, a praejudicio praeterea seducti, in superstitionem philosophis indignam saepe inciderunt. Nullibi autem aeque apparuit eorum imperitia, ac in natura pestis explicanda; rudes indoctique, naturae phoenomena consueta, quaeque sub oculis quotidie versantur, observantes, eorum causas pro certo sese cognoscere credentes, admiratione minime percelluntur; si quidvis inusitati vero timores excitet, cum hoc mori ordinario agendi conciiire nequissent, ad omnipotentiam deorum instanter confugiunt; hoc pacto difficultatem amoventes, et ratiocinationis

umbra

umbra contenti, ejus naturam et cauſam, modo qui viris convenit, exquirere prohibentur.

Plerique igitur, huic interpoſitioni fidem adhibentes, peſtem, flagellum a divina vindicta humano generi intentatum, utplurimum duxere ; ex hoc igitur inſecuta eſt totalis inertia, et in iis quae ad morbum praecavendum, quaeque ad curandum attinebant ; nec raro illinc ad inepta, inefficacia, et ſaepe barbara conſilia, quae talem opinionem neceſſario conſequuntur, impulſi ſunt.

Nec recentiore memoria, cognitionem hujuſce morbi longe provectam fivit et alia conditio, hoc ſolo nati, quo caligo, tyrannide legem neſcienti circumfuſa, ſcientiae jucundum lumen omnino extinxit.

Tenebroſo ſub formidinis regno, has muſarum ſedes hodie *Levant* appellatas, invaſere et ignorantia et indolentia, legitima prole, praejudicio ſuperſtitioneque ſtipatae ; viſit, attamen confitemur, nonnunquam et has Europae partes, quibus et naturae ejus inveſtigandae, et methodo medendi exquirendae, idonei habebantur homines ; quibus et nonnulla adjumenta, quae in philoſophiam et medicinam contulere recentiorum induſtria, et longa experientia, ad hunc indagandum dirigi liceret. Sed, re diligentius perpenſa, morbum nunquam in medicos his etiam regionibus reperietur incidiſſe, qui ejus naturam rite cognovernnt, et varia commoda medicinae, ab experientia recentiori collata, ad eum curandum adhibere potuerunt : Poſtpoſitis enim impedimentis, a timore illo, quo indigne percuſſi ſunt plures medici, ortum ducentibus, et noſtra memoria intra perpaucos annos cluxere, et vera natura febris maligna, et remediorum cognitio iſtorum, quibus in praeſenti aegros tractandi innititur methodus, et quorum ope, impetus morborum pro lethalibus admodum, ſi non omnino indomitis, hucuſque habitorum, facile ſuperatur.

Peſte aegrotans itaque medicinae auxilio haud quidquam debuit, et omnem ſpem adjumenti in reniſu debili oppreſſae naturae collocare coactus eſt. Quamvis igitur nullam experientiam in hujuſce morbi cura noſtram gloriamur ; tamen ex analogia (quod ratiocinationis genus, veriſimilitudinis gradum inductionis legitimae concluſionibus haud longo intervallo proximum, merito obtinuit) ejus naturam illuſtrare, et methodum medendi, quae vires infectas imminuere polliceatur, et nobis proponere liceat.

A deſcriptione igitur morbi ampla, ejuſque cauſarum, incipiemus ; ex qua, omnia, quae ad veram illius naturam inveſtigandam idonea habentur, ſuppeditare neceſſe erit ; ſed antequam ulterius progrediamur, et quid per *peſtem* velimus exponere

exponere oportebit; eodem enim nomine designatae sunt tam variae morborum species, scilicet, febres malignae, pestilentiales, &c. quod titulus huic opusculo praefixus, significationis nimis incertae appareat, quae quidem ideas nostras accurate exprimat; a charactere igitur, sicut dissertationem inauguralium mos est, incipiendum.

## CHARACTER.

Typhus maxime contagiosa. Incerto morbi die, eruptio bubonum vel anthracum.

## HISTORIA MORBI.

Si hujusce morbi primordia spectemus, symptomata, ineunte morbo, longe inter se discrepant, secundum variam mali vim et violentiam; interdum paucis horae minutis aegrum e vivis tollit; cum violento capitis dolore, vertigine, et vomitu oppressus, perierit: Nonnunquam tamen adeo se lenem praebuit, ut mox bubones in lucem prodierint; hisque ad maturationem properantibus, aeger interea prodeambulare foras, et solitis negotiis interesse, potuerit.

Eodem plerumque modo quo febris putrida se primo ostendit, magna accedente debilitate corporis et ad motum inertia; pestis autem magis violentus est impetus, et magis repentinus. Paroxysmi frigidi et calidi alternatim sibi invicem succedunt, ut in intermittentibus fieri solet; haud tamen statutis et regularibus intervallis: Frigoris paroxysmi gravius aegrum adoriuntur, quam in febri continua contingit: Cum febris fiat continua, ingens oritur partium internarum calor, dum cutis et externa corporis non aequo calore ardescunt; aeger torpedine quadam, stupore mentis, aurium tinnitu, capitis gravedine, ebrii instar, afficitur: Vultus horrore plenus, et moribundo similis; oculi rubro calore tincti, vagi, et prominentes; quae symptomata hebescens visus, vigiliae, deliria, et interdum coma comitantur: Ingens supervenit virium prostratio, spirituum depressio, animi sollicitudo, et oppressa praecordia, cum ipsius cordis praeceleri motu, aegra respiratione, nulla tamen tussi interveniente. Perpetua fere nausea et vomitu aeger torquetur, bilioslsque et foetidis alvi dejectionibus; pulsus frequens, irregularis, et debilis est, saepe tamen durior et plenus evadit; sitis immodica est, lingua plerumque albescit, licet haud raro, etiam ineunte morbo, quandam nigredinem exhibet: Urinae varia est conditio, interdum pallida et cruda, interdum vero rubra et turbida; et sanguis

in

in hoc morbi ſtadio miſſus ſaepe coriaceam ſuperficiem albam induit.

Aut citius aut ſerius, pro morbi natura et virulentia, bubones, ſeu tumores inflammatorii, in glandulis conglobatis cervicis, axillarum, vel inguinum, prorumpunt; in variis quoque corporis partibus (praecedente partis pruritu), carbunculorum, ſeu puſtularum quarundam coloris naturaeque ardentis, eruptio fit: Hi vel nunquam vel rariſſime huic morbo deſunt; nec ullo magis indicio, nec aliis magis ſymptomatibus a communi putrida ſeu febre maligna ſecernitur. Cum bubones cito ſeſe monſtrent, et ad ſuppurationem debitam progrediantur, ſymptomatibus aut biduo aut triduo lenitis, aeger convaleſcit, et ſanitati priſtinae reſtituitur; ſin vero hi bubones debito non matureſcunt ritu, ichore tantum fluido et tenui effuſo, aut ſi depreſſi collabantur, ſymptomata magis magiſque ingraveſcunt, augetur anxietas, tantaque inſequitur imbecillitas, ut manuum tremores inducat, qui in tendinum ſubſultus et in convulſiones terminantur. AEger crebra animi deliquia patitur, quae illum e medio nonnunquam tollunt; omni tandem ſenſu privatur; vis vitalis non modo torpet, ſed penitus extincta videtur. Facies pallet et horret, Hippocraticaeque dictae ſimilis apparet; vox languet; caleſcit anhelitus graviſſimeque olet; putredinis indiciis undequaque cingitur, nec quidquam praeter horrorem et foetorem hand ferendum ſupereſt. Corpus quoque gravi quodam et glutinoſo circumfunditur ſudore, interdum adeo acris et penetrantis naturae, ut cutis ab eo excoriatur; per totam cutem purpureae prorumpunt maculae, petechiae vulgo dictae; et quaecunque vomitu, urina, aut ſella egerantur, foetorem hand tolerandum exhalant. Haemorrhagiae pariter interveniunt, e pulmonibus, ventriculo, dentibus, naſo, aliiſque partibus, defluentes, donec inter debilitatis et putredinis ſigna, inter foetorem, qui adſtantibus nauſeam excitat, moribundus miſere cruciatus, horrenda tabe tandem intereat.

Hujuſce morbi ſpatium et duratio incerta admodum ſunt, ſudores copioſe et naturae profuſi critici nonnunquam habentur; bubonum vero eruptio naturalis et vera criſis potius exiſtimanda eſt; urinae etiam profluvium faeculentae copioſum, bubonibus ſecedentibus ſuperveniens, interdum morbo criſim attuliſſe creditur. Si malum lethiferum ſit, ſecundo, tertio, aut quarto die, aeger fato cedit inexorabili; et corpora eorum, qui hoc morbo pereunt, celeriter in foetorem et putredinem reſolvuntur; et poſt mortem diſſecta, eandem fere ſpeciem praebent, quae in malignis, putridis, inflammatoriiſque febribus vulgo exhibetur, cum in viſceribus variis, cerebro, pulmonibus, inteſtiniſque eadem fere ſigna reperiantur; nonnulla

nonnulla viſcerum, praeſertim cor, et jecur, praeter naturam diſtenſa videre licet; ſanguis quoque et ſerum per varias corporis cavitates diſperſa et diffuſa cernuntur.

## CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Huic quamvis morbo tanta vis et virulentia ſit, ut nullae aetati, nullo ſexui, aut corporis conditioni parcat; uſu tamen et experientia conſtat, quaecunque apta ad ſyſtema humanum debilitandum aut enervandum inveniuntur, ea quoque corpus ad contagionis infectionem introſuſcipiendum parare; cum plures quidem, tam medici quam philoſophi, putant, homines valenti et robuſto corpore praeditos, huic contagioni quam maxime patere; ſi vero, quibus factis haec innitatur opinio, quaerere vacaret, credendum tunc foret, vocum ſignificationem ambiguam huic errori locum dediſſe. Non modo apud vulgus, ſed etiam apud medicos quoſdam, diu obtinuit, virum corporis pleni et plethorici, viribus et tono ſyſtematis prae caeteris vigere; qui vero ſyſtematis nervoſi naturam rite intelligunt, hunc imbecilliori ſaepe tono laborare pronunciabunt; et ſi quis interdum corporis vi et robore pollere videatur, hunc nihilominus nervoſi ſyſtematis tono haud raro debili praeditum, ſatis intelligunt.

Quaenam vero cauſae huncce corporis ſtatum inducunt, ex ſequentibus patebit.

*Omnes repentinae et copioſae evacuationes*, ſanguinis praeſertim, et nimia veneris licentia. Inter multos ambigitur, an harum poſterior inter evacuationes recenſenda ſit? Quod hic evacuatio fiat, nemo dubitat; verum, an major debilitas, quae hanc conſequitur, huic evacuationi tantillae tribuenda ſit? merito ambigitur. Veriſimilius eſt, hunc effectum ex hoc naturae principio, hac univerſali animalium indole oriri, ſcilicet, quod repentinum et vehementius incitamentum repentinus par collapſus conſequatur. Utcunque ſe res habeat, hujuſce effectus debilitantes neminem nunc latent; quod autem corpus ad hunc morbum praeparet *, Diemerbroekii obſervatione confirmare liceat, qui, hoc morbo ſaeviente, teſtatur, nullos illius furori aeque obnoxios fuiſſe, ac adoleſcentes, qui uxores nuperrime duxerant.

*Metus* vel *formido* altera hujus mali praepotens cauſa adjudicatur. Quantum valeat metus ad vim nervoſam deprimendam, nec quantum corpus inde paretur ad malignae febris contagionem introſuſcipiendum, nemini non notum. Rivinus Leipſicenſis, in peſte quae ibi ſaeviebat, vix ullum extitiſſe exemplum meminit, cujuſlibet contagione infecti, niſi

* Vide Diemerbroekii, lib. i. cap. 6.

ex

ex praevio metu et terrore. Et nonnulli * medici Galli hujus causae vim adeo praevalentem observarunt, ut cum pestem haud esse contagiosam probare vellent, ad metum, ut unicam mali disseminati causam, confugerint.

*Inordinata diaeta*, et *victus ratio*, vel immodica et nimis lauta, vel nimis parca justoque minor: Horum utrumque debilitati inducendae idoneum est, adeoque, contagioni morbosae accersendae; debilitas enim uniuscujusque generis febribus corpus obnoxium reddit; divites enim, qui in otio et luxu vitam degunt, aeque ac inopes, qui aegre vitam sustentant, ut saepe observatum est, huic malo ex aequo praedae fuerunt.

*Praevii morbi*, *puerperium*, &c. eosdem gignunt effectus. Quodcunque fluidorum putredinem gignit, sive debilitatem superius dictam inducendo, sive fluida ad virus intromittendum disponendo, quod postea morbum procreat, hoc in corpus praepotenter agit, quo pronius sit in contagii infectionem. Solitae exercitationis cessatio; evacuationes, praesertim per cutem transpirantes, suppressae, victus animalis putridus, recentibus cibis, vel vegetabilibus vel antiseptics, sicut acidis, saccharo, vino, &c. haud admixtis, cum immundo victu, vestitu, &c. haec omnia, inquam, ad huncce titulum referri possunt.

## CAUSAE OCCASIONALES.

Si varias hujus morbi historias, variasque pestes per terrarum orbem grassantes, attentius perlustremus, hujus primariam causam a plerisque miasmati cuidam, ex animalibus et vegetabilibus putrefactis exhalato, referri inveniemus. Hac in re observat Plinius (cui caeteri etiam consentiunt auctores hujusce historiam scribentes), ex hujusmodi causa ortam, in zona torrida frequentius nasci; et idcirco hujus plagae indigenam merito appellari; nec verisimile quidem est in zonis temperatis hocce malum primo oriri; cum in his, nec adeo ferveat coeli aestus, nec aliae concurrant causae, quae tantam putredinem inducere, nec febrem tam violentam et pernicioſam procreare queant. Thucydides †, in miranda pestis historia quae Athenis grassata est; Evagrius ‡, et Procopius §, eam memorantes, quae, regnante Justiniano, Constantinopoli flagrabat, et his recentiores Turcae hujus mali originem AEgypto usque deducunt. Memphis in AEgypto

* Vide Traite de la Peste par Chicoyneau. † Histor. l. ii.
‡ Histor. Ecclesiast. l. iv. c. 29. § De bello Persico, l. ii. c. 22.

ſitus huic miaſmati peſtem procreanti valde opportunos habet, planitie arenoſa, ſub montis altiſſimae radicibus, qua imminente ſalubres refrigeranteſque aurae coercentur, et aeſtu vix ferendo omnia fervent. Per mediam urbem canalis interfluit, quae, aqua tantum repleta e Nilo derivata, recedente flumine, gradatim ſubſidit. Urbs ipſa aedificiorum multitudine coarctata, incolis omnino referta eſt, qui ſordes urbis in hocce ſtagnum projiciunt; hinc ſtagnantis aquae et limi commixti congeſtio, immodico calore exuſta *, effluviam et foetorum pernicioſum exhalat; unde iſta peſtis procul dubio exoritur, quae ſingulis annis hanc terrae regionem infeſtat. In AEthiopia ſemper obſervatur, peſtem ingruenti per aeſtatem pluviae ſuccedere, tum coelo calidiore; nec non et peſtes, et alias febres malignas, e putridis cadaverum profluviis, ut in praeliis accidit, ubi cadavera multa in campis inſepulta relinquuntur, crebro emanare, haud raro ab auctoribus memoratur.

*Contagio.* Quidam Gallorum medici, peſtem nullatenus contagioſam, ſed totam formidinis et pavoris eſſe effectum, contenderunt. Sine fine labor eſſet, eorum argumenta in medium afferre, et iis ſimilia, e ſubtilitate logica petita, opponere, qua unica ratione, his argumentis obſcuritate obductis nonnulla forſan veritas iis conciliari poſſit. Haec profecto doctrina, nec cum febrium quam habemus ſcientia, nec cum earum cauſis, nequaquam convenit: Nec factorum experientia vel minima ex parte niti videtur. Arbitrari enim ineptum eſſet, morbum a miaſmate genitum haud poſtea a contagione diſſeminari poſſe. Sed miaſma e neceſſario contagionem amplecti rei factae convenit; omnes enim morbos, a miaſmate ortos, poſtea a contagione diſſeminatos videmus. Praecipuum horum argumentum, et ſaepius uſurpatum, me judice, quidem contra logicam peccat, nempe, cum ipſi ſaevienti peſti interfuerint, et tamen tuto evaſerint, cum hoc idem aliis permultis evenerit; pro his ergo cauſis (aiunt) peſtis haud contagioſa eſt. Falſa certe concluſio; eodem enim argumento probari poſſet, nullum omnino morbum eſſe contagioſum. Nulla vero facta occurrunt probantia, a ſolo metu febrem excitari poſſe; proinde metus nequit eſſe, niſi cauſa praedisponens ad hunc morbum. Quamplurima habemus exempla quibus manifeſto patet, hunc morbum, a corporibus illo infectis, non modo communicari poſſe, verum etiam e mercibus, pannis, aut aliis quibuſvis ſuppellectilibus aegrum contingentibus.

Celebres hiſtorici ſupra memorati peſtis tranſitum ex una in alteram regionem referunt, prout hae regiones commercio

* Vid. Le Brun voyage au Levant, c. 38.

aut

aut bello inter ſeſe communicarent. Omnes fere conſentiunt, ex Africa in Europam peſtem invehi; ſaeviſſima peſtis Maſſilienſis, ut ab omnibus aſſeritur, navi quadam mercatoria ab Oriente Maſſiliam uſque tranſvecta fuit; Bajulique, qui in mercibus aperiendis erant occupati, morti continuo occubuerunt; dum alii morbo correpti hunc per totam urbem propagarunt. Haec facta omnibus adeo nota ſunt, ut res ulteriori probatione non indigeat.

Nonnulli medici in hancce opinionem deducti ſunt, ex humanitatis et benevolentiae effectu, et ex ſaevitia legum, et crudelitate magiſtratuum in miſeros aegrotos, qui ab omni humana ſocietate crudeliſſime arcentur. Hi revera magnopere ſunt laudandi; ſed in eo decepti, quod veritatem tam manifeſtam celari poſſe crederent, aut celatam ſperatos habituram effectus; quid enim ex hac opinione oriretur, niſi idem quod, ex Turcarum, de aeterna praedeſtinatione opinione, aſſurgit, qua illi freti, et morbum negligunt, et graviſſimis ſeſe periculis incaute exponunt.

De contagione pauca quaedam notatu digna ſunt. Primo, Quod a perſonis et rebus ea adfectis nunquam longius diſcedat, ſolumque vires exerat praepotentes ab his immediate aſſurgens; hujus rei inſigne exemplum eſt, quod cum apud Turcas, morbus hicce, vel in hac vel illa civitate, quotannis ſaeviat; Europaei tamen, qui peſte laborantibus undequaque circumdantur, obſeratis tamen aedibus, malum effugiunt, tenuiſſimus licet interdum paries, ad ſummum aedificium haud deductus, ab aegrotantibus eos dirimat; quod eo magis mirandum videtur, cum apertis aliquando feneſtris, nil mali ingrediatur.

In Tranſactionibus Philoſophicis notatu digna mentio reperitur cujuſdam Dawſonii generoſi, in Anglorum aedibus Aleppo, qui, peſte ibi ſaeviente, lectum habuit prope parietem, cujus ex altera parte, quidam peſte correptus jacebat, eaque poſtea periit, dum ille immunis evaſerit.

2do, Obſervatur contagionem pertinaciter mercibus, ſupellectili, veſtibus, praeſertim mollibus et laneis, aegro adjunctis haerere: Adeo ut in diverſas regiones tranſvecta, diuque in illis ſervata, priſtinum virus adhuc retineret, ſi modo haud merces ventis expandantur. Quorum teſtis eſt peſtis Maſſilienſis origo.

Obſervatur, tertio, venenum peſtiferum eo majores vires, quo arctius et diutius his fomitibus comprimatur, acquirere; et magis noxium eſſe, quam virus illud, quod ab ipſo corpore immediate profluat.

## NATURA MORBI.

Nulli ſunt morbi, de quibus magis dubitanter et incertius agunt medici, nec ulli de quibus tam late diſſentiunt, quam de febrium natura. Febriſque peſtifera, de qua hic agimus, idem cum reliquis ſortita eſt fatum; priuſquam itaque ulterius progrediamur, de febrium cauſis et natura, in genere, pauca delibanda ſunt; quantumque febres continuae inter ſe differant, in medium proferendum.

Cauſae febrium in univerſum ad duas claſſes revocantur, ſcilicet ad frigoris acceſſum corpori calido et ſudanti, aut ad miaſmata in ſyſtema introducta. Quantumvis hae duae cauſae ſimul concurrunt, pleriſque febribus producendis; quaedam tamen ſunt, quae ad hanc vel illam cauſam apte referri poſſunt; et ab harum alterutra cauſarum oritur, et ex diverſa corporum conditione, quae his exponuntur, quod febris natura determinatur. Synocha * Culleni, ſeu febris inflammatoria auctorum, frigori ſemper attribuitur, quod ſive directus ſeu indirectus ſtimulus adſit, febres, ſeu, ut quibuſdam placuit, cauſam proximam febris, ſcilicet ſpaſmum et reactionem procreat. Cum igitur frigus, modo quo plerumque corpori adhibetur, haud ſit intenſe ſedativum, nec putredinem generet, medicatrix natura vires ſuas praepotentes ad ſuperandum malum exerit; haec igitur febris omnibus ſignis ſtipatur, quae naturae reluctantis niſus indicant, ſicut, ' Calor plurimum auctus, pulſus frequens, validus, et durus, urina rubra, ſenſorii functiones parum turbatae. In hac febre, medicus ſeſe accingere debet ad naturam coercendam, quae niſus nimis vehementes exhibendo, et inflammationes viſcerum ad vitam neceſſariorum efficiendo, ſeſe extingueret; itaque venaeſectio, eaque remedia ſola, quae tonum ſyſtematis arterioſi minuunt, et ad morbum amovendum, vel ſaltem ad tutum finem perducendum, idonea inveniuntur.

Miaſmatum effectus nullibi magis ſeſe proferunt, quam in praeſenti morbo, qui ex iis maxime compreſſis oritur. Jamjam monuimus miaſma vehementer eſſe ſedativum; cum vitae principium jam debilitatum ſaepe prorſus extinguat, et ſemper extinguere nitatur. Ex dictis nunc patet, et ex dicendis clarius patebit, perpenſis omnibus febrium malignarum phaenomenis, ea facultate miaſmata eſſe praedita, qua corporis fluida ſuae naturae adſimulent, et inde repentinam corruptionem, et putredinem, inducant. Haecce miaſmata a corpore infecto ad alia transferuntur, et in iis (caeteris paribus) eundem gig-

* Cull. Gen. Morb.

nunt

nunt morbum; quare hae febres omnibus iis ſignis notatae ſunt, quae vis vitae debilitatem indicant, ut "* Calor parum auctus, pulſus parvus, debilis, plerumque frequens, ſenſorii functiones parum turbatae, vires multum imminutae." In his medici praeſens cura priori oppoſita, et contraria eſt; in his liquet vim nerveam, etiam ab origine in cerebro magna ex parte corruiſſe, cum natura nimis infirma ſit, ut morbo ocurrat, quae mox eam obruit; qua de cauſa, naturae molimini ſuccurrendum eſt, omni ratione qua vis vitae augetur, ut ſtimulantibus, tonicis, &c. et putredini obſiſtendum eſt, antiſepticis, acidis, &c.

Febrium natura et cauſis nunc breviter perſpectis, nemo ſuo judicio relictus dubitabit harum utri morbus noſter referri deberet; itaque tempus inutiliter terendum eſſet, ſi cuncta in medium proferremus, eaque refutaremus quae ab variis auctoribus de natura hujuſce morbi inflammatoria affirmantur. Si quis hos auctores conſuleret, certe conſtaret, horum nemini ſatis perſpectam fuiſſe hujus morbi naturam, ſed, ex uniuſcujuſque libito, remedia temere uſurpata fuiſſe, quemadmodum experientia quadam levi et inaccurata ſeſe edoctos putarint. Nullus typhi gradus eſt, qui ſynochae faciem quodammodo haud induat; et Eques Pringelius luculenter ſatis monſtrat, in tractatu de febre carcerum, hanc febrem, quamvis malignae naturae, tamen ſaepe in initio, ſymptomata inflammatoria oſtendiſſe, plebotomiaeque uſum, regimenque antiphlogiſticum, mox poſtulaſſe. Et hoc quodammodo evenire neceſſe eſt, cum homines corporum temperamentis adeo inter ſe diſcrepent. Sed nemo idcirco affirmaret, peſtem magis, quam antea dictam febrem carcerum, inflammatoriae eſſe naturae; quia in initio phlebotomiam nonnunquam poſtulavit; Sydenhamus enim, qui phlebotomiae maxime favet, eam tantummodo laudat, in eo morbi ſtadio (viz. in initio), poſtea autem rem magni diſcriminis declarat, cum ſummae debilitatis et putredinis indicia ſe prodant.

Quidam auctores ſolicite ſimilitudinem inter hunc morbum et variolas quaeſiverunt, quamvis, me judice, nulli morbi inter ſe longius diſtant; nec ratio ulla ſimilitudinis ſe offert; hac una excepta, quod in illa bubones, ſicut in hac, puſtulae, criſin adferre videntur. De natura et origine veneni, variolas procreantis, vix quidquam nobis certum innoteſcit; ſed dilucide ab omnibus reliquis notis diſcrepare videtur. Variolae ſemel tantum, durante vita, homines adoriuntur; leges praeſcriptas tam in eruptione, quam in maturatione puſtularum, obſervant; cum in hac, neque in initio, progreſſu,

† Vid. Cull. Gen. Morbor.

aut

aut morbi fine, ulla putredinis indicia appareant, niſi et alia, ad ea producenda, operam dent. Denique, in variolis haud ſtipatur virus iiſdem poteſtatibus ſedativis, putredinemque cientibus, quae in peſtis veneno occurrunt. Illae indiciis inflammationis, haec ſummae debilitatis, putrediniſque ſtipatur. Quiſquis febrem putridam carcerum, a clariſſimo Pringelio narratam, perlegens, confeſtim fatebitur, haud minime a peſte diſcrepare, niſi quod peſtis vehementiora edit ſymptomata, et quod bubones carbunculique raro criſim febris putridae, ſed ſemper peſtis, inducunt. Idem miaſma ex animalibus et vegetabilibus ortum, morbum utrumque gignit. Eodem modo contagio communicari poteſt, e corpore orta, aut e materia in qua per aliquod tempus latuerat, et eundem in ſyſtema effectum inducit, cum ſit ſedativae et putridae naturae: Symptomata quae ineunte morbo apparent, et per hujus univerſum ſtadium permanent, eadem ſunt; horror atque rigor primo inſultu major patientem invadit, cum ingenti virium defectione, et animi defectu, ſimilique ruina miſerum obruunt, vitale principium delendo; miaſmatum eadem vis, quae putridam febrem gignit, in peſte quoque apparet. Corporis tam fluida, quam ſolida, diſſolvuntur. Vaſaque exhalantia, liquores ſuos, rubro cruore commixtos, in varia cava promptius effundunt. Haemorrhagiae, petechiae, et ſanguis in cava effuſus, viſceraque dilatata, et fortaſſe inflammata, ab eadem cauſa ortum ducunt. Denique, haec inter hos duos morbos analogia, et ſimilitudo, ſolum ex hiſtoria, et utriuſque cauſis inter ſe collatis, perſpici poteſt. Unde nil dubii relinquetur de hujus rei veritate, ſi attente perpendamus, tantam eſſe utriuſque inter ſe ſimilitudinem, ut hancce febrem putridam auctores ſaepe peſtilentialem, malignam, &c. appellent. Atque etiam ad hunc diem, quomodo diſtinguantur, medici dubitant. Haec diſtinctio tandem ex bubonibus et carbunculis ſtatuitur. Hinc oritur quaeſtio, haud magni quidem momenti ad praxin, tamen ſcientiae cauſa hanc leviter perſtringere forſitan haud abſonum ſit; cum peſtis et febris putridae idem ſit genus, utrum inter ſe ſpecie differunt? Utrum bubones et carbunculi, ad hanc differentiam conſtituendam, de ſe ſufficiant? Anne vero ab hoc tantummodo diſtinguuntur, quod peſtis, putridae febris genus magis virulentum ſit? Cum vero ad rem parum conferat, et vix aliquid certi de eo ſtatuere valeamus, paucis hanc litem abſolvemus. In peſte liquet, bubones carbunculoſque fere ſemper apparere, qui morbi criſim inducere videntur; ſed, e contra, haud raro in febre putrida occurrere conſtat, ſimileſque effectus ac in peſte edere, ſcilicet criſim inducunt; ſola igitur differentia

in

in hoc posita est, quod in peste, crebrius quam in febre putrida sese monstrant. An hoc vero ad specificam distinctionem statuendam sufficiat, nosologicorum judicio relinquamus; cum certum sit, parum medico prodesse.

His ergo dictis, vix opus est multa, de modo pestem, ab aliis morbis, secernendi adjicere; qua ratione typhus a synocha distinguatur, ab accuratis utriusque morbi definitionibus, innotescat, cum synocha symptomatibus stipetur, quae auctum systematis tonum, et cordis arteriarumque motum acceleratum indicant; typhus vero ex eo innotescit, quod sit contagiosus, et symptomata debilitatis et putredinis, prae se ferat; vestigia contagionis, ab Africa vel Levant invectae, indiciaque maximae acerbitatis, et praesertim bubones carbunculique, eam, si necesse sit, a febribus carcerum, putridis, malignis, pestilentialibusque, distinguere possunt.

## PROGNOSIS.

Priusquam ad signa progrediamur, quibus, de secundo aut sinistro morbi eventu judicare licet, sententiam nostram, de morbi in genere exitu, proferemus; et in hac re nobis recedere liceat ab horum opinione, qui vana quadam formidine, et horrore percussi, hoc malum, veluti Dei vindicis flagellum, cui ab humanis viribus resisti nequit, intuentur.

Nullus est dubitandi locus, quin varias terrarum orbis partes ingenti strage multoties devastaverit pestis. Has vero calamitates, hanc tantam humani generis perniciem, ab ignorantia, metu, negligentia, et crudelitate hominum, potius quam ex ipsius morbi maligna natura, exortas esse, probatu facile esset; si quis enim attentius perpenderet, quantas strages ipsae variolae ediderint, curandi et tractandi methodo nondum cognita, huic liquido constaret, quantum discriminis in uniuscujusque morbi acerbitate, vel congrua, vel prava cura et tractatio adferat. Nec ullibi eximius quam in praesenti morbo hocce apparet; et in hac re auctoritas nobilis doctaeque foeminae, Dominae * Mariae W. Montague, quae earum regionum veriſſimam elegantissimamque tradidit historiam, nobis maxime favet. Haec ait, inter Turcas, pestem non minus lenem et mitem evadere, quam communis apud nos in Britannia febris, nec majorem curam aut formidinem excitare; ex hoc et aliis nonnullis indiciis judicare licet, viatorum figmenta, vanosque metus, plurimum terroris inutilis huic malo injeciſſe, et imperitam tractandi methodum

* Vide Lady M. W. Montague's letters.

plures

plures e vita fuſtuliſſe, quam ipſius morbi vim et violentiam.

In genere igitur ſpectandus eſt, ut morbus periculi plenus, ſi ei non recte occurratur; ſi vero commode tractetur, innoxius plerumque evadit; ipſa enim natura ſumma vi niti videtur, ut venenum expellat, et hoc procul dubio, congruis auxiliis adjuta, felicius efficeret.

Symptomata, ex quibus medicus aut ſecundam aut adverſam opinionem de morbi exitu hauriat, pro indiciis habenda ſunt, quod vires naturae contagionis impetum ſuperare poſſint, vel e contra ab eo oppreſſae cedant. Prognoſis igitur vel majore vel minore debilitate et putredine tota pendet. Sed cum haec ſigna diſtincte ſatis et accurate a praedocto viro Domino Chenot tractata ſint, ipſius verba in hoc loco ſubjiciemus; hic omnia ſigna ad quindecim aphoriſmos redegit: Quorum dimidia pars virium naturae felicem conditionem denunciat; caeteri, naturae vires oppreſſas, et morbo cedentes, vel debilitatem et putredinem ultra modum auctas, indicant.

1. AEger * qui conſtantibus viribus quartum diem emetitur, in optima eſt recuperandae ſanitatis ſpe, modo moriger ſit, et congrue tractetur.

2. Mitis ad tactum calor, toto corpore aequabilis, pulſus conſtanter fortis, ſalutarem pollicentur morbi exitum.

3. Bubones et carbunculi, quos levamen comitatur, naturam morbo ſuperiorem indicant.

4. Sudor lenis et conſtans bubonum carbunculorumque exortum et elationem praeeuns aut comitans, nauſeam anxietatemque tollens, aegros fere in tuto collocat.

5. Vomitus, et alvi fluxus, ſi quidem ſaburram in primis viis ſtabulantem moderate et ſine virium decremento evacuant, ſunt ſalutares.

6. Calor praeter rationem intenſus, aut mitis uterque malus; pejor ſi ſimul ſit inaequalis.

7. Bubo cunctanter prodeuns, non levans, aut cum virium decremento retrocedens, ingens periculum intentat. Idem carbunculus, qui non inflammatur, aut inflammatus concidit.

8. Bubones et carbunculi, mox ſub ipſa invaſione, cum ingenti virium proſtratione oriundi, irrita ſunt naturae molimina.

9. Sudores magnae imbecillitati juncti, aut ſupervenientes, tumorum colliquationem denunciant.

10. Vomitus, et diarrhoea, quae inſignes encephali laeſiones comitantur, aut ſequuntur, perniciem ferunt.

11. Petechiae latae, diſcretae, nigrae, mox initio con-

* Vide Chenot de peſte, p. 94.

ſpicuae,

ſpicuae, lethales; quae ſerius apparent, vix non quoque ſunt exitiales.

12. Subita et ingens virium proſtratio, fatuitati et balbutiei juncta, lethalem morbi exitum denunciat.

13. Nullus dolor, nullus ardor, pulſus ſano vix velocior, et ſimul debilis, tangenti digito ſe fere ſubducens, faciei et totius corporis livor, vitale robur fere extinctum ſignificant, ſive adſint eruptiones, ſive non.

AEgri vires haud depreſſae, ut in primo aphoriſmo memoratur, regularis et valida pulſus conditio, ut in ſecundo, bubonum et carbunculorum eruptio, ut in tertio, lenis et modicus ſudor, ut in quarto, alvus ſoluta, ut in quinto; haec inquam, omnia, propitia ſunt ſigna, quibus naturae vires morbo ſuperiores indicantur. Contraria vero indicia, in ſeptem reliquis aphoriſmis inſerta, labentem, et victam fere naturam, demonſtrant. Aphoriſmi a Chenot memorati ſextus et decimus quintus, quorum alter nil explicat, alter jam dicta et explicata repetit, prorſus inutiles videntur, eoque eos omiſimus.

## MEDENDI RATIO.

Nunc ad medendi methodum progrediamur; quam ordinis cauſa bipartito diſtribuemus. Jam antea diximus in febribus, vel maxime maliguis, nonnihil diatheſis phlogiſticae reperiri, ſiquidem in qualibet febre producenda, frigus quodlibet operatur; et cum in initio naturae vires plus valeant, ſaepe reactio occurrit immodica; huicce igitur obviam eundum eſt; quamvis verae medendi rationi hoc contrarium videatur.

Prima indicatio eſt, ut ſpaſmus, qui ſuperficiem corporis occupat, amoveatur, et reactio ab eo orta coerceatur.

Secunda verae morbi naturae accommodatur, ſcilicet, ut vis vitae ſuſtentetur, et putredini obſiſtatur. Ut primae indicationi reſpondeamus.

*Sanguinis miſſio.* Nil profecto in arte medica difficilius, quam febris typhi tractatio, reperitur, ubi, incunte morbo, diatheſis inflammatoriae ſymptomata occurrunt; haec ſymptomata lanceae uſum cum regimine antiphlogiſtico enixe poſtulant; cum tamen uſu et experientia fatali ſaepe repertum ſit, aegrum hinc ad extremum debilitatis deductum fuiſſe; nullibi ergo eximius, quam in hiſce morbis, prudentis medici conſilio et arte opus eſt *. Idem in peſte tractanda evenit, quae febris typhica, prae caeteris, maligna et perniciosa eſt, cui in principio diatheſis inflammatoria ſaepius adſociatur.

Certamen inter auctores de practica tractandi methodo, tam caeteros typhos, quam infeſtiſſimam peſtem, extitit. Doctor

* Vid. p. 425.

Sydenhamus copiosam, in morbi initio, phlebotomiam laudat; sed tam hic, quam caeteri omnes medici, qui pesti adfuerunt, in progressu morbi, phlebotomiam periculosam judicant. Satis constat in peste, aeque ac in carcerum febre, venaesectionem non modo utilem, sed etiam interdum esse necessariam; qua morbus saepe depellitur, cum in initio inflammatoria diathesis, vel inflammatio topica, ut pleuritis, angina, &c. illam comitentur. At si nobis justa morbi idea sit, et si expertis medicis fides habenda sit, haecce administratio caute admodum parceque adhibenda est; et quem admodum Pringle Eques in febre carcerum monet, pro regula generali in peste quoque statuendum est, ne venaesectio unquam repetatur, qua aeger morbo penitus succumberet; hoc enim in morbo, aeger semper extremae debilitatis, et putredinis signis confectus, decedere videtur.

*Emetica.* In quacunque aut lenienda aut penitus submovenda febre, quantum emetica valeant, pauci ignorant, cum haec ad superficiem fluida convertant, eadem in peste plurimum prodesse sperandum esse videretur. Cum vero non multis abhinc annis, et sola fere in Britannia, horum usus inventus, et feliciter tentatus sit; a proprio tentamine, nil certe de eorum in peste effectibus pronunciare licet. Hoc tantummodo ex usu saepe repetito declaramus, *tartarum emeticum*, aut *pulverem Doctoris James*, ad nauseam tantum promovendam adhibitum, secundos, ineunte febre, exhibere effectus, cum ab hoc febris interdum fugetur, et plerumque saltem leniatur; et hac de causa, si nostra morbi vera sit idea, ut efficacissimum hujus mali remedium, spectanda sunt emetica, quibus aut morbus dispelli, aut ad felicem terminum dirigi possit, et horum administratio imprimis necessaria videtur, cum deficiente ad superficiem determinatione, symptomata maxime exitiosa sese exhibeant; et horum tunc usus solum noxius esse videtur, quando violentae adsint haemorrhagiae, quamvis in his etiam dubitatur, si iis confidenter uteremur, quin, fluida ad superficiem propellendo, utilissimum forent remedium.

*Vesicatoria.* Haud aliud remedium aeque efficax est, cujus theoria tam erassa ignorantia obruitur, quam vesicatoriorum; sed pauca de iis nota habemus, quae eorum administrationem forsitan commendent. Imprimis, procul dubio, in omnibus doloribus, vel inflammationibus profunde inditis, vesicatorium cuti applicatum, supra partem affectam, certissimum remedium reperitur; quamvis igitur corpori humano vesicatoria immediate applicata, id stimulent, tamen in hoc casu pro antispasmodicis, si pars quam sublevant spectetur, habenda sunt; eorumque

eorumque modus agendi, ut verisimile est, ab hoc pendet, quod, ex duobus doloribus simul, haud in eodem loco ortis, major minorem obscurat.

In typho, saepe diversis corporis partibus, ad vim vitae suscitandam et systema stimulandum adhibentur, et in hoc rerum statu, persaepe febrem amoverunt: Sed quomodo hic agant dictu difficillimum est. Aegre enim credendum est hoc fieri, vim vitae excitando, quandoquidem plurima magis stimulantia et tonica tentata defecerunt, cum haecce optatum effectum obtinuerunt: Et quando prospere cesserunt, forsitan hoc, ab amoto superficiei spasmo, et fluidis illuc retractis, assurrexit.

*Vesicatoria*, *Ulcera*, et *Setones*. Quae omnia eodem modo operantur, pesti haud raro subvenisse, usu reperta sunt; et, contra hujus etiam primum aggressum, fortissima plerumque habentur propugnacula; cum experientia satis probet, quibus ulcera suppurantia sunt, hujusmodi febribus minus obnoxios esse. His igitur explicatis, bubonum theoriam quodammodo explorare, et quaedam magni momenti, respectu remediorum quae supra memoravimus, principia statuere valebimus. Vix quidem credendum est, bubones eo pestem expellere, quod materiem morbidam e systemate extrudunt; tota enim fluidorum massa tum inquinata fieri nequit, ut duo vel tres bubones hocce efficere possint, aut per hos universa systematis fluida penitus ab contagione purgentur. Spectanda igitur sunt, ut naturae virium fluida ad superficiem propellentium indicia. Sed cum horum perfecta ad plenam sanitatem suppuratio necessaria sit, nonne bubones suppurantes, aeque ac vesicatoria, ulcera et cataplasmata stimulantia respicere liceat, nempe fluida ad superficiem determinando, agere.

His itaque praemissis, bubonum administratio dilucide patebit: Fluidorum procul dubio progressum ad superficiem excitare debemus, praesertim ad glandulas; et ad hoc efficiendum, emetica, sudorifica, fomenta, et cataplasmata, maxime conducunt; sed etiam longius progrederemur, et sicut medici est naturam imitari, quandocunque ea deficit, bubones inducere conaremur, ab talibus stimulantibus ad glandulas adhibitis, vel bubonum effectus ab his, variis corporis partibus applicatis, imitarenur; et quando recedant bubones, vesicantia, parti qua prodierant applicata, eos persaepe reducunt.

*Sudorifica*. His nullum in peste remedium magis ab auctoribus commendatur. Chenot tamen nuperrimus qui pestem descripsit, hujus medicamenti laudem detractans, id minus valere contendit, nec in tanto habendum pretio, imo saepe noxium declarat, mitia tamen diaphoretica magnopere com-

mendat. Inter omnes coonvenit, ſudorifica, quorum ſtimulans eſt natura, in quacunque febre nocere. Hinc tamen minime ſequitur, omnia ſudorifica aeque eſſe rejicienda. Nunc enim quaedam medicamenta novimus, quae nec nimium ſtimulent, nec calefaciant, et in his caſibus magnopere proſint; haud enim, ut olim, opium, quod pro eorum baſi inſervit, cum amaris ſtimulantibus conjungentes; nunc cum emeticis, qualis Doveri pulvis eſt, vel ſalibus neutralibus, qui fluida ad ſuperficiem propellunt conjungere didicimus. Sudorifica perutilia in febre carcerum removenda habita fuere, et hoc modo ipſa natura peſti haud raro medetur. Idcirco ut remedia valde efficacia reſpicienda ſunt, praeſertim ineunte morbo, cum ſudorem elicere conamur. Quando his uti ſtatuimus, aegrum diu ſudantem ſervare neceſſe eſt, et frigus caute poſthac arcere.

*Fomenta, Pediluvium, Semicupium,* &c. Haec omnia ad eundem finem conſpirant, nempe ſpaſmum ſuperficiei removendo, ut in emeticis et ſudoriſicis ſupra monuimus; haec etiam univerſi ſyſtematis effectum ſedativum procreant, quo facilem ſomnum conciliant, et omnia irritamenta cohibent.

*Laxantia.* In unaquaque febre, ad aegri ſalutem quam maxime confert, alvum facilem et ſolutam conſervare, ſed in iis praecipue ad putredinem vergentibus; cum faeces putridae morbum putredinemque augeant: In peſte vero haec imprimis utilia ſunt, cum coacervationibus abdominalibus occurrant, eaſque removeant: Hae quotidie in hoc morbo videntur, a ſpaſmo ſuperficiei provectae et viſcerum flaccidítate, et haud raro diſtenſionem et inflammationem procreant. Quaecunque remedia ad ſuperficiem magis fluida promovent, ea efficaciora habenda ſunt; at laxantia, partes vicinas leniter exonerando, eidem propoſito inſerviunt. Cathartica fortia iiſdem ac venaeſectio repetita difficultatibus objiciuntur; enemata antiſeptica optime conducunt.

*Secunda indicatio.* Tonum ſyſtematis corroborare, putredinique obviam ire. Cui inſerviunt,

*Cortex Peruvianus.* Hujus vires, aeque ac aliorum remediorum efficacium, nunquam in peſte ſatis tentatae ſunt; quem medici Galli, in peſte Maſſilienſi, parca manu adminiſtraverunt. Nuperrime enim docuerunt Pringelius, et Huxham, ſed praecipue De Haen, et Cleghorn, in typho copioſe exhiberi oportere. In his febribus, effectus eximii ejus nunc penitus comperti ſunt; et idcirco ab hocce remedio, in peſte curanda, multum boni procul dubio ſperandum eſt.

*Vinum* in hoc morbo minus hucuſque uſitatum eſt; quod nuperrime tantum, ſolaque in Britannia, ut remedium praeſtantiſſimum

ſtantiſſimum in typho reſpicitur. Ab hoc itaque et cortice Peruviano copioſe adhibitis, non dubitamus, quin peſtis minus funeſta evadat, quam vani metus erroribus huc uſque multorum depingatur.

*Frigus* inter tonica mire laudandum eſt. Vires aeris frigidi, et aquae frigidae, vel externe vel interne corpori admotorum, omnibus bene innoteſcunt. Potio frigida haud in initio adhibetur; tunc enim medici, morbum ſudore fugare conantur; quamvis in dubio haeret, quin etiam tunc temporis feliciter dari poſſit; quoniam, inter diaphoretica, aqua glacialis primum locum tenet, et in regionibus calidis adhibetur. Provecto autem morbo commode dari poteſt; et ſimiliter de aere frigido judicandum; quod, in ſudore protrahendo, haud laudandum eſt. Poſtea autem (ſi a febribus ſimilibus inductio valeat) vires tonicae et antiſepticae exitum felicem pollicentur. Quoad aquam frigidam externe corpori admotam, uſus ejus in typho haud adhuc ſatis compertus, non ſinit ut aliquid de ea in peſte dicamus. Hoc ſaltem obſervatu dignum eſt, cum nullum remedium efficax adhuc tentatum, eventum eximie felicem praeſtiterit, vel periculoſa eſſe tentanda, ubi alia fallunt. Enemata aquae frigidae, et fomenta ejuſdem, niviſque, abdomini eſſe admota, in febre putrida Neapolitenſi, anno 1764, teſtis eſt Sarconie.

*Antiſeptica.* Siquidem in hoc morbo res fere ad putredinem tendunt, conſtat antiſeptica, acida praecipue, indicari, cibuſque vegetabilis aceſcens utilis eſt. Morbo ineunte, acida vegetabilia commendantur; petechiis vero formatis, mineralia iis praeſtant, ut ex uſu in febribus putridis liquet; munditias ſummas, ventilationem, &c. obſervari neceſſe eſt.

Nunc ſolum reſtat ut dicamus quomodo adventus praecaveri poſſit, vel, ſi advenerit, ne latius ſerpat provideamus, quae in prophylaxi tractanda ſunt.

## PROPHYLAXIS.

Prophylaxis hujuſce morbi, qui conſenſu hominum, lugubres iſtius effectus expertorum, peſtis appellari conſuevit, tria capita ſpectare videtur, viz. I. Extraneus ne terra potiatur; II. In patriam admiſſus, ne inter populum ſerpat, praecavere; III. Quo individui ab ejus impetu immunes fiant, curam adhibere decet. Priora officia ad magiſtratus ornatum, tertium, ad medicum omnino pertinere, cenſent homines. Sed quanquam legiſlatoris maxime interſit, primas hujuſce flammae ſcintillas obſervare, quae quidem ſemel accenſa, niſi cum maximo damno et difficultate, extingui nequit; medicum tamen conſilii participem ab eo accipi, non omnino

abs

abs re erit. Medicinae eſt, naturam morbi definire, et modum quo importari poſſit explicare. Quamobrem et illi ſoli proviſiones ſtatuere conveniet, quae morbo efficaciter obviam euntes, perniciem longe amovere polliceantur. Hiſtoriae enarrare eſt, quo tempore afflatus, in populum morbus ſaevire incepit; ſed quomodo allatus, medico ſoli innoteſcit. Memoria rerum geſtarum, ejus flebilem introitum, ſummo facundiae ornatu, expoſitum invenimus. Ingreſſus fulgore velocior eſt, et veſtigiis inhaeremus, ſanguine deſignatis: Sed ad hanc deſcriptionem nonne aliquid contulit imaginatio fervida? nonne objecta ampliavit? fucoſque exaggeravit? Hiſtorici eſt, homines, hoc morbo petitos, fato inevitabili pereuntes, orcumque gemitibus ditatum, delineare, et vim conſilii prudentiſſimi, remedio exquirendo parum idoneam, exprimere. Huic opinioni imprimendae forſitan et favebit religio; numine afflata, morbum, Deum vindicem appellabit, irae omnipotentis flammanti gladio armatum inſtruit, cui humanae peritiae clypeum debilem opponere, et ſtultitiae et impietatis eſſet. Sed nonne a nobis merito dubitandum ſit, auxilia neceſſaria aegris eſſe allata, taleſque ordinationes inſtitutas, quales, ſanis malum arcere convenirent? Et nonne veriſimile apparet, terrorem, ab hoc oraculo divini conſilii, inter homines ſparſum, contagionis impetum auxiſſe, et reniſus illorum, qui morbo afflicti ſunt, debiliores reddidiſſe? In ſcriptis docti et ſagacis medici tantummodo invenitur fida enarratio, quomodo allatus, paucos primo morbus invaſerit, quomodo vulgatus in omnes inſaevirit, commoda et cupiditates quorundam, ne elucear verum, impedimento ſunt, et ignorantia craſſa, qua laborabant homines in natura hujuſce contagionis explicanda, ne inter rumores veriſimiles, planeque abſurdos, accurate diſtingueretur, plerumque vetuit. Legiſlatori offertur, fabularum indigeſta moles non ſolum ordine et congruentia exutarum, ſed et ſingulae ſingulis repugnantes, haeret, cui fidem adhiberet, incertus, et eo pacto morbo ſeſe in ulterius provehendi occaſionem praebet; vel ſi urgentis mali propugnacula temporaria captet, conſilia ſtatutaque vanis et moleſtis cautionibus gravantur, quae ex deſiderio contradictoria conciliandi neceſſario emanant, quaeque ſalutares effectus edere haud valentes, ſolicitudines a remediis efficacibus avocando, noxiae deveniunt. Et ob hanc cauſam praecipue tales errores lethales evadunt, quippe qui, formulas amplificantes, horrorem morbi, cui obſtare deſignantur, eadem ratione augent. Hic loci intervenienti medico opus eſt; illum, et naturae morbi, et quo diſſeminatur modo, certiorem factum, inter rumores falſos, a fonte contaminato privati commodi ortum

ortum haurientes, a credulitate propagatos, et a timore auctos, et obſervationes ſagaces ſcriptorum eruditorum, et praejudicio haud laborantium, diſcernere decet ; illius eſt lineam ducere, quae periculum a deſperatione diſcriminet; illius dilucide et accurate oculis ſubjicere, quae a morbo formidanda ſint, modoſque, quibus vel omnino evitetur, vel reprimatur contagio, praeſcribere. A tali ſyſtemate proviſionum, quo, methodos morbo praecavendi deſignant ratio et intelligentia, quo, in patriam admiſſum remedia adverſus habita, malo obviam eundo apta, evidenter appareant, et quo, adverſae valetudinis infortunium, obſervatione inſtitutorum, quae ſanis haud commodum, aegris exitium afferunt, non gravatur ; a tali ſolo conſervabitur tranquillitas publica, aut amiſſa reſtituetur. Talem Prophylaxin hic tradere conabimur ; in qua, quoniam hujuſce regionis indigena morbus non habetur, nec tabidis niſi pennis Auſtri male ſani huc affertur, venienti occurrere, primum attentionis objectum erit.

Quo huic propoſito, omnibus exoptato, promovendo conſuleretur, ſummas vires intendit legiſlator : In ſtatione mandatae ſunt morae quadrigenariae ſumma cum cautela obſervandae ab omnibus navigiis, quae regionibus ab hoc malo tentatis enavigarunt. Sed harumne ordinatio aeque ſapientia pollebat, ac benevolentia, propoſitum ? In hac probatione dirigenda, methodus eſt inter nos ordinaria, et nautas et merces, quadraginta dierum ſpatio, navi incluſos retinere ; hoc elapſo, nec morbi ſymptomate ullo apparenti, omnem cohibitionem amovere mos eſt, in publicos hominum coetus nautis intrare licet, mercibus in gyrum commercii admitti. Sed naturam contagionis accurate perpendentibus, talia propugnacula propoſito quam minime convenire, luce clarius patuiſſet ; ſi, intra quam arctos limites cohibeatur impetus hujuſce mali, reputaſſent, non valetudini nantarum, utpote argumento indubitato, quo minus ſeminia morbi contineret navis, unquam conſiſi eſſent ; ſi vim, qua intenta agit, et effectus flebiles, qui ejus impreſſiones in ſyſtema humanum conſequuntur, in animo habuiſſent, merces ubicunque ſparſas, ſicut pyxidem Pandorae reſeratam, morbum et lethum quoquoverſum diffundere non omnino ſiviſſent. Commentaria, quae fide maxime digna nobis tradita ſunt, quaeque contagionis introitum, qua populus Maſſilienſis ad internecionem uſque redactus eſt, memorant, nave provectam eſſe, cujus nautae valetudine ſumma fruebantur, nunquam non aſſerunt. Cautiones, tunc temporis neceſſariae habitae, obſervantia tam attenta uſitatae erant, ut populo, poſt non paucos dies elapſos, vix perſuaderi poſſet, peſtem eum revera invaſiſſe.

Quamdiu

Quamdiu in navigio intactum reſtabat onus, tamdiu ſanitas floruit integra; ſed homines miſeri, qui primi ſiniſtris avibus mercium colligatarum faſces ſolvere, fato ſubitaneo, ab operatione hujuſce veneni, quod compreſſum novas vires acquiſivit, correpti, haud meritas luere poenas. Hic caſus infanſtus nobis exemplum praebet, quam omnino neceſſarium ſit, non ſolum hominibus moram quadrigenariam imponere, ſed et ſarcinas eo tempore examini ſevero, et ventilationi perpetuae, ſubjicere. Forſitan ſedulitas, merces explicando, et aeri obnoxias exponendo, aucta, ſpatium pancorum dierum in probatione imminutum compenſaret: Sed nos hujuſce recordari decet, cujus experientia flebilis ſaepe homines certiores fecit, quam invicta pertinacia quaedam ſubſtantiae animales et vegetabiles contagionem retineant; eo ut morae quadrigenariae, contra hunc morbum lethiferum, tutamen certum devenirent. Noſocomia, oſtiis vicina, conſtrui oportet, quorum nonnulla, homines, alia res, quibus commercium pro ſuſpecto habitum nos ſuppeditat, recipere deſignarentur: Hiſce aedificiis erigendis ſitus commodiſſimos praebent vel inſulae vel peninſulae: Sed ſi tales obtineri nequeant, eas poſitiones eligere debemus, quibus cum regionis interiori quam minime conſuecſcat. Et onus et nautas in aedes disjunctas transferri neceſſe eſt; et ſi in nave polleret morbus, ſanos ab aegris ſecerni, et in valetudinaria, quam longe a ſe invicem remota, tranſportare conveniret; illuc morbo petiti vitae aut mortis diſcrimen ſubibunt; integros, exutis quas gerebant veſtibus, tonſis capillis, perlutiſque corporibus, talem moram qualem ſtatuere magiſtratui viſum erit, facere oportet, antequam in conventus hominum admittantur. Veſtimenta quibus induti erant, utpote vilia, ipſis non repugnantibus, in majorem ſecuritatem delere, forſitan haud ſupervacaneum apparebit; ſed ea lavare, et aere libere admiſſo exponere, omnino neceſſarium erit; eandem cautionem, reſpectu omnium quae ad navitas attinent, haud praetermitti decet. Hae ordinationes, quas a probationem ſubeuntibus obſervari oportet, et convaleſcentibus ſufficient.

Talia inſtituta, omnia pericula hujuſce morbi, a nautis recipiendi, longe amovere pollicentur: Sed ratione mercium, difficultas gravior oritur; harum pretium eas damno affici non ſinit; et nonnullae attamen, ex. gr. xilon, ſericum, pelles, &c. contagionis ita tenaces ſunt, ut ſedulitas maxima neceſſaria admodum deveniat. Ad has res recipiendas, conſtruantur aedes, quae aerem ex omni parte admittant. Hunc finem nobis proponentes, noſoconia locis editioribus aedificare debemus; aedes a columnis ſuſtineantur, et camera fornicata

nicata merces, quae probationi deſignantur, recipiat; plurimas in hoc conclavi feneſtras quoquo verſus ſpectare oportet, tabulatum plurimis locis terebrare, quo ſine impedimento introeat aer, et tempeſtate ſerena ejus circulationem follium uſu promovere, tubis ad foramina applicatis, non abs re erit. Nonne etiam ex ventilatoribus, nuperrime ad faſtigium provectis, quidam fructus ſperari poſſet? Quoniam aeris libera undique admiſſio, ſola, qua imminuitur contagionis impetus, methodus inveniatur, nullam excogitationem, quae huic propoſito inſervire poſſit, a nobis contemni decet. Nec ſufficit aër introductus, niſi et induſtria maxima, merces ejus actioni exponens, adhibeatur; ſoluto faſce, ſingulae explicentur partes, aliae aliis remotae, ventoque irruenti ſubjiciantur, quam latiſſimam ſuperficiem porrigentes. Amor humani generis, facer ſemper habendus, et tormenta quaedam, impenſis artis machinalis formata vellet, quae ab hominibus, longo intervallo diſtantibus gubernata, applicationem manuum immediatam in ſarcinis ſolvendis inutilem redderent.

Faſcibus religatis, et mercibus, ut ſupra dictum eſt, vento expoſitis, methodum, qua dignoſci poſſit, utrum ſeminia morbi foveant, necne, tradit Doctor Mead. Praeceptum hunc obſervationi nititur, quod regiones peſte vaſtatas, minores aves tunc temporis habitare non inventae ſint, et ex iis quae intra hominum domicilia cohibentur, maxima pars mortua ſit. Ideo, temporis quodam ſpatio poſt illorum admiſſionem interjecto, ſi ſanitate ordinaria vigeant, merces pro innoxiis habendae ſunt; ſi moriantur, illarum exitium documentum indubitatum praebet, quod ſeminia morbi retineant. Eo, ut accurate dignoſcatur, quo tempore contagionis expertes aeſtimari deceat, aves de integro, uſque eo, quo effectus incommodi penitus evaneſcant, inferri jubet. Hae cautiones abſolute neceſſariae videntur, utrum contagionis duratio aptitudini cuidam attribueretur, hiſce ſubſtantiis propriae, quae aerem ſeminiis morbi onuſtum et abſorbet et retinet, aut qualitati cuidam, quae in hac aeris ſpecie exiſtit. Medici plerumque contagionis longam durationem, utpote priori fonte hauſtam, exponere volunt; ſed mihi veriſimile apparet, et naturam ipſam aeris inquinati magna ex parte pro cauſa eſſe. Phaenomena notatu maxime digna contemplemur, et anne quanquam analogiam nobis monſtrare poſſit inveſtigatio, quae huic opinioni ſtabiliendae aut protinus evertendae inſerviat, perpendamus. Aer contagioſus quam minime volatilis apparet; quod hoc ita ſeſe habeat, argumentum validiſſimum nobis offertur ſanitas, qua fruebantur homines ab aegris pertenui muro tantummodo diviſi. Intra arctos terminos com-

preſſus, et inde viribus pollentior evadens, vitale principium inſtanter afficit et ſuperat; ita inter aerem peſtis contagione imbutum, et iſtam ſpeciem aeris mephitici, quae a Doctore Prieſtley putrida denominatur, ſumma obtinet ſimilitudo: Singulae ſpecies, ab arcta cohibitione novis viribus acquiſitis, vitam animalium continuo extinguunt; ſuperficiei applicatae, aut interiori corporis illatae, proceſſus putridi abſque mora provecti pro cauſa ſunt. Unaequaeque aere atmoſpherico ponderoſiores, vi gravitatis ſola ſubſtantiis ſpongioſis neceſſario adhaerebunt, a quibus ſemel attractae, niſi a vento violentius impulſo abigi nequibunt. Hanc analogiam ſancire, quoniam et unitua relatione fundetur, et conſiliorum ſupra traditorum obſervantiae maximum fructum connexum polliceatur, magnopere vellem; et haec reputanti veriſimile appareret, tales ſubſtantias, quales, aqua immerſae, damno affici non in proclivi ſint, hoc pacto innoxias pro certo reddi poſſe; quoniam auctor ſagax, ab hac methodo, remedia contra aerem putridum maxime efficacia ſuppeditari expertus ſit. Huic conſilio aliud examen ſubjungere fas ſit, viz. canes noſoconio immiſſos, qui, ex odoratu exquiſito et poſitione corporis prona, hujuſcemodi contagionis impetui maxime obnoxii evenient. Itaque ſeſe rem habere, teſtimonio Homeri, accurati admodum naturae obſervatoris, confiſus aſſero: Hic inclytus poeta, priores peſtis incurſus, qua Graecorum exercitus maxima cum clade oppreſſus eſt, enarrans, canes principio eam adortam eſſe commemorat. Ουρηας μεν πρωτον ετωχετο και κυνας αργους. Corpora animalium vita functorum, quam amovere neceſſarium ſit, neminem latebit; quod hoc machinalis ſcientiae ope efficiatur, res omnino concipienda unicuique apparebit.

Quo experimentorum illatorum firmae baſi niteretur perdilecta opinio, quaſdam nimirum ſubſtantias, ex. gr. xilon, &c. aerem contagioſum tanta pervicacia retinere, ut omnes ſolicitudines vanas eluderent; et unum a ſe inſtitutum tradit Mead; xili portionem carni putreſcenti propinquam in vitrea campana collocavit, ſed ita poſitam, ut carnem attingere non poſſet: Unius diei ſpatio xilon tam graviter olenti odore infectum eſſe enarrat, ut arculae impoſitum, et per decem menſes incluſum, foetorem non amiſerit: "Si vaporum vice carni putreſcenti exhalantium, (auctoris verba accipiatis) xilon effluvio puris, quod ab homine peſte laborante ortum duxit, imbutum eſſet, non dubito quin peſtem vulgaſſet." Auctoris ſcopum hic loci perſpicere arduum eſt: Analogiam eandem, quum nos inter aerem peſtiferum contagioſum, et putridum inſtituit, in hoc (ut aſſerere ipſe videtur) conveniunt ambo, quod

quod ſumma vi ſubſtantiis quibuſdam inhaereant; et in hoc experimento, ex ſimilitudine ſola qua aër contagioſus putridum refert, effectus noxios et prius edere poſſe, colligere licet: Mihi itaque haud minime admirandum apparet, auctorem, diſcrepantiam imaginariam, nullo argumento aut experimento fundatam, inſtituere volentem, cognationem veram, et quae oculis ſubjecta pateret, praeterniſiſſe. Quoniam, in utroque caſu, aër vaporibus imbutus ſit, qui a corporibus putredinem ſubeuntibus oriuntur, unius ab alterius qualitates, ratione ſola faſtigii quo provectus ſit proceſſus putridus, diſcrepare poſſe patet: Et xilon utrius effluvio infectum, febrem putridam aut peſtem creare poſſe, viz. eundem morbum, et ſymptomatum violentia tantummodo differentem, veriſimile apparet. Sed, quanquam aëris utrumque genus noxium, neutrum tamen, contagionis tanta vi, quae vinci neſciat, praeditum haberi decet; et xili portio, quae aërem inquinatum a carne putreſcenti abſorpſerat, experimento eodem modo, quo enarrat Doctor Mead, a me inſtructo, aqua immerſa, et poſtea per paucos dies vento expoſita, omnes foetidi odoris plane expers evaſit. Theoria tam futilis, attentiones noſtras diſquiſitioni impenſas, haud merita eſſet, niſi pro fundamento practici conſilii ſeſe haberet.

In pagina ſubſequenti, quandocunque navis a regione adveniat, qua peſtis vi parum conſueta inſaeviiſſet, et nautarum quivis morbo petiti periiſſent, et navigium et onus demergere, hortatur Mead: Nautis peperciſſe benevolentiae faſtigium apparet! Poſtpoſita enim crudelitate conſilii, quod plures homines, rebus proſperis vigentes, ad ſummam egeſtatem redigeret, et aliis difficultatibus laborare videtur: Quis terminos conſtituet, quibus vis ordinaria ab inuſitata diſcerni poſſit? Quis naturam morbi, cujus impetu interiit navis, definiet? Quem in re tam ardua judicem eligemus, quando bona civi rapiuntur, haud ulla delicti ſpecie apparenti? Nonne illecebris, ſeſe a lege tam iniqua per rerum vectarum tabellas fictas tuendi, ſuccumberet mercator? Nonne hac ratione, et naturam morbi celare, ſi hujuſcemodi febris nautis incidiſſet, neceſſario impelleretur? Nonne tales formulae commercium, ex quo fonte nobis derivantur et divitiae et dignitas, neceſſitatis fictae ſuperinducto colore gravarent? Nonne tyrannidis inſtitutis temporaneis, quam ſenatus Anglici tranquillae et deliberatae providentiae, melius reſponderent? Nihil niſi timor pannicus talia conſilia, quibus et ratio et humani generis amor aeque conculcari videtur, auctori dictitaret; nihil unquam ſenatum Britannicum ad legem tam iniquam ſanciendam eliceret. Inſtituta, quibus patria contagionis immunis ſem-

per conſervabitur, quaeque ſupra tradita erant, numero pauca et ſimplicia ſunt; haec fideli et exacta obedientia obſerventur; ne morae in oſtiis fluminum vanis formulis, quae a proviſionibus abſolute neceſſariis ſolicitudines avocent, omnino graventur, nec cautiones efficaciores ſtatuendi ſimulata neceſſitas harum rationes ordinarias interpellet.

Modis, quibus hujuſce morbi in patriam ingreſſus prohibetur, perpenſis, ad hos, quibus illato obviam eatur, et ne inter populum ſerpat, praecaveatur, reputandos progrediemur. Prout morbi admiſſio, inſtitutorum quae conveniunt aut defectui aut eluſioni, attribuenda eſt, ſic et ejus divulgationem aut a celatis primordiis, aut ab ordinationum ignorantia, quas contra morbum inſtitui deceret, nos ſuſpicare oportet. Quandoquidem igitur diſcrimen maximum ex hoc, quod per aliquod tempus latere poſſet morbus, nunquam non oriatur, quo pacto et viribus pollentior evadit, et auxilia contra allata hoſti aequo marte concurrere nequeunt, omnes, qui morbo laborant, ad eum quam citiſſime patefaciendum hortari, res maxima ſolicitudine digna apparet. Hoc propoſitum in animo habentem, ſumma ope niti magiſtratum oportet, quo primos impetus non ignoret; avaritia ingentium ſpe praemiorum allicienda eſt; affectus animi benigniores, auxilii efficaciſſimi, et minimo cum dolore amicis afferendi promiſſis, ad eum renunciandum, perducendi ſunt. AEgros ad aliquod noſocomium, extra oppidum ſitum habens, et ventum libere admiſſum recipiens, ſtatim amoveri decet; omnibus, quae miſeris tali morbo petitis neceſſaria habeantur, eos ſuppeditari neceſſe eſt; habiles, qui aegrotos curarent, mercede conductos eſſe; medicos et chirurgos, ſcientia, experientia, et benevolentia ſpectatos, incitamentis, quae conveniunt, allectos eſſe oportet, qui omne auxilium ferrent, quod a ſe allatum gloriatur medicina, et qui miniſtros inferiores ſedulam operam praestare cogerent. Scientia praecellentes magiſtratum aut ejus ſubſidiarium comitari in domibus viſendis, et pauperum praecipue, commodum erit; hi enim victus ſalubris egeni, aëra, qui ex plurium halitu intra arctos limites repreſſorum valde noxius evadit, reſpirantes, contagionis impetui maxime obnoxii nunquam non inveniuntur. Si quivis febre aegrotet, quae peſtem ſymptomatibus referat, ſtatim in Valetudinarium amoveatur; ſi plures, ſanos ab aegris ſecerni, corporibuſque diligenter perlutis, capillitio raſo, et veſtimentis mutatis, in aedes, quae probationi obeundae deſignantur, tranſportari, et illic moram a lege praeſcriptam ſubire neceſſe erit. Eandem diſciplinam et a convaleſcentibus ſumma cum cautela obſervari oportet. Methodus inter nos, eos, qui tali morbo laborant,

laborant, tractandi, ab hoc instituto longe aliena est. Quandocunque hanc contagionem quemvis invasisse compertum sit, aegroti omnem familiam intra eandem domum cohibere mos est, auxilio, quod subministrare posset amicitia, orbatam, iis, quae vitae necessaria aestimantur, haud raro male suppeditatam, et omni spe subsidii ab arte Apollinari afferendi, intra terminos curae precariae praescripta, quam aegroto medicus mercenarius administrare velit. In hac domo, quam habitat desperatio, eos restare necesse est, liberationem a morte sola sperantes; et si cuivis vi conjunctae morbi, horroris proprii, et ignorantiae ministrorum, non succubuisse acciderit; tamen reminiscentiae amicorum vita functorum lugubri damnantur, per totum post convalescentiam suam expletum mensem, et eo loco, qui contemplationibus moestis pabulum necessario suppeditaret, et quo aditum haud invenire possit vox amicitiae consolatrix. Ex hac methodo aegrotos curandi, hoc, quod providere in propatulo erat, insequebatur, ex morbo petitis perrari convalescebant, et, ex provisionibus malo reprimendo parum idoneis, novas vires morbus acquisivit. Aegrorum domus contagionis seminaria deveniebant, ex quibus translata, radices pertinaciter infixas undique agebat. Timore perculsi saevitiae, contra hos miserabiles exercitatae, saevitiae, quae contra reos usitata veniam haud impetraret, et alii sese morbo petitos percipientes, et hoc cognito, eadem crudelitate intentatos esse, de industria, quo loci res essent, celare conati sunt, et hoc pacto morbo permiserunt sese in universum explicare, quo tempore intra perpaucas domos cohiberi habitus est. E contrario, eventus fausti, qui curam clementem aegrotos versus habitam insecuti sunt, nobis documento indubitato inservient, quod hac ratione et publicae et individuorum saluti melius consulatur. Anno Christi millesimo sexcentesimo trigesimo sexto, Londinum aggressa est pestis furore plusquam consueto; sed venia impetrata, ut unicuique, qui hoc vellet, aedes contagione inquinatas relinquere liceret, ex viginti sanis haud quisquam morbo correptus est, ex viginti aegrotis haud interiit unus.

Si vigilantia aut deficiens aut elusa, contagionem sese latius diffundere fivisset, quoniam increbrescat periculum, et illorum sedulitate pari ratione ingeminata, magistratum et medicum, ad hostem, jam palam grassantem, reprimendum, et ne alios adoriatur praecavendum, enixo studio sese accingere decet. Hoc propositum in animo habentibus offeruntur difficultates duae, quae summam attentionem merentur, viz. 1. Quomodo ab urbe peste laboranti, in alias vicinas sese disseminare, impediatur contagio. 2. Quo pacto morbus per oppidum diffusus

fusus compesci, individuique ab ejus impetu liberari queant. Quicunque hunc finem sibi proponit, errores, qui de nimia negligentia, aut disciplina rigidiori, proveniunt, evitare debet: In horum primum inciderunt Turcae, in postremum reliquae nationes, quae Europam habitant. Turcae, a jugo submissa Egypto, viam, quae ad originem contagionis ducit, patefactam invenientes, cum victoria morbum patriae intulere; necessitas, cui debetur excogitatio cujusvis ad vitam conservandam idonei, eos non edocuit, quantam commodi afferre possint stationes militum ita collocatae, ut habitatores urbis morbo petitae vicinis consuescere prohiberent. Nec eos certiores factos, tales provisiones adhibere, facile sivissent religionis Mahometanae dogmata. Temperantia praeterea et ablutionum usus frequens a lege Mahometana praeceptae, pestis impetus inter eos haud aeque lethales reddidere, ac reliquae nationes Europae expertae sunt. Mansuetudinem forsitan, qua eos adoritur, eaedem causae, quae impetuum durationem infert, attribui oportet. Omnes modos, quibus ejus ingressui obiam itur, adhiberi vetat praedestinationis absolutae doctrina; sed omnes conatus inhibens, eos a consequentiis funestis ordinationum inconsultarum immunes reddit, quibus inter nos quotidie corroboratur morbus, et aegrotus ad desperationem redigitur.

Omne propugnaculum amovere hae opiniones; sed et metum abstulere, quo homines contagioni magis obnoxii et ejus impetus violentiores evadunt. Utrum lenitas quam versus Turcas induit pestis, rationibus supra dictis assignari debeat, incertum est; sed ejus aggressus permites esse, hoc argumento probatum est, quod iidem homines, qui contra ejus incursus sese munire recusant, effugium variolae ab insertione quaerant. Hos errores oppositos evitandi desiderium, me cursum intermedium eligere perducet, omnes provisiones necessarias admittere, omni cura misericordi temperatas, quam dictare possit benevolentia.

Quandocunque urbem invaserit pestis, et quousque diffusa sit, discerni nequeat, eam praesidiis obsidere necesse erit: Circumagantur duae lineae, et ad distantias, quae conveniunt, collocentur excubiae, quae neminem absque tessera exire permittant: Sed quo tempore usitantur hae cautiones, ne ab oppido in oppidum transveheretur contagio, et mala evitare oportet, quae, licentia urbem relinquendi negata, sanis intentarent: Ideoque omnibus, qui non aegrotant, non solum urbe decedere liceret, sed ad hoc etiam hortationibus impellerentur. Haecce permissio attamen certis limitationibus obnoxia, concedi deberet; mora quae necessaria habetur, ab omnibus, qui

qui exire vellent, ſubeunda eſt; formulis praeparatoriis, quas ſupra memoravi, fideliter obſervatis, eos tempus, quod probationi deſignatur, ſub tentoriis terere conveniet; ea diſtantia ab oppidanis et excubiis ponantur caſtra, ut moram facientes, nec ab his recipere neque illis contagionem impertire poſſint. Dimidio temporis ſtatuti ita tranſacto, nec ſymptomate morbi apparente ullo, excubiarum primam lineam hiſce tranſire fas erit; intra lineas poſtea manere, et ſpatium temporis a lege mandatum implere, eos oportebit, quo elapſo, omnis cohibitio, amoveri debet, et eo quiſque exire ſineretur, quo res aut ſtudia eum ducerent. Quamdiu has moras durare oporteret, haud facile cognitu eſt; ſed forſitan (ut ſupra dixi) diligentia in formulis obſervandis aucta, tempus probationis imminutum compenſaret. Hae cautiones a morbo ab oppido in oppidum vulgando cavere ſufficient; haec indulgentia, et iis, qui decedunt, et qui in oppido reſtant, aeque neceſſaria eſt, quoniam imminutus civium numerus proceſſum putridum neceſſario diminuet, qui ſub radiis ſolis ardentioris, miaſma abunde et inſtanter generans, pro matre contagionis, et in his climatibus pro nutrice, habendus eſt. Sed quamvis omnibus civibus, qui ſanitati fruuntur, proviſionibus rite obſervatis, urbe exire liceret, nullae merces lineas tranſire permittendae ſunt, donec, extincto morbo, formulam ſupra dictam ſubiiſſent. Nec hiſce, qui commeatu urbem ſuppeditant, lineam tranſire liceret: Victus ab excubiis in locum inter lineam et urbem medium tranſportari oportet; et regreſſis militibus, cibum magiſtratus recipiat, et cum inter cives, prout cuique opus erit, impertiat.

2*do*, Morbo per urbem vulgato, quo pacto individui incolumes evadant, perpendere neceſſe erit. Hic loci, ut conſervetur methodus, cauſam quae praediſpoſitionem et quae occaſionem morbo praebet, priorem, ſyſtematis debilitatem, poſteriorem, contagionem illatam, reputare conveniet. Debilitas haecce vel ab affectibus animi internis, vel ab externis cauſis corpori ingeſtis aut applicatis, ortum ducit. Quod quaedam mentis perturbationes, viz. timor, luctus, &c. corporis imbecillem ſtatum inducere poſſint, nemo inficias ibit: Omnia itaque, quoad hos motus excitendos pertineant, ſedulo evitanda ſunt; ob hanc cauſam et Peſtis nomen antiquatum vellem, et medicos, quibus confiſum eſt munus aegrotos viſendi, ne naturam morbi niſi magiſtratui ſoli enuncient, cavere decebit. Quicunque naturam humani generis, a nominibus quam rebus ſemper affectu plus proni, et conditiones ſibi proprias conſiderat, quae iſti appellationi deteſtandae, ideas maxime horribiles conjunxerunt, talem cautionem omnino

neceſſariam

neceſſariam confitebitur. Morbus, qui peſtis cognomen obtinuit, hoc ſolo natus non habetur, nec niſi ab externo allatus inter nos invenitur: Inde oriuntur incommoda duo; in opinione vulgi, ex novitate terrores haud meritos acquiſivit, et ex deficiente experientia, methodum medendi ignoverunt medici; haud mirum eſt igitur, cum haſce regiones vaſtaſſe, nec populationes ab eo factas, et rerum geſtarum memoria nobis traditas, crebris intermiſſe figmentis, phantaſiamque ad tabulam perficiendam triſtes fucos contuliſſe. Quod hic traditur conſilii, techna honeſta eſt, morbum peſtem appelletis, timore morimur; ſed febris putrida nominatus, aeque innoxius evadit, ac aliae, quas quotidiana nobis offert experientia. Quo eviteutur cauſae, hoſce effectus ſuſcitantes, nec campanis funebribus ſonari licet (quod in colonis Indiae Occidentalis inſtitutum obſervari conſuevit, febribus vi magna inſaevientibus), nec vita functos niſi nocte profunda ſepelire fas eſſet, quoniam hoc modo et metus et contagionis propagatio impediretur. Ob eandem cauſam omnibus, quibus in oppido reſtare non neceſſe eſt, quam citiſſime decedendi conſilium darem, quippe qui domibus incluſi, et a luctu et timore obſidentur; ideoque ſi quid contagionis eos invaſerit, ejus impetui facile cedent, utpote ab his affectibus ad eam recipiendam praediſpoſiti. Quodcunque igitur audaciam impertire poſſit, omnium animis inculcari debet; ideoque fidem, quam incantationibus caeteriſque alexipharmacis libenter adhibet vulgus, haud deſtructam vellem, niſi ad methodum aegrotos tractandi abſolute noxiam inducat. Haecce debilitas et a variis externis provenit: inter has praecipua habetur inedia; quocirca facultates quam maxime magiſtratum intendere oportet, ne inopia rerum, quae ad vitam neceſſariae ſunt, laboret oppidum. In urbe enim, quam opprimit peſtis, plus mali ab egeſtate quam a morbo civibus allatum eſſe, ſemper compertum eſt. Nec ſufficit victum abundare, et ſalubrem eſſe oportet, et ad propoſitum, debilitati obviam eundi, ſpectare debet oppidanorum diaeta, quae qualis conveniat, paucis ſuggerere, non abs re erit. Cibus nutrimento repletus, concoctu facilis, et naturam fluidorum, ad putredinem proclivium, corrigens, longe anteponendus eſt: Hujuſcemodi ſunt panis, leguminis unaquaeque ſpecies, quae in horto olitorio creſcunt, poma mitia, quaeque inter victum animalem et vegetabilem medium locum obtinent: et uſum carnis concedi nonnunquam fas eſt; ſed ſale aut piperi condita inhibeantur, quo irritamenti effugiatur cauſa, quod impetus omnium morborum violentiores reddit. Diatheſin phlogiſticam evitandi conſilium, et limites conſtituet, intra quos uſus vini, corticis Peruviani, et

balnei

balnei frigidi, contineri debet; quibus integer eſt ſyſtematis tonus perparce adhibeantur, quibus amiſſus eſt liberius. Calor, utpote corpus debilitans, noxius devenit, quod a teſtimonio plurium auctorum probatur, qui fabros ferrarios, caeteroſque artifices, qui ignem prope ſemper verſentur, morbo imminenti magis obnoxios eſſe, ejuſque impetui citius ſuccubuiſſe, aſſerunt. Quapropter conſilium, quod a quibuſdam ab Hippocrate ortum fuiſſe enarratur, viz. in urbe infecta quamplurimos ignes accendendi, inſtabili fundamento niti reperietur. Et frigoris acceſſus exitialis evadit; quippe qui, virium medicatricium ſubjugata reactione, ſedativos edat effectus. Inter cauſas debilitantis enumerare licet et vinum et venerem immodice uſitatam; nam in utroque caſu, vires ſyſtematis ſupra modum excitantur, quod irritamentum (ſecundum legem naturae immutabilem) pro ratione excitationis, neceſſario ſequitur collapſus. Poſtremo, perpendenda reſtat cauſa, quae occaſionem praebet, viz. contagio, quae, ne individuos adoriatur, et ne coacervetur, ſummam attentionem merebitur, et quo modo penitus deleatur, non praetermittendum eſt. Seſe quam citiſſime amovere, ſolum eſt conſilium, quod homines contagionis immunes pro certo praeſtabit: Sed, in priori parte hujuſce opuſculi, temporis haud exiguum hinc conſiderationi impenſum eſt; ideoque antedicta reiterare ſupervacaneum eſſet. Quo minus coacervetur contagio, unumquemque aegrorum cubiculum ſibi proprium habere, feneſtras apertas ſemper retinere, ſtragula aliamque ſupellectilem, quae cubiculum aegrotos recipere deſignatum ornat, ſaepe mutari neceſſe erit: A diſſipatione enim ejus qualitates noxias corrigi poſſe compertum eſt; quoniam omnes exhalationes compreſſae, exitiales, aëri vero liberius immixtae, innocuae evadunt. Et abſorptionis variae methodi, aquae et vegetabilium, aëra mephiticum inhalantium, ope effectae, ad eundem finem implendum pertinent. Ut deleatur contagio ſuffimentorum varia genera a quibuſdam adhibentur; ſed horum uſum omnino vanum eſſe demonſtrat experientia, et munditiae, ventilatio frequens, aceti haud rarus uſus, forſitan et aëris nitroſi, remedia ſola, quibus confidere debemus, ſuppeditant.

# DE CYNANCHE GANGRAENOSA.

*AUCTORE J. TAILOUR.*

I. CYNANCHEN gangraenoſam conſtituunt pyrexia typhodes, rubor et dolor faucium, deglutitio et ſpiratio difficiles, cum anguſtiae in faucibus ſenſu. Haec ei, excepta pyrexia, cum juſtis cynanches ſpeciebus, quae in noſologia * hujus morbi conſortes eſſe habentur, communia ſunt. Propria, quae ſpeciem conſtituunt, ſunt "Cynanche tonſillas et membranam faucium mucoſam afficiens tumore, rubore, et cruſtis mucoſis, coloris albeſcentis vel cineritii, ſerpentibus, et ulcera tegentibus; cum febre typhode contagioſa et exanthematis †."

## HISTORIA.

II. Semper fere incipientem morbum comitantur, ſaepe ei praecedunt, horrores crebri, nauſea, anxietas, et vomitus frequens. Contra, his faucium affectio vix unquam praecedit. Eodem, quo illa tempore, vel brevi poſt, cervicis rigor quidam, faucium intus moleſtia, et raucedinis aliquid, incidunt. Fauces inſpectae intus alte rubere, et aliquantum, raro multum, tumere, apparent. Raro aegre aut cum dolore devoratur. Mox per tonſillas, velum, uvulam, et ex parte palatum, maculae albeſcentes, aut cinerei coloris, exiſtunt. Quae ſerpentes, dein coeuntes, cruſtis craſſis, ſubter quas, cum decidernnt, ulcera cernuntur, univerſum fere guttur obducunt. Quo tempore haec in gurture procedunt, eodem coryza incidit, qua tenuis, acer, et male olens, humor effuſus, nares et labra rodit. Saepe quoque, praecipue infantibus, dejectiones crebrae accidunt, quibus humor acris et tenuis ex ano effluit, hunc et ei vicina rodens.

III. Una cum his (ii) ſymptomatis, pyrexia procedente, pulſus parvi, crebri, et ordinis expertes, omni veſpere exaſperatio, omni mane remiſſio ſunt. Actiones animales multum debilitantur, deliratur, ſaepe coma ſubit.

IV. Die ſecundo, eſt ubi ſerius, cutis, aliquando punctis exiguis, vix eminentibus, efflorescit, plerumque maculis clare rubentibus, ſerpentibus, mox coeuntibus, ut, a vultu et cervicibus, ubi primum apparent, intra aliquot dies, ad inferiores artus paulatim perveniant. Haec rubedo, per brachia,

* Cull. gen. morb. G. X. † Ibid.

punctis,

punctis, miliarium inſtar, non in maculas coeuntibus, minus clara ; ſaepe manibus et extremis digitis, rigentibus et tumentibus, clariſſima eſt. Eruptio, ut tempore adventus, a ſecundo ad quartum diem, variat, ita inconſtans; nunc ſubito recedit, nunc redintegratur, modo unum diem, modo quatuor, ſaepius tres vel quatuor, permanet ; tandemque, cuticula in ſquamas quaſi fatiſcente, decedit. Sed neque accedens, neque decedens, pyrexiam et caetera ſolvit, ac ne remiſſionem eorum ſemper quidem parit.

## TERMINATIONES MORBI VARIAE.

V. Fines morbi ſunt aut gangraena, aut diarrhoea exhauriens, aut glandularum colli tumores, ſaepe ſuffocantes, aut, correpta trachea, ſuffocatio, quandoque reſolutio.

VI. Progrediente morbo, ulcera gutturis liveſcunt, nigreſcunt, ſpiritus male olet, humores multa acredinis indicia peragunt. Gangraena patefit. Et creſcentibus pyrexiae putridae ſymptomatis, tertio demum die aut ſerius, ſemper fere ante ſeptimum, mors ſeſe infert. Aut, tranſlata a gutture per pharinga et oeſophagum in inteſtina, quod pro re vera exponi poteſt, acredine, idem finis incidit.

VII. Haud raro, glandulae circa collum et cervicem lymphaticae, provecto morbo, tumeſiunt. Nec hi tumores non quandoque ſuffocant.

VIII. Ut definitionis genericae, quod ad hanc ſpeciem attinet, recte pars eſt, " ſpiritum difficilem" eſſe ; ita, pertinente ad hujus interdum inſtrumenta inflammatione, ſuffocatio vitam finit.

IX. Eſt ubi leniora ulcera et pyrexia ſunt, et haec minus in putridam naturam vergit ; ubi, et apparente eruptione, et hac, poſtquam tridui aut quatuor dierum ſpatio totum corpus occupaverit, per ſquamas decedente, eadem remittit, dein ſeptimo aut ante die omnino, et quod reliqui poſt eam morbi eſt, ſeparatis cruſtis, ſolvuntur.

## CAUSA REMOTA.

X. Cynanches cauſae remotae non ſunt, quas hinc in ſeminium, illinc in poteſtates nocentes, vulgo cauſas occaſionales dictas, diſtinguere poſſis. Nam, quamvis

XI. Seminium debilitas videri poteſt, quatenus infantes et alioquin invalidi magis opportuni morbo ſunt, non tamen ea neceſſaria eſt ; ſiquidem nulla aetas, nullum corporis genus, ejus ſunt immunia. Neque, licet

XII. Causa occasionalis contagio videri queat, ideo tamen est; quoniam, sine ulla corporis conditione, qualem seminium dicas, solaque vi propria inferre morbum potest.

## CONTAGIO

XIII. Igitur causa simpliciter remota est. Quae, siquando sine debilitate interna morbum facere non posse, quod verum est, videtur; id propter ipsius debilitatem fit, non quia per propriam suam naturam alieno auxilio eget; simili modo ac contagio quae pestem facit, quam sine omni conditione interna agere fatearis; aliquando tamen propter debilem vim suam, sine debilitate, cui infert corporis, nequit inferre morbum. Quo in casu utroque contagio etiam causa simpliciter remota est, sed minus efficax; et debilitas corporis est tantummodo res forte adjuvans. Aut, si illam occasionalem, hanc seminium, esse contendas, non multum repugno; dummodo, inter has causas quae sic aliquando, et eas quae nunquam fere, nisi conjuncto opere, morbum creant, satis clare distinguas.

Sic causarum ratione illustrata, jam dictis adjiciendum est, adeo contagiosam cynanchen gangraenosam esse, ut raro sporadica sit, plerumque per populum grassetur.

## MORBI DISCRIMINA.

XIV. In cynanches gangraenosae definitione, crustae mucosae albescentes aut coloris cinerei, serpentes, et, ubi deciderunt, ulcera subter se fuisse ostendentes, memorantur; in tonsillari, non item. Quae tamen nota discrimen sola non dat; nam maculae his adeo similes, ut, iis pro signo pathognomico habitis, gangraenosa crederetur, quae tonsillaris cynanche erat, in hac quandoque repertae sint; eaedem albescebant, et quod confundendo magis esse poterat, quandoque cinereo colore erant, et quadammodo serpebant. Ut igitur perpetuum haec nota discrimen non praebet, ita quod eae maculae seu crustae in cynanche gangraenosa perpetuae sunt, in tonsillari rarius accidunt, id aliquam differentiam statuit. Sed, ut signa pathognomica vix ulla sunt, nec quenquam temere morbum, qui una quavis nota ab omni parte distinguatur, invenias, id ita quoque in re presente se habet. Non signum pathognomicum maculae in cynanche sunt. Quique esse arbitrati sunt, nae ii cum magno sibi commissorum malo, infantum exitio et parentum luctu, in dirum errorem inciderant. Cum igitur huic notae distinctio morbi non committenda

committenda ſit, ſed ei tamen cum aliis conjunctae; quae eae ſint, deinceps videamus.

XV. In utraque ſpecie tumor eſt; qui in gangraenoſa minor ſemper, nunquam tamen, ut nonnullis viſum eſt, ex toto abeſt.

XVI. In utraque ſpecie tumoris color perſpectus; qui in tonſillari clarus, in gangraenoſa, atrior aut nigreſcens, rubor eſt.

XVII. Quarum notarum utrique commune eſt, quod in prima ſpecie cum colore tumor aequalius per fauces diffunditur, in altera, prius parte magis contentus, dein ſpargi ſolet.

Quibus omnibus notis haud paulo

XVIII. Certius diſcrimen, ſaltem cum modo relatis conjunctum, pyrexiae genus praebet. Quae in cynanche gangraenoſa, ut ex hiſtoria facile patebit, typhodes, immo typhus manifeſtus, in tonſillari ſynocha, eſt. De qua, in quibuſdam caſibus, aut cujuſvis circa initium, ſi ulla dubitatio detur, certe hanc ſolvet, abeſſe aut adeſſe.

XIX. Contagio cognita. Cujus ſigna ſunt frigus aut inflammationis idiopathicae cauſae, non adventum morbi praecedentia, et hic per populum graſſans.

XX. Haec (xiv. xv. xvi. xvii. xviii. xix.), ut quodvis eorum ſigillatim anceps aut incertum ſit, tamen omnia, aut eorum etiam pars aliqua conjuncta, non morbum patefacere non poſſunt, ita ſaltem, ut a cynanche tonſillari certiſſime diſtinguatur.

XXI. Eadem a reliquis cynanches ſpeciebus, ſi paulo attentius earum inter ſe definitiones comparatae excutiantur, haud difficile dignoſcetur; una tamen excepta, a qua hujus differentiam deinceps dare adgredior.

XXII. Aliquando inflammationem cynanches gangraenoſae a propria ſua ſede (i.) ad laryngem et ipſam trachearn pertinere, tam ſigna externa *, de quibus ſupra † ſubmonitum eſt, quam cadavera inciſa, docent. Quod ubi incidit, id eſt, ubi ſpiritus, qui caeteroquin in hoc morbo non multum afficitur, difficilis eſſe incipit, et inter trahendum ſtrepere; ubi vocis raucedo, et tuſſis clangoſa, audiuntur; tamen ſecundae ſpeciei propria (i.), his priora, et tumor cum rubore (xiv. xv. xvi. xvii.), in faucibus apparens, item pyrexia ac contagio, quaeque ad has attinent (xviii. xix.), ei, cujus animus non ante confuſus aut ad diverſum judicium perverſus ſit, haud dubium dabunt diſcrimen. Quod ſi pathologia in diagnoſticis uti permitterer, ea quoque hos morbos penitus diſtingui dicerem. Certe nihil alteri contrarium magis eſſe po-

* Cull. pr. lin. ccevi. p. 280. † Cull. gen. morb. G. X. ſp. 3.

teſt,

teſt, quam inflammatio, quae trachealem *, et habitus ad putredinem vergens, quae gangraenoſam, ſpecies continet.

XXIII. Cum ſcarlatina pura eſt, qualem Sydenhamus deſcribit, qui nullam gutturis affectionem vel ſemel memorat, unde ſic puram illam aliquando eſſe patet, qualiſve multis abhinc annis per populum Edinenſem graſſata eſt, et ſaepe ſuperiore anno † in eadem urbe viſa eſt, tum ſola gutturis affectus abſentia ſatis in diſcrimen eſt. Aut, ubi ſine eruptione cynanche gangraenoſa eſt, quod aliquando quoque, quamvis rarius, incidit, abſentia eruptionis aeque affectionis genus diſcriminat. Quorum caſuum alter ſcarlatina pura, alter cynanche gangraenoſa ſunt, eoſque morbos ſua natura diverſos eſſe, eatenus oſtendunt.

XXIV. Verum, cum utriuſque ſymptomata, qualis caſus decem vel duodecim abhinc annis, et nuper etiam hac in urbe, annoque MDCCLXV. Monſpelii, popularis fuit, inter ſe miſcentur; tum uter affectus idiopathicus, uter alterius tantum ſymptoma aut conjunctio fortuita, ſit, et, quibus notis inter ſe diſcriminentur, ſcire demum intereſt.

XXV. Igitur, ſi affecti gutturis ſymptomata graviora, nempe atra faucium rubedo, tumor creſcens ſeque ulterius ſpargens, cruſtae albeſcentes, magiſque cinereae, ulcera mala, ad gangraenam tendentia, pyrexia typhodes, contagioſa, et omnibus typhi ſymptomatis ſtipata, humor acris ſupra et infra dimanans et tacta rodens, et eruptio talis, qualis ſupra (iv.) cynanchen comitari dicta eſt, apparent; ſcire licet, morbum cynanchen gangraenoſam eſſe. Contra, ſi leviora ſymptomata gutturis ſunt, aut etiamſi cynanches propriis ſimillima, et graviora fore, videantur; tamen, ſi eruptio ante "quartum morbi diem" non apparet ‡, ſi "maculis amplis, tandem coeuntibus, poſt tres dies in ſquamulas furfuraceas abitura," conſtat; et, licet contagioſa, tamen, ſi ſynocha pyrexia eſt, morbus eſſe ſcarlatina, remediis ei propriis, nempe antiphlogiſticis, curandus, vix dubitandus, rem proprius ſpectanti, eſt. Denique, in ſcarlatina humores acres, maxime in ſummum corpus, minus in fauces cum phlogiſtico effectu; in cynanche gangraenoſa maxime in has, minime in illud cum putrido effectu, inclinantur.

## CAUSA PROXIMA.

XXVI. Cauſa hujus morbi proxima typhi eſt, cui eruptionis ſuperaddita ſit.

* Cull. pr. lin. cccvi. et Homium profeſſorem noſtrum egregium idem opinatum.

† Anno 1775. ‡ Cull. gen. morb. G. xxx.

XXVII.

XXVII. Cauſa igitur debilitas maxima eſt, eoque, ex inducto ſpaſmo, reactionem minorem recipiens. Debilitatem ſubeſſe et primum omnium incidere, manifeſta ejus ſymptomata (ii. iii.) ſupra relata, primum apparentia, argumento ſunt. Cujus generis (nam faucium affectio vix unquam praecedere aperte dicitur), ſi minus clare magiſque ambigue, "horrores, nauſea, anxietas, et vomitus," quae a diverſa cauſa eſſe poſſunt, certe liquido et manifeſte, pulſus ſtatus, et "actionum animalium debilitas, delirium et coma," ſunt.

XXVIII. Spaſmum induci et proximum ordine eſſe, gutturis affectio, diarrhoea, et coryza, ſuppreſſam perſpirationem et introverſos humores indicantia, declarant.

XXIX. Reactio, quae parva eſſe dicta eſt, ita, quidem parva eſt, ut obſcurius, et niſi "exaſperatione" quae "omni veſpere" redit, non ſignificetur. Quod ipſum, gravem morbi naturam, quemque ad finem tendat, aperit.

XXX. Quanta vero, ex qua haec omnia (xxvii. xxviii. xxix.) profluunt, debilitas ſit, morbi curſus, ſtatus, et finis (v. vi. vii.) oſtendunt.

XXXI. Altera cauſae (xxvi.) pars ea eſt, quae eruptionem et gutturis affectum continet. Eſt autem haec contagionis ignotae opus; quo fit, ut, generis nervoſi, dum ipſum ita debilitatur, ut typhodem pyrexiam ea debilitas excitet, ita quoque motus afficiantur, ut certo tempore, (iv.) in ſummum corpus impetus directus eruptionem, introverſus gutturis affectum, excitet.

## PRAECIPUORUM SYMPTOMATUM ET CAUSAE PROXIMAE, QUODAM TENUS, EXPLICATIO.

XXXII. "Horrores crebri, nauſea, anxietas et vomitus" (ii.) quae "ſemper fere incipientem morbum comitantur," manifeſti hujus pars ſunt. Cui languor, laſſitudo, pulſus exigui, debiles, et tardi, quae communia febrium juſtarum ſunt, et aliae debilitatis notae * praeiiſſe, ſi inquiratur, invenientur. Nam, ſi pyrexia typhodes, ſi morbi manifeſti ſigna, et dein ſecutura omnia, qualia in typho, apparent, ſi cauſa debilitas eſt, et affecti praecipue debiles; illae debilitatis notae praeierint neceſſe eſt. Certe nunquam iis et certioribus typhi ſignis affectio gutturis praeeſt. Quorum omnium cauſa communis debilitas, cerebri actionem, eoque ab ea pendentes actiones, vitales, naturales, et animales, imminuendo agit. Sed, cum

XXXIII. Contagioſa (i.) haec pyrexia ſeu "febris typhodes" ſit, ita, debilitatis et actionum omnium imminutarum

* Cull. gen. morb. cl. i. O. 1. charact.

cauſam

cauſam remotam materiam contagioſam eſſe, ſequitur. Materiae contagioſae, ſeu contagiones, modo ſtimulando, ut in iis exanthematis, quarum pyrexia ſynocha eſt, modo ſedando, ut in typho, et iis exanthematis, quarum pyrexia typhus vel ſynochus eſt, modo in univerſum corpus, ut in eorum ipſorum morborum queiſvis, modo in partem, ut in ſyphilide, agunt. Sed quare ſic aliter alia, quoque modo agant, dici non poteſt.

XXXIV. Cruſtae mucoſae muco, diſſipata aut abſorpta parte tenuiore, coeunte et humore ichoroſo, e cruſtis promanante, conflantur. Rubor ſolitae ſuae in quavis, ſive idiopathica, ſive ſymptomatica, inflammatione, cauſae, nempe ſanguinis in partis vaſa congeſti copiae, debetur. Idem non, ut in prima hujus generis ſpecie, clarus, ſed ater eſt, aut ad nigredinem vergit, quia jam ex quo hoc fit, corruptus humor, mox corruptior futurus, ut videatur, ſubeſt. Serpunt cruſtae, quia ulcera, unde pendere dictae ſunt, infra augeſcunt. Perpetua in hoc morbo ulcera ſunt, propterea quod, in tanta debilitate, non eſt in genere nervoſo ea vis, quae ad ſpaſmum febrilem ſuperandum ſufficiat; iſque, ideo permanens, certius, in guttur et reliqua internae ſuperficiei loca, humores acres perpellit. Gangraenam facit humor, ex toto corpore, in partem confluens, ante acris, nunc prorſus corruptus et putrefactus; eodemque ex parte, quae ipſa alias par affectui cauſa eſt, vaſorum atonia pertinet. Denique, tota gutturis affectio ideo fit, quia, quoties, qui vaſculis perſpiratoriis corpore ejici debet, humor, ſive ſanus, ſive vitiatus, illac effluere prohibetur, is cum ad alia interiora loca, tum prae caeteris in hunc, ob cauſam non bene intellectam, vertitur.

XXXV. Idem in aliis morbis, ut catarrhi utraque ſpecie ſemper †, ut exanthematis plus minuſve omnibus, ſed prae caeteris ſcarlatina, variola, et rubeola, et in reliquis cynanches ſpeciebus, eodem quoque et ob eandem cauſam vertitur. Sed in illis omnibus morbis tantummodo cum inflammatorio vel ſimplicis acredinis, effectu id fit, quia ſola in omnibus inflammatio ſubeſt, ſoluſve humor perſpirabilis naturalis retinetur. In hoc morbo gangraenoſus effectus, ob cauſas explicatas (xxxiv.), nempe corruptionem et putredinem humorum, et firmorum atoniam, trahitur.

XXXVI. Eruptio (iv.) fit, quia propter arteriarum, in tanta toto corpore debilitate, debilem quoque actionem, non tanta ſubeſt vis, quanta humorem excernendum prorſus expellere queat; hinc pars inter cuticulam et cutem ſubſiſtens eruptionem conflat. Quae rubra eſt, quia, extremis vaſculis reſolutis, per horum fines particulae rubrae transfluunt.

† Cull. gen. morb. O. N. G. xxxviii.

Exanthemata

Exanthemata "aliquando puncta exigua" sunt, quia singulae tantum particulae adhuc transeunt. Eadem "plerumque maculae clare rubentes, serpentes, mox coeuntes, sunt, ut a vultu et cervicibus, ubi primum apparent, intra aliquot dies, ad inferiores artus paulatim perveniant." Maculae, pro punctis majorem suffusionem, eoque majorem causae gradum, significant. Quod autem a vultu et cervicibus incipiunt, et paulatim tantum ad extrema tendunt, id relaxationem solam causam non esse, et aliquem a tergo, etiam in hoc extremae debilitatis casu, impetum requiri, indicat; siquidem ibi primum eruptio fit, ubi, a corde et cerebro dissitis minus partibus, major vis vasorum est; et eo desinit, ubi, propter maximam indidem distantiam vasa minime adjuta deficiunt.

XXXVII. Quod eruptio aliquando deest (xxiii.), id duarum causarum alterutri, aut majori, quam quae eruptionem facit, aut minori etiam, debilitati, nam utriusque generis exempla non desunt, tribui potest. Minor aut nulla debilitas, immo etiam magna forsitan, sed inconstantior et aequalis minus, actio, in variola discreta, in scarlatina, in eruptione miliari, multorum morborum, a reactione pendentium, symptomatica, eruptionem facere videtur. Quae contra in typho petechiali, in peste, in variola confluente, et si qui alii similes affectus sunt, magnae debilitati tribuenda est. Quarum eruptionum illius causa esse videtur, quod per majorem justo impetum humor, corpore ejiciendus celerius et immoderatius citatur, quam cutis foraminibus transmitti ordine potest; hujus, quod debilis vasorum actio debito impetu humores non perfert. Quam rem variolae exemplum utramque apte illustrat: Ubi quicquid sanguinis impetum, ut calor, intendit, id auget; quicquid, contra, eum imminuit, qualia frigoris sedans vis et alvi purgatio sunt, quorum illud, impetui in summo corpore moderando, haec eum inde ad interiora avocando, agunt, id pustularum numerum imminuit. Quoniam igitur eruptio in cynanche gangraenosa posteriori harum causarum haud obscure tribuenda est; ideo ejusdem quandoque absentia ad contrarium, nempe relatarum priorem, seu nimium impetum, referri posset. Et quid obstat quo minus eo referatur? Naturam morbi, respondeo. In morbo enim, quem magna semper debilitas continet, et in quo semper a summo corpore plus minusve impetus avertitur, nunquam in illud nimius impetus, ive esse potest, cui eruptionis absentiam tribuas. E causis igitur quae reliquae sunt, ut aiunt, possibilibus, haec aut bona esse aut mala potest; bona, si non tam relaxantur vascula extrema, ut rubras particulas, aut alienum humorem, transmittant; contra, mala, si, per spasmi in summo corpore

magnitudinem, vaſculorum ſeroſorum libramen ex toto introvertitur, ut, quicquid impetus ſubeſt, id omne in fauces rapiatur; aut ſi, feſtinante ad perniciem morbo, tempus, quo eruptio, quae non ante ſecundum diem aut ſerius fieri ſolet, fiat, non permittitur. Sed nos hanc rem in medio relinquimus, cum certiorem de ea concluſionem, res verae quae confirment, aut nondum ſint, aut nobis ignoratae.

XXXVIII. Hinc (xxxvii.) quantum inter ſe diſcrepent ſcarlatinae et cynanches propriae eruptiones, ſcilicet illam in nimio cum vigore et diatheſi phlogiſtica, impetu, hanc in deficiente et introverſo, cum diatheſi ad putredinem vergente, et fracto prorſus robore, poſitas eſſe, patet.

## PROGNOSIS.

XXXIX. Cynanche gangraenoſa ſemper periculoſa eſt. Quod periculum pyrexiae magnitudine, et iis in gutture notis, quae gangraenae adventum denunciant, aeſtimandum eſt. Itaque ulcerum livor, vel etiam nigredo, ſpiritus foede olens, et manifeſta humorum nares et anum, ut ſupra dictum eſt, rodens acredo, gangraenae praenuncia, ſaepe tertio die aut ſerius, ſemper ante ſeptimum, certiuſque, ſi febris putrida eſt, mortem fore indicant. Immo ea febris putridae vis eſſe videtur, ut, ſine malis gutturis, aut certe cum melioribus, eundem ipſa per ſe eventum trahat.

XL. Quo crebrius magiſque alvus funditur, eo citior mors erit: Quia acredo, ſive a gutture in inteſtina delapſa, ſive ab eruptione eo delata, non ſimplex, ſed putrida, vires exhaurit.

XLI. Tumores circa cervicem eo nihil boni promittunt, quod magnam materiae morbificae abſorptionem, latiuſque membranam Schneiderianam affectam, eoque ex humore ſeroſo "acri," corrupto, putrefacto, in bronchias effuſo, quandoque ſuffocationem inſtantem, ſignificant. Quam certius etiam, ad laryngem et aſperam arteriam delata inflammatio, qualis in cynanche ſtridula fit, et ſimiles turbas ciens, portendit ‡; aut hinc quoque pneumonia exitio eſſe poteſt. Et ſic quidem aliqua morbus plerumque ad mortem tendit.

XLII. Eſt ubi laetior finis promittitur. Cujus futuri haec ſigna ſunt: Ulcerum mitior ſpecies, lenior minuſque ad putredinem vergens pyrexia; hujus eruptione prodeunte, remiſſio; eruptio triduum vel quatuor dies permanens, donec totum corpus cooperiat, dein in ſquamas, cum altera febris remiſſione, deſinens. His ſtipatus morbus, leni ſub ſeptimum vel ante diem ſudore, dein cruſtis a faucibus delapſis, ſomno, cibi deſiderio, et aliis bonis notis redeuntibus, ſinitur. Qui tamen

tamen finis adeo certae cynanche gangraenosae insolitus est, ut, quoties incidit, pro morbi fundamento suspiciatur jure scarlatina.

## CURATIO.

XLIII. Huic morbo eadem, quae typho, medendi consilia sunt; siquidem ab hoc, tantum eruptione gutturisque affectione, et harum causa communi, differt; adversus quam, quia propria ejus natura ignoratur, eoque propria remedia dirigi nequeunt, communi uti consilio necesse est. Hinc una exceptio esse dicitur. Igitur

XLIV. Ubi adultum morbus aggreditur, si is robore et viribus viget, si inflammationis species tonsillarem refert, si pulsus non parvi, debiles, et ordinis expertes, sed hoc bono, pleni et validi sunt; in tali casu haud dubium est, quin sanguine misso opus sit; eoque magis, quod etiam in typho, etiam in hoc putrido, per occasionem irritatio, immo vera inflammatio, suboriens, scalpelli usum requirit. Quae tamen in utroque morbo rara occasio, difficilisque in primis cognitu, etiam a prudentissimo et curationum peritissimo, est, et certa ex errore pernicies. Qui igitur prospere se in cynanche gangraenosa scalpello usos aiunt, ut nec cautionem in ea re praecipiant, eos deceptos suspicor, scarlatinam aut cynanchen tonsillarem pro gangraenosa habuisse. Hoc ita concesso, eaque cum dubitatione et solicitudine, ut pene concessisse me poeniteat,

XLV. Consilium medendi est putredini, sive in parte seu toto corpore crescenti, occurrere, tonumque et vigorem sustentare et restituere.

XLVI. Cujus remedia, adversus gutturis affectionem gargarisinata sunt. Nam, licet, quod non utique verisimile est, a febre diarrhoea non penderet, tamen nocens materia, e gutture in intestina transiens, non potest non putridum et venenosum effectum trahere. Nonnulli injectos liquores metuunt, ne in glottidem irruant. Qui utique vanus metus est, sponte enim satis se adversus istum casum glottis contrahit. Huic usui acida diluta conveniunt, tam abluendo noxiam materiam, et descendere prohibendo, quam vim ejus putridam contraria vi frangendo. Myrrha, quae humore solvente spirituoso, partem irritaturo, dissolvatur necesse est, ideo, et cortex Peruvianus, incommoda sunt.

XLVII. Omnium antisepticorum cortex Peruvianus putredini per corpus diffusae optime obviam it. Qui integer, non decocti, non soluti formis, quae imbecillae sunt, assumendus

eſt. Idem et initio et toto morbi curſu recte dabitur; ſiquidem nunquam uſui ejus, quae initio typhi, diatheſis phlogiſtica, utpote ab hoc morbo puro aliena, obſtat.

XLVIII. Eundem uſum frigus, extrinſecus admotum, praeſtat. Et ut cauſa corruptionis ſordes ſunt, ita remedio erunt munditiae.

XLIX. Eidem conſilia emetica, et ad vomitum et ad nauſeam movendam data, reſpondent. Vomitu putridum humorem ejicimus, ſpaſmum ſummi corporis ſolvunt, et ab interioribus tractibus corporis, maximeque a faucibus et canali alimentario, impetum et collnviem humorum avertunt.

L. Denique, quamvis putridus hic morbus ſit, affectionis tamen gutturis, ut inflammatoriae, non habenda nulla ratio eſt. Utque, quod paulo ante ſubmonitum eſt, irritatio, aut etiam inflammatio, ſub peſſimo et extremo typho forte exoriens, ſuis, tanquam nulla debilitas, putredo nulla, ſubeſſent, remediis, atque etiam ſanguinis miſſione tractanda videtur; ſic partis hic inflammatio aliquam ſibi curam vindicat. Quod ſi, propter majorem ſaepe hic, quam in typho, et certam ſemper, ubi ſcarlatina aut cynanche tonſillaris abſunt, putredinem, ideo minus, quam in eo, ſanguinis detractione hic periclitandum eſt, neque, niſi, ubi talia ſymptomata, qualia relata ſunt, ſeſe offerant, ſtringendus eſt ſcalpellus; tamen adverſus gutturis intus tumorem (nam de externo illo, qui aliquando circa collum aut cervicem oboritur, non loquor), atque etiam, ubi is minus memorabilis eſt, ad inflammationi moderandum; veſicatoria, humoris copiam abſtrahendo, diſtenſionemque et ſpaſmum imminuendo, perquam idonea erunt.

---

## DE DYSENTERIA CONTAGIOSA.

*AUCTORE ANDR. WARDROP.*

### CHARACTER MORBI.

PYREXIA praecunte; nauſea vel vomitus; inteſtinorum inflatio; tormina; dejectiones frequentes, prius faeculentae, deinde mucoſae, ſaepe cruentae, et teneſmo ſtipatae. Morbus epidemicus, contagioſus.

Dyſenteriam a diarrhoea facile diſtinguet hicce character. Hoc etiam, quod contagioſa eſt, ad eam a febre, impetum

ad

ad inteſtina habente, ſecernendam non parum confert: Et nauſeam vomitumque, quae medici conſtanter fere ſubeſſe teſtati ſint, idem praeſtitura eſſe putamus. Denique, alius morbus non eſt, quem facile pro dyſenteria poſſis habere.

## HISTORIA SIGNORUM.

Ea hic loci plene recenſere, nentiquam volumus; iis ſolis, qui nobis naturam morbi explorantibus auxilium poſſunt praebere, contenti.

Imprimis, conqueritur aegrotus laſſitudinis ſenſum, animoſque demiſſos. Paulo poſt, accedunt frigoris ſenſus, totius corporis rigor, nauſea, aliquando vomitio.

Haec parum diuturna ſubſequuntur ſenſus caloris, ſitis, pulſus celeres, aliaeque caloris febrilis notae. Quibus, poſt ſpatium longius breviuſve, inflatio inteſtinorum, tormina gravia, et vomitus, plerumque bilioſus, ſuperveniunt. Haec autem cum ſignis febrilibus, per aliquot dejectiones copioſas, et faeculentas, aliquantulum brevi levantur.

Levamentum quidem non diu manet; namque tormina ingraveſcunt, alvus crebrius dejicitur, teneſmus invadit, ſigna febris repetunt, et pulſus arteriarum, non tantum celeres, ſed pleni durique, ſaepe evadunt.

Quae alvi excretiones, ſub initium, ſtercoreae fuerunt, nunc numero creſcentes, minus ejus, tandemque nihil omnino, repraeſentant, e muco ſpumoſo conflatae, nonnunquam ſanguine tinctae vel miſtae, ſaepe colore diverſae. His odor proprius et admodum foetidus.

Morbo procedente, ſigna inflammationis evaneſcunt, et febris formam typhi, cum notis putredinis, induit.

Si exitio ſit futura ſingultus accedit, dolor inteſtinorum quieſcit, pulſus parvuli, abnormes, fiunt, et intermittunt; et ad extrema jam ventum eſſe, ſudores frigidi, et ſigna debilitatis univerſae manifeſta, teſtantur.

In longitudinem majorem nonnunquam morbus producitur, notaſque febris hecticae concitans, morte finitur.

Cum morbus, auxilio tempeſtive adhibito, tandem fauſte depellitur, tormina minus gravia fiunt, et alvum ducentia maſſulas ſtercoris indurati, ſcybala appellatas, ſecum devolvunt. Caeterum ei non raro ſupereſt diarrhoea.

Ita ſe habet exemplorum dyſenteriae, quae ſaepiſſime occurrunt, hiſtoria.

Dyſenteria quidem ordinis ſupra poſiti non ſemper tenax, et ſigna febrilia antecedentia, ut in aliis febribus curſum humorum ad certam partem habentibus, admodum obſcura.

Animadverſae

Animadverſae ſunt tres hujus morbi varietates, quae totam conſtitutionem epidemicam nonnunquam inſignierunt.

1. Cum ſigna febrilia ab initio uſque inflammatoria.

2. Cum copia bilis rejectae, et ſtercori admiſtae, permagna.

3. Cum forma febris, ab ineunte morbo, eadem ac febris carcerum, vel peſſimi typhi.

Cadaveribus hoc morbo extinctorum inciſis, inteſtina univerſa graviter affecta, laxiora, ſemper admodum vitioſa, tunicis contractis, cellulisque in iis, ex ſingulari fibrarum muſcularium poſitura, formatis, ſuperficieque interna ſemper inflammata, ſaepe gangraena corrupta, in conſpectum dari conſueverunt. Quinetiam reperta ſunt, tubercula quaedam e ſuperficie inteſtinorum interna eminentia, papulaſque variolae nonnihil reddentia. Denique, auctus cordis, aliaeque laxitatis ſolidorum notae, ut in febribus putridis, ſe nonnunquam oſtendunt.

## CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Quae ad dyſenteriam concitandam, vel ad vim ejus augendam, inferre obſervatio teſtatur, ea ſequuntur.

I. Corpus debilitantia, qualia ſunt,
   - A. Calores aeſtivi,
   - B. Morbi priores,
   - C. Sedantia,
   - D. Immunditia.

II. Efficientia, ut corpus in putredinem inclinet, qualia ſunt,
   - A. Ingeſta putreſcentia,
   - B. Perſpiratio, praeſertim per frigus cum madore conjunctum, ſuppreſſa.

Cum haud dubie in votis uniuſcujuſque medici ſit, omnem naturae operationem, quae illi ob oculos obverſetur, perſpectam habere; rationem modi, quo omnes hae cauſae agant, reddere, ſi fieri poſſit, neceſſarium eſt. Hoc ſuſcipimus, haudquaquam quidem nos modos earum operandi diverſos, conjunctiones mutuas, parteſque quas ſingulae in effectibus ſibi propriis edendis, agant, rite inveſtigare poſſe ſperantes. Quae natura efficit, adeo obſcura, adeoque multiplicia, effectus cauſas primarias tum ſaepe adaugent, reſque verae, unde aliquid queat effici, tam paucae, ut univerſa tantum, licet accurata ratiocinia noſtra forent, non ſingularia perſequi poſſimus.

### I. *Corpus debilitantia*

Cauſam dyſenteriam excitantem, debilitate facienda, agere, poſtea

poſtea demonſtrare conabimur. Morbum in ſana movere, ſaepe non ſatis valebit; hoc vero, in eo, cui vires corporeae jam convulſae ſint, facile praeſtabit, et in aegroto hujuſcemodi, caeteris paribus, morbus ſemper graviſſimus erit. Quod debilitatem facit, eſt,

A. *Calores aeſtivi.* Dyſenteria nunquam, niſi aeſtate praecipite, autumnove incipiente, ſe oſtendit; et, quo majores calores aeſtivi fuerint, eo vehementius ſemper graſſatur. In his quoque regionibus graviſſime ſaevit, ubi ſolum humidiſſimum, aërem humidiſſimum, efficit.

Quomodo ea corporis conditio, quae aeſtate, ab ea, quae hieme exeunte, ſubeſt, differat, proximum eſt ut conſideremus. Cum calor omnia, quibus admoveatur, expandat, et igitur texturam eorum relaxet, et relaxatio ſemper debilitatem faciat, cumque gradus caloris cum humiditate conſociati certus animali materiae et vegetabili putredinem inſerat; eadem in corpore humano a calore oritura eſſe, inter omnes fere conſenſum. Sed calorem, praeterquam temperaturam materiae afficiendo, haec non praeſtare notandum; de quo per thermometrum ſolum poteris judicare. Hoc, corpori humano admotum, temperaturam ejus omni tempeſtate, omni aetate, et ubique terrarum, eandem eſſe, ſaltem variationes ejus tam modicas eſſe, ut phaenomena nequeant explicare, teſtatur.

Effectus igitur caloris, ex ea affinitate, quae eum inter et corpus, ut quantitatem materiae modo ſuo formatam, utque principio vivente praeditam, legibuſque certis parentem intercedit, ſunt explicandi.

Primum igitur perpendendi ſunt, ejus effectus in corpus, ut modo ſibi proprio fabricatum. Quo hoſce exploremus, ſequentia, quae vera eſſe putamus, in medium proferemus.

1. Temperaturam omnium corporis humani partium, quas ſanguineus attingat circuitus, ſemper eandem eſſe oportere. Quamvis enim interdum in partibus externis poteſtas caloris generatrix quantitatem ablatam, ex toto penſare nequit; ſi tamen quam celeriter humores, per vaſa ſua tranſeant, ſecumque calorem partium internarum adducant, nobiſcum reputaverimus, quae ſupra ſint poſita vera eſſe, concludamus oportet.

2. Temperaturam partium, quas circuitus ſanguineus non attingat, quales ſunt, epidermis, &c. calorem internarum partium inter et corporum, quae externae contingant, fore mediam.

3. Tenſionem vaſculorum cutis verae, et totius igitur ſyſtematis arterioſi a tenſione epidermidis pendere. Utrum hoc

verum

verum necne ſit, rem leviter intuenti non liquet, et forſitan non facile probari poteſt. Hoc ſaltem in dubio non eſt, calorem aliaſque cauſas, partium externarum tenſionem mutantes, eaſdem internarum immutationes poſſe creare ; igitur, licet quod propoſuerimus non ab omni parte verum eſſe reperiatur, theoria noſtra generalis tamen non falſa eſt. A vero autem haudquaquam deflectere, ſequentibus inductus, opinor. 1. Quod vaſorum ſanguinis tonus, ab omnibus ea quolibet modo comprimentibus pendet. Ita faſcias, quibus pars quaelibet inſueverit, ad tenſionem vaſorum ſanguiferorum ſuſtinendam neceſſarias evadere, et, ſublatis, aneuriſmata, vel varices vaſis eis ſubjacere conſuetis inferri compertum eſt. Quam arcte epidermis cuti verae adhaereat, ſi nobiſcum reputamus, illam vaſcula hujus ſanguinea compreſſione hujuſmodi non afficere non poſſe videamus neceſſe eſt. 2. Quod balneum calidum ea, quae mox dicenda, praeſtat. Calor datus, conditione corporea data, ſyſtema aliquatenus relaxabit ; at multo magis, ſi calor per aquam, non per aërem, fuerit admotus, ſolvetur. Aqua vero in ſimplicia ſolida tantum, et in ea non aliter quam humiditatem augendo, agere poteſt. Sed madorem nullis, intra curriculum ſanguinis, partibus auget, quod ad eas jam tantum humoris applicatum eſt, quantum abſorbere poſſunt. Igitur aqua calida in aliquam partem, extra curſum ſanguineum, quae epidermis eſt, tantum agat oportet. Quinetiam, ut effectus balnei calidi, per totum ſyſtema ſe evidenter oſtendunt, ſic mutationes tenſionis epidermidis, eaſdem in totum corpus mutationes diffundunt. Denique, haec theoria melius, ut opinor, magnam relaxationem per epiſpaſtica, quae epidermidem elevent, inductam, quam quaelibet alia, exponit.

4. Tenſionem muſculorum a tenſione ſyſtematis ſanguiferi pendere.

Ex ſupra poſitis cogi poteſt, auctum caloris externi epidermidem expanſurum et relaxaturum eſſe ; inde tenſionem quoque ſyſtematis ſanguiferi imminutum iri ; et hinc denique poteſtatis muſcularis debilitatem orituram. Quod effectum cauſam primariam augebit. Relaxata enim epidermis copiam materiae perſpirabilis ſolito majorem excerni patietur ; et igitur, praeter conſuetudinem, humeſcet. Mador autem in primis relaxationem facit.

Proximum eſt, ut actionem caloris in principium vivens conſideremus. Hoc autem calor ſtimulat. Ob hanc cauſam, et quod, ut ſupra diximus, fibras muſculares relaxat, tonus fibrarum, et nervoſi ſyſtematis incitatio, minus a ſtatu tenſionis, quam a conditione poteſtatis nervoſae, aeſtate, pendebit.

Igitur

Igitur ſyſtema mutationibus poſterioris, quam prioris, magis afficietur, et debilitantia vehementius agent. Et, ſi febris fuerit excitata, formam typhi habebit, niſi inflammatio, loco propria, ſtimulo ſyſtema totum afficiet.

Hieme his omnino contraria evenient.

Caeterum, hi caloris effectus, licet corpora humana morbis quibuſdam opportuniora reddant, conditiones tamen morbidae appellari nequeunt; namque conſilium naturae ſapientiſſimum eſſe videtur, quod efficit, ut mortales in frigore et calore majoribus, quam in quibus aliter poſſent, valetudine commoda fruantur. Etenim calor, ut corpus ſtimulat, ita quoque relaxat; et frigus, ut ſolida firmat, ita ſyſtema nervoſum minus irritabile facit.

Inſuper alius caloris effectus, ut a morbo noſtro non alienus, notandus eſt, is nempe qui ſecretionem bilis adauget. Hunc autem, pro vero habitum, non explicandum putamus.

B. *Morbi priores.* Qua ratione morbi complures debilitatem inducant, ſuſe inveſtigare, ab argumento noſtro nimis longe deflectere foret. De re autem ambigi non poteſt.

C. *Sedantia.* His accenſeri poſſunt, affectus animi triſtes, frigus nimium, venus immodica, ebrietas. Quomodo in ſyſtema nervoſum agant, nequit inveſtigari; et equidem dicere ſufficit, quaſdam poteſtates, conditioneſque animi, pro lege naturae ſtabili, debilitatem creare.

D. *Immunditia.* Hodie notiſſimum eſt, vapores qui a corpore humano oriantur, ſtagnare permiſſos, vim debilitandi ſibi permagnam acquirere. Haec autem accumulatio immunditiam conſequatur oportet. Cur loco minus honeſto nati huic, et omnibus aliis vitiis contagioſis, in primis objiciantur, ſordes in cauſa ſunt.

II. *Efficientia ut corpus in putredinem inclinet.*

Ut putredo cohaeſionem animalis materiae ſolvit, ita quaelibet ad eam proclivitas fibras muſculares, aliqua ex parte, relaxat. Hinc pro cauſa debilitatem faciente poteſt haberi.

Inſuper, aliud efficit. Contagio dyſenterica vim ſepticam habet; igitur cum hac cauſa conjuncta effectus ſubitaneos, multoque potentiores, edit. Calor humiditaſque aëris, ante omnia alia, putredinem inferre putantur. Caeterum, ea hoc aliter facere quam alimenta, quae aſſimamus, magis putrida reddendo, concedere non poſſumus. Quam relaxationem hae cauſae inducant, ea perſpiratione magnopere adaucta, quam moveant, abunde penſatur.

Num aliquid lucis huic argumento offundit doctrina nova, a Joanne Hunter, in Tranſ. Phil. vol. lxii. tradita, quae ſo-

lidum vivum actioni fermentationis putridae aliquatenus obsistere docet? Nam, ut gradus vitae diversi sunt, ita admodum probabile, principium vivum, adversus materiam putridam, magis minusve posse pugnare, et igitur debilitatem causam putredinis fore.

A. *Ingesta putrescentia.* Potestas hujus causae haudquaquam dubia, et actio ejus, per leges putredinis jam notas, non explicatu difficilis. Cibum ex aliqua parte putridum, calida tempestate, capiamus semper necesse est; quod quidem facit, ut humores aestate magis putrescant.

B. *Perspiratio, praesertim per frigus cum madore conjunctum, suppressa.* Particulae humorum maxime putridae potissimum perspiratione e corpore foras eliminantur. Si igitur haec excretio fuerit cohibita, particulae intus detentae proclivitatem ad putredinem dabunt.

## CAUSA OCCASIONALIS.

Dysenteria haud dubie contagiosa. Contagium autem eam movens, eatenus naturae specificae est, ut eundem morbum unicuique, in quem agat, semper inferat. Caeterum dysenteriam ab aliis quoque causis, potissimum a miasmatis palustribus, perinde ac intermittentes, proficisci posse, Pringelius aliique contendunt. Nulli opinioni tanta auctoritate, documentisque tam evidentibus, sufiultae, pertinax adversarer; sequentia tamen, quae, me judice, observationes, quibus haec innitatur opinio, aliqua ex parte, fallaces esse posse testantur, in medium, uti spero, proferre licebit. Talia autem sunt, qualia mihi, morbum a contagione sola oriri, donec hanc ipsam rem diligentissime indagantes lumen ei majus offuderint, nunquam non persuadebunt.

1. Auctores, ut opinor, ad distinctionem, quae inter sporadicam et contagiosam dysenteriam interest, animos non satis attenderunt; igitur asseverantibus dysenteriam absque contagione posse moveri, nihil fidei habendum. Dysenteriam autem intermittentem, quae, ut documentum, morbum per palustria miasmata posse concitari, adlata est, ad dysenteriam justam haudquaquam pertinere opinor.

2. Argumentum minimi ponderis est, morbum saepe oriri, ubi contagionem a nullo fonte possis deducere. Namque res, in omnibus morbis contagiosis, ita se habet. Contagionem in fomite, quod aiunt, per tempus diuturnum celari posse, compertum habemus; in castris potissimum, cum semel adfuerit, ex toto aegerrime tolli fatemur.

3. Dysenteria omnes alias pyrexias, a contagione specifica oriundas,

oriundas, admodum refert. Eas, quantum ad modum originis attineat, qui nulla alia ratione, praeterquam noſtra, exponi poteſt, magnopere reddit.

4. Si eandem cauſam intermittentes et dyſenteriam poſſe facere verum foret, ubicunque illae epidemice graſſarentur, haec ibidem quoque quotannis oriretur. Et cum regiones plerraeque paludibus, quae intermittentes moveant, frequentes ſint, nulla fere dyſenteria eſſet immunis. Quinetiam dyſenteria, ob indolem contagioſam, crebrius intermittentibus ſeſe oſtenderet. Caeterum, omnino aliter evenit; dyſenteria enim, inſtar aliorum morborum contagione ſemet vulgantium, terram quamlibet ſemel tantum plerumque, per longum annorum decurſum, invadit, et aliquamdiu manens quieſcit.

## DE SYSTEMATIS A SANITATE ABERRATIONIBUS.

Hae ſunt illa cauſarum effectnumque ſeries, quam cauſae morbi junctae conſtituunt, quaeque in mortem deſinit vel ſalutem. Si totam inveſtigandam ſuſciperes, univerſae febris doctrinae implicitus fores. Omnia igitur febrem ſpectantia, pro veris habentes, debilitatem, ſpaſmum, actionemque cordis et arteriarum auctam, primas eſſe mutationes, quae ſyſtemati ſint illatae, tantum notamus.

Quae proximae mutationes in dyſenteria incidunt, eae ſunt humorum ad inteſtina univerſa, potiſſimum ad craſſiora, impetus, ſecretio bilis, et muci glandularum inteſtinorum, ſolito copioſior, conditioque horum fluidorum nimis acris. Phaenomena, unde has concluſiones deducimus, ſunt, ventris dolores, vomitus bilioſus, profluvium alvi, femora aegroti acrimonia ſua adurens. Cauſam hujuſce determinationis exponere non aggrediemur, quoniam nulla ſunt data, unde aliquid cogi queat. Excretio humorum aucta copiae ſanguinis in glandulas confluentis nimis magnae debetur; rationem vero, cur acriores ſint, reddere non in promptu eſt. An nimia tantummodo ad putredinem proclivitas?

Sub hoc tempore febris univerſa plerumque quieſcit. Quod, cur ita accidat, nos ex toto ignorare non diſſitemur; idem autem in pleriſque morbis contagioiis, curſu humorum ad locum certum ſtipatis, non inſolitum eſſe, neminem latere poteſt.

Quod deinde ſubſequitur, eſt actio totius canalis alimentarii, praeſertim inteſtini laxioris, adaucta. Haec, in inteſtinis tenuioribus, motum periſtalticum ſolitum tantum intendit; contra, in craſſioribus, tanta eſt, ut cum relaxatione non fa-

cile alternet, cavumque eorum propemodum occludat; adeo ut nihil fere, nisi liquidum, per se transire patiantur; dum solidiora in cellulis, per fibras hic loci modo singulari ordinatas, factis detinentur. Has mutationes evenire testantur tormina, tenesmus, incisiones, et scybala, quae, alvo subducta, descendunt. Ita possunt explicari. Cursus ad intestina factus tensionem, vasorum sanguiferorum eis intendit; hinc tonus fibrarum eorum muscularium augetur. Quo vero rationem actionis, praeter consuetudinem, magnae reddamus, stimulum contractionem eorum cientem quoque adauctum esse, ostendamus necesse est. Hoc autem a causis duabus proficisci comperimur. 1. Ab acrimonia eorum, quae contineant, aucta. 2. Quoniam renisus actioni aequalis est, a renisu aëris aliorumque, quae capiunt, nimis potente.

Actio vero in laxioribus intestinis, quam in tenuioribus, major, cum in illis causae supra comprehensae fortius agant. Haec igitur illa contractionibus suis relaxare non poterunt; sed tantum solummodo motum excitabunt, quantus mucum foras eliminare tenesmumque dare consueverit.

Quinetiam alius causarum hujus morbi effectus memorandus est; nempe, quod totum systema, praesertim canalem alimentarium, ad putredinem proclivem efficiunt. Hoc, ut opinor, demonstrant odor aegroti et excreta, aliaeque febris putridae notae. Potentiae autem causarum septicae, quae ea, quae intestina contineant, haud dubie plurimum afficit, cum ibi omnia magis, quam alibi, valetudine etiam commodissima, ad putredinem tendant, tribuendum est.

Cursus humorum ad intestina non diu ante factus est, quam signa febrilia rursus repetunt, quae primum, saltem in militibus, qui plerumque validiores, saepissime inflammatoria sunt. Haec vero diathesis phlogistica, si morbus procedat, in spatium tantummodo breve manet, et febris ejus, quae gangraenam comitatur, vel typhi vel hecticae formam induit. Mutationes internae sequentes, ut haec phaenomena plane testantur, incidunt. Inflammatio tunicarum intestinorum inducitur, et in totum systema diffunditur. Quae gravis gangraena finitur. Hoc si non accidit, putredo systematis, vel potentia causarum morbi debilitatrix, tonum vasorum auctum brevi tollit, et, ut sedans, in vires animales agit. Horum si neutrum eveniat, inflammatio in suppurationem definere potest. Quomodo hae mutationes efficiantur, cum nimis longum foret considerare, opiniones communes pro veris et probatis habendum est.

Hic morbus rarissime, conatibus naturae solis commissus, faustе finitur, quod cursus ad intestina factus, quem pro alimento salutari habeamus, effectus, quibus natura nequeat occurrere,

occurrere, quique morbum intendant primarium, edit. Igitur, adverſus hos tam ope medicinae pugnandum, quam lethalia, ad quae natura cauſaeve morbi plane tendant, arcendum. Quod ſi feceris, morbus, decurſu ſuo peracto, etenim nec hoc vitium, nec febres quaſlibet alias, humorum ad locum certum impetu ſtipatas, protinus ex toto depelli poſſe, ſed ſpatium quoddam habere exiſtimo, tandem evaneſcit; ſed inteſtina adeo irritabilia plerumque dimittit, ut diarrhoea poſt eum aliquamdiu maneat. E nonnullis inciſionibus liquere videtur, dyſenteriam adeo exanthemata, ut papularum eruptionem habeat, referre.

Hunc in modum fere mutationes dyſentericae ſibimetipſis invicem ſuccedunt. Quinetiam varietatem ſignorum quamlibet actionis cauſarum varietatem indicantem explicabit, ut opinor, noſtra leguin animalis oeconomiae notitia.

## PROGNOSIS.

Mortem dyſenteria laborantibus infert, vel inteſtinorum craſſiorum gangraena, vel poteſtatis nervoſae debilitas. Ab inflammatione, per curſum humorum ad inteſtina factum, oritur gangraena. Haud ſilentio praetereundum videtur, inflammationem gangraenam multo facilius concitare, quod putredo humorum tonum vaſorum imminuendo agat; ortumque gangraenae hoc in morbo magis a proclivitate ad putredinem, quam ab inflammationis gravitate, pendere videri. Si enim priori non caute fuerit ſuccurſum, gangraena facillime accedit. Debilitatem facit potentia cauſae excitantis, putrediniſve humorum, ſedans.

Cauſis mortem inferentibus ita ſe habentibus, prognoſis noſtra ab iis, quae ſequuntur, deducenda eſt. 1. A ſignis impetus ſanguinis ad inteſtina violentioris. 2. A putredinis humorum. 3. A debilitatis actionem contagii potentem monſtrantis. Et, 4. A gangraenae.

## RATIO MEDENDI.

Dyſenteria, ſibi commiſſa, rariſſime aegrotum non rapit, vel valetudinem adeo incommodam reddit, ut vita ab omni parte miſeranda evadat; auxiliis tamen plerumque, tempeſtive adhibitis, brevi paret. Rationes ei ſuccurrendi fere faciles et ſimplices praeceptis paucis, ex toto empiricis, non ita male tradi poſſent. Caeterum, praxi, tam vaga tamque incerta, haudquaquam erimus contenti. Quantum morbidas aberrationes ſpectat, quae phaenomena hujuſce morbi diverſa faciunt,

nos

nos aliquid non incertum afferre poſſe, viamque eaſdem tollendi noviſſe arbitramur. Conſilia igitur curandi, ab hiſce aberrationibus plane profluentia, in medium proferre conabimur.

Ut affectus morbidi, ſub ſtadiis morbi diverſis, diverſi ſunt, ita curatio noſtra, pro ejus progreſſu, variabit. Nihil omnino, antequam curſus humorum ad inteſtina factus eſt, quod hunc morbum a febre communi poſſit diſtinguere, nobis adhuc innotuit; noſtra igitur conſilia, utroque in caſu, eadem ſint oportet. Hanc ob cauſam, primi dyſenteriae ſtadii curationem praetermittendam judicavimus. Morbo plene conſtituto, principes aberrationes morbidae ſunt, impetus ad inteſtina, ſtimulus auctus eis admotus, et ſyſtematis nervoſi debilitas. Quarum poſtrema aliquando non ſubeſt, donec aliquandiu manſerit morbus. Ex his tribus omnem reliquam dyſenteriam pendere, in theoria tradenda, jam oſtendimus. His igitur ſublatis, morbus tolletur. Conſilia medendi, quaeque iis reſpondent, ſequuntur.

I. Curſum humorum ad inteſtina compeſcere,
  A. Actionem vaſorum ſanguiferorum imminuendo,
    Sanguinis miſſione, 1
    Epiſpaſticis. 2
  B. Humores ad ſuperficiem reducendo,
    Emeticis, 3
    Balneo calido. 4
  C. Vaſa inteſtinorum excernentia emulgendo,
    Purgantibus. 5

II. Actioni ſtimuli in inteſtina occurrere,
  A. Acrem materiam foras eliminando,
    Purgantibus,
    Emeticis,
    Enematis. 6
  B. Eandem temperando,
    Diluentibus. 7
  C. ——— corrigendo,
    Antiſepticis. 8
  D. Actionem ejus praeveniendo,
    Demulcentibus. 9
  E. Inteſtina minus irritabilia reddendo,
    Opiatis. 10

III. Debilitati obviam ire, vel tollere,
  A. Putredinem humorum corrigendo,
    Antiſepticis.
  B. Syſtema nervoſum firmando,
    Tonicis, 11
    Stimulantibus. 12

Cuinam fundamento innitantur generalia consilia, jam dictum. Cuinam vero singularia, theoria morbi monstrabit. Quae consiliis diversis accommodentur, proximum est ut consideremus.

1. *Sanguinis detractione.* Quantum haec consilio nostro conveniat, haud in dubio est; caeterum de ejus utilitate in hoc morbo, a multis diu acriterque certatum est. Omnes autem lites super hac re sequentia, uti spero, component. Causa dysenteriam excitans, ad debilitatem systematis nervosi, putredinemque humorum faciendas, non parum confert. Humorum vero ad intestina impetus, semper ex aliqua parte inflammationem, loco propriam, movet; quae, si contagium non natura admodum grave, viresque aegrotantis magnae sint, toto cum corpore communicabitur, et gravitate sua gangraenam inferet, cursumve ad intestina pejorem efficiet. Sanguinem igitur mittere conveniet, cum morbus, epidemice grassans, formam febris putridae rarius induit, aegrotus validus, et signa inflammationis concitatissimae sunt. Nihilominus vero cavendum, ne tam saepe tantumque ejus detrahatur, quantum res modo positae depostulare videantur, cum morbi causam ad tonum systemati sanguifero inminuendum facere compertum habeamus.

2. *Epispasticis.* Quantum epispastica, ad impetum humorum a quavis parte avertendum conducant, neminem fugit; quod quidem relaxando praestare videntur: Igitur sub hoc capite ponenda. Ad ea hoc in morbo, non absque commodo, saepe decurritur; sed cum consilio nostro facilius possit responderi, usum eorum in his casibus tantum suaderemus, in quibus omne praesidium adhibeamus, et sanguinis missione, ne vires corporeas nimis convellat, abstineamus oportet. Abdomini sunt admovenda; quoniam consensus cutem ejus inter et intestina maximus intercedere videtur.

3. *Emeticis.* Haec propositis diversis accommodantur. Per primum morbi stadium, ut in omnibus fere febribus, spasmum febrilem solvendo, et igitur impetum, ad locum quemlibet humorum plurimum cohibendo, magnopere proficiunt; at curationem morbi recens orti omittendam putavimus. Utrum emetica, vel alia auxilia, sanguinis ad quamlibet partem cursum praevenire possint, est quaestio quae nondum exagitari coepit. Morbo omnibus suis numeris jam absoluto, ea duplice consilio adhiberemus: 1. Humores ad superficiem evocandi, cui proposito quam optime respondent: 2. Materiam acrem putridamve evacuandi. Caeterum ea ratione posteriore morbo non multum succurrere constat. Quos effectus in dysenteria curanda insignes edunt, actioni eorum

priori

priori tribuendi; unde, cur magis hunc in morbum, quam in febrem quamlibet aliam, posse reperiantur, explicare est. Per ea vomitionem plenam prius eliceremus, deinde nauseam, idque vespere tantum, ad tertiam quartamve vicem moveremus. Per totum diem adhibita aegrotum nimis fatigant. Vespertino magis, quam quolibet alio tempore, prosunt. Tartaro emetico, multas ob causas, sed potissimum quod dosis ejus facillime possit regi, reliqua vomitum concitantia posthaberem. Denique, emetica in morbum multo magis poterunt, si non tantum vomitum, sed alvum quoque, moverint.

4. *Balneo calido.* Hoc et fomenta humores in superficiem evocare exploratum habetur. Tempestive adhibita hoc potentissime praestant. Et in dysenteria quidem res pauciſſimae, si ullae, aegrotis usu eorundem interdicunt. Utut in auxilium hujus morbi prompta esse videantur, ea tamen medicos rarissime adhibuisse comperior. Si praesidium, in quolibet medicamento vix adhuc tentato, non leve inesse contendere liceat, haec remedia, duas ob causas, dysenteria conflictantibus utilissima fore, nihil omnino videtur obstare quo minus affirmes. 1. Quod spasmo febrili superficiei corporeae removendo apprime accommodantur. 2. Quod ad quemlibet spasmum intestinorum solvendum, vel ad humores eodem incumbentes alio avertendos, quam maxime conducere reperiuntur. Unum est in quo admodum esse profutura, conjicio. Si auctores, qui de usu conscripserunt, evolvas, eos notasse comperies, signa, per alvum subductam plurimum levata, quam facillime redire consuevisse. Quod, hanc ob causam, accidere videtur; quia, spasmo intestinorum alvum purgantibus sublato, cursus humorum tamen eodem factus, spasmi causa, adhuc manet. Rebus autem ita se habentibus, putrida in canalem alimentarium confluunt, et omnia signa repetunt. Huic, magna ex parte, per balneum calidum occurrere valebis.

Lavatio calida rite adhiberi raro potest; si potest, eam fomentis anteponendam puto: Caeterum, his uti plerumque cogemur. Post alvum ductam, quo tempore aegrotus aliquantum levatur, ad haec praesidia confugiatur. Licet signa cum violentia non rursus redirent, ad eadem tamen bis die, ad minimum, donec curatio fuerit absoluta, decurrerem.

5. *Purgantibus.* Haec, ut duobus consiliis respondentia, adhibemus. 1. Vascula intestinorum excernentia emulgent. Ita vasa, quorum actio plurimum intenditur, deplent, et, ea relaxando, ad aequilibrium circuitus sanguinei restaurandum conferunt. 2. Materiam irritantem, potissimum scybala, foras

tras eliminant. His utrisque consiliis, quam optime respondent purgantia. Ea fere sola medicamenta sunt, quae hodie ad dysenteriam depellendam necessaria esse existimantur. E natura quidem, me judice, morbi patescit, quod absque illis tolli nequeat; namque ad accumulationem materiae putridae praeveniendam omnino necessaria sunt, quae alioquin in intestinis coiret, aegrotumque raperet. Quinetiam, in exemplis levioribus, morbus per ea sola depelli potest; quoniam, si accumulationi fuerit occursum, natura, ut in multis aliis febribus, quod supereſt, absque ope medicinae, praestabit. Theoria quidem inductus, curationem hujusce morbi adnodum emendatum iri conjicio, si alia auxilia, praeter purgantia, potissimum emetica, dosibus nauseam moventibus data, et fomenta adhiberentur. Ita reditui torminum crebro occurri posse, et pauciora purgantia ad curationem absolvendam necessaria fore, duco.

Catharticum, post actionem primi emetici, protinus darem, idemque, prout signa, praesertim tormina, urgerent, iterarem. Quae purgantia omnibus aliis anteponerem, ea sunt sales neutri.

6. *Enematis*. Ex parte tantum consilio nostro respondent. Constrictiones quidem intestini laxioris mechanice removere videntur, et mucilaginosa in canalem alimentarium, quae ei defendant tunicas, devehunt. Ex aqua calida sola, et aliqua mucilagine vegetabili, constarent.

7. *Diluentibus*. Haec consilio plane respondentia, gravitatem signorum plurimum possunt levare. Fundamentum eorum ex aqua evidenter conflari debet, quae, re qualibet alia, velut acidis, &c. aliis quoque consiliis accommodatis, imbui potest. Potus, quem in primis utilem fore puto, est serum cremoris tartari. Per hoc solum, liberaliter sumptum, multos dysenteriae casus leviores tolli posse, mihi perfuasum est.

8. *Antisepticis*. Haec duobus consiliis anneximus: 1. Ut quae materiam in intestinis putridam corrigant, eoque irritationem praeveniant: 2. Ut quae totius systematis ad putredinem proclivitatem cohibeant; et igitur debilitati occurrant. Si rationes hisce consiliis rite respondendi possent reperiri, ad curationem morbi non parum conferrent. Caeterum, quamvis experimenta materiam putrescentem, extra corpus, corrigi posse testantur; idem tamen, intra corpus, satis idonee nequit praestari. Nihilominus hoc consilium nobis in oculis semper esse debet, utpote cui apud intestina aliqua ex parte possit responderi. Quae ei apprune accommodantur, sunt acida vel fructus acescentes, utpote qui hunc in morbum non

parum poſſe reperti ſint, largiter aſſumpti. Nonnulli quidem auctores dyſenteriam, per fructus ſolos fuiſſe ſublatam tradunt; at utilitatem eorum viribus antiſepticis non ex toto tribuendam judico, cum per alias dotes magnopere proſint neceſſe eſt. Corticem Peruvianum, et alia idem genus antiſeptica, huic conſilio reſpondendi cauſa non adhiberem, quod ſaepius morbo inimica ſunt, et ſicubi non ſunt, alias ob cauſas danda videntur. Memoria tenendum, quod huic ſyſtematis ad putredinem proclivitati quam curioſiſſime occurratur neceſſe eſt. AEgrotus a calore et immunditia omnino alienus ſit, ne effluvia ſua accumulentur: ſtercuſque ſtatim tollatur. Quam neceſſaria haec omnia ſint, Pringelius in operibus ſuis evidentiſſime demonſtravit.

9. *Demulcentibus*. Licet huic conſilio ſatisfieri poſſet, curatio morbi tamen non multum exinde promoveretur, nec ei quidem demulcentia, uti appellantur, rite reſpondent. Igitur minimum fiduciae in eis collocandum. Conſilii tamen non omnino obliviſceris, et aliquid mucilaginoſum cum potu aegroti, dummodo ei ſit gratum, commiſcebis. Medici non pauci, iique non infimae notae, ſolutiones e ſevo ovillo ſubſtantiiſque oleoſis laudibus concelebrarunt; ſed nauſea, quam aegrotis pleriſque movere ſoleant, ſatis cauſae eſt, cur eas repudiemus. Inſuper, ſi ranceant, haud dubie nocebunt.

10. *Opiatis*. Nihil eſt, quod inteſtinorum irritabilitati ſuccurrit, quod non in pleriſque morbi ſtadiis noxae eſt. Opium materiam in inteſtinis acrem detinet, et inflammationem tunicarum iis adauget. Cum vero vis morbi levata eſt, et nihil, praeter irritabilitatem tunicarum inteſtinorum, ſupereſt, non abſque commodo ad id decurritur.

11. *Tonicis*. Conſilio tertio ſatisfacere non ſemper opus eſt; quoniam vires naturae medicatrices, potentiae cauſarum ſedanti ſatis occurrere valent. Exempla quidem ſunt, ut illa varietas typho peſſimo inſignita, ubi haudquaquam negligendum. Ei, cum humores emendare conari, ut ſupra poſuimus, vix poſſit, vis ſyſtematis nervoſi rite ſuſtentata reſpondet. Tonica propoſito hujuſcemodi optime accommodantur; quoniam tonum ſyſtematis ſanguiferi augendo, vim nervoſam augemus; at, quo plus huic vigoris eſt, eo minus ſedantibus afficietur. Quinetiam effectus eorum diuturniores reddi poſſunt. Quod tonicum potiſſimum adhiberem, eſt cortex liberaliter datus. Vi frigoris tonica cautus uteris, ne obſtet quo minus impetus humorum ad inteſtina minuatur.

12. *Stimulantibus*. Haec quoque, utpote quae vigorem ſyſtemati nervoſo augendo protinus agant, conſilio noſtro non male

male accommodantur ; ſed effectus eorum non ſatis diu manent. Vinum autem eſt ſtimulans, cui omnia reliqua poſthabenda puto *.

* Poſt hanc diſputationem editam, auctor ejus ingenioſus dyſenteriam a frigore et madore abſque ulla contagione apud Americam caſtris in Britannicis ſaepe oriri compertus eſt. Quinetiam purgantia, in quibus olim tantam fiduciam collocavit, nimis adhiberi poſſe, et ſiccitatem et munditiam ſummi eſſe momenti, ab exemplis plurimis didicit.

---

# DE FEBRE MILIARI*.

QUIBUSDAM forſan temere videar morbum hunc tanquam idiopathicum depingere, quum apud plurimos, praecipue qui medicina in celeberrima hac academia verſantur, pro malo ſolum ſymptomatico habeatur, quod prava medicinae ars febricitantibus nonnunquam inducere ſolet.

Quae vero ſententiam illam, me judice, omnino ſubvertunt, fuſius enarranda ſunt, poſtquam morbi hiſtoriam tradiderim ; de hac autem me ſagax quidam † medicus certiorem fecit, cui per annos fere triginta medicinam apud Dublinium exercenti, ſaepiſſime contigit, ibi febrem miliarem vidiſſe epidemice graſſari, et qui ipſe perplurimos eo laborantes curavit.

## HISTORIA MORBI.

Inter initia hujuſce morbi, ſicut in reliquis pyrexiis accidit, poſt horrorem, augetur corporis calor, languor, anxietas, ſpiritus difficilis aegrum premunt ; necnon eodem tempore, dolor acutus caput, lumbos, vel abdomen, longe ſaepius autem pectus angit ; et cum ad hunc modum ſe res habeat, tuſſi, et ſputo ſimul cruento urgentibus, pro pleuritico ſaepe affectu morbus imprimis haberi poſſet, niſi quod arteriarum pulſus, quamvis citatiores ſint, molles plerumque inveniantur ; ab initio utplurimum cutis ſolito ſiccior eſt, ſaepe profluit ſudor copioſus, veruntamen haud deſunt aegrotantium hiſtoriae, eaeque teſtibus graviſſimis firmatae, queis per totum febris miliaris decurſum cutis admodum fuerit arida ; in iſtiuſmodi praeſer-

* Carolus Gulielmus Quin, M. D. unus e Praeſidibus Societ. Reg. Med. Edin. et diſputationis de Hydrocephalo auctor ingenioſus, haec de Febre Miliari mecum benigne communicavit.

† Henricus Quin, M. D. Med. Theoret. et Practic. apud Dub. Profeſſor Regius,

tim casibus, saepissime tamen in reliquis alvus sponte quodammodo fluit; neque rarius accidit urinam pallidam, subviridem copiose eliminari; lingua vix unquam sordibus obducitur; oculi hecticorum aemuli aqueo tanquam splendore pellucent: quum in hunc modum quis aegrotet (praesertim vero si sub idem tempus febris miliaris grassatur), papulas illico erupturas esse praesagire licet; illas semper antecedunt pruritus et punctionum per totam superficiem sensus, necnon ex aegri corpore oritur gravis et hinc morbo proprius foetor, quem aceti vapidi aemulum nonnullis descripsisse placuit; vix tamen rem attingunt; hoc tantum notu dignum est, ejusmodi esse hunc foetorem, ut nemo, quem usus edocuerit, de eo postea falsus haberi solet.

Incerto morbi die erumpunt papulae; aliquando die septimo, utplurimum inter hunc et decimum quartum, vix unquam serius prodeunt. Cervicem imprimis atque pectus, dein brachia, et tandem totam fere cutem occupat exanthema, facies autem ab illo plerumque vacat. Cum primum erumpunt, papulae (prae caeteris vero quae brachia infestant) aliquantulum rubent; citius autem fugit ista rubedo, et extemplo vesicula fero turgent eo usque pellucido, ut difficilius oculis quam tactui sese prodant. Maturescentibus illis color subflavus, et vix margaritarum absimilis fit; exsiccatis demum squamulae manent furfuraceae. Pustularum solita magnitudo nomen morbo imposuit, quoniam raro milii seminibus majores sint; medici tamen duo me certiorem fecere, se foeminam nuper curasse, cui pustulae fuerint miliares quaedam, solitam magnitudinem multo excedentes. Dies quo maturescere solent papulae, vix eo certior est quo primo erumpunt; plerumque tamen notandum est, quod si die septimo apparuerint, decimo circiter quarto decedant; et pro lege satis firma habenduin est, sex vel septem dies eruptionis et exsiccationis temporibus interjacere; nonnunquam vero exanthema subito disparet, quod morbi periculosi testimonium est.

Febris, quae morbum hunc comitatur, semper fere generi referenda est, quod Cullenus noster synochi nomine depingit; aetas tamen et aegrotantis habitus febris typum aliquatenus mutare possunt; in habitu scilicet sanguineo et plethorico, inflammationis signa majus polleut, et in tali habitu, caeteris paribus, saevior esse solet morbus, quam cum graciles infestat. In eis e contra, queis corporis robur admodum diminuitur, signa quae debilitatem indicant citius sese afferunt, sicut in ipso fere introitu febris typhi speciem prae se ferat; si morbo felix futurus sit eventus, dolor, anxietas, tussis, et symptomata ittiusmodi gravia papulis erumpentibus admodum mitescere

teſcere ſolent; verum in hoc morbo aeque ac in variolis vel morbillis ſigna nonnunquam inflammationis etiam perfecta eruptione ulterius evehuntur, et vi ſua aegrum extinguunt; ſaepius tamen exitus infelix ab aucta debilitate metuendus eſt, praecipue ſi verſus putredinem tendant ſigna, quam petechiae aliquando indicant exitiales.

Morbi noſtri hiſtoria ad finem perducta, liceat characterem ſubjungere ex noſologia Culleniana excerptum, additis quibuſdam, quae notavit Vogelius.

" Synochus contagioſus, cum dolore plerumque pectoris, anxietate, frequenti ſuſpirio, ſudore olido et punctionibus cutis; incerto morbi die erumpunt per totam cutem, raro per faciem, papulae crebrae, milii ſeminis magnitudine, ſero primum limpido, deinceps ſubalbo, margaritarum colore non abſimili, plenae, poſt ſex plerumque dies in ſquamulas furfuraceas abeuntes."

Hiſtoria demum morbi lectoris examini ſubjecta, ordine ſuo argumenta proferam, quae febrem miliarem jure inter idiopathicos referendam eſſe evincunt.

## MORBI NATURA.

Imprimis, quae de hiſtoria praemiſſâ fuerunt luculenter ſatis teſtantur, tam certo quam in caeteris exanthematibus, ſigna quae in hoc morbo eruptioni praegrediuntur, medicum ſagacem edocere, ut ſuam propriam eruptionem praeſagiat.

Nequaquam itaque pro ſymptomate a nimio ſudore oriundo habenda eſt haecce eruptio; etiamſi enim cutis hoc morbo laborantium ſudore plerumque madeat, minime tamen deſunt exempla, ubi puſtulae vere miliares larga ſatis copia per ſuperficiem omnino aridam ſparſae fuerint; et denique ſi ſudor enormis et perſtans ſola ſit papularum miliarium cauſa, unde venit, quod nunquam hecticos infeſtant, qui multum ſudare ſolent; neque eos, queis medicamentis mercurialibus diu inbutis, ingens nonnunquam effunditur ſudor. Neque regimen calefaciens papulas miliares elicit; quando enim medici plerique febres remediis calidioribus olim curare ſolebant; Dublinii tamen, id etiam temporis, artem ſuam quidam exercebant, qui Galliae medicinam excoluiſſent, et remedia in febribus omnino refrigerantia adhibebant; his tamen, aeque ac caeteris, morbus hicce ſeſe obtulit; et nunc temporis, etiamſi apud omnes regimen calefaciens ex uſu excidit, in urbe illa febris miliaris ſubinde graſſatur.

Nullus equidem dubito, quin regimine calidiore adhibito, ſymptomata admodum ingraveſcent, puſtulae ſcilicet ſolito majores,

majores, et colore pravae cutem obsidebunt, imo etiam earum copia erumpent, quae vix alioquin sese oculis nostris exhibuissent; nonne vero idem phaenomenon in reliquis exanthematum generibus observatur? quandoquidem usus edocuerit, quantum compesci potest variolarum eruptio *; variolis laborantis mihi noti crura et pedes ad diem octavum morbi pustulis omnino vacabant; utcunque autem lectulo retentus fuit aeger, insolita subito copia per membra haecce variolae eruperunt; et ne minime quidem dubitandum esse videtur, quin remediis refrigerantibus sedulo adhibitis papulae miliares nonnunquam omnino reprimi possint, praecipue quum diarrhoea aliqua, necnon diuresis copiosa saepe febrem miliarem comitantur, quarum ope tota forsan materies morbifica e corpore eliminari potest; et si hoc modo repressa miliaris eruptio omnino absit, phaenomenon illud est, quale in scarlatina apparet, quoniam contagioni postquam corpus obnoxium fuerit, nonnunquam contigit, signa omnia quae scarlatinam indicant, affuisse, omissa solummodo illa efflorescentia quae morbo huic nomen indidit.

His argumentis, quae febrem miliarem idiopathicam esse comprobant adjici licet; prout variolae anno circiter 700^mo^ ortum habuisse primo notae sunt, sic febris miliaris nunquam ante annum 1650^mum^ comperta fuit; ex illo tempore, quamvis nunquam forsan in hisce Britanniae regionibus febris vere miliaris grassata est, certo certius tamen in australibus insulae partibus, in Hibernia, et variis Europae regionibus subinde saeviit, aliorumque epidemicorum more plures cujuscunque sexus, cujuscunque aetatis infestans, aliquamdiu grassata est, et paulatim lauguens tandem evanuit.

Ex eo quod morbus hicce epidemicus est, nonnihil momenti (ut mihi videtur) eorum sententiae accedit, qui illum contagiosum esse autumant.

Dum tamen omnia recenseo, quae morbum nostrum idiopathicum esse evincunt, minime ea omittenda sunt, propter quae ex ordine exanthematum medici quidam febrem miliarem expulerunt; singula haec celeberrimus Cullenus in primis lineis suis fusius enumeravit; horum nonnulla, ut supra comprobare conatus sum, parum rebus constant; confiteatur vero necesse est, febrem hanc ab exanthematibus abludere, ex eo quod eruptionis tempus parum adeo ac in eis certum est, et praeterea qui semel morbo laboraverit haud certe ab eo postea liber evadit.

Uno tamen verbo, quaecunque sint quorundam de hoc morbo sententiae, cuicunque classi eum nosologi referant, hoc

* Vide Med. Transactions, vol. 2. p. 300.

saltem

saltem citra dubium ponitur, febrem qualem supra depinxi in regionibus quibusdam subinde grassari, licet medicus regimen istud caute fugiat, quod De Haen, Cullenus, et caeteri celeberrimi pro eruptionis causa incusavere; et quoniam morbi curatio aliquid memoria dignum in se habeat, ad hanc properandum est, paucis de prognosi praemissis.

## PROGNOSIS.

Eaedem fere leges, quae de praesagiis in omni febre obtinent, in hac quoque locum habent; de eis vero vix necesse est ut hic largius differam: praesagia autem, quae ex signis febri miliari propriis deduci possunt, paucis enarrabo.

Si anxietas, dolores, et gravia reliqua symptomata papulis erumpentibus mitescant; si papulae numero paucae, citius latice pellucido turgeant; si cutis inter papulas colore naturali appareat; maxima deinde medico spes erit, ut morbo felix futurus sit eventus: alvus modice soluta aegrum juvat, et urina copiosa, subviridis et pallida, quae in caeteris febribus periculum ostendere habita est, in hoc morbo plerumque securitatem pollicetur.

His signis morbum mitem indicantibus, quo magis ab eis devia sunt symptomata, eo plus periculi subesse solet; si papulae scilicet frequentiores et grandiores, si colore sint pravo, eo gravior erit morbus, ut si totum fere corpus et membra, necnon ipsa quoque facies, vesiculis miliaribus amplis, lividis, vel fuscis obducantur, admodum periclitatur aeger; et denique si petechiae papulis interspergantur, certo fere pereundum est.

## CURATIO MORBI.

Medicina quae synocho maxime convenit, in febre miliari adhiberi debet; ob hanc causam, etiamsi pectoris dolor eam postulare videatur, a venaesectione copiosa abstinendum est, quoniam dolor ille et anxietas utplurimum mitescant quando papulae erumpunt; et praeterea corporis viribus in futurum morbi tempus consulere debet medicus, tunc enim adeo debilis plerumque fit aeger, ut praeter omnes forsan febris haec liberrimam vini potationem patitur; foeminae scilicet debiles, saeviente hoc morbo, vini libras duas, tres, vel quatuor, absque periculo, de die hibisse notae sunt; vir quoque summae in potu temperantiae, qui sanus vix unquam praeter libram vini Gallici tenuis potare solitus est, per dies decem ultimos, quibus febre miliari laborabat, congium quotidie vini Madeiren-

sis

sis cum sero lactis ingurgitavit; et ubi parcius ei praebebatur, signa omnia in pejus ruebant. Ob eandem causam cortex Peruvianus sub finem morbi admodum commendatur; observandum est quoque, ingruente debilitate, vesicatoria et opium saepe cum summo fructu adhibita fuisse.

Postremo febris hujusce propria indoles postulat ut summo studio fluida a superficie avertantur; id efficiendum est,

I. Admisso liberius aere frigido, et stragulis paucioribus aegro impositis;

II. Datis medicamentis laxantibus;

III. Adhibitis remediis quae urinam moveant.

Apud medicos olim mos erat, alvum per totum febris miliaris cursum sedulo astringere; hodiernus autem usus luculenter satis edocuit, summi esse fructus ut alvus modice ducatur; illius sententiae, cujus ex auctoritate pauca haec de febre miliari praecipue conscripta sunt, accedit etiam auctoritas celeber. G. Baker, qui de purgatione in hoc morbo, variolis, &c. quaedam accurate admodum scripsit. Veteres equidem medicos in errorem de hac re duxisse videtur, quod cita mors febre miliari laborantes nonnunquam rapuit, postquam alvus immodice fluxisset. Veruntamen, me judice, dejectio ejusmodi pro effectu potius debilitatis mortem praeeuntis, quam pro ipsius mortis causa, haberi debet. De diarrhoea autem temperanda hoc semper in memoria teneri decet: si faeces parum a natura abhorreant, et levamen dejectiones aegro ferant, alvus certissime soluta servanda est; si vero aquosae nimium sint dejectiones, et frequentius repetitae debilitatem augeant, res postulat ut alvus astringatur.

Quoniam denique natura viam in hoc morbo materiei morbificae per renes saepe aperuisse visa est, urina ope diluentium, additis salibus quibusdam, jure moveri debet.

---

## URTICARIA.

Febris amphemerina contagiosa.—Die secundo rubores maculosi, urticarum puncturas referentes, interdiu fere evanescentes, vespere cum febre redeuntes, et post paucos dies in squamulas minutissimas penitus abeuntes. Cull. Gen. Morb.

## PEMPHIGUS.

Typhus contagiosa.—Primo, secundo, aut tertio morbi die in

in variis partibus veſiculae, avellanae magnitudine, per plures dies manentes, tandem ichorem tenuem effundentes. Cull. Gen. Morb.

## APHTHA.

Synochus.—Lingua tumidiuſcula; linguae et faucium color purpuraſcens; eſcharae in faucibus et ad linguae margines primum comparentes, os internum totum demum occupantes, albidae, aliquando diſcretae, ſaepe coaleſcentes, abraſae cito renaſcentes, et incerto tempore manentes. Cull. Gen. Morb.

Urticaria medicamentis vix unquam indiget. Pemphigus rariſſime occurrit; et de Aphtha alio loco dicendum erit.

---

## ADDENDA.

### De Variola.

T. Fowler, M. D. vir ingenioſus, et in medicina multum verſatus, in diſputatione ejus de Variola nuper edita, mercurium quaſi antidotum contra venenum varioloſum ſtabilire vult. A magna experientia haec practica diducit:

1*mo*, Dum ſtadium variolae primum adſit, cathartica mercurialia regimenque refrigerans large et libere, magno cum ſucceſſu, adminiſtranda eſſe.

2*do*, Eadem remedia, etſi vix tam libere, quam in primo ſtadio, per totum ſecundum plerumque fauſte uſurpari.

3*tio*, Ægros variola confluente graviſſimaque laborantes, viribus vitae per ſtadium tertium aſſidue ſuſtentatis, et evacuationibus omnibus inſolitis vitatis, aliquando in ſanitatem redituros.

### De Febribus Intermittentibus, Typho, et Synocho.

Ill. Home methodum corticis Peruviani in quotidianis et tertianis exhibendi ſub exitum paroxyſmi, quam Sydenhamus, Torti, et Cleghorn antea eligebant, experimentis ſtabiliviſſe videtur.

In typho nervoſo a febre putrida, ut ei placet, omnino alieno, corticem ſpiritu gravi nocivum eſſe, ſemper vero ſudore ſymptomatico, tremore ſubſtante, ſiti nulla aut modica, adhibitum optime cedere, comperit.

In quolibet morbo corticem vinumque nulla fere in re differre opinatur, nisi quod illius effectus se serius ostendunt, diutiusque manent.

Epispastica prout remedium generale in typho inepta, verum temporibus applicata, in capitis dolore, qui hanc febrem fere semper comitatur, moderando, nunquam non utilia judicat.

Ad pulsum excitandum, ad somnum promovendum, praesertim cute et lingua aridis, fomenta accommodari affirmat.

Tartaro emetico anteponit pulverem Jacobi, medicamentum nempe operatione multo lenius, magis consopiens, et certius diaphoreticum. Grana v aut vi primo dat, dosin pro effectibus paulatim augens; et, si votis respondeant, dare pergit, donec decedat febris.

Potestates tartari emetici evacuantes synocho melius convenire ei persuasum.

Opii effectus vini consimiles in typho optimos saepe expertus est. Vide ipsa experimenta hoc anno edita, Home's Clinical Experiments.

TOMI PRIMI FINIS.

# MEDICINAE PRAXEOS

# SYSTEMA,

EX

ACADEMIAE EDINBURGENAE

DISPUTATIONIBUS INAUGURALIBUS

PRAECIPUE DEPROMPTUM,

ET SECUNDUM

NATURAE ORDINEM

DIGESTUM.

---

CURANTE CAROLO WEBSTER, M. D.
VALETUDINARII PUB. EDIN. MED. ALTER.
E COLL. REG. MED. ET SOCIET. REG. MED. EDIN.
HUJUSQUE AD ACTA EDENDA A SECRETIS.

---

TOMUS SECUNDUS.

---

VENALIA PROSTANT—EDINBURGI, APUD GULIELMUM GORDON ET ROBERTUM MURRAY;—LONDINI, APUD CAROLUM DILLY, NEC NON RICHARDSON ET URQUHART, BIBLIOPOLAS.

MDCCLXXX.

# ELENCHUS.

## ORDO QUARTUS.

### MORBI NERVOSI.


| | Pag. |
|---|---|
| De Dyſpepſia, | 1 |
| De Hypochondriaſi, | 17 |
| De Chloroſi, | 44 |
| De Colica, | 60 |
| De Cholera, | 72 |
| De Diarrhoea, | 89 |
| De Diabete, | 92 |
| De Hyſteria, | 109 |
| De Aſthmate Spaſmodico, | 124 |
| De Pertuſſi, | 137 |
| De Epilepſia, | 147 |
| De Spaſmo, | 164 |
| De Paralyſi, | 185 |
| De Apoplexia, | 214 |
| De Mania, | 238 |
| De Rabie Contagioſa, | 255 |
| De Arthritide, | 281 |
| De Rheumatiſmo Chronico, | 301 |

# MEDICINAE PRAXEOS SYSTEMA.

## ORDO QUARTUS,

## MORBI NERVOSI.

### DE DYSPEPSIA.

*AUCTORE JOANNE TEMPLE.*

#### DEFINITIO.

HUNC morbum clare finire in primis difficile; namque pauciſſima corpus in humanum vitia invadunt, quae non ſuas in ventriculum noxas diffundunt, eumque magis minuſve perturbant, adeo ut notae horum a dyſpepſiae idiopathicae propriis aegerrime poſſint ſecerni. Difficultate igitur hujuſmodi preſſus, ſigna praecipua tantum enumeravit, et, functionem ventriculi idiopathice turbatam per ea indicari, dixit ipſe Cullenus, noſologorum princeps, nec notas, quae morbum ab omnibus aliis pro certo diſtinguunt, deſignare, nec eandem perſpicuitatem mirabilem, quae in aliis ejus definitionibus ſe oſtendit, aſſequi valens. Ejus autem definitio hujuſmodi eſt: "Ventriculi functio idiopathice turbata, per anorexiam, nauſeam, vomitum, inflationem, ructum, rumination em, acidi humoris eructationem, cardialgiam, gastrodyniam, et alvum plerumque aſtrictam, indicata."

#### HISTORIA MORBI.

Omnia ſigna, quae hoc in morbo ſemet oſtendere conſueverunt, recenſere, difficilius longiuſque foret; igitur maxime notabilia tantum percurremus.

Morbum venire teſtantur appetentia cibi imminuta, ventriculus, nullo cibo ſumpto, diſtenſus, animus leviter demiſſus. Gradatim imminuuntur vires muſculares, aegrotus langueſcit,

motumque refugit. Solida ſimplicia magis laxa, vis nervoſa magis debilis evadit. Cibus, nullo appetitu ſubſtante, ſaepe capitur, parumque accurate concoquitur. Ventriculus et inteſtina admodum flatu diſtendi ſolent, et inde ſpaſmis, dolore, et anxietate ſtipatis tentantur. Non parum humoris limpidi, vel acidorum et putridorum, quae ventriculus comprehendat, in os ſaepe rejicitur. In idem, unius duarumve a prandio horarum ſpatio, cibus ipſe nonnunquam ejicitur, et fruſtulatim exſpuitur, a quibuſdam, quod quidem rarius, rurſus devoratur. Rebus ita ſeſe habentibus, cor aliquando palpitat, et ſpiritus crebro difficulterque trahitur. Caput dolore et vertigine laborat. Ille, nonnullis in exemplis, graviſſimus et fere perpetuus; haec modo tanta, ut, adinſtar ebrii, vacillet aegrotus. Alimentum, pro indole ſua, modo nimis aceſcit, modo aliqua ex parte putreſcit, et cardialgiam movet. Hoc in ſtatu, vires naturae medicatrices, ut diarrhoea, quae quidem ſaluti eſt, nonnunquam oriatur, facere videntur. Alias vero ſumma alvi durities et dolores colici adſunt. Ictus cordis arteriarumque nonnunquam tardi, plerumque vero crebri, ſemperque debiles. Circuitus ſanguinis quidem adeo langueſcit, ut vaſcula extrema vix attingat, vel ſaltem in iis propemodum ſtagnet, et, ut facies liveſcat, intumeſcat, ſpeciemque inſolitam prae ſeſe ferat, faciat. Ut vis nervoſa circuituſque ſanguineus langueſcunt, ſic perſpiratio minus liberalis evadit, cutis ſicceſcit et contrahitur, calor corporeus imminuitur, et aegrotus ſenſum frigoris univerſum, praeſertim extremorum, conqueritur.

Vires aegroto magis magiſque convelluntur, et ſenſus gravitatis et laſſitudinis ab ambulatione, equitatione, vel quolibet alio motu corporeo, facilius oritur: Quinetiam, per hoc morbi ſtadium, exercitationem etiam modicam ſubſequuntur aegritudo, cordis palpitatio, ſpiritus ſolito celerior. AEgrotanti caro laxa et tabefacta eſſe videtur, et cutis ubique palleſcit. Oculi hebeſcunt, graveſcunt. Lingua albida ſit, et materia viſcida tegitur. Uvula velumque pendulum palati, nonnullis in caſibus, aliquando adeo relaxantur, ut ſummam aegroto moleſtiam faceſſant. Labia colorem amittunt, et anima inſigniter foetet. Noctem inſomnem ſaepe agit aegrotus. Alioquin ei ſomnus interpellatur, eumve non reficit, et ſubito evigilando ſomniiſque horrendis turbatur.

Animus non minus, quam corpus, laborat, et ab omni exercitatione non minus abhorret. Quicquid conatur, id perſequi nequit. De abſtruſis et reconditis attente non poteſt cogitare. Memoria magnopere diminuitur, nec abſque moleſtiae ſenſu exercetur. Mens aſſociandi ideas, ut logici loquuntur, magna ex parte poteſtatem amittit. Ex mitiſſimo et placidiſ-

ſimo,

simo, etiam irritabilis et iracundus evadit aegrotus. Modo non parum contristatur animumve despondet, modo, saepius forsitan, moestitia metuque ex toto vacat.

Notae febris hecticae citius seriusve accedunt. Corpus magis magisque irritabile fit, quod multum molestiae aegroto facessit; namque minimus etiam terror ei incussus motus corporis animique abnormes et violentos, potissimum tremorem universum, excitare, et motum ventriculi et intestinorum peristalticum adeo augere consuevit, ut protinus oriatur vomitus vel diarrhoea. Glandulae, sub hoc tempus, salivariae eo usque nonnunquam relaxantur, ut saliva aeque liberaliter, ac si mercurium adhiberet aegrotus, secernatur. Ventriculus quoque saepe adeo debilis et irritabilis est, ut ne quidem modicam alimenti quantitatem possit retinere. Nonnullis in exemplis, ubi summa adest irritabilitas, motus canalis alimentarii peristalticus praeter naturam augetur, et cibus, brevi postquam sumptus, per intestina crudus incoctusque transit.

Pulsus arteriarum magis debiles, celeres, et abnormes evadunt, et aegrotus animo saepe linquitur. Ultimum per morbi stadium, sudores nocturni digerensque diarrhoea miserandum aegrotum invadunt; vascula exhalantia sese contrahendi potestate orbantur; humores seroli in telam cellulosam corporisque cava effunduntur; crura, manus, facies intumescunt, et signa hydropis reliqua, doloribus abdominis gravibus stipata, sese ostendunt, et ad extrema jam ventum esse, plane manifesteque testantur.

## NOTAE QUAE HUNC MORBUM A QUIBUSDAM ALIIS SECERNUNT.

Quanquam dyspepsia a morbis compluribus possit pendere, et igitur cum iis non parum arcte saepe conjungatur; eam tamen ab illorum plerisque, absque multa difficultate, dignoscas. Si enim a quolibet alio morbo proficiscatur, vel symptomatica sit, morbus primarius, si arthritidem forsitan excipias, eam plerumque praecedit, saltemve dyspepsia cum morbo, unde oriatur, accedere et decedere solet. Haec igitur idiopathica et morbi, unde symptomatica pendeat, non difficulter internoscuntur. Quinetiam dyspepsiam idiopathicam esse testantur, nullum aliud vitium eodem tempore in systemate sese ostendens, causaque, quae morbum excitet, protinus in ventriculum, non prius in quamlibet aliam systématis partem, agens. Si enim hoc incidat, affectus partis a ventriculo longe distantis, in eum sese diffundere, et dyspepsiam symptomaticam movere potest.

Licet vero nullum aliud corporis malum ſubſit, et cauſa in ventriculum ipſum agat, et morbus igitur plane idiopathicus ſit; pauca tamen vitia ſunt, quibuſcum ei ſumma ſimilitudo intercedit, quaeque, hanc ob cauſam, ab eo aegerrime poſſunt ſecerni. Haec autem ſunt, hypochondriaſis, chloroſis, ſcirrhuſque pylori. In dyſpepſia igitur his dignoſcenda, nonnihil operae curaeque ponendum eſſe judicamus.

1. Quae dyſpepſiam ab hypochondriaſi diſtinguunt, ea ſequuntur. Illa temperamentum ſanguineum, haec melancholicum, invadere conſuevit. Horum autem ſigna inter ſeſe longe diverſa. Qui ſanguineo praediti, ii ſolidis laxi, pilis molles et ſuccoſi, arteriis ampli, humoribus redundantes, vultu rubicundi, poteſtatis nervoſae ſenſilitate inſignes, mobiles, irritabiles, debiles. Qui, contra, melancholico, ii ſolidis rigidi, pilis duri; humoribus minus abundantes, hincque ſicci et macri; arteriis parvi, et inde pallidi; venis pleni, turgidi, lividi; irritabilitate modici; ad impreſſiones quaſlibet recipiendas tardi; ſtimulantibus omnigenis, niſi liberaliter adhibitis, non affici conſueti; ad iram caeteroſque animi affectus minime proni, eorundem vero ſemel motorum, praeſertim ultionis, tenaciſſimi; conſiliis parum mutabiles, et uni rei, per longum temporis ſpatium, ſaepe inſigniter intenti. Hoc modo inter ſeſe differunt mortales, qui dyſpepſia et hypochondriaſi periclitantur. Quinetiam, hujus morbi et illius notae quodammodo, quamvis multis in rebus ſibi invicem ſimillimae ſint, variare conſuerunt. Acor et inflatio in hyochondriaſi, quam in dyſpepſia, forſitan graviora; anorexia rarior, affectus ſpaſmodici violentiores, morſus ventriculi crebriores, metus et moeſtitia multo majora. In hac quoque alvus modo dura, modo fuſa; in illa perpetuo adſtricta. Signa denique hujus propria a mera debilitate, illius vero a vi nervoſa torpida, parumque mobili reddita, proficiſci videntur. Namque debilitas et torpor idem omnino valent praeſtare.

2. Quae notae dyſpepſiam a chloroſi ſecernunt, eae hujuſmodi ſunt: Cutis quidem pallorem vel decolorationem, venas minus plenas, aſthemiam, palpitationem, et multa alia, utroque in morbo, omnino eadem eſſe confitemur; tumor vero corporis mollis nunquam in dyſpepſia, niſi morbi finem verſus, accedit. In chloroſi, contra, conſtanter adeſt, et omnia ſigna cachexiae magis manifeſta et graviora. Anorexia in dyſpepſia nunquam non urget; in chloroſi vero ſaepe magna cibi appetentia eſt, ſummumque, quod quidem mirabile et explicatu difficiliimum, rei non eſculentae deſiderium. Denique, in hac menſtrua ſaepe retinentur, quod in illa non incidere conſuerit.

consuerit. Hoc modo dyspepsia et chlorosis a se invicem satis clare possunt secerni.

3. Dyspepsia a scirrho pylori non difficulter potest distingui. In hoc enim perpetuus fixusque dolor aegrotum exercet, et tumor, praeterea, non raro plane sentiri solet. His de dyspepsia ab aliis morbis secernenda positis, proximum est ut causam proximam exequi aggrediamur.

## CAUSA PROXIMA.

Super hac alii medici alias in sententias concesserunt. Multi, iique fama longe lateque nobilitati, omnia dyspepsiae signa ab aliqua, quae in ventriculo adest, cruditate, exempli gratia, muco nimio, pendere sunt opinati. Sententiae suae hoc fidem firmare contenderunt, quod quantitas muci permagna, emetico potissimum adhibito, saepissime rejici consuevit. Cur vero illis e memoria excidit, emeticum, sanitate etiam substante, datum, aliquid hujusce simile praestare solere, et eandem fere, si vomitio decies moveretur, quantitatem rejectum iri? Igitur mucus, qui ejicitur, e ductibus ventriculi mucosis actione emetici valide agitatis, et quasi emulsis, protinus exprimi, et non in ventriculo ipso diu mansisse, videtur. Nec est, cur tantum muci in folliculis ventriculi comprehendi mireimur; namque experimentum Senaci venerabilis, qui e ductibus stomachi probe detersi incredibilem muci quantitatem regula eburna expressit, notissimum, rem ita sese habere abunde testatur. Quinetiam folliculos ipses, in modum glandularum salivam secernentium, admodum relaxari; et quantitatem igitur muci insolitam, quae ad signa morbi graviora efficienda nonnihil queat conferre, effundere posse, non improbabile putamus. Quanquam vero hoc incidere posse concedimus; non tamen pro causa morbi proxima, sed pro effectu ejusdem solo, habendum esse contendimus.

Alii notas dyspepsiae a bile, quae, potissimum vomitu per artem excitato, saepe liberaliter rejicitur, proficisci sunt suspicati. Rem vero aliter sese habere putamus; namque bilis, ut multa testantur, in ventriculo saepe subest, et ne minimam quidem molestiam excitat. Si magna ejus quantitas ventriculum ingrediatur, ibique corrumpatur, functiones ejus solitas et mole et corruptione sua potest perturbare. Hoc vero saepius incidere ex aliquanto ejus ejecto, haudquaquam cogere licet. Namque in ventriculum, nisi motu duodeni peristaltico inverso, rarius ascendere videtur. Vomitione enim leni tantum mota, nihil bilis sese ostendit; graviore vero excitata, quae non solum motum ventriculi, sed duodeni quoque, peristalticum

riſtalticum invertere poteſt, liberaliter rejicitur. Igitur bilem, hoc in morbo ejectam, non aliunde, quam a ductibus biliferis emulſis, motuque duodeni periſtaltico inverſo, proficiſci, et rariſſime in ventriculo adeo diu manere, ut notas morbi, ſi revera poteſtate hujuſcemodi ſit praedita, facere valeat, non abſque ratione graviſſima concludimus.

Denique, ut omnia paucis comprehendamus, nihil aliud pro cauſa dyſpepſiae proxima, quam atoniam fibrarum ventriculi muſcularium et debilitatem, habendum eſſe judicamus; omnes enim cauſae remotae tales ſunt, quales ad atoniam hujuſmodi progenerandam vi et indole ſua, plane manifeſteque accommodantur.

## CAUSAE REMOTAE.

Hae autem ſunt duplices:

I. Quae in ventriculum ipſum protinus agunt.

II. Quae in alias corporis partes prius agunt, deinde atoniam, quam ibi fecerunt, in ventriculum ipſum diffundunt. Priores dyſpepſiam idiopathicam, poſteriores ſymptomaticam movent.

I. Quae in ventriculum ipſum protinus agunt. Hae vero hujuſmodi ſunt:

A. SEDANTIA ſeu NARCOTICA. Per haec autem ea ſignificamus, quae motus ſyſtematis vimque poteſtatis motricis imminuunt, liberaliterve adhibita ex toto perdunt. In vim partis, cui admoveantur, nervoſam protinus agere, eamque ex parte, vel ex toto, immobilem, pro quantitate applicata, reddere videntur. Cum vero omnis partis corporeae vigor mobilitaſque a vi nervoſa ad eam a cerebro libere adducta manifeſtiſſime pendeant, narcotica, quae mobilitatem poteſtatis nervoſae haud dubie tollunt, ventriculo vel cuilibet alii parti admota, eam atonia ſummaque debilitate afficiant neceſſe eſt.

a. *Opium.*—Hoc vim quam maxime ſedantem habere, et partem, cui applicetur, debilem, immobilem, ſenſuſque ex toto expertem, efficere poſſe, experimenta mille demonſtrant. Et apud Turcas et apud noſtrates multa exempla offendimus, ubi hoc adhibitum appetentiam cibi, quam a tono fibrarum ventriculi muſcularium valido pendere poſtea monſtrabimus, perdere conſuevit. Hoc liberaliter ſumere moris illorum eſt, cum fatigationem jejuniumve ſunt ſubituri. Igitur ambigi nequit, quin opium, et ex eo praeparata, in ventriculum nimis copioſe ſaepiuſque juſto ingeſta, vires ei magnopere convellant.

b. *Liquores*

b. *Liquores ſpirituoſi.*—Hi prius ſtimulant, deinde ſedant. Namque, in modum opii, ſatis liberaliter adhibiti, corpori calorem, faciei ruborem conciliant, ictus arteriarum crebriores validioreſque reddunt, vim imaginandi magis vividam efficiunt, ſummamque hilaritatem movent; ad extremum vero longe diverſa praeſtant. Haec enim excitationis ſigna brevi ſubſequuntur, ſenſus imminuti, imaginatio a vero detorta, deliriumve, ſtupor, ſenſus ex toto ſublati, proclivitas ad ſomnum, ſomnus verus, et, hoc ad finem perducto, ſenſus frigoris, debilitas, animus demiſſus. Igitur, cum excitationem collapſus nunquam non ſubſequatur, hicque illi pro rata ratione ſemper reſpondeat, liquores ſpirituoſos ſaepius copioſiuſque, quam ſat eſt, ſumptos, ventriculum quam maxime irritabilem infirmumque tandem reddituros eſſe, neminem poteſt latere. Hoc quidem nimis, proh dolor! verum eſſe, teſtantur horum miſerandorum mortalium exempla, qui liquoribus hoc genus ſorbillandis fere ſolum intenti ingenium torpeſcere, corpuſque debilitari ſinunt. E validis enim brevi invalidi, e cibi appetentibus ejuſdem faſtidioſi, e tremoris omnigeni expertibus irritabiles, tremuli, paralytici evadere conſuerunt. Inſuper, liquores hujuſmodi ventriculo eundem nimis diſtendendo, quod ei vires, ut infra dicetur, non parum convellit, et acore, qui illis ineſt, magnopere poſſunt nocere.

c. *Nicotiana*—Et vires narcoticae et ſtimulantes non modicae huic plane inſunt. Ventriculo, inteſtinis reliquiſve viſceribus internis, liberaliter admota, ea valde ſtimulat, naribus fluxum muci, galandulis ſalivariis ſalivae adauget. Injurias inſignes, quas ventriculo eorum, qui eam mandunt, formave fumi adhibent, inferre conſueverit, a magna potius ſalivae jactura, quam faciunt, quam a viribus ejus narcoticis, proficiſci putarunt nonnulli. In hoc vero falli videntur. Salivam quidem ad concoctionem promovendam admodum neceſſariam eſſe, minime negamus; ſed nicotiana eadem omnino mala, pleraque, nempe, dyſpepſiae ſigna, in iis, quorum multa exempla non deſunt, qui parum nihilve fere exſpuunt, movere ſolet. Praeterea, qui ea ſub forma pulveris utuntur, igiturque ſputo ex toto fere vacant, non multo minus, quam alii, dyſpepſiae notis afficiantur. Et, ſiquando pulveris aliquantum in ventriculum deſcendat, anorexia, et alia ſigna dyſpepſiae propria, nunquam non oriuntur. Igitur nicotianam, ad atoniam ventriculi et debilitatem progignendam quamplurimum conferre poſſe, quomodocunque eam adhibeas, non eſt cur dubitemus.

d. *Thea et Coffea.*—Has vim ſedantem habere, multa multorum experimenta, quae longius foret referre, teſtantur.

Qui Indiam Orientalem incolunt, ii rem ita ſeſe habere probe noverunt; uſu enim earum, donec ſpatium per anni fuerint ſervatae, et hoc modo vi narcotica, quae aliqua ex parte volatilis eſſe, igiturque mora evaneſcere videtur, orbatae, abſtinere conſuerunt. Idem hoc probare videtur, quod dyſpepſia hodie multo ſaepius, quam olim, ſeſe oſtendit; quod nulli alii cauſae, quam infuſis theae et coffeae fortioribus, quae in uſu adeo communi ſunt, et ſemel biſve ſingulis diebus adhiberi ſolent, tribuere poſſumus. Inſuper plurimi ſunt, qui ne unum quidem infuſi theae poculum ſumere poſſunt, quin anxietate, ſummo moleſtiae circa praecordia ſenſu, manuum tremore, aliiſque hoc genus ſignis, afficiantur. Omnes autem noxas, quas queri ſolent mortales, non a thea ipſa, ſed ab aqua infuſi calida, proficiſci, ſibi perſuaſum habent nonnulli. Caeterum, huic opinioni adverſatur multorum experientia, et etiam Culleni ipſius celeberrimi, qui ventriculo admodum ſenſilis infuſumque theae bibendo non parum laeſus, aliquot herbas indigenas in locum theae ſufficiendas curavit, nullumque poſtea ex aqua calida detrimentum cepit. Ex his autem, theam ventriculo humano inimiciſſimam eſſe, abunde conſtat.

e. *Acida, ea praeſertim quae fermentationem poſſunt ſubire.*— Cum acida foſſilia, quae fermentationi non objiciuntur, anorexiae inſigniter occurrant, cumque unum e fermentatis, nempe acetum, purum vitiique expers, nihil moleſtiae multis ventriculis faceſſat; quomodo acida ventriculum debilitent, intellectu non adeo facile eſſe videtur. Hoc vero ea ſaepiſſime praeſtare multa demonſtrant; namque in ventriculum ingeſta non tantum acorem, ſed omnia alia dyſpepſiae ſigna, ut inflationem, ructum, cardialgiam, gaſtrodyniam, &c. adaugent. Inſuper, alia quoque exempla ſunt, ubi atoniam plane faciunt. Vinum, ex. gr. Burdigalenſe ſumptum, in hoc nauſeam, in illo paroxyſmum arthriticum, excitat, quae nunquam, niſi atonia prius facta, oriuntur.—Cum, quin debilitatem ſaepe creent, ambigi nequeat, proximum eſt, ut, qua vi hoc praeſtent, conſideremus. Viribus ſortitan ſuis ſedantibus ventriculum afficiendo agere, et hoc modo atoniam facere, poſſunt. Caeterum, ea alia ratione agere ſuſpicamur. Quid enim obſtat, quominus acescentia potiſſimum, quae vinoſam fermentationem etiamnum poſſunt ſubire, tantum aëris mephitici in ventriculo, quantum vires ei nimia, quam dat, diſtenſione, magnopere poſſit convellere, explicent? Quidam auctores, iique optimae notae, ventriculum, vi aëris mephitici nociva et ſedante, debilitari putarunt; ſed experimenta recentiora eum in inteſtina, et in omnia alia corporis cava forſitan, ſi pulmones ſolos excipias, tuto admitti poſſe, demonſtrant.

f. *Putrida.*

f. *Putrida.*—Haec vel etiam ad putredinem vergentia vi quam maxime ſedante praedita eſſe; et igitur anorexiam, ſummamque ventriculi debilitatem, ſi in eum quolibet modo recipiantur ibive generentur, facere poſſe, hinc liquet, quod humorum putredo tantam brevi vaſis ſanguiferis, ut exinde oriatur gangraena, atoniam inferre conſuevit.

B. STIMULANTIA.—Haec talia ſunt, qualia contractiones fibrarum muſcularium validiores excitant. Igitur, ſi modice adhibeantur, tantum abſunt, ut dyſpepſiam moveant, ut, contra, in eam non parum poſſint.

Omnem muſculum exercitatio modica firmat; ea vero, quae non citra defatigationem, vel immodica ſit, vires eidem convellit. Hanc ob cauſam, ſtimulantia, utpote quae contractiones tunicae ventriculi muſcularis crebriores efficiant, diutius adhibita, tonum ſtomacho tandem imminuant et debilitent, neceſſe eſt.

a. *Aromata.*—Haec fibras ventriculi muſculares plane ſtimulant, et, ut ſeſe crebrius validiuſque contrahant, faciunt; namque ructum, partem aëris, unde ventriculus diſtenditur, expellendo, plerumque movent. Si vero has contractiones nimis diu ciere pergant, vires ventriculi motrices plus ſatis exercebunt, et idcirco eas, ob rationem ſupra poſitam, manifeſte debilitabunt.

b. *Cibus plenior.*—Hic mole ſua contractiones ventriculi novet. Si vero plus ejus, quam par, quotidie ingeratur, motus ventriculi muſculares juſto crebriores, et diſtenſionem majorem fore, neminem fugere poteſt. Qui genio igitur nimis liberaliter ſingulis diebus indulgent, ii ventriculi atonia vix unquam vacabunt.

c. *Vomitio nimis crebra.*—Haec abſque motu ventriculi periſtaltico violenter inverſo moveri nequit, et itaque ut ventriculum contractionibus validiſſimis afficiat oportet, quae ſaepius reiteratae tonum ei, ob cauſam ſupra comprehenſam, omnino perdunt. Qui igitur, uti Celſus inquit, valere et ſenescere volet, hac quam minime inſuescat. Quinetiam pleraque emeticorum, quae in uſu ſunt, plus minuſve virium ſedantium habent, et hoc modo quoque poſſunt nocere.

d. *Nimia alvi purgatio.*—Medicamenta, quae alvum purgant, non tantum quidem in ventriculum, quantum in inteſtina agunt. Quomodo igitur, forſitan rogabitur, ventriculum invalidum reddere poſſunt? Si vero ſummus conſenſus, qui nunc inter et illa intercedat, memoria teneatur, nemini, inteſtinis laeſis, ventriculum quoque male affici mirum videbitur. Cathartica autem magis draſtica canalem alimentarium

quam maxime debilitant, ut usui eorum inflatio molestissima alvique durities supervenientes clare testantur, quae non aliunde, quam ab atonia proficiscuntur. Quomodo hoc praestent, e supra positis satis manifeste patebit. Denique, quo saepius ad ea decurritur, eo plus detrimenti ex illis capiatur necesse est.

C. TONICA. *Hujusmodi sunt amara*, &c.—Haec, dyspepsiam depellendi consilio, saepe adhibemus, et votis nostris plerumque respondent, ventriculum firmantia appetentiamque cibi moventia. Cum vero crebrius diutiusque sumuntur, summam ventriculi, ut multa monstrant exempla, debilitatem progenerant. Igitur optimorum medicorum moris est, ea per longum temporis spatium nunquam adhibere, sed modo dare, modo iisdem abstinere. Utrum vero necne in morem stimulantium agant, vive forsitan narcotica praedita sint, nondum compertum esse videtur.

D. RELAXANTIA.—Hujusmodi sunt liquores calidi. Certum humoris et caloris conjunctorum gradum partes, quibus applicentur, non parum emollire et relaxare, inter omnes fere convenit. Quomodo vero liquores calidi in anum, vel quamlibet aliam corporis partem, quae calori et humiditati perpetuo objiciatur, immissi hoc possint praestare, si horum calor corporis proprium non excedat, et revera plerumque non adaequat, nonnulli, in quibus Pringelius celeberrimus est, sese non rite intelligere confitentur. Sin autem memoria teneamus potestatem caloris generatricem corpori humano inesse, quae calorem multo majorem efficeret, nisi pars caloris aliqua cum iis, quae corpori circumdata vel vicina sunt, singulis fere momentis communicaretur, facile videbimus aliquid corpori circumdatum, quod cavet ne vicina calore suo impertiatur, in causa fore, cur potestas procreatrix calorem in corpore magis magisque accumulabit, quod eosdem omnino, ac calor admotus, effectus edet; et igitur systema universum, partesve ejus certas, ubi calor accumulatur, non parum relaxabit. Hoc modo vestimenta, quibus nihil caloris inest, quaeque nihil aliud quam corpus adversus vim aëris refrigerantem defendunt, hoc modo balneum calidum gradum nonagesimum non excedens, et igitur calorem corporeum haudquaquam exaequans, systema humanum calefacere consuerunt. Ex his igitur, quomodo liquores, quorum calor corporeo non aequalis sit, in ventriculum recepti, ut vis generatrix calorem ibi accumulet, eumque magnopere relaxet atque debilitet, facere possint, satis evidenter constabit.

E. NIMIA VENTRICULI DISTENSIO.—Haec vel a cibis sumptis, vel ab aëre eorundem explicato, potest oriri.

Fibrae

Fibrae autem corporis humani muſculares nimia diſtenſione ſaepe graviter debilitantur, vel tono ſuo ex toto privantur. Igitur non mirandum eſt, edaces et ebrioſos debilitate ventriculi perpetua laborare.

F. STIMULORUM SOLITORUM ABSENTIA.—Qui ventriculum ſuum quolibet ſtimulo aſſuefaciunt, ii eodem, abſque nauſea, ſenſu moleſtiae, caeteriſque dyſpepſiae ſignis, carere nequeunt. Qui, ex. gr. hora certa cyathum vini aduſti ſumere, vel etiam prandere, aſſueti ſunt, ii, ſi, quod in uſu ſit, ob aliquam civilem neceſſitatem praetermittatur, moleſtiae ſenſum ventriculive perturbationem conqueri ſolent. Salivam ſuccumque gaſtricum ad concoctionem admodum neceſſaria eſſe, omnia teſtantur. Igitur, ſi haec ſolito parciora eſſe incipiant, dotibuſve mutentur, ventriculus laboret neceſſe eſt. Bilis quoque in inteſtinis defectus, ut in ictero plane videre eſt, ventriculum perturbat.

II. Quae in alias corporis partes prius agunt, deinde atoniam, quam ibi fecerunt, in ventriculum ipſum diffundunt.

Nexum arctiſſimum ventriculum inter et reliquas corporis partes intercedere, multa demonſtrant, et hoc in primis, quod pauciſſimi morbi in partibus ſyſtematis, ab eo etiam longiſſime diſtantibus, oriuntur, qui non ventriculum magis minuſve afficiunt. Quicquid, ex. gr. vim cerebri totiuſve corporis nervoſam imminuit, id plerumque effectus ſuos nocivos in ventriculo primum oſtendit. Anorexia vel appetitus proſtratus morbos, ab origine nervorum compreſſa oriundos, ut apoplexiam paralyſinque, comitatur. Vinculum pari nervorum octavo circumdatum paralyſis ventriculi ſubſecuta eſt, quae in cauſa fuit, cur alimenta in eo complures per dies fuerint detenta, ſummamque putredinem ſibi adepta. Si torpor ſyſtema nervoſum, ut in hypochondriaſi incidit, invadit, ventriculus non amplius illaeſus manet. Atonia arteriarum extremarum, in febribus, in ventriculum diffuſa, anorexiam movere videtur. Vix ullum abdominis viſcus laborat, quin ventriculus affectus quaſi particeps fiat, graviterque inde turbetur. Huius autem exemplum inſigne et luculentum in morbis uteri cernunque habemus. Denique, partes corporis a ventriculo longiſſime remotae graviter contuſae aut vulneratae vomitionem, quod chirurgos minime latet, momento ſaepe concitant. Haec autem omnia atoniam debilitatemve partium maxime diſtantium cum ventriculo poſſe communicari, clare evidenterque indicant. Rationem quidem, qua hoc fiat, nos explicare non poſſe non diffitemur; multa enim nervos eorumque motus ſpectantia ſummis adhuc tenebris involvuntur.

Cum igitur atonia a pleriſque corporis partibus ad ventri-

culum facillime tranſeat ; hinc, non abſque ratione graviſſima, cogere poſſumus, omnia, quae corpori univerſo partibuſque ejus ſingularibus vires convellunt, qualia ſunt affectus animi violenti, vita ſedentaria, ſtudium intenſius, venus nimia, partus crebriores, &c. debilitatem ventriculi majorem minoremve quoque eſſe factura. Et ea omnia quidem ſimiliaque ventriculum laedere dyſpepſiamque movere, experientia nimis multorum ſatis ſuperque teſtatur. Modus, quo agant, expoſitu non admodum difficilis eſſe videtur.

Hoc in loco haud ſilentio praetereundum videtur, tempeſtatem humidam frigidamque ad dyſpepſiam poſſe conferre. Quam facile humor friguſque ſpiracula cutis occludere poſſint, neminem in re medica verſatum latet. Si autem cutis hoc modo afficiatur, ob ſummum, qui hanc inter et ventriculum intereſt, conſenſum, hic non diu ſanitate fruetur.

Denique, labes haereditaria proclives ad hunc morbum mortales nonnunquam forſitan reddit.

## SIGNORUM RATIO.

1. ANOREXIAE.—Cum contraria ſe invicem ſaepe optime explicent, antequam anorexiam illuſtrandam ſuſcipiamus, a quanam cauſa appetitus oriatur breviter conſiderabimus. Hunc alii phyſiologorum reliquiis cibi proxime ſumpti acidis ventriculum ſtimulantibus tribuerunt. Hae autem, quamvis ad appetitum movendum nonnihil, ut alia acida, interdum poſſunt conferre, adeo inaequales ſunt, et tantopere a certa concoctionis conditione pendent, ut cibi appetentiam, quae admodum conſtanter redit, facere nequeant. Appetitum alii parietibus ventriculi ſeſe mutuo atterentibus retulerunt. Cum vero ventriculus, etiam cum maxime contractus eſt, formam globularem, ut optimi phyſiologi docent, ſemper retineat, parietes ſibi invicem nunquam applicantur. Igitur appetitus ab alia cauſa proficiſcatur oportet. Cum perſpiratio, quae omnium evacuationum copioſiſſima eſt, et partem ingeſtorum longe maximam e corpore rurſus expellit, corpus, poſt cibum ſumptum, ad certum uſque gradum deplevit, quaedam ſyſtematis univerſi inanitas oritur, quae vaſculis cutaneis extremis contractionem, ſibi pro rata ratione reſpondentem, infert. Haec vero, ob conſenſum manifeſtiſſimum qui cutem inter et ventriculum intercedit, contractionem ſimilem cum fibris ventriculi muſcularibus communicare videtur, quae eum moleſtiae ſenſum, qui appetitus appellatur, movet. Cum igitur appetentia cibi a valida fibrarum ventriculi muſcularium contractione pendeat, anorexia vel appetitus proſtratus a cauſa contraria,

raria, earundem, nempe, atonia et debilitate, proficiſcatur oportet. Rem autem ita ſeſe habere experientia teſtatur; namque, ventriculo debili, appetitus fere ſemper langueſcit.

2. NAUSEAE ET VOMITUS.—Haec ab eadem cauſa plane pendent, et prior tantum gradus ſigni ſupra comprehenſi major, poſterior maximus eſſe videntur. Hoc clare expoſito, illa ſatis intelligetur. Pleroſque vomitionem ab iis ſolis, quae ventriculum irritant, motumque ejus periſtalticum invertunt, moveri putare non ignoramus. Et rem ita ſeſe non raro habere, haudquaquam negamus. Caeterum, ſequentia, quae ad atoniam ventriculo et debilitatem comparandam plane accommodantur, in cauſa ſunt, cur vomitum a mera debilitate ſaepe proficiſci credamus. Eum enim excitant, ſanguis brachio modice detractus interdum, idem nimis profuſe emiſſus fere ſemper, aqua tepida oleumque blandiſſimum omni ſtimulo haud dubie deſtituta; ſedantia, ut opium, liberaliter adhibita; nonnullis in hominibus liquores blandiſſimi, dum acria ſtimulantia nullum hujuſmodi effectum edunt, &c.

3. INFLATIONIS.—Quamprimum alimentum in ventriculum deſcendit, ſaliva ſuccuſque gaſtricus aërem fixum, qui illi magna plerumque quantitate ineſt, brevi expediunt, qui in cauſa eſt, cur ventriculum cito a cibo ſumpto fere ſemper magis minuſve diſtendi ſentiamus; namque cibus ipſe, quamvis madefactus et liquoribus ventriculi admiſtus, non multum mole poteſt augeri. Hic aër vero, quamvis liberaliter explicatus, nihil fere moleſtiae ventriculo firmo faceſſit. Igitur, non ſine cauſa gravi, cum, ſanitate ſubſtante, rurſus abſorberi putarunt plerique phyſiologorum. Caeterum hanc abſorbendi poteſtatem magna ex parte amittere videtur ventriculus debilitatus, quod ut aëre alimenti explicato tantopere diſtendatur, facit.

4. RUCTUS ET RUMINATIONIS.—Prior hinc oritur, quod aër modo poſitus ventriculum adeo irritat, ut motus ejus periſtalticus invertatur, oſtiumque ſuperius recludat, per quod aliquantum aëris elaſtici in oeſophagum ingreditur, et ad os uſque aſcendit: Poſterior hinc, quod partes alimenti ſolidiores, aëre fixo explicato, fluidis leviores evadunt, ſumma ventriculi petunt, cardiamque irritant, qua tandem per motum periſtalticum inverſum aperta, rejiciuntur, et ad fauces oſve perveniunt.

5. CARDIALGIAE.—Per hanc eum moleſtiae ſenſum, non omnem ventriculi dolorem, in morem quorundam auctorum, qui ab acrimonia acida, putridave interdum forſitan, oſtio ventriculi ſuperiori cardiaeve, praeſertim nimis irritabili reditae, admota, oritur, ſignificamus. Hic autem ventriculis

in firmis, quanquam aceſcentia in eos quotidie ingeruntur, et aliquantum acoris in iis haud dubie progeneratur, nunquam tantus fit, quantus dolorem movere poteſt. Eum igitur a ventriculi atonia pendere opinamur, quae in cauſa eſt, cur alimenta in eo tamdiu retineantur, eoque fermentationis progrediantur, ut procreetur acor acerrimus. Rem ita ſeſe habere, teſtatur liquor inſigniter acris e ventriculis ſcirrho pylorum admodum coarctaute, vel ex toto occludente, laborantibus ſaepe rejectus, qui linteola nonnunquam eroſit.

6. GASTRODYNIAE.—Haec, ut neminem fugit, a cauſis diverſis, ut inflammatione, inflatione, acrimonia, ſpaſmo, proficiſci poteſt. Hoc vero in morbo dolorem a ſpaſmo, potiſſimum oriri putamus, quem in ventriculo ſumma atonia laborante, quae, uti Hoffmannus teſtatur, ſpaſmos facillime gignit, magnopere invaleſcere oportet.

7. ALVI PLERUMQUE ASTRICTAE.—Haec ab ea debilitate, quae et ventriculum et totum canalem alimentarium occupat, plane oritur. Ventriculus tono idoneo deſtitutus alimenta per pylorum in duodenum nimis tarde propellit, et igitur motum hujus periſtalticum non ſatis excitat, qui, ſi rite pergat, partibus in ſuperioribus irritatis prius movetur, deinde inferiores petit. Deſcenſus autem alimenti motui periſtaltico, qui hoc in morbo, ob fibrarum inteſtinorum muſcularium debilitatem, nunquam non lentus eſt, pro rata ratione aſſidue reſpondet, eo tardo tardus, eo celeri celer.

## PROGNOSIS.

Dyſpepſia prima per ſtadia, cum nondum inveteravit, non difficulter ſaepe depellitur. Si a morbis, qui medicinae ſolent parere, pendeat, his ſublatis, tollitur. Si vero depulſa ſaepe rediit, praeſertim ſi ſigna febris hecticae, hydropis, cachexiaeque univerſae movit, finem ejus infauſtum fore, cauſa non deeſt, cur concludamus.

## RATIO MEDENDI.

Omnes autem morbos, a ſolidorum debilitate et relaxatione oriundos, medicinae tardiſſime et aegerrime parere, memoria ſemper tenendum. Namque ſolida corporis humani nimis diſtenſa tonoque privata eundem, non abſque ſumma difficultate, recipiunt. Igitur, quantum hujus morbi curationem ſpectat, plus forſitan fiduciae in ratione victus idonea, cauſiſque remotis vitandis, quam in medicamentis ipſis, collocandum.

Conſilia

Conſilla vero medendi tria eſſe videntur.

I. Cauſas remotas quam diligentiſſime vitare.

II. Signa nonnulla, quae gravitatem morbi ſoleant augere, levare.

III. Tonum ventriculo reddere.

Quantum ad primum conſilium attinet, de cauſis remotis adeo fuſe ſupra diximus, ut earum hoc in loco mentionem rurſus facere minime neceſſarium eſſe videatur. Omnes, quotquot ſunt, curioſe conſtanterque fugiendas eſſe, dicere ſufficiat.

II. Signa nonnulla, quae gravitatem morbi ſoleant augere, levare. Horum autem praecipua ſunt, anorexia, vomitus, cardialgia, gaſtrodynia, alvuſque aſtricta.

1. *Anorexia.*—Huic per medicamenta vomitionem excitantia occurrere, moris univerſi eſt. Haec autem tribus conſiliis, nempe, quae ventriculo continentur evacuandi, tonum ventriculo augendi, curſum humorum ad ſuperficiem corpoream faciendi, reſpondent. Eorum delectus habendus. Si tantum ventriculo contenta, quae quidem appetitum magis magiſque imminuere nauſeamque augere poſſint, expellere velis, quod parum proderit, ſimilia enim in ventriculum ſpatio breviſſimo confluent, leniora tantum neceſſaria ſunt, qualia theae viridis, chamomaeli, raphani ruſticani, &c. infuſa. Si vero tonum ventriculo augere, quod emetica modice intraque certos limites adhibita haud dubie praeſtant, impetumve humorum ad cutem facere, quod in morbum multum poteſt, ut curatio ejus aeſtate et in regione calidiore ſemper facilior clare teſtatur, decreveris, ad fortiora decurrendum, qualia ſunt, ipecacuanha, vitriolum album, antimonialia.

Vomitio non ſaepius reiterabitur, alioquin, ut multa exempla docent, ventriculum non firmabit, ſed, contra, vires ei in primis convellet.

2. *Vomitus.*—Hic, qui ſaepe pro conamine virium naturae medicatricium ſalutifero habendus eſt, nihil attentionis noſtrae deſiderat, niſi gravis evadat. Modicum tollunt, emeticum lenius, vomitus enim vomitu interdum depellitur, quod tamen non adhibendum, niſi eum ab acore ſimilive proficiſci ſuſpicemur, pauculae ſpiritus vini gallici ſpirituſve vitrioli guttae; graviorem opium, interne adhibitum, regionive ventriculi, forma cataplaſmatis, admotum; et nonnunquam, pleriſque aliis incaſſum tentatis, aliquantulum ſalinis marini.

*Cardialgia.*—Cum vegetabilia multum acoris in ventriculo ſoleant progenerare, plerique medicorum aegrotis curae ſuae commiſſis, ut hiſce abſtineant, ciboque animali ex toto victitent, praecipiunt. Quanquam hoc, morbo graviſſimo, nonnunquam

nunquam forsitan necessarium; plerumque tamen non faciendum. Namque cibus animalis et signa scorbuti movere, minusque vegetabili perspirabilis tantam plenitudinem, quanta periculo nunquam vacat, facere potest. Igitur tantum alimenti vegetabilis, ut panis bene fermentati, olerum interdum, &c. quae aestate, quam hieme, nonnullis minus nocere consuerunt, animali adjungendum, quantum ventriculi absque incommodo ferre possunt, putamus. Quantum potum spectat, quicunque liquores adhibentur, ii tales sint, quales fermentationem ex toto absolverunt, et eandem igitur rursus subire non periclitantur. Hujusmodi sunt vina Madeirense, vetustate mite redditum Lusitanum. Cerevisia Londinensis, quae Anglice *Porter* appellatur, aetate provecta et bene lupulata, plurimis nihil noxae omnino inferre consuevit. Quantum ad medicamenta attinet, acori, cum in ventriculo subest, occurrunt absorbentia, magnesia, quae acido ventriculi adjuncta salem medium facit, qui alvum leniter mollit; aqua calcis, quae acidum potenter absorbet, hocque modo multum prodest; sales alkalini, &c.

4. *Gastrodynia.*—Si haec a nimia cardiae irritabilitate, a muco abraso ortum ducente, proficiscatur, prosunt demulcentia et opiata; si a spasmo, aromata; antispasmodica, alkali nempe volatile, moschus, aether vitriolicus, gummi foetida; opium, non saepius dandum.

5. *Alvus astricta.*—In hanc possunt sales neutri, si quantitatibus parvis saepiusque repetitis sumpti, alvum leniter movent; namque omnis purgatio drastica, utpote quae intestina debilitet, summa cura vitanda: Magnesia jam posita; rhabarbarum, quod ore tantum mansum saepe alvum satis emollit, et ad ventriculum roborandum nonnihil forsitan amaritudine confert; oleum ricini, aloe; sulphur, quod minimum aërem in ventriculo explicat, fortasse rarius adhibendum.

III. Tonum ventriculo reddere. Quae hoc praestant, ea breviter referentur.

1. *Acida.*—Ea tantum sunt adhibenda, quae fermentationi rursus objici non periclitantur, qualia sunt, vitriolicum, et id quod e vegetabilibus destillatis oritur. Haec saepe tonum ventriculo augent.

2. *Metallica.*—E ferro praeparata optima esse videntur, et in debilitatem ventriculi non parum saepe possunt. Ferrum in aquas medicinales diffusum ventriculum non raro insigniter roborat. Ad hoc quoque aqua ipsa frigida plurimum confert.

3. *Amara.*—Haec, quomodocunque agant, ventriculum firmant, appetitum movent, concoctionem haud dubie accelerant. Ea quidem fere innumera, optima vero sequuntur, radix

dix columbae et gentiani, chamomaelum, abſynthium, centaureum minus, cortex Pernvianus, &c. Ventriculo gratiora evadunt, aromatis, ut cortici aurantiorum, cinnamomi, &c. adjuncta. Caeterum, ob cauſas ſupra poſitas, nunquam per longum temporis ſpatium continuum ſunt adhibenda.

4. *Exercitatio.*—Haec nunquam negligenda. Perſpirationem anget, tonum vaſculis extremis conciliat; igiturque per conſenſum jam comprehenſum ventriculum plane firmat. Semper modica et citra defatigationem ſit. Reliquis ejus generibus praeſtant ambulatio et equitatio.

Denique, animus aegroti ab omnibus, quae moeſtitiam poſſunt movere, abducatur, et omni ratione quam maxime erigatur.

---

## DE HYPOCHONDRIASI.

*AUCTORE STAN. BAYNES.*

DEFINITIO hypochondriaſis ab egregio noſtro Culleno tradita, aliis a ſcopo aberrantibus, merito anteferenda videtur.

Dyſpepſia cum languore, torpore, metu, moeſtitia, in temperamento melancholico.

### HISTORIA MORBI.

In ſymptomatum enarratione haud alienum fore ducimus, eundem ſequi ordinem, quo munia corporis naturalia, vitalia, simulatque animalia, afficiuntur.

Nequaquam, ut alii permulti, hicce morbus ſubito ingruit, sed primordia ejus neque ipſi aegro neque medico facile dignoſci poſſunt; paulatim vero atque ſubdole ingraveſcit, ita ut per ſymptomata jamjam enumeranda ejus natura omnibus eadem pateat.

Quodam mentis aeque ac corporis praegreſſo torpore, cibi appetentia a ſtatu ſano magis magiſque pedetentim alienatur, aliique inſervit ordini, modo etenim ſolito major atque effrenata evadit, modo autem penitus proſternitur, aut tantopere vitiatur, ut abſurda vel incongrua expetat; ſummo vero odio proſequitur, quae ſumptu facilia atque ſalutaria forent; cibus cujuſcunque ſit generis faſtidio habetur; plumbeus

 denique

denique dolor, qui, cibo deglutito, ventriculum et praecordia nunquam non aggreditur, omnia cogit averſari ciborum genera, eaque quaſi tormenta reformidare.

Paulo ſerius inflationes rugituſque inteſtinorum adoriuntur, quibus acidae eructationes, nauſea, dolor circa cardiam rodens, gulae affectiones ſpaſmodicae ſuccedunt.

Nunc vero ingeſta, magna ex parte, adhuc cruda atque immutata, ingenti viſcidae materiae copia commiſta, regurgitantur, et haec ſaburra modo tam acida eſt, ut hebetet dentes, modoque tam acris, ut, juxta aliquos auctores, pannos carbaſeos rodat, et aliquando foetore ova diu incubata refert. Haec autem ſymptomata poſt macularum eruptionem leviora redduntur.

Si ingeſta per pylorum tranſmittuntur, ſpaſmi, inflationes enormes, nec non dolores lancinantes, praecipue ſub coſtas ſpurias, in hypochondriorum utraque, maxime vero in ſiniſtra regione, inteſtina tentant, et in hac nonnunquam tumor duriuſculus ſentitur; ſubtus ventriculum pulſatio immanis percipitur, interdum regiones lumborum ventremque nephriticos colicoſque mentientes, cruciant dolores; alvus plerumque pertinaciter aſtricta, aliquando autem liquida evenit, et murmura et borborygmi aegrum turbant, quorum cauſa flatus, ubi primum per inferiora vel ſuperiora expelluntur, induciae quaedam, ſed raro diuturnae, a doloribus conceduntur.

Sputatio continua aegrum infeſtat, et ideo ſputatores nuncupabantur hypochondriaci.

Nocturna quies per incubum vel triſtia inſomnia turbatur; et, quamvis ſomnus, omnium laborum et ſolicitudinum medela atque perfugium eſſe exiſtimetur, tamen ex eo, hoc morbo laborantibus, dolores quamplurimi metuſque oriuntur, dum nil praeter triſtiſſima ſpectacula oculis objici videtur.

Jam ad munia vitalia tranſeundum eſt.

Cordis tremoribus crebris atque palpitationibus per intervalla gravatur aeger; pulſus tardus eſt, et durus.

Reſpiratio difficilis, et ad motum quemvis, laborioſa evadit; nonnullos etiam paroxyſmi graves aſthmatici impetunt.

Functiones animales morbo haud immunes reſtant.

Corpus invito tardeque movetur. Animus, metui praecipue mortis, moerori, inquietudini, moroſitati, zelotypiae, praviſque ſuſcipionibus omnis generis, valde redditur proclivis, ita ut, abſque ulla juſta occaſione, haecce pathemata quam pertinaciſſime foveat; porro, hominum conſortia fugiunt, ſolitudinemque anxie quaerunt, ne mens, uni ſemper meditationi

meditationi intenta, aliorum turbetur colloquio; nulli sunt propositi tenaciores, nulli majori gaudent facultate, totam mentem uni atque eidem cogitationi penitus adhibendi; hinc merito observatum est, melancholicos caeteros ingenio praestare.

Sunt denique quaedam symptomata, totum quae corpus infestant, et in ordinem haud reduci possint; anne talia sunt, saburrae atrabiliariae nonnunquam sanguinolentae, modo per vomitum modo per alvum eliminatae?

Frequentes desidendi conatus aegrum exercent. Dolore ardenti, qui aliquando partem ejus unicam affligit, lingua laborat. Maculae luridae atque vibices per totam corporis superficiem, maxime vero in inferioribus extremitatibus, sese ostendunt. Hydrops vel icterus inferuntur. Vertigo et stupor, tinnitus aurium, cum audiu difficili et oculorum caligine, frequenter occurrunt. His adjice dolores atrocissimos capitis; artus etiam dolore obtuso, saepius acuto, distorquentur. Melancholia et mania aliquando superveniunt, quae laborantis vitam tam gravem tamque miserabundam reddunt, ut aliquando finem laboribus quaerere cogatur, vim sibimet ipsi inferendo.

Horum multa tamen raro occurrunt, donec morbus inveteratus evaserit, altasque radices acquisiverit.

Licet symptomata hujus morbi ordine quodammodo methodico recensere conati sumus, tamen agnoscendum est, quod rarissime, in eodem homine, hunc ordinem vel numerum sequantur.

Quamvis per intervalla remissiones patiatur morbus, tamen nunquam sanitate integra et illibata fruitur aeger, sed continuo plus minus opprimitur; interdum tam mitia eveniunt symptomata, ut quasi prorsus abire dissimulet; sed, heu! iterum novo quasi impetu recrudescit.

Aliquando paucis mensibus, saepius pluribus annis, curriculum implet; et nonnulla prostant exempla, in quibus paucos intra dies a primo ingressu ferias egerit.

## THEORIA.

Morbus hicce praeclarum praebet documentuu, quanti semper momenti est, aegri, cujus salutis curam gerimus, temperamentum ejusque cognoscere causam, ut sic nobis morbi, quo laborat, natura apprime innotescat.

Quoniam illi, qui melancholico sunt temperamento, praesertim, imo verisimiliter, soli verae hypochondriasi obnoxii sunt, necessarium esse videretur, causas indiciorum, per quae

ab aliis talis corporis conditio dignoſcitur, perfunctorie inveſtigare; et, uti imagines contrarii coloris aliae aliis invicem lucem affundunt, hoc animo pauca de temperamento ſanguineo, quod melancholico contrarium eſſe putamus, dicere conabimur: Hinc noſtra de morbi natura perceptio non ſolum clarior fiet, ſed diſcrimen eum inter et hyſteriam evidentius atque facilius reddetur.

Si enim haecce duo temperamenta inter ſe conferre velimus, ex diametro oppoſita eſſe invenientur.

Gaudet etenim temperamentum melancholicum nigris, ſiccis, atque criſpatis multum capillis, oculis nigreſcentibus, et vultu ſubatro, ſtrictiori corporis habitu, muſculis firmioribus, cute denique nec molli nec laevi; porro, aſpectu notatur meditabundo; arteriae exiles ſunt; venae autem in ſuperficie corporis eminent. Motus muſcularis tardus atque torpidus evadit, alvus fere aſtricta, et ſenſilitas magnopere imminuta eſt.

Huic corporis conditioni mentis functiones omnino quadrant; nam, intellectus percipiendique facultas tarda atque inertia occurrunt; ideae non niſi pigre in ordinem rediguntur.

Lentius atque tardius, quam ulli alii, odio, amore, vindicta, aut gaudio excandeſcunt; quicquid autem ingenio vel animo ſemel ſuſcipiunt, ſumma pertinacia proſequuntur.

Ab hoc autem corporis et animi habitu, omni prorſus re differt temperamentum ſanguineum; quod, ut de aliis fileam, capillis inſignitur mollibus atque humidioribus, colore nunc rubeſcente, nunc candente, vel quovis ullo alio, ſi modo nigrum excipias, inditis, nec ut in melancholico tam multiplices ſinuantur in orbes, florida plenaque facie, molliori atque laeviori cute, corpore craſſo, lepido, laetoque fronte, muſculari prompto ac agili motu pollet; alvus laxior fere ſeſe habet, ſenſilitas exquiſita eſt, acumen ingenii impigrum, ſermones alacres, denique animus perfacile pathematibus afficitur hilaribus et jucundis.

Ex lineamentis horum temperamentorum ſupra deſcriptis, manifeſto conſtat, quod inter ſe longe lateque differant, et hancce diverſitatem, ex quadam cauſa cuique propria originem ducere, nemo ſanus negabit; qua ex re talis pendeat cauſa, proxime explorandum venit.

Imprimis, praemonendum eſt, ſanguinis molem in melancholico longe aliter quam in ſanguineo diſtributam eſſe; in illo enim in venas, in hoc autem temperamento in arterias praeponderat, ut ab erudito Gaubio bene his verbis obſervatum eſt.

" In

" In ſtrictioribus contra corporibus vaſa majora magis diſtenduntur, venaeque, prae arteriis, laxiores ultra modum tumeſcunt."

Senſilitas totius nervoſi ſyſtematis acutior aut hebetior, pro tenſione cerebri majori aut minori, redditur; et haec non ſolum a plenitudine ejus arteriarum, ſed a celeritate, qua per has propellitur ſanguis, dependet; ad hanc rem elucidandam phrenitis et ſyncope pro exemplis inſerviant. In priori, ſanguis ad cerebrum majori ſolita copia mittitur; ac porro per vaſa ejus, et praeſertim arterias, rapide pellitur, a quo ſyſtema tam ſenſile redditur, ut ſonus aures, vel minimus, vel lucis impreſſio quantulacunque, oculos offendat.

In ſyncope vero, ſanguine vix uſque ad cerebrum adveniente, corpus fere omnino inſenſile evadit.

In melancholico temperamento arteriae totius ſyſtematis, et ideirco etiam cerebri ex cauſa ſupra memorata, non ſolum minorem ſanguinis copiam, quam in ſanguineo temperamento continent, ſed etiam hanc ipſam torpide tardeque propellunt; quocirca cerebri tenſio, vel vigor temperamento melancholico minor eſt; et hinc ſenſilitas totius nervoſi generis, in eadem ratione minor eſt, et inde etiam irritabilitas muſcularium fibrarum, quae ſenſilitati nervoſi ſyſtematis ſemper reſpondet, obtuſior efficitur, quam in ſanguineo; in hoc enim arteriae amplius diſtenduntur, et ſanguis per illas velocitate majori tranſit; et hinc tonus ſeu tenſio cerebri, et inde ſenſilitas nervoſi ſyſtematis in genere, ſed ſpeciatim muſcularium fibrarum, irritabilitas augetur.

His collatis, una primaria cauſa, cur circuitus in temperamento melancholico, quam in ſanguineo, tardior fit, liquido, ni fallor, appareat; ob torporem, nempe, ſive defectum irritabilitatis in cordis et arteriarum fibris muſcularibus.

Quidam, fortaſſe de hujuſce theoriae veritate dubitantes, pernibere conentur, quod irritabilitas muſcularium fibrarum, per ſtatum cerebri, vel vim nervoſam, minime afficiatur, has vero fibras per ſuam vim inſitam ſolummodo agere. Omnia proferre argumenta, quae ad hanc opinionem refellendam adduci poſſint, limitibus hujuſce diſſertatiunculae minime competit. Rationi maxime conſentaneum videtur, et per experimenta equidem confirmatum eſt, quod vis inſita muſculorum, muſcularium que fibrarum, a vi nervoſa dependeat, vel ei ad amuſſim congruat, ut ovum ovo; igitur utraque a cerebro earum ſcaturgine communi proveniunt.

Praeterea, ſenſilitas totius ſyſtematis, et irritabilitas muſcularium fibrarum, abſque cerebri tono, ſeu tenſione, augeantur, quo magis arteriae, quae et fibras muſculares, et cerebrum,

brum, nec non nervos, jugiter ſuppeditare obſervantur, a ſanguine diſtenduntur, et quo celerius hic ſanguis earum lumina percurrit; phlegmone hujus opinionis praebet illuſtrationem. Et, nonne ſenſilitas ſanguinei temperamenti major, ab evolutione phlogiſti, per actionem arteriarum magis acceleratam, extricati redditur?

Talem opinionem confirmare videtur, quod omnibus notum eſt, vim ſcilicet vitalem praecipue a calore pendere; et, cum hic magnopere minuitur, ingens torpor inſenſibilitaſque oritur, ut in veſpertilionibus, aliiſque avibus quae per totam hiemem vita quaſi orbatae videntur; ſi hoc verum eſt, in promptu erit rationem reddere, cur ſenſibilitas irritabilitaſque, in temperamento melancholico, valde minora eveniunt, quam in ſanguineo, nempe, quia in illo arteriarum actio minor eſt, et non niſi in parva copia evolvitur phlogiſton *.

Denique, conditio ſolidi ſimplicis in ſingulo temperamento diverſa notam diſcriminis exhibet. Procul dubio etenim ſtatus eſt flexibilitatis, et elaſticitatis hujus organi, motui muſculari prompto et facili accommodatiſſimus. Hac conditione ſanguineum temperamentum gaudere, melancholicum autem rigiditate errans carere videtur. Ex hac rigiditate fit, quod motus muſcularis tardior et difficilior evadat.

Poſtremo, quoniam membranae finibus nervorum obductae in temperamento melancholico, in genere denſiores atque rigidiores ſunt, quam in ſanguineo, neceſſe eſt, ut impreſſio, quae in temperamento ſanguineo ſenſationem ciere queat, nullam in melancholico excitet; condenſatio cutis manuum opificum aucta, et inde ſenſilitas ejus partis imminuta, nemini ignota ſunt.

Ex omnibus ſupra dictis, cauſam colligere poſſimus, cur ſenſilitas ſyſtematis temperamenti melancholici obtuſior eſt, et motus ejus et munia corporea in genere torpidiora atque tardiora occurrunt.

Tranſeundum ſit ad cauſam animi, in utroque temperamento, diverſitatis inveſtigandam; ſed de hac valde perfunctorie tantum dicere licet; obſervatio quotidiana clare oſtendit, inexplicabilem quandam ſympathiam corpus inter et animum exiſtere; quo magis corpus validum, et naturaliter ſenſilius eſt, eo animus hilarior, atque erectior, ſeſe habet; et vice verſa:

Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque. VIRG.

* Clariſſ. Duncan, in praelectionibus ſuis medicinae inſtitutionum academicis, an. 1772, calorem animalem, a phlogiſto, vaſorum ſanguiferorum actione, explicato pendere, primum edocuit.

DIA-

## DIAGNOSIS.

Hyſteria, dyſpepſia vera, et melancholia, ſoli videntur eſſe morbi, qui hypochondriaſis ſpeciem prae ſe ferre, talique ſub larva medicum fallere queant.

De his igitur ordine. Si vel auctoritatem priorum ſerviliter ſequi, vel ab analogia tam aliena, opiniones male ſtabilitas tradere medici, haud tam proclives fuiſſent, proferre diſcrimen hyſteriam inter et hypochondriaſin vix opus eſſet, ſaltem primo utriuſque inſultu; hoc etenim tempore ulli vix alii morbi magis inter ſe differunt; etſi autem hyſteria, poſtquam diu duraverit, ſymptomata hypochondriaſi exſerat ſimilia, uti ſunt dyſpepſia, inflationes, appetentia cibi prava, &c. haec a debilitate per crebros violentoſque paroxyſmorum regreſſus illata oriuntur.

Quoniam hypochondriaſis et hyſteria jam diu a ſpectatiſſimis medicis pro morbo eodem tractatae ſunt, nos magis dilucidos accuratoſque eſſe oportet in iis dignoſcendis; eo igitur, memoriae cauſa, in quatuor capitula, quae de diagnoſi dicturi ſumus, dividere libet; quorum in primo, De cauſis eorum remotis; 2do, De cauſa proxima; 3tio, De ſymptomatibus; 4to, De cura, agemus.

Quoad cauſas remotas: Hypochondriaſis ſexus virile, hyſteria foeminas, raro aut nunquam viros, adoritur.

Diverſis porro vitae periodis annique temporibus occurrunt. Temperamentum melancholicum hypochondriaſi praecipue obnoxium eſt, hyſteriae vero ſanguineum; proinde hypochondriaſis plerumque non niſi aetate ad ſenium vergente occurrit; quo tempore libramen ſanguinis, ob rigiditatem arteriarum auctam, magis magiſque in venas divertitur; hinc ſenſilitas imminuta; hieme etiam ſaepiſſime incipit, cum ſanguis ab externis ad corporis internas partes determinetur, et torpor ſyſtematis per frigus augeatur.

Hyſteria primos fere facit impetus ſub vitae meridiem; et tum idcirco plethora praevaluerit, per quam ſenſilitas valde exquiſita redditur; hoc confirmatur obſervando, hyſteriam frequentius occurrere juxta periodum tributum lunare ſolvendi, vel hocce morbide impedito; quinetiam, tempeſtate aeſtiva, cum ſenſilitas et mobilitas ſyſtematis, et fortaſſe hilaritas animi, per calorem temporis genialem, augeantur. Inſuper, inſenſilis atque torpidus corporis habitus homines hypochondriaſi opportunos reddit; e contra, illae, quibus ſenſilis atque mobilis tum animi tum corporis habitus eſt, hyſteriae maxime accommodatae ſunt. Quod ad cauſam proximam attinet;

tinet; nihil aliud esse videbitur in hypochondriasi praeter generalem systematis torporem, qui digestionis organa praecipue et systema sanguiferum impetit; inde eorum munia manca atque vitiata valde evadunt.

Causa autem proxima quae hysteriae originem praebet manifesto est intestinorum spasmus, qui ex causis atoniam et mobilitatem generantibus originem ducit; et inter tales fortasse referri meretur ardens et immane desiderium libidini venereae indulgendi; cur tubus intestinalis, prae caeteris, afficiatur, sensilitas ejusque mobilitas major, in causa esse videtur.

De symptomatibus. Quanquam spasmi quandoque intestinorum et gulae in hypochondriasi accidunt; tamen ab imo ventre oriri, vel in ejus cavo locum subinde mutare, et tandem ad fauces ascendere, nunquam observati fuerunt; sed in hoc malo, ubi incipiunt, ibi, sede immutata, manent.

Quinetiam, quamvis respiratio hypochondriasi laborantium a spasmo oesophagi, speciem globi hysterici prae se ferenti, paululum impediatur; tamen nunquam tam magnus exoritur, ut aegro suffocationem minitetur. Praeterea umbilicalis regio in hypochondriasi prominet, sed in hysteria retrorsum deprimitur; et, quanquam in priore dolor fixus, et uni parti capitis insidens, clavumque hystericum referens, aliquando occurrit; talis tamen affectio haud frequens est, et forsitan vix unquam, nisi in ea hypochondriasis specie quae, ab hysteria ortum ducens, ejus magna ex parte typum induit, oritur. Porro, hypochondriaci contractionibus convulsivis nunquam exercentur, nec animo deficiunt, nec sensu et motu sic orbati sunt, ut de iis conclamatum sit; cum, e contrario, hysteria laborantes saepius in tanta animi deliquia incidant, ut prostent exempla, quae confirmant, earum nonnullas pro revera mortuis sepulchris reconditas fuisse.

Denique, hypochondriaci nunquam valetudine per intervalla fruuntur; hysterici fere duos inter paroxysmos illibata gaudent sanitate. Confirmata et pura hypochondriasis vix unquam sanatur; hysteria, licet pertinacissima, saepissime arti salutiferae, aut ipsius naturae viribus, auscultat.

Quoad curam: Emigrationem in regionem calidam pro hysteriae medela, nemo certe admoneret; sed, contra, hypochondriacis valde prodest calida coeli temperies; nam corporis irritabilitatem auget, quae hysterico laborantibus malo jam nimis exquisita est. Medicamenta stimulantia, quae in hypochondriasi prosunt, in hysteria saltem per paroxysmi intermissionem nocent; contra, balneum frigidum et astringentia, sensilitatem mobilitatemque imminuendo, in hysteria utilia sunt;

ſunt; in hypochondriaſi, rigiditatem atque torporem augendo, obſunt; balneum calidum, quod ſaluti eſt hypochondriacis, hyſtericis officit.

Sed quomodo vera et ſimplex hypochondriaſis a dyſpepſia dignoſcitur? Vid. Tom. ii. p. 4.

Poſtremo hypochondriaſin inter et melancholiam diſcrimen aliquod ſtatuendum eſt. In melancholia vera animus male ſeſe habet, abſque laeſione corporea evidenti; et, quanquam in hoc malo, ut in hypochondriaſi, animus uni tantum ſimul et ſemel negotio vel cogitationi affigitur, priori tamen laborantes morbo propoſiti tenaciores inveniuntur; quinetiam, in morbo hypochondriaco, animus fere triſtis ſeu meticuloſus eſt, at melancholici jucundis et ludicris imaginibus aliquando verſantur, huc ſpectat, quod reges vel principes ſe eſſe existimant, ut ſic cantat Horatius:

"Hic ubi cognatorum opibus curriſque refectus,
Expulit elleboro, morbum bilemque meraco,
Et redit ad ſeſe, Pol! me occidiſtis amici,
Non ſervaſtis, ait, cui ſic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratiſſimus error."

## CAUSAE REMOTAE.

Temperamentum melancholicum, tum propter libramen ſanguinis in venas magis mutatum, tum propter torporem in genere totius ſyſtematis, coacervationibus internis, praeſertim vero in ſyſtemate venae portae, porro, indigeſtionibus et aliis munium naturalium vitiis, eximie obnoxium eſt, et ſic corpus magnopere huic morbo praediſponit.

Sexus virilis, quia minori irritabilitate gaudet, denuo, iis cauſis, quae hunc ſtatum torporis augent, magis quam ſexus ſequior, exponitur.

Senectus in ultimo vitae ſtadio.

Hac aetate non ſolum cauſae, quae temperamentum melancholicum huic opportunum reddunt, ingraveſcunt, ſed etiam vigor vis nervoſae imminuitur, hoc eſt, imbecillitas torpori additur.

Hypochondriaſis nunquam in prima aetate occurrit, juventutem raro infeſtat; circiter vero vel poſt annum trigeſimum quintum plerumque ingruit.

Tales ſunt etiam cauſae quae per actionem diutinam talem corporis habitum inducunt, qualis morbo, cauſa efficiente obtata, obnoxior redditur, vel ei ortum praebere poſſunt; huc pertinent omnia quae

A. Torporem tum corpori tum animo inſitum augent, uti ſunt,

a. Gravis atque diutinus labor,

b. Aſtringentia et tonica, ſive interne ſive externe, diutius adhibita,

aa. Aqua gelida, glacies ipſa, cortex Peruvianus, &c. interne aſſumpta, et frigus externe admotum,

c. Liquidorum uſus praetermiſſus.

Sequentia praecipue torporem animi augent:

d. Meditatio aſſidua de re unica, quae maximam exigit attentionem,

e. Vita ſine animi oblectamentis peracta,

f. Atra nebuloſaque tempeſtas.

B. Quae vel ſyſtema in genere vel digeſtionis viſcera praecipue debilitant.

a. Pathemata animi, talia ſunt aeſtus, irae, metus, ſpes fracta, &c.

b. Venus immoderata.

d. Evacuationes, praecipue ſanguinis, immoderatae.

c. Emetica et cathartica acria ſaepius repetita.

e. Morbus, praecipue arthritis, vel hyſteria, vel febres intermittentes, inveteratae.

f. Lucubrationes.

g. Vita ſedentaria.

h. Ingurgitatio ſtimulantium, ut aromaticorum, ſpirituoſorum calidorum, ſaepius et diutius, quam par eſſet, iterata.

i. Sedativa, opium, nempe, et nicotiana, &c. crebro nimis adhibita.

j. Diſtenſio ventriculi et inteſtinorum, a cibo, flatu, faecibuſque immenſa.

k. Aceſcentium fermentationique proclivium uſus.

C. Quae ſanguinis progreſſum, ſive per totum ſyſtema, ſive per interiora, aut retardant, aut impediunt.

a. Plethora.

b. Dilatatio thoracis per arctas loricas, &c. inhibita.

c. Scirrhi in viſceribus.

A. *Quae torporem tum corpori tum animo inſitum augent.*

a. *Gravis atque diutinus labor.*—Uti rigiditas et torpor, qui ſenectutem comitantur, propter longa ſaepiuſque repetita vi-

tae

tae munia adducuntur, ſic per gravem diuturnumque corporis laborem eadem vitia praemature inferuntur.

b. *Aſtringentia et tonica, ſive interne ſive externe, diutius adhibita.*—Aſtringentia et tonica in genere, quo magis robur tonumque ſyſtematis augent, eo magis ſenſilitatem ejus et irritabilitatem imminuunt; huc referuntur,

aa. *Aqua gelida, glacies ipſa, cortex Peruvianus, &c. interne aſſumpta, et frigus externe admotum.*—Perhibitum eſt frigus aſtringente, ſtimulante, nec non ſedativa vi gaudere.

Vires aſtringentes in corpora animantia, aeque ac vita carentia, exſerere, ſatis manifeſtum eſt; virtutem vero immediate ſtimulantem frigori ineſſe, nequaquam veriſimile mihi videtur; et exiſtimare volo, frigoris effectus in corpora animalia exſertos eſſe protinus ſedativos, et, quum ſtimulare videatur, tantum eſt reactio, ſeu operatio vis medicatricis, ad effectum frigoris ſedativum ſubmovendum; porro, ſedativi frigoris effectus liquido appareant, quando ejus vires viribus naturae medicatricibus ſuperiores evadunt; hinc inſenſilitate et torpore corpus teneri incipit.

Si ergo aqua gelidiſſima, ſive glacies ipſa, ab aliquo temperamentum torpidum nacto, in ventriculum per diuturnum temporis ſpatium deſumuntur, vel ſi ejus corpus brevi tantum frigori multo majori, quam ut a viribus naturae medicatricibus ſuperari queat, ſubjicitur, inſenſilitas et torpor, ſive totius ſyſtematis, ſive ventriculi, cito inferuntur; paſtremo, ſi temperies frigoris parum intenſa, ſed diutius corpori adhibeatur, tamen inſenſilitatis torporiſque ſtatus nihilominus ſeſe ſenſim inſinuat; huiſce adjice, quod frigus ſolidum ſimplex conſtringat, ejuſque rigiditatem adaugeat, et ſic vires motrices corporis hebetet; huc ſpectat balneum frigidum, plaga gelida, tempuſque hiemale.

c. *Uſus fluidorum praetermiſſus.*—Quoniam corporis organa flexibilitate quadam gaudere neceſſarium eſt, ita ut ejus munia promptius et facilius peragantur, fluidis, quae continuo corporis jacturam compenſent, opus eſt, ut omnes partes flexibilitatem idoneam nanciſcantur; his vero omiſſis ſupplementis, ſolida corporis ſiccora rigidioraque evadunt, et hinc torpor oritur, vel ſaltem magnopere augetur.

*Torporem animi augentia.*

d. *Meditatio aſſidua de re unica, quae maximam exigit attentionem.*—Menti humanae proprium eſt, ut non niſi uni cogitationi eodem tempore incumbat, omneſque alias huic diverſas, vel penitus rejiciat, vel invitam aut levem iis attentionem

praebeat, et neceſſe eſt, dum ſic in unica re volutanda diu ſit occupata, ut hebetudo quoad omnia alia ſequatur.

e. *Vita ſine animi oblectamentis peracta.*—Uti corpus ſtimulis immune, ſomno obrui ſolet, ſic animus nulla ab exercitiis jucundus hilaritate fruens, in inertiam moeſtitiamque labitur.

f. *Atra nebuloſaque tempeſtas.*—Tum propter frigoris tempore hiemali ſeveritatem, tum etiam coelum propter lugubre crebro tunc temporis occurrens, in numero cauſarum recenſeri debet. Omnes in ſemetipſis experiuntur, quantopere genus humanum aeque ac alia animalia afficiuntur, quando tempeſtatibus nimboſis ingruentibus, terris quaſi nox atra incubare videtur.

B. *Quae vel ſyſtema in genere, vel digeſtionis viſcera, praecipue debilitant.*

a. *Pathemata animi, aeſtus irae, &c.*—Inter omnes convenit, aliquid a cerebro per nervos in muſculos muſculareſque fibras, motui eorum neceſſarium, deductum eſſe, et hoc per quemque motum muſcularem, vel jacturam aliquam, vel mutationem ſubire, unde gradatim poſterior quique motus priori magis magiſque debilior redditur, ſi ſuppeditatio, vel reſtitutio vis vel fluidi nervoſi ei jacturae, vel commutationi non adaequata eſt.

Per aeſtum iracundiae fere omnes muſculi muſculareſque fibrae corporis in actionem violentiſſimam protinus incitantur, quae, dum adeſt, cujuſdam a cerebro recepti jacturam, vel commutationem, ſuppetiis a fonte primario emiſſis, majorem efficit; hinc, ira ceſſante, corpus multo debilius redditur. Sed nonne partes ipſae organicae per contractionem muſculorum, et nimium ſanguinis impetum talem laeſionem ſubeunt, ut muniis ineptae reddantur, etſi vis nervoſa in illas illibata adveniat?

Metus, ſpes fruſtrata.—Quomodo haecce, nulla actione mechanica indita, protinus in ſyſtema debilitatem inferre valent, admodum explicatu difficile; ſedativae eorum dotes luce ſunt clariores, modus autem operandi primarius tenebris obrutus manet.

b. *Venus immoderata.*—Eodem modo hujus cauſae effectus explicandi ſunt, quo antea iracundiae operationem elucidare conati ſumus; non enim arbitrari licet, quod debilitas coitum ſubſequens evacuationi imputanda ſit; nam corpus jacturas multo majores abſque tam gravi debilitate ſufferre valet; nec unus eſt, vel alter coitus, qui debilitatem diuturnam, vel mali ominis inferunt, ſed repetitio ejus poſt intervalla nimis brevia,

brevia, hoc eſt, priuſquam elabitur tempus, quod ſyſtema exigit, ut ex imbecillitate, a priori coitu allata, ſeſe reficiat.

Hae cauſae vigorem ſyſtematis in genere, praecipue vero ventriculi, et ductus inteſtinalis frangendo, debilitatem nativo torpori adjiciunt, cui cito ſupervenit hypochondriacum malum.

c. *Emetica et cathartica acria ſaepius repetita.*—Pari etiam modo mala, quae ab his oriuntur, explicare licet. Vim vero ventriculi inteſtinorumque magis immediate imminuunt, et ſic hypochondriaſis ingreſſui maxime favent.

d. *Evacuationes, praecipue ſanguinis, immoderatae.*—Non ſolum cerebrum ſpeciatim, ſed ſyſtema in genere exigit, ut vaſa ſanguifera juſte diſtendantur, ut corpus tono vigoreque ei neceſſariis gaudeat; quinetiam, vaſa ipſa quodammodo dilatari neceſſe eſt, ut fluida, undique aequaliter compreſſa, per vaſa minima facilius propellere poſſint. Contra vero, ſi vaſa ſunt prope inania, ſyſtema totum langueſcit; hinc ſanguis ad corporis ſuperficiem haud emiſſus, interiora tenet, et ſic munia corporis tota turbata pravaque eveniunt.

e. *Morbus praecipue arthriticus, hyſtericus, vel febres intermittentes inveteratae.*—Nemo ignorat, unumquemque morbum, qui diu hominem vexarit, ejus corpus plerumque debilitatum labefactumque relinquere, praecipue vero ſyſtema ſanguiferum et ductus alimentaris patiuntur; hinc coacervationes ſanguineae, et cruditates internae talium morborum veſtigia preſſe ſequuntur, et viam hypochondriaſi ſternunt, praeſertim ſi torpida praediſpoſitio corpori naturaliter inſit. Illi vero morbi arthritis, nempe, hyſteria, et intermittentes febres, qui illas potiſſimum partes infeſtant, quas hypochondriaſis ſemper maxime impetit, admodum accommodati ſunt ad hocce malum inferendum. Poſtquam arthritis diu ventriculum, et hyſteria inteſtina torſerint, ibi tandem atoniam, et dehinc hypochondriaſin, gignunt; et veriſimile eſt, quod haecce hyſteriae tranſmutatio ſcriptoribus anſam utrumque quaſi unum morbum tractandi praebuerit. Febres intermittentes, etiam inveteratae, propter nimiam ſanguinis determinationem, quam in viſcera abdominalia reiteratis paroxyſmis producunt, tandem tonum vaſorum protinus abolere valent; et hinc accumulationes ſanguinis et infarctiones, maxime in ſyſtemate venae portae, naſcuntur.

f. *Lucubrationes.*—Corpus, tam per animi negotia, quam per ſuos motus, debilitatur; haec etenim vim ſive tonum cerebri, a quo vigor ſyſtematis pendet, immediate obtundunt et labefactant; et hoc praeſertim accidet, ſi ſomno, qui ad

vires

vires tum animi tum corporis reſtaurandas neceſſarius eſt, frui per lucubrationes non conceditur.

g. *Vita ſedentaria.*—Vires ipſius cordis et arteriarum, ad ſanguinem debita velocitate, per totum ſyſtema propellendum, haud ſufficiunt; ut hoc igitur ſatis commode fiat, totius corporis motus exigitur; hoc vero neglecto, in interioribus cohibetur ſanguis; hinc ibi congeſtiones, vaſorum praeter modum diſtenſiones, et inde atonia et ſtagnationes, mala, quae certiſſime in hypochondriaſin pullulabunt, aboriuntur.

h. *Ingurgitatio ſtimulantium, ut aromaticorum, ſpirituoſorum calidorum, ſaepius et diutius, quam par eſſet, iterata.*—Noxia virtus his omnibus ineſſe videtur, quae in nervos ipſius ventriculi, atque fibrarum muſcularium, ita impetum facit, ut actioni vis nervoſae exſerendae reddantur inepti, et, hocce vitium ab iterata celeriter fibrarum incitatione ſolummodo oriri poſſe, minime liquet.

i. *Sedativa, opium nempe, et nicotiana, &c. crebro nimis adhibita.*—Funditus elucidare modum, quo in corpus ſedativa agunt, haud me penes eſt; quod autem mediocris hypnoticorum doſis pro tempore quodam ſenſilitatem ſyſtematis, et irritabilitatem imminuit, manifeſto liquet; ſi haecce ergo frequenter diuque aſſumuntur, tandem habitum inducunt torpidum, praeſertim vero in partibus, quibus ſtatim admoventur.

j. *Diſtenſio ventriculi et inteſtinorum a cibo, flatu, faecibuſque immenſa.*—Fibrae muſculares, ut omnia corpora elaſtica, nonnunquam laxae flaccidaeque reddi poſſint; ſi vero certum ultra finem extendantur, nunquam tonum priſtinum recuperare queunt.

k. *Aceſcentium fermentationique proclivium uſus.*—Fructus acido-dulces, praecipue immaturae, copiam aëris magnam laxe cohibiti continent, qui igitur celerius extricatur, quam ventriculus, praeſertim ſi torpore laborat, eum involvere valet; hinc ultra modum diſtenditur, et ejus tonus modo jam dicto imminuitur. Hae vero vegetabilium ſpecies quantitate acidi copioſa gaudent, quod per vim ejus ſedantem ventriculi robur magis magiſque extenuat.

Ex omnibus jam de hypochondriaſis natura prolatis, luculenter, ni fallor, apparet, quomodo cauſae ſupra enarratae ejus ſeminia foveant, et morbo ortum praebeant.

C. *Quae ſanguinis progreſſum, ſive per totum ſyſtema, ſive per interiora, aut retardant, aut impediunt.*

a. *Plethora.*—Si vaſa ſanguifera ultra modum dilatantur, ut in plethora fit, eorum actio ad ſanguinem ad exteriora emittendum non ſufficit; hinc ſtagnationes oriuntur. Inter haſce cauſas

cauſas enumerari merentur menſes vel haemorrhoides per longum temporis ſpatium obſtructae, conſtrictio ſpaſmodica ad corporis ſuperficiem, ex frigore vel pathematibus deprimentibus, quae ſanguinem in interiora vaſa repellunt; his quoque addatur victus plenior, praecipue ex regno animali, qui ad inducendam plethoram accommodatiſſimus eſt.

b. *Dilatatio thoracis per arctas loricas, &c. inhibita.*—Ad finem expirationis tranſitus ſanguinis per pulmones, ejus ingreſſus ex venis cavis in auriculam dextram, ejus denique iter per varias partes corporis, ex quibus ſanguis ad cavas defertur, paulisper impeditur, ſic inſpiratio neceſſaria evenit ut libere tranſmittatur; ſed, ſi dilatatio thoracis per veſtimenta compreſſoria cohibeatur, curſus ſanguinis neceſſario retardatur; et hinc coacervationes et obſtructiones, praecipue in viſceribus, et mala ab his orientia, occurrunt.

c. *Scirrhi in viſceribus.*—Quomodo ſcirrhi in viſceribus, venam portae comprimentes, lumina vaſorum oppilare queant, et ſtagnationem et ejus ſequelam producant, ſatis manifeſto liquet.

## CAUSA PROXIMA.

Hypochondriaſin a cauſis ſupra recenſitis, quae torporem naturalem adangent, vel ab his, quae corporis munia in genere, praecipue vero ductus inteſtinalis, vel impediunt vel debilitant, ortum ducere poſſe, ſatis conſtat. Si per priores cauſas inducitur morbus, neceſſe eſt, ut turpor cauſa ſit proxima; ſi vero a cauſis debilitantibus originem ducit, debilitas, nam utravis cauſa exiſtit proxima, ſi tollitur, morbus etiam tollitur.

Conſitendum vero eſt, quod debilitas ſola non ſufficit ortum praebere morbo, ſed neceſſarium eſſe videtur, ut torpor naturalis haud exiguus prius corpori adſit; nam omnibus notum eſt, quod debilitas major corpori et ductui inteſtinali, illis, qui habitu ſunt irritabiliori, occurrat; tamen ab hypochondriaſis inſultu immunes manent.

Quaecunque, ſive torpor ſolus, ſive cum debilitate torpor, cauſa eſt proxima, ſymptomata, quae ab utraque exferuntur, conſimilia ſunt; nam digeſtio, ſanguinis circuitus, denique omnia caetera munia corporis, aeque per torporem ſolum, ac per imbecillitatem cum torpore adunatam, prava evadant, et hypochondriaſin conſtituunt.

DIS-

## DISSECTIONES.

Diſſectiones clare demonſtrant, hypochondriaſin in vaſis viſcerum, maxime in venis meſentericis, et in illis, quae formant venam portae, et in hac ſemetipſa, regnare, et etiam ventriculum et inteſtina ab ea magnopere pati.

Cadaveribus enim diſſectis, abdomen ſero ſanguinolento refertum invenitur, inteſtina e propriis locis protruſa, congeſta, et tumoris inaequalis ſpeciem praebentia, adhaerentia, condenſata, rigida, livida, et etiam ſubatra, duris ſtercorariis repleta obſervantur; porro, in lucem prolatae ſunt diſſectiones, quae venas meſentericas turgidas atque varicoſas eſſe, omentum duritie ligamentoſa inditum, ventriculum dilatum atque continentem liquorem ſubnigro colore, tetro atque foetore, oſtenderunt. Superficies interna colore nigro ac leviter fuſco imbuta eſt, et pylorum dura gangraenoſa tubercula obſident; memoriae etiam traditur, ſplenem valde amplificatum eſſe, pancreatem oppilatum, ſcirrhoſum atque ulceratum. Idem etiam de hepate dici poteſt; nam moles ejus ſaepe enormis invenitur, aliquando etiam ſcirrho, et inde imminuta mole, laborat. Veſica fellea ſubatram luteamque materiem continet. In thorace occurrit fluidum, ei, quod in abdomine inventum fuit, perſimile; pulmones ſaepiſſime induratae ſunt. Medulla cerebri praeter modum dura evenit, et cranium ubique intus fluidi extravaſati copia abundat.

## RATIO SYMPTOMATUM.

Tam multa tamque varia ſymptomata in hoc morbo occurrunt, ut plane nobis confitendum ſit, quod ea ſigillatim explicare extra ingenii noſtri vires ſitum eſt; ſatis ſit igitur, ut de primariis pauca dicamus.

*Cibi appetentia modo ſolito major, modo prava, ſaepe autem penitus proſternitur.*—Omnibus vel mediocriter phyſiologiae peritis notum eſt, cibi appetitum ex ventriculi tono pendere; haud igitur mirum eſt, quod hoc morbo laborantibus deſit, cum cauſae tam multae, ſordes ſcilicet putridae vel acidae flatuſque ventriculo inſunt, quae vim atque tonum muſcularium fibrarum imminuunt; quum vero appetentia prava et quaſi canina evadat, a colluvie tam acri eveniente, ut fibrillas ventriculi nervoſas irritet, ortum trahit.

*Potus faſtidio habetur.*—Ut ſenſatio ſitis a faucium primarumque viarum ſiccitate praecipue naſcitur, ſic, quoniam hae partes, in hypochondriacis, fuſe a ſalivae illuvie irrigantur, ſitis

ſitis incommodum tantum abeſt, ut fluida omnia faſtidio habeantur.

*Plumbeus dolor, cibo deglutito, in ventriculo.*—Quo tonus muſcularium ventriculi fibrarum validior eſt, eo arctius ſingulum cibi bolum certam ad quantitatem deſumpti amplectuntur; ſi vero tonus earum ſolito remiſſior evadat, ab omni cibi portiuncula, quae fundum ventriculi petit, dilatantur fibrae; hinc praebetur ſenſus plumbei doloris.

*Paulo ſerius inflationes, &c. adoriuntur.*—In ventriculo ſano, aër per cibi digeſtionem extricatus protinus in ſtatum commutatur fixum; ſi vero vel torpore vel imbecillitate laborat, aër liber remanet, inde oriuntur diſtenſiones et ructus, qui illud, quo ventriculus maxime abundat, ſapiunt; ac, ſi in inteſtina irruunt flatus, rugitus ſeu borborygmi eduntur.

*Nauſea.*—Uti certus atoniae gradus ortum anorexiae praebet, ſic nauſea, quod tantum eximiae anorexiae ſignum eſt, pro cauſa atoniam ejus majorem agnoſcit, quae vel a cibo, flatu, vel colluvie, vim magnam ſedativam nacta, exoritur. Quod ad ſenſationem nauſeae ipſius attinet, ſtatum ventriculi quendam vomitioni paratum, ubi primum cauſa huic fini aequalis ſeſe obtulerit, deſignat.

*Dolor circa cardiam rodens.*—Haec ſpecies doloris procul dubio ab acri colluvie illam ſenſilem partem irritante ortum ducit; ſaepiſſime autem dolores in hypochondriaſi hunc locum tentant, qui affectionibus ſpaſmodicis vel motui periſtaltico inverſo referendi ſunt; unde accidit, ut motus hicce undulatorius, apud eam ventriculi partem, quae cardia nominatur, impediatur et quaſi accumuletur.

*Ingeſta rejiciuntur.*—Jam diximus, nauſeam ab anorexia gradu tantum differre, et haud iniquum eſſe videtur, idem de vomitu quoad nauſeam aſſerere; nam vomitus nihil aliud eſſe videtur quam major nauſeae gradus; hinc neceſſe eſt, ut ab atonia majori oriatur, equidem vero vomitus a ſtimulo quam colluvies valde acris praebet, excitari poteſt. Vomitio ipſa, vis medicatricis molimini, per quod vel ventriculi tonus reſtituatur, vel materies inimica ejiciatur, attribuenda eſt.

*Haec ſymptomata poſt macularum eruptionem leviora reddunt.*—Cum Boerhaavii ſectatoribus haud conjicere licet, quod haec remiſſio ſymptomatum materiae morbidae expulſioni referenda eſt; nonne multo magis rationi conſentaneum eſt, has maculas verum exhibere ſignum, ventriculi tonum, cum vaſorum extremorum in ſuperficie corporis tenſione, a ſanguine per actionem vomitionis ibi adducto, recuperatum eſſe?

*Inflationes, diſtenſiones, ſpaſmi, &c. ſub coſtas ſpurias, praecipue in hypochondriorum ſiniſtra regione, inteſtina tentant.*—

Sine dubio omnia haec mala ab eodem fonte, cum ventriculi affectionibus, profluunt, a flatibus, scilicet, et sordibus in tubo intestinali stabulantibus, illi per distensiones, hae per vim sedativam tonum intestinorum frangunt; et hinc oriuntur spasmi, hos enim atonia gignit; haec symptomata pars quaelibet intestinorum in hypochondriis sita praecipue patitur; nam hic, propter eorum convolutiones, transitus contentorum magnopere retardatur, quocirca causae nocentes has partes maxime labefactant; multo autem magis haec symptomata illa coli portiuncula in hypochondrio sinistro posita occurrunt, quia hic loci flexura ejus, sygmoidea nuncupata, formatur, unde progressus omnium necessario difficilior fit; et idcirco fortasse flatus, hic incarceratus, tumori duriusculo causam praebebit.

*Ventremque nephriticos colicosque cruciant dolores.*—Priores a spasmis renes occupantibus dimanare videntur; colici dolores eodem explicantur modo quo inflationes, distensiones, spasmi, &c. de quibus paulo ante diximus.

*Alvus pertinaciter astricta, aliquando liquida.*—Constipatio ventris liquorum diluentium inopiam subsequitur; sed etiam a torpore et imbecillitate ductus intestinalis provenit; propter has etenim causas progressus ingestorum tardus est, hinc et stagnatione et absorptione magna, valde dura et sicca redduntur. Cum constipatio diarrhoeae cedat, dicere libet colluviem tam acrem evenisse, ut intestina irritet, et motum eorum peristalticum praeter modum augeat.

*Sputatio continua.*—Quoniam succus pancreaticus salivam fere ad amussim refert, eruditus et cel. V. Swieten autumavit, quod sputatio copiosa illud viscus obstructum esse notaret; unde liquor quem pancreas secernere debet, secundum legem systematis, ad glandulas salivarias secernendus adducitur. Nonne vero referri potuit motui inverso seu antiperistaltico tubi intestinalis, quo mucosae oesophagi glandulae valde emulgentur, et occasio tantae sputi copiae praebeatur?

*Nocturna quies turbatur.*—Minime mirum est, ut somnus vel diuturnus vel reficiens, in hoc morbo perraro occurrat, quando causis tam gravibus impedimentis, nempe munium, tum mentis tum corporis depravationibus, nec non stimulis deductis a faecibus sordibusque in ductu alimentario congestis, systema laborat.

*Palpitationes cordis.*—Si haec a causis repente oblatis, uti a metu, vel terrore, &c. non excitantur, haud improbabile est, a mole sanguinis majori, quam venae recipiunt, generari, unde plus sanguinis, per ejus diastolen, in auriculas defertur, quam cor, propter torporem ejus, per systolen ejicere valet; hinc

hinc quaedam coacervationes, et inde palpitationes, naſcuntur.

*Pulſus tardus eſt et durus.*—Ille propter irritabilitatis defectum ſeu torporem, hic ob denſitatem et rigiditatem arteriarum, ſic ſeſe habet.

*Reſpiratio difficilis, laborioſa, et paroxyſmi aſthmatici impetunt.*—Inflatio ventriculi, et inteſtinorum impediendo facilem diaphragmatis deſcenſum, laborioſam reſpirationem et difficilem efficit; quum vero anhelitus adeſt, ſpaſmo pulmonis obſideri oſtendit.

*Animus metui, moerori, &c. valde redditur proclivis.*—Obſervatio quotidiana ſympathiam eximiam corpus inter et animum ſemper exiſtere probat. Itaque ſi corpus, praeſertim vero ventriculus, et ductus inteſtinalis debilitatur, animus metu, moeſtitia, atque aliis pathematibus deprimentibus, afficitur.

*Atrae ſordes, &c. eliminatae.*—Haec colluvies eſt, cui Atraebilis nomen impoſuerunt antiqui, et eam cauſam hypochondriaſis unicam eſſe exiſtimarunt; at veritati maxime conſentaneum eſt, quod non cauſa ſed morbi ſit effectus, a progreſſu torpido, vel fere reſtagnato, ſanguinis in ſyſtemate venae portae exoriens; nati hinc obices majorem ſanguinis impetum excitant, ſic ut per arteriolas inteſtinorum exhalantes ſanguis copia nonnunquam magna penitus cogatur, qui, propter moram, et ex ea generatam putredinem, atraebilis quodammodo ſpeciem induit, tandem per vim a tergo extruditur, et poſtea vel ana vel cata eliminatur; ſed fortaſſe aliquando eveniat, ut ipſa bilis, propter torporem veſicae felleae longius quam par ſit cohibita, ſic re vera ejiciatur.

*Frequentes deſidendi conatus.*—Acredinem in tubo inteſtinali morantem ejus fibras ſaepius irritando, huic teneſmo occaſionem certam praebere poſſe, arbitramur.

*Lividae maculae et vibices, &c.*—Illae ſanguinem ſolutum et extravaſatum eſſe, nec non putredine corripi, hae venas ſanguine praegravatas oppilari atque diſtendi demonſtrant; in membris inferioribus maxime occurrunt, quia progreſſus ſanguinis hic valde tardus evenit.

*Vertigo et ſtupor.*—Haec exhibent ſigna vim vel vigorem cerebri deficere. Stupor a compreſſione, a polypis in ſinus vel venis ſanguine turgidis, emanari poteſt.

*Melancholia et mania.*—Procul dubio haecce a certa conditione morbida corporis fluunt; ſed quaenam ejus ſit natura, nos et, ut opinor, omnes latet.

## PROGNOSIS.

Haec ex morbi cauſis et ex ſymptomatum natura pendere videtur.

Si igitur morbus pro ejus cauſa torporis nativi exceſſum agnoſcat, quod conjiciendum eſt, ſi temperamentum melancholicum ſenectutem provectiorem impetiverit, talis eventus ſpes noſtras ſalutis vel funditus frangit, vel ſaltem ambiguas reddit; quoniam enim cauſa ipſi corpori congenita eſt, manifeſto conſtat, quod aeque difficile ſit tollere morbum, ac ex integro habitum commutare. Porro etiam, ſi malum hypochondriacum debilitati, quae ab aliis morbis, praecipue hyſteria, arthritide, febribus intermittentibus praegreſſis, illata fuit, et inſita evaſerit, ſuperveniat, mali ſemper ominis eſt.

Quinetiam, ſi affectio hypochondriaca pro cauſa ejus efficiente, tantum imbecillitatem agnoſcens, juveni occurrat, ſperare licebit, fore ut per vires naturae ſolas, hac aetate florentes, radicitus ſubigi poſſit.

Si vero hac aetate torpor naturalis ad tantum gradum pervenerit, ut morbum inducat, omnia in lubrico verſantur; quo etenim magis ad ſenium vergit aeger, eo magis ingraveſcit malum.

Si morbus e gravibus animi pathematibus, et praecipue immedicabilibus, uti ſunt amor, vel ſpes magna fruſtrata, pergravis jactura bonorum, interitus eorum, qui nobis cariſſimi extiterunt, aut tale quoddam infortunium, a ſcirrho denique viſcerum inveterato, provenerit, operam et oleum, quicunque eum ſanare aggreditur, perditurus eſt.

Poſtremo, hypochondriacum malum, menſtruorum vel haemorrhoidum obſtructioni ſuperveniens, dummodo hae iterum erumpant, fauſtum praebet ſymbolum; nec non etiam, quo pauciora lenioraque ſeſe ſymptomata habent, eo certius in vado aegri vita ponitur.

## METHODUS MEDENDI.

Licet hypochondriaſis a torpore ſolummodo ortum trahat, tamen in promptu eſt videre, quod haud diu ſubeſſe poteſt, priuſquam debilitatem, praeſertim in tubo alimentari, inducat; quocirca conjicere velimus, neceſſarium eſſe, quoniam hae conditiones, debilitas, nempe, et torpor, tam multum inter ſe differunt, eas ſigillatim perpendere, quia remedia, quae in illa proſunt, non ſolum in hoc ineſficacia ſunt, ſed etiam nocent; e. g. tonica et aſtringentia debilitatem imminuunt,

torporem

torporem vero adaugent; contra, ſtimulantia et emollientia in hoc proficiunt, ſed in illa ſtimulantia abſque tonicis irrita ſunt, et emollientia prorſus obſunt.

Debilitatem, priuſquam torporem, nos tractare oportet, quia medicamenta, quae ad hunc tollendum, debilitatem celerius, quam remedia, quae ad illam auferendam, exhibentur, torporem adaugere poſſunt; et incrementum debilitatis, ſeu atoniae, quam torporis, mala multo pejora producit. Verumtamen confitendum eſt, quod non ſemper et ubique ſeorſum tractari poſſint.

Ex his et aliis rationibus, exiſtimamus, methodum tractandi morbum in tres indicationes haud inique dividendam eſſe.

1ma, Obviam ire et ſubmovere cauſas, quae ſive debilitatem ſive torporem vel corporis vel animi augent, vel alioquin munia impediunt.

2da, Tonum vigoremque ſyſtematis, praecipue vero ventriculi et animi integritatem, reſtaurare.

3tia, Torporem imminuere, ſeu irritabilitatem ſyſtematis in genere, maxime autem ductus alimentaris, angere, animi denique alacritatem ſuſtentare.

Primo conſilio ſequentes competunt obſervationes.

Si dilatatio thoracis per arcta veſtimenta compreſſoria cohibetur, exui debent; denuo, ſi aeger plagam frigidam incolat, in calidiorem, puta, Hiſpaniam, Luſitaniam, Italiam, vel auſtralem Galliae regionem, in quamlibet, denique, quae nec tam frigida eſt, ut ſuperficiem corporis conſtringat, nec adeo calida, ut ſudorem cieat, emigrare oportet; nam nimis frigida coeli temperies tum debilitatem tum torporem adauget, immodice calida laxitatem inducit. Sin autem res aegri tam anguſtae ſunt, ut ei domum haud tranſmutare concedant, frigoris inclementis effectibus per amictus obviam eat. Praeterea, ſi morbus per ſedativa, vel ſtimulantia, quae tonum ventriculi frangunt, infertur, pedetentim a talibus cauſis abſtinendum eſt; ſyſtematis etenim legibus conſuetudinem ſtabilitam ſimul ac ſemel deponere, incongruum eſt. Acescentia, pro ratione jamdudum allata, effugienda. A concubitu, ſive legitimo ſive illicito, hypochondriacus ſemetipſum continere debet, dummodo abſque gravi animi incommodo fieri poteſt. Solitudinis deſiderio, quo hoc morbo laborantes tenentur, minime fas eſt indulgere, et a ſtudiis, in quibus proſequendis magna opus eſt attentione, ſummopere prohiberi debent. Omnia odii objecta ab oculis ſemovere oportet, ut ſolertiſſimus ille Celſus eleganter docuit, " non oportere eſſe ſolos, vel inter eos, quos aut contemnant, aut negligant." Omnes illae

illae cauſae, quae in hujus tentaminis primordio recenſitae fuerunt, amovendae ſunt.

Deinde medicus ad illa auferenda, quae corpori inſunt, et malum exaggerant, mentem intendere debet.

Si igitur adſit plethora, ut fieri poteſt, cum hypochondriaſis obſtructioni menſium, vel ſuppreſſioni haemorrhoidum, ſuperveniat, ſanguinem mittendi opus erit; et redintegratio plethorae, ſecretiones, praecipue perſpirationem, per corporis exercitium, promovendo, et cibo ex regno animali parce ſumendo, inhibenda eſt. His praemiſſis, ad modos, quibus praecipue morbus debellari poſſit, tranſeamus. Sanguine miſſo, ſordes uno vel altero vomitu, ſolito fortiori, propter magnum corporis torporem, ex ventriculo eliminandae ſunt, et vitia ex acido recenti orientia antacidis et abſorbentibus, magneſia, nempe, calcinata, oculis cancrorum, ſapone, et ſalibus alkalinis, curanda ſunt. Dein unum vel alterum mediocriter acre catharticum adhibere licet, quod non ſolum faeces induratas et colluvies expellet, ſed arteriolas exhalantes in ductum inteſtinalem hiantes emulgebit. Conſtipatio et mala ab illa prognata, alvum ſervando leniter ſolutam per cremorem tartari, tartarum ſoluhile, aquam marinam, oleum ricini, et ſimilia, praeveniri poſſunt.

Poſtremo, ſi hypochondriaſis a ſcirrhis in viſceribus, vel tuberculis in pulmonibus, ejus initium trahit, vel ſi arthritidi atonicae ſuperveniat, hos morbos per remedia ſingulis accommodata, de quibus, quoniam hypochondriaſin idiopathicam tantum tractare decrevimus, omnino ſilemus, prius ſubmovere oportet.

Fortaſſe de medicamentis, quae cardiae dolorem, et caeteras affectiones ſpaſmodicas tollere queant, mentionem facere noſtra refert; intelligimus autem, quandoquidem harum ſingulae, ab acri colluvie, ſive a diſtenſione in inteſtinis, oriantur, ut modis ſupra indicatis hiſce ademptis, neceſſario quieſcant; ſi vero res non ita ſeſe habeat, per moſchum opiumve, vel potius per gummi foetida, compeſci poſſunt. Si denique, dolor cardiae periſtaltico motui inverſo originem debet, per aromatica, et ſtimulantia, quae motum obvertant, tollendus eſt.

II. Tonum vigoremque ſyſtematis, praecipue vero ventriculi, et animi integritatem, reſtaurare.

Sympathia, quae corpus inter et animum ſubeſt, penitus obſtat, quo minus de ſingulo ſeorſum agere poſſimus. Tali ſympathia vel mutua connexione praecipue tenentur animus et ventriculus; quamprimum etenim unus aliquo malo vexatur, alter etiam, ex lege ſemper ſtabilita, laborat. Hoc

Bagliviam

Baglivium non latere video; sic enim scribit, "Ii, qui laborant animi pathemate, potissimum corripi solent morbis ventriculi; ut, inter caetera, observavi in moerentibus, qui conqueruntur, primo de langnore ventriculi, mox inappetentia, oris amaritie, siti circa horas matutinas, eruditatibus, flatibus, et tensionibus hypochondriorum." His praemissis, manifesto constat, quod, si perite et spe voti tandem potiundi pergamus, percontari necessarium sit, num per aliquod animi pathema, puta, spem frustratam, vel diram bonorum jjacturam, inferatur malum: Si ex priori provenerit morbus, et dummodo fas sit, et fieri possit, aegrum spei compotem reddere oportet. Si ex posteriori, damnum resarcire necesse est; nam, nisi hoc prius efficiatur, omnia medicamenta ad corporis salutem restaurandam incassum adhibentur. Sed, fac hocce fieri posse, medelae tamen ad vigorem pristinum, tonumque systematis, praesertim ventriculi, restituendum, administrari debent.

Inter remedia huic fini destinata, primum locum meretur cortex Peruvianus. Per se simplicem, in forma decocti vel tincturae spirituosae, corticem exhibere licet; sed tinctura, quia stimulanti spiritui adunatur in dyspepsia, hopochondriasin comitanti, prae caeteris, eligenda est.

*Amara*, Radix nempe gratiana, radix columba, et similia. Vis propria stimulans in his latere videtur; tonica gaudere virtute inficias itur; virtutes protinus sedativas possidere asseritur; post exhibitionem illorum reiteratam, talem edere effectum nemo negavit; hoc igitur usui eorum subinde intermittendo documentum praebet.

Equidem vero amara raro adhibentur sola, sed fere conficiuntur cum aliis stimulantibus, et tonicis, cortice, nempe, Peruviano, ferro, cortice aurantiorum, cinnamoni, atque seminibus cardamomi in vino vel spiritu meraco, vel aqua pura, infusa, quae fortasse eorum sedativa praeveniunt effecta.

*Ferrum.*—Hoc medicamentum, in curatione illius dyspepsiae speciei hypochondriasin assequentis, a summis viris Hoffmanno, Whytte, et Gregory, magna fide celebratum fuit; at video Cullenum illius in hoc morbo usum haud approbare.

Quandoquidem ferrum vi solummodo astringenti, seu tonica, et vix omnino stimulanti, gaudet; si dyspepsia a torpore solo pendere possit, ut astringentia, et idcirco ferrum, tali in specie, parum proficere existimetur, nequaquam mirum est; sin autem a torpore ventriculus haud affici potest, quin presso pede accedat atonia, nostra opinione ferrum, quoniam tonica virtute gaudet, multum commodi exserere valet.

Simpliciter, forma tincturae, praeparatis salinis, vel ex

aqua

aqua eo naturaliter ſaturata, Pyrmont Anglice et Hartfell, recipiatur ferrum; cum in forma limaturae ſumitur, nullos edit effectus, niſi in ventriculo obviam habeat acido, a quo ſolvatur.

Aliqui nobis fortaſſe vitio vertant, quod acida mineralia in ordinem remediorum haud inſerimus; ſed noteſcat, quod illa de induſtria omittimus, quia tanta ſtyptica conſtringentique vi pollent, ut mobilitatem imminuere, et ſic torporem adaugere, queant, quare in hypochondriaſi obſunt; pari ratione, balneum frigidum in hoc morbo, temperamento occurrenti melancholico, praetermitti oportet.

*Exercitium.*—Indoctiſſimo minime ignotum eſt, cibi appetentiam procreare exercitium. Imprimis manifeſtat, cibi appetitus cauſam a tono et contractione muſcularium ventriculi fibrarum, et huncce a vaſorum minimorum, praecipue in ſuperficie corporis, tenſione, quae pro ejus cauſa diſtenſionem agnoſcit, pendere; exercitatio igitur, ſanguine haec vaſcula implendo, anſam ciborum appetitui praebet.

Ambulatio, equitatio, vel navigatio, in aëre frigidulo ſereno que, praeponenda ſunt. Cautela vero adhibenda eſt, ne ad corporis laſſitudinem promovendam inſtituantur.

Poſtremo, reſtituere animi integritatem aggrediendum eſt. Licet de modis tractandi animi poſt corporis curationem loquamur, tamen innoteſcere velimus, quod ſimul et ſemel amborum ſanitatem reſtaurare conandum eſt.

Hypochondriaſis ſymptoma nullum tam multum peritiae, ſimul ac ingenii acuminis, quam animi conditio depravata exigit; nam medici intereſt, aegri timores vanaſque ſuſpiciones eludere, aliquam inordinatam obfirmatamque opinionem evellere, animum in metum et moeſtas cogitationes proclivem erigere et conſolari.

Hypochondriaci ſic ſemetipſos habent, ut nihil, quod iis ſub remedii nomine proponatur, accipere velint; nihilominus mala ſibi undique intendi timent; quare ſub larva voluptatis illiciendi ſunt, ſalutifero concedere propoſito; competit, nempe, ut hortentur cum quibuſvis hilaribus lepidiſque comitibus iter voluptuarium inire.

Si fieri poteſt, aeger equo, qui caput ſublime jactat, fraenaque mandit ſpumantia, peregre, proficiſci debet; talis enim attentionem animi ſolito majorem exigit; vel in rheda patula, duobus tantum orbibus inſtructa vectus, equum ipſe gubernet, viam pergat aſperam et inaequalem, quam undique rura amoena ſilvis florentibus, et fluminibus jucundis ditata, circumdant; hinc ſeries ejus cogitationum interpellantur, et mens potiri diverſarum valet. Haec ſpecies delectamenti pro

aliquo

aliquo negotio haud minus utili, e. g. recognitione praedii subinde mutetur.

Cum domi vel alibi manserit, in conclavi alto, spatioso, a meridiano sole elucidato, et per cujus fenestras oculis diversa crebro objiciuntur, diem noctemque degere debet.

Ita aliquando hallucinantur hypochondriaci, tamque pravis imaginationibus dediti sunt, ut crura straminea se adeptos esse credant, et, ne stando vel ambulando frangantur, continuo sedere statuunt; aliquando ex vitro sua corpora componi pro certo habent, quapropter se vel leviter tangi non sinunt, ne statim in frusta illabantur.

Haecce mentis ridiculosa pravitas haud aliter evelli potest, quam metum periculi majoris ciendo, e. g. per nuncium repentinum, aedes, in quibus habitant, flagrare. Modo opinioni hypochondriasi laborantium, etiamsi falsa sit, assentiendum est; hoc enim modo citius evanescet.

Si hypochondriaci contumaciter aliquid perpetrare instant, quod sibi noceat, audacter firmeque impediri debent.

Omnia symptomata, quae talem animi conditionem quandoque comitantur, enumerare perdifficile esset; sed, ne longum faciamus, Celsi verba praestantissima nostro scopo apprime accommodata referemus. "Adversus omnium sic insanientium animos, gerere se pro cujusque natura necessarium est. Quorundam enim varii metus levandi sunt, sicut in homine praedivite famem timente incidit, cui subinde falsae haereditates nunciabantur. Quorundam audacia coercenda est, sicut in his fit, in quibus continendis plagae quoque adhibentur. Quorundam etiam intempestivus risus objurgatione et minis prohibendus est. Quorundam discutiendae tristes cogitationes, ad quod symphoniae et cymbala strepitusque proficiunt. Saepius tamen assentiendum quam repugnandum est; paulatimque, et non evidenter, ab his, quae stulte dicuntur, ad meliora mens abducenda, interdum etiam eliciendа ipsius intentio, ut fit in hominibus studiosis literarum, quibus liber legitur, aut recte, si delectantur, aut perperam, si id ipsum eos offendit. Emendando enim advertere animum incipiunt. Quinetiam recitare, si qua meminerant, cogendi sunt. Ad cibum quoque quosdam non desiderantes reduxerunt hi, qui inter epulantes eos collocaverunt."

In alio loco item propositi, "Removendi terrores, et potius bona spes efferenda, quaerenda delectatio ex fabulis ludisque, quibus maxime capi sanus assueverat, laudanda, si qua sunt, ipsius opera, et ante oculos ejus ponenda; leviter objurganda vana tristitia; subinde admonendis, in his ipsis re-

bus, quae ſolicitant, cur non potius laetitiae quam ſolicitudinis cauſa ſit?

Secunda indicatione perſoluta, reſtat, ut ad tertium medendi conſilium tranſeamus.

3tia, Si torpor, qui morbum conſtituit, ex mutationibus, quas, ſecundum naturae leges, corpora noſtra ſubire coguntur, oritur, manifeſto conſtat, quod multo difficilius ſit, eum debellare, quam debilitatem vel atoniam, quae dyſpepſiam ſequuntur. Si vero torpor ingenitus ab externa cauſa, uti labore gravi, ſimul ac intenſo frigore admoto, augeatur, movendo talia modiſque jamjam proferendis valde inminui poſſit.

Si aeger ſtrictiori ſiccoque corpore eſt, et plaga in frigida manet, emigrare, uti prius praecipimus, debet. Calida coeli temperies non ſolum ex interioribus ad ſuperficiem corporis externam ſanguinem promovet, quod in curatione hypochondriaſis ſummopere exoptandum eſt, ſed calor etiam vim vitalem ſyſtematis incitat, et inde ſenſilitas irritabilitaſque ejus augentur, quod incolis hujuſce inſulae tempore aeſtivo compertum habetur. Si aegri anguſtia rerum illum a domo diſcedere impediat, balneum calidum, in quo ſubinde deſcendere debet, et fovens amictus ac frictio corporis, commodum tranſmigrationis quodammodo ſupplere poſſint; his omnibus exercitationes ſupra memoratae adjungantur.

Ad inminuendum torporem, ſeu irritabilitatem ductus alimentaris augendam, tepidi liquores commode adhibentur; calor illorum ei, qui in ſyſtemate ipſo generatur, additus, et per vim relaxantem emollientemque, irritabilitatem et mobilitatem, praecipue illius partis cui admoventur, adaugent, et ſic vota noſtra ſecundant. Ad eundem finem enemata terebinthinata tepida ſubinde in inteſtina immittantur; terebinthus vi ſtimulanti gaudet, quae diu poſt exhibitionem permanet, quare inteſtinis torpore laborantibus valde prodeſt, inſuper, ea, quae directe ſtimulant, in uſum alleganda ſunt. Quamvis haecce irritabilitatem ventriculi augere exiſtimentur, ſolummodo dum in eo continuentur; tamen, ſi mediocri copia et ſubinde aſſumuntur, effectus haud cito evaneſcentes edunt, ſtabiliſque ex eorum uſu rite ordinato non raro recuperatur irritabilitas; huc tendunt vina meraciſſima et probe fermentata, praecipue ab Hiſpania et Luſitania allata; ſed, ſi forte aceſcant, et inde ventriculum noceant, aegrum oportet ab iis penitus abſtinere; et cum res ſic ſe habuerit, ſpiritus tenuiores, vulgo *brandy* vel *rum*, aqua admodum diluti, propinandi ſunt. Illa cereviſiae ſpecies Londinenſis, *porter* Anglice dicta, quae diu cadis condita eſt, pro potu ordinario haud inepta eſt. Cibus

ex

ex regno animali, quia non aceſcit, facilius concoquitur, et majorem ventriculo ſtimulum praebet, quam vegetabilia, eligendus eſt. Nequaquam autem intelligendum eſt, vegetabilia ſemper et penitus effugienda eſſe, ſed parca manu exhibenda eſſe. His adjiciantur condimenta ordinaria, ſal marinus, nempe, ſinapi, piper, radix raphanus, et ſimilia, quorum omnia, motum periſtalticum ciendo, digeſtionem adjuvant.

Poſtremo, illa ſtimulantia, quae medicamenta ſtrictius nuncupantur, aromatica praecipue ſunt, uti cortex cinnamomi, canella alba, nux moſchata; haec vero variis modis exhibentur, forma ſcilicet tincturae, ſpiritus vel aquae ſtillatitiae, vel electuarii, porro, ſpiritus volat. aromat. ſpirit. lavend. comp. ſal volat. e. c. aqua picea, et talia, in gratiſſimis idoneiſque formulis adhibenda ſunt. Perneceſſarium eſt a lenioribus ſtimulantibus incipere, vel ea primo ſaltem parvis doſibus adminiſtrare; item, ſaepius eorum intermittere uſum, alia denique pro aliis invicem mutare; talis etenim corporis humani natura eſt, ut ſtimulantia, ſi non eorum doſes indies augentur, exoptatos non edunt effectus; quocirca, ſi a ſortiſſimis primo incipiatur, commodum ex auctis doſibus proveniens pervertitur; porro, conſuetudo eidem ſtimulo diu et ſaepe iterato inſenſiliora tandem corpora reddit; hinc oritur neceſſitas ejuſdem medicamenti exhibitionem intermittendi. Poſtremo, licet ſtimulantia ſine intermiſſionibus adhibeantur, tamen, ſi ſpeciebus ſunt diverſis, vires eorum diutius, quam ſtimuli unius generis, pari modo uſitati, manebunt; ſic praebetur occaſio illa ſubinde majori commodo alternatim adminiſtrandi.

De pleriſque modis, qui ad corporis irritabilitatem reſtarandam accommodantur, jam diximus; noſtra igitur refert de illis, quae ad animum ex torpore et dejectione ſuſcitandum ſymbolam conferant, pauca in medium proferre; ſed de his ſub indicatione ſecunda locuti ſumus. Hic vero abs re foret addere, quod talia eſſe debent, quae animum jucundum et hilarem reddere valent; ad huncce finem aſſequendum aeger in conſortia venuſtorum atque lepidorum, praecipue ſexus ſequioris, dummodo probis moribus imbuuntur, inire debet; frui etiam oportet oblectamentis ludiſque publicis; chartulas vero luſorias, lndoſque teſſerarios, et tales qui enixam animi intentionem, et ſimul unicam ſeriem cogitationum exigunt, aſſidue evitare neceſſe eſt.

Uti corpori ſtimulantia, ſic animo oblectamenta, mediocriter adhibita, intermiſſa, necnon ſubinde mutata, competunt.

# DE CHLOROSI.

*AUCTORE DIONYSIO DORSEY.*

CHLOROSIS est " Dyspepsia, vel rei non esculentae desiderium, cutis pallor vel decoloratio ; venae minus plenae, corporis tumor mollis ; asthenia ; palpitatio ; menstruorum saepe retentio. *"

## HISTORIA MORBI.

Circa vel paulo post pubertatis initia chlorosis invadit ; symptomatis talibus, qualia in dyspepsia apparent. Cibi desiderium aut imminuitur, aut absurdum vitiatumque est ; quippe enim non solum insolita minusque idonea, sed etiam prorsus aliena, et qualia ad escam non pertineant, cujusmodi calx, creta, pruna combusta, cineres, sal communis, et similia, praeter naturam, et cum insaniente quasi affectu, appetuntur. Simul cibi naturales et salutares nauseam movent, fastidiuntur, aut vomitu rejiciuntur. Cruda varie turbant, eorumque praesentium indicium, inflatio manifesta intus, ructibus prodita, ingratus in ore sapor, lingua sordida, et saepe crusta albente obducta, ructus acidi, urgent. Cardialgia et gastrodynia vexant. Plerisque chloroticis alvus adstricta permanet. Urina primum pallens, sine odore, et limpida, provecto morbo, turbida est.

Vultus vulgo, ut dictum est, pallescit, aut virideseit, aliquando livescit, flavescitve. Subsedisse oculi videntur, et livente circulo circumdantur ; labra rubedinem amabilem perdunt. Quae omnia imminutae perspirationis notae haud obscurae sunt.

Arteriarum pulsus, vulgo citi, exigui, humilesque, haud prorsus febrili aestu carent. Venae, ut supra relatum est, minus plenae sunt. Pedes saepe frigent, et cum talis et ad hos vicinis partibus sub noctem tument ; tumet molliter corpus reliquum ; spiritus difficilis est.

Nec actiones animales mali immunes sunt. E quibus asthenia relata motus non voluntarios pariter et voluntarios afficit. Nec deficit solum anima, et palpitat, praecipue inter clivum ascendendum, aut motum intensiorem, cor ; sed aegrotans a motu aliena est, aut, suscepto eo, facile delassatur.

Animus saepe in consensum trahitur ; qui levissimis rerum

* Cull. Gen. Morb. G. xlv.

momentis

momentis irritatur, quandoque moestus, cogitabundus, et solitudinis amator est.

Plerumque per totum morbi cursum menstrua retinentur.

Quibus malis crescentibus, leucophlegmatia, anasarca, atrophia, postremo mors, succedunt.

## CAUSA MORBUM CONTINENS.

Causa chlorosin continens est canalis alimentaris, maxime ventriculi, fibrarum muscularium atonia, cum ejusdem generis fibrarum, tum alibi corporis, tum vascula in summo corpore perspiratoria cingentium, simili atonia conjuncta, et saepe a fibrarum muscularium, arteriolas menstruales obtinentium, alia atonia, unde retinentur menstrua, pendens.

Hanc veram chlorosis causam esse, omnia morbi haud dubiam fidem faciunt. Quod quo clarius adpareat, symptomatum principum explicationem nunc subjiciam.

## SYMPTOMATUM EXPLANATIO.

*Anorexiae.*—Anorexiae, sive cibi praeter naturam in inani ventriculo nullum, aut solito minus, desiderium, facilius intelligetur, si prius naturale et sanum desiderium fuerit explicatum.

Hac in re priorum pathologorum rationes et explanationes prudens eo omitto, quod neque rebus veris et experimentorum fidei, neque rationi probabiliori, conveniunt, eamque ob causam, a peritissimo quoque artis medicae, et in usu medendi maxime versato, ubique fere rejectas aut pro minus firmis habitas, video.

Cibus desideratur, quia, vigentibus ventriculi fibris, quibus motus peristalticus peragitur, vigentibus quae arteriolas, humorem gastricum praebentes, cingunt, vigentibus arteriolas perspiratorias cingentibus, et toto denique corpore fibris muscularibus; ideo molestus in ventriculo sensus oritur, quod deest, in quod fibrae ei propriae, sic vigentes valentesque, agant; simili modo, ac motus voluntarii instrumenta, quietis impatientia sunt, cum vigent valentque, qua contra, languida et lassa, fruuntur.

Rursus idem, accepto jam alimento, non amplius desideratur, quia illa causa sublata est. Scilicet, corporis, ut semper inter cibum accipiendum postque acceptum sit, trunco erecto, alimentum mole sua et pondere in ventriculum imum decidit, hunc distendit, et sic fibras longitudinales, quibus ejus longitudo contrahitur, latitudo amplificatur, et cingentes simul pylorum

lorum in contractiones excitat. His, ſpiralium fibrarum contractiones, quibus a ſiniſtra parte in dextram, a ſuperiore in inferiorem, ventriculi diameter imminuitur, ſuſpenduntur; id eſt, motus periſtalticus per aliquam moram et aliqua ex parte intermittitur. Unde, qui ante in inani ventriculo ſenſus ingratus, quo cibi deſiderium conſtat, fuit, is una cum fibrarum, ex qua pendet, actione illa, decedit. In ſano igitur ventriculo contrarius hujus, jejuni et ſaturi, ſtatus eſt; jejuni circulares, ſaturi longitudinales fibrae, et pylorum cingens faſciculus, contrahunt ſeſe, et utriſque oppoſitae relaxantur. Verum,

Ut ad cibi, cum nullus intus in ventriculo eſt, non tamen deſiderati, nimirum, anorexiae, cauſam tranſeatur; cibus eo non deſideratur, quod nulla fibrarum ſpiralium actio, contractiones nullae, ſubſunt, ſaltem debitus earum modus deeſt. Idque fit, propterea quod toto corpore, quicum conſenſus ventriculo intercedit, et praecipue arteriolis perſpiratoriis, iſtius cum ventriculo conſenſus maxime participibus, tonus inminuitur. Quam rationem res vera et certa confirmat. Nam et omnes morbi cum atonia conjuncti pro conſtante ſymptomate anorexiam adſciſcunt; et, ubiubi anorexia ſubeſt, ibi ſemper atoniam eſſe, manifeſtum eſt. Nec intra ſecundae valetudinis fines, non etiam eadem res cernitur; ſiquidem, qualia multi caſus ferunt, quoties conſuetum cibi imminuitur deſiderium, langueſcitve praeter ſolitum ventriculus, toties atoniae pro tempore indicia manifeſta ſunt. Ita poſt magnum aeſtum aut laborem aut jejunium, poſtve ex ſubita calamitate moeſtitiam, ſaepe prae atonia cibi deſiderium ſolvitur. Quod refrigeratio grata, dummodo haec perſpirationem ne ſupprimat, quies, vini cyathus, aut laetus falſi mali nuncius, ſaepe contra reducunt. Non tamen in morbis toti corpori inhaerentibus, aut in caſibus iſtis ſanitatem non excedentibus, quoque communibus, verum etiam, a ſubito partis vitio, ſubito atonia occupat ventriculum. Sic nervorum membri diſtantis, ut tali poſt caſum, diſtenſio contuſumve caput, illum afficere nota ſunt. Et, e contrario, ventriculi atonia cum reliquis partibus facile communicatur. Sic multa per victum aſſumpta, et ventriculo parum convenientia, tonum ejus dejiciunt, perque conſenſum cum eo varias reliquo corpore partes conſimili malo urgent.

Et, ſive ventriculi atonia aliunde eſt, ſive alias conſenſu partes afficit, quoties ſubeſt, cum anorexia, ſeu nullo cibi deſiderio, aut etiam faſtidio, conjungitur. Ideoque pro cauſa hujus atonia merito habetur.

Nauſea et vomitus ſunt ejuſdem ſymptomatis gradus major; niſi quod hoc ſibi proprium vomitus habet, ut, dum ab eadem

atonia

atonia et debilitate pendet, ventriculi, in qua consistit, actio iuscitata, vigorem pro tempore aliqua ex parte redire, et cerebrum, ex nota corporis lege, quodammodo reagere denotat. Quae vomitus ratio, huic cum multis aliis morbis, quorum ille symptoma est, communis reperitur.

Ut horum trium symptomatum, nempe cibi aut non cum lebet desiderati, aut etiam fastiditi, item nauseae et vomitus causa, ventriculi fibrarum, quibus motus peristalticus peragitur, et quibus liquor gastricus secernitur, atonia esse apparet, et haec cum reliqui corporis fibrarum muscularium atonia fere connectitur; ita, in plerisque casibus, haec eadem ventriculi atonia cum fibrarum muscularium, arteriolas perspiratorias cingentium, altera, memorabiliter et nunquam fere non, conjungitur; id quod, cum in dyspepsia propria, cum in hac chlorotica, cutis pallor arguit. Quarum atoniarum utra causa, utra effectus sit, haud facile dixeris; sed, ni fallor, neutra semper aut pro hac aut pro illa habenda est, et utraque, prout causa remota variat, utravis esse potest.

Quod vero ad atoniam chloroticam, de qua potissimum hic agendum est, attinet; ventriculi, quam summi corporis atoniam pro principe et radicali facilius suspiceris; eatenus saltem, quatenus virginea est chlorosis. Quod ubi fit, mali origo prima in utero quaerenda videtur. Cujus, quoniam cum ventriculo, quam cum summo corpore, arctior nexus est, igitur ventriculi atonia, ut uterinae secunda, ita cutaneae prior, habenda est. Idemque de secunda Sauvagesii specie, quae ab immodico menstruorum profluvio pendet, dicendum est, si quidem eadem uteri, ac proinde ventriculi, summique, ac totius, corporis atonia hanc, quae chlorotidem virgineam, comitatur. Ubi vero infantibus utriusvis sexus idem mali genus incidit, teneros eorum ventriculos atonia, cujus signa anorexia, nausea, vomitus, flatus, et acidi abundantia, sunt, saepe urgeri, quis, quaeso, nescius est? Estque hic affectus a genitalibus alienus, et ventriculo magis proprius; ita tamen, ut totum corpus mali particeps facile cernere liceat. Quod ad amatoriam chlorotidem, aliam speciem Sauvagesianam, attinet; quoniam omnia imminuti toni indicia eam quoque comitantur, quatenus ea chlorosis, et non nymphomania, est, ex eadem origine, ac virginea, esse existimanda est. In omnibus igitur casibus, atonia ventriculi subest, eaque, tam in pueris quam puellis, ex genitalium atonia nascitur; in infantili casu ventriculi affectio idiopathica esse videtur.

Rerum alienarum, ut terrenarum, desiderium caecus naturae impetus aliquis est, ut ea potissimum materia adsumatur, quae praevalens intus in ventriculo acidum absorptum tegat.

Quantumque

Quantumque ſtimulantia deſiderantur, id fit, ut tonus deficiens excitetur: Cui certae res, ſal communis, ſalſamenta, et ſimilia ſtimulantia devorata, accommodantur. Hujuſmodi adpetitus, ſponte naturae ſuborientes, haud raro, cum in hoc, tum in aliis caſibus, apparent. Et aliquando ſalutare naturae opus explent, aut ad explendum pertinent, aliquando ſcopo aberrant, et praeſentem noxam augent. Quae res, a nullo animi conſilio, nulla certa mente, hujuſmodi naturae ſive conatus ſive impetus eſſe, ſed caſu fieri, declarat. Fruſtraque is et inepte ageret, qui ullam iis curationis partem crederet. Verum enimvero, qui impetus caeci in chloroſi, quocunque modo fiunt, ii cauſam morbum continentem ſupra propoſitam confirmant, atoniamque intus eſſe, et inde acidi copiam gigni, haud obſcure docent.

Ut acidum, et ex eo pendentem cardialgiam, atonia, ita inflationem, et hinc ortos ructus, gignit. Cardialgia autem fit, quia, acidum copia et acredine auctum, extremos ventriculi nervos irritat, et affectionem mordentem, haud facile plene deſcribendam, ſed, ſi ſemel perſenſa eſt, bene intellectam, excitat. Pendere vero acidi nimium ortum ab atonia, ei manifeſtum erit, qui, quo validior ventriculus eſt et citius digeſtionem perficit, eo minus acidi gigni, citiuſque tectum evaneſcere; in debilitato ſolo ventriculo, eoque tardiore digeſtione, abundare demum, et meraciorem evadere, reputet. Ut in inflationis originem inquiratur, in omni ventriculo, etiam maxime ſano, inter alimenti digeſtionem, aërem exire, nemo ignorat; ſed plus minuſve exire, prout debilior validiorve ventriculi actio eſt, aeque exploratum eſt. Hinc, "qui acidum eructant vix pleuriticos fieri," in aphoriſmum ab Hippocrate tractum eſt; cujus rei hanc rationem accipe. Educitur fermentatione neceſſaria in neceſſarium uſum aër, ſcilicet, ut ſic alimentum facilius ſolutu, facilius per fermentationem mutatu, reddatur. Sed, ſi fibrae longitudinales, et alia agitationis inſtrumenta, valide agendo, totam maſſam rite ſubigunt; particulae omnes bene inter ſe commixtae, emiſſum aërem in corpus ſuum rurſus recipient. E contrario, ſi deficientibus iis poteſtatibus agitatoriis, non debita vi et ritu commixtae ſunt inter ſe alimenti particulae, non recipietur corpore harum aer, ſed ſolutus, vagus, elaſticamque ſuam naturam ſequens, implebit diſtendetque ventriculum, et, qua data porta ruens, ructus forma erumpet.

Inde etiam ruminatio eſt; quia, deficiente agitatione modo relata, nec rite inter ſe commixtis alimenti particulis, hujus firmior pars, juxta cardiam, fluentiori ſupernatans, non hac tandem, quod ſanctitatis uſus requirit, recepta permiſcetur, aut integra

integra ad imum ventriculum dejecta, per pylorum ejicitur; ſed, ſupra permanens, et impulſu aliquo cardiam ſenſibilem ſpaſmodico inverſoque motu irritans, per oeſophagum ore rejicitur. Porro,

Gaſtrodyniae cauſa ſpaſmus, hujus eadem rerum acrium irritatio, et ex aëre elaſtico diſtenſio, eſt, a qua utraque alibi quoque ſpaſmus, ut in inteſtinis, in veſica urinigera, et ſimilibus cavis, naſci jamdudum exploratus eſt. Cujus rei explicationi eo minus immorandum duco, quod veram eſſe conſtat. Tolle enim ſtercus durum, tolle aërem, quibus colon, ultra modum diſtentum, adſtrictione ſpaſmodica tenetur, et tollis una morbum. Et quis, veſicam, urina ſua ultra modum diſtentam, educta ſola cathetere hac, ſpaſmodico et dolentiſſimo affectu protinus liberari inſcius eſt? Nonne eundem effectum trahit in pelvi renis calculus? Aut quomodo calculum biliarium ductibus deducat antiſpaſmodicorum, et aliquo conſimili opere ſpaſmum ſolventium, ut opii, ut fomentorum, ut ſanguinis detracti, uſus, ſi nullus ſpaſmus ſubſit? Verum ut ſpaſmus, et humorum acrium irritatio, gaſtrodyniam cauſa continet, ita utrumque, quae reliqua omnia ſymptomata, continet atonia.

Linguam inquinat, ex ſordibus ventriculo concluſis et humoribus vitiatis, ſuboriens uſque vapor. Et iſtarum ſordium cauſa atonia demonſtrata eſt.

Eodem pertinet adſtrictae alvi ratio, cujus, propter conſimilem ventriculi, utpote cujus, et ei continuorum inteſtinorum, eadem et communis natura ſit, atoniam, motus periſtalticus langueſcit, et, propterea quod is tardatur ſupra aut invertitur, hic quoque minus aut non omnino procedit.

Pallor vultus languescenti in ſummo corpore ſanguinis, unde color pendet, motui, ideoque imminutae vaſculorum actioni, debetur. Cumque haec a fibrarum muſcularium vaſcula cingentium contractionibus pendeat, ita imminuta ea has languescere declarat. Eſtque haec ſummi corporis cum ventriculi conjuncta, cujus ante facta mentio eſt, atonia. Quod verum eſſe, et hic quoque atoniam locum obtinere, pallor cutis indicat. Virideſcens quaſi color (nam mera viredo non eſt), flaveſcenſve provectiorem hunc effectum ſignificat, ſcilicet, non ſolum languescere humorum in extremis meatum, ſed ſanguinis rubri ad ſuperficiem nihil prorſus accedere, et, quicquid ſubter cuticulam effuſum eſt, id, deficiente impetu, vique a tergo fracta, non poſſe per foramina cuticulae transjici, ſed, hanc inter et cutem ſtagnando, ſic degeneres colores aſſumere.

Eodem pertinet pedum frigus et venarum minor plenitas.

Nam, ut corporis calor, quaecunque ejus cauſae origo ſit, ſemper ſanguinis motui reſpondet, et pro hujus vi et magnitudine major aut minor eſt; ita, ubicunque calor deficit, deficere ſimul ſanguinis motum ſequitur. Cumque hic, in extremis partibus, minime cordis et arteriarum actione ſuſtentetur, ut ejus auxilii defectum ſuppleat propria arteriolarum ipſarum irritabilitas neceſſe eſt. Sed neque ſic ſuppletur, propter irritamenti naturalis, nempe ipſorum humorum vaſculis fluentium, defectum, id eſt, ex impetu et copia eorum diſtenſionem: Humores enim, quia minus abundanter et minori cum impetu profluunt, igitur non ſatis ſua vaſcula diſtendunt et horum actionem excitant. Hinc deficit horum vaſculorum tenſio, et ut tonus, inde magna ex parte pendens, deficiat quoque neceſſe eſt. Eſtque hoc in alteris arteriarum finibus atoniae porro exemplum.

Jamque ex naturalium ventriculi, corporis ſummi, et extremi, actionum ſtatu, eatenus eoque fine tenus atoniam ſubeſſe, et cauſam proximam, ſupra propoſitam, veram eſſe, ſatis, ſpero, patebit.

Verum et alibi corporis, immo late per hoc, atoniam invalere, alia porro ſuadent, quorum deinceps explicationem adgredior.

Cum perſpirationis ſtatus non ſolum a fibrarum muſcularium, proprias ejus arteriolas cingentium, et harum actionem ſuſtentantium, naturali, ſed etiam a cordis et arteriarum vitali, actione pendeat; igitur deficiens illa, hanc quo deficere, et per univerſas arterias corque atoniam ſpargi probat. Sed huic concluſioni, haud invalidum quamvis argumentum offerenti, ſoli tamen probatio non incumbit. Eandem rem cordis et arteriarum majorum ſtatus, quarum pulſus "exigui humileſque" ſunt, oſtendit; oſtendit venarum minor ſolito plenitudo. Quorum utrumque cordis et arteriarum atoniam imminutamque actionem declarat.

Quin et difficilis, anheluſque, praecipue inter clivum aſcendendum, ſpiritus, quod difficilem per pulmones ſanguinis tranſitum ponit, eandem rem confirmat. Nec me latet, hujus effectus alteram cauſam, nempe ſanguinis abundantiam inſolitam, cum aucto praeter modum impetu, aliquando quoque eſſe. Verum, cum in hoc caſu poteſtates ſanguiferae minime tantae ſint, quantis ad hanc rem opus eſt, nec vitium locale, quod altera cauſa eſſe poteſt, ullum ſuſpicetur; ideo arteriae pulmonalis atoniam, ſeu actionem deficientem, ſolum hic delinquere credibile eſt.

Haec igitur haud obſcure oſtendunt, totum genus ſanguiferum, continentis chlorotidem atoniae, neutiquam expers eſſe,

eſſe, et ad hoc ipſum, nempe morbum ab atonia contineri, probandum, aliquid ponderis adferunt.

Eodem pertinet actionum animalium ſtatus. Nam, praeter motus involuntarii inſtrumentorum, jam probatam atoniam, quae animales quoque poteſtates, ex qua eorum vigor pendet, defectum demonſtrat, voluntarium etiam motum peragentes poteſtates, nempe, muſculi et partes omnes muſculares, quarum actio voluntati ſubjicitur, minus valide in chloroſi agentes, poteſtatem illam, in qua motus ſui, et omnis quidem corporei, principium poſitum eſt, nempe animalem, cum animi facultatibus conjunctiſſimam, labare argumento eſt. Quae poteſtatis animalis debilitas idiopathica utique non eſt; nam, licet ab ea naturales pariter et vitales, denique omnes corporis actiones, funditus pendeant, et hanc ſui originem ſpectent, (cujus rei probatio amplius incerta aut controverſa non eſt), tamen in ſe abſoluta non eſt; praeterque res externas, iis ipſis, quas ut cauſae origo continet, actionibus, ad idoneam ſuam conditionem tuendam, indiget. Ideoque, ut toni cauſa primaria eſt, ita et ipſius cauſa, licet ſecundaria, tonus eſſe reperitur. Utque deficiens poteſtas animalis deficientem tonum, ſeu atoniam facit, ita deficiens quoque, unde unde tonus, rurſus illam labefacit. Tonuſque non ſolum ſtimulantibus aut ſedantibus rebus, quae ipſis fibris muſcularibus, ſed quae nervis, has inter et cerebrum, et ipſi demum huic, admoveantur, afficitur, majorque aut minor eſt, non ſolum prout fibrae, quarum eſt, magis aut minus vigent, ſed pro poteſtatis animalis magnitudine. Ut ejus rei exemplum, ad rem praeſentem attinens, in medium proferatur; in chloroſi ſtatus uteri, ſive nimiis menſtruis ſive nullis, atonicus factus, poteſtatem animalem ſimili affectu, nempe cerebri collapſu, ſeu excitatione imminuta, impertit. Haec ſic imminuta ſimul fibras muſculares alibi corporis, maximeque in ſummo hoc et ventriculi, minori tono afficit, ſimul menſtrualium vaſorum extremorum, unde ipſa exorta eſt, atoniam porro auget; eaque toto corpore atonia vigente, in majus imminuitur. Eſtque haec ratio, qua poteſtas animalis ſimul infert atoniam quae chloroſin continet, ſimul ab ea debilitatur. Hinc, ob motus voluntarii inſtrumentorum labem, aut "invita mulier motum omnem corporis ſuſcipit, aut ſuſcepto facile et ante ſolitum delaſſatur."

Cumque corpore, praeſertim in ſua origine, affecto, affici animus ſoleat; hinc hujus irritabilitas aut moeſtitia. Quod autem idem quietem dulcem habeat, ejus rei patet explicatio; quippe enim qui exerceri prae debilitate nequeunt, iis quies grata ſit neceſſe eſt: In ea chloroſi, ubi uterus laborat, ſolitudinis amor a viri ſaepe pendet. Nam pariter chloroſis, pariter

pariter ejus cauſa remota, menſtruorum retentum profluvium, ab atonia genitalium, quam inopia veneris fecerit, exoritur. Inopiam autem veneris, pariter ac nimium uſum, debilitare corpora, compertum eſt. Hinc Celſi, ſi verba rite recordor, "Concubitum rarum excitare, frequentem ſolvere" dicentis, haud falſus, niſi quod modo errat, aphoriſmus. Verum alia ſolitudinis deſiderii, praeter amorem non expletum, cauſa ſaepe animi moeſtitia eſt. Quae, cum ſedans affectio ſit, ſedatae cerebri actionis documentis jam expoſitis, annumeranda eſt. Quo autem modo quivis cerebri ſtatus conſimilem animi gignat, et ab hoc contra augeatur, quaeſtione, tum quia longa nec propoſito neceſſaria, tum quia difficilis eſt, abſtinendum exiſtimo.

Jam commonſtrato, ut ſpero, veram chloroſis "cáuſam eſſe canalis alimentarii, maximeque ventriculi, fibrarum muſcularium atoniam, ſive illic ab origine, ſive a conſimili fibrarum muſcularium vaſculorum menſtrualium, primitus exortam, et in utroque caſu cum ejuſdem generis fibrarum, tum alibi corporis, tum in ſummo hoc arteriolas perſpiratorias cingentium, conjunctam;" proximum dein eſt in cauſas ejuſdem morbi remotas inquirere.

## CAUSAE REMOTAE.

Seminium chloroſis, cum menſtrua retenta aut copioſius juſto profluentia non ſequitur, eſt totius corporis, fibras ubique muſculares afficiens, atonia. Quam rem ita ſe habere omnia, quae de cauſa morbum continente dicta ſunt, pariter confirmant.

Haec atonia poteſt aut primigenia aut acquiſita eſſe. Cum acquiritur, a poteſtatibus nocentibus, quae ſimul cauſae occaſionales eſſe poſſunt, quales ſequentes ſunt, exoritur. Cum a menſtruorum tum, cum ex ſani corporis lege profluere debent, retentione aut minus juſto profluvio pendet, cauſa ejus in menſtruorum retentorum cauſa quaerenda eſt. Eſtque hic idem aut atoniae primigeniae, aut acquiſitae, caſus.

Menſtruorum tum, cum profluere debent, retentio aut defectus ad vaſa genitalia, juſto tempore non explicata, referenda ſunt. Quod rurſus aut totius generis nervoſi motorii, aut ipſorum genitalium vitio, aut utrique ſimul, tribuendum eſt. Totius generis nervoſi motorii vitium eſt deficiens in arteriis menſtrualibus, quomodo ſupra explicatum eſt, tonus deficiens hunc nervoſa, et utrumque, continens animalis, poteſtas; et quia haec deficiunt, ideo ſanguis per eadem vaſa parcius et minori impetu profluit. Hinc tenſio, tono vaſorum neceſſaria,

quoque

quoque deficit. Quo fit ut malum confirmetur. Vitium ipſius uteri proprium, menſtruorum profluvio obſtans, eſt quaedam fibrarum vaſorum motricium conditio, qua eae, ut ſolida ſimplicia, aut nimis laxae, aut nimis vigentes, quorum illud verisimilius eſt, humori nervoſo et animali recipiendo, parum habiles redduntur. Poſtremo, ſi hae vitii immunes ſunt, et nihil in conformatione peccat, atonia vitae decurſu variis caſibus inducta, malum creare poteſt. Qui caſus idem ſunt, qui morbum, quaecunque ejus origo ſunt, alioquin creare ſolent; et in cauſis occaſionalibus quaerendi ſunt.

## CAUSAE OCCASIONALES.

Ejuſmodi omnes ſunt, quae atoniam aut faciunt aut factam augent. Ea ſunt, venus nulla, nimia, immodicum menſtruorum aut alia profluvia, quietum vitae genus, victus lautus aut ex lauto tenuis, relaxantia, ſedantia, animi affectiones reprimentes; frequens cum ſexu altero, praecipue ſi quis aut eſt amabilis aut videtur, ſine eo quod cupitur, commercium. Denique omnia quae libidinem fruſtra accendunt.

Quomodo venus nulla, aut nimia, aut menſtruorum profuſio, obſint, jam ante explicatum eſt. Alia profluvia immodica eodem modo agunt, nempe univerſorum vaſorum tenſionem imminuendo, et ſic totius corporis laxitatem inducendo. Quietum vitae genus, quia ſanguis ſuis vaſis non ſatis percitatur, igitur, ut in extremis languide profluat, efficit. Hinc, cum ubique vaſorum, tum prae caeteris in extremis deficiente tenſione, deficiat tonus neceſſe eſt. Deficiens tonus quomodo reliquas omnes actiones corporeas, atque ipſam cerebri labefaciat, explanatum eſt.

Victus lautus, praeſertim cum quieto vitae genere, ſine quo effectus ejus nihil plerumque valet, propterea quod hunc exercitatio penſare ſolet, plethoram dando agit. Plethoram autem debilitatis et atoniae cauſam eſſe, indicio eſt deſidum omnium et opipare victitantium habitus imbecillus ſemper et atonicus, cum eorum comparatus, qui, exercitatione et modicis dapibus contenti, magnum ſibi cum vigore robur pariunt. Hinc, qui quondam exercitationi et menſi frugi aſſueti robore corporis praevaluerant, otio et gulae inſervientes, arthritide, in atonia poſito morbo, demum afficiuntur. Ex victu lautiore in tenuem et parciorem tranſitus, quo modo atoniam creet, neminem latere poteſt.

Tenuem victum debilitando nocere patet, qui, poſt lautiorem, quomodo ſic quoque etiam magis noceat, aeque manifeſtum eſt. Nam in hoc caſu, praeter debilitatem, ex alimenti

parte

parte ſubtracta exiſtentem, ipſa conſuetudinis novatio debilitat.

Laxantia, fibras firmi ſimplicis afficiendo, agunt. Hujuſmodi aquoſa per potionem aſſumpta, calida, thea, et coffea, ſunt. Quae ſeſe fibris ſimplicibus inſinuando harum aggregationem, quam dicunt, afficiunt, particulas mixti longius inter ſeſe diſponendo. Tempus fuit, cum hanc et multas medicinae uſui neceſſarias, pariter et ingenioſe tractatas, doctrinas ſcire cupidis, ad eas aditus non, ut nunc, in illuſtri hac academia negaretur.

Laxantium et tonum delentium numero ipſius ventriculi diſtenſio annumeranda eſt; eſt enim haec firmi ſimplicis reſolutionis nota omnibus cauſa. Hanc diſtenſionem inferre poſſunt aut nimia alimenti copia aut aër, qui quodam tenus intus ſemper explicatur, ultra modum explicatus. Eodem pertinet calefacientium ſive intus, quales eſcae et potiones multae ſunt, ſive extrinſecus, quale balneum eſt, uſus: Quae ſimiliter, ac jam explicata alia relaxantia, in firma ſimpliciora agunt. Partimque, ut ſub hoc capite comprehenſa, partim ut quietum vitae genus, humidus coeli ſtatus agit, maximeque, ſi quis parum aſſuetus ex ſicciore in hunc derepente pertranſivit.

Sedantia, qualia potiones validae et ſpirituoſae, opium, nicotiana, et acida fermentata, ſunt, quo modo omnes corporis actiones imminuant, non eſt quod explicem; eo minus, quod in cauſae proximae explicatione ejus doctrinae principia luſiſſime explicata ſunt. Satiſque eſt, omnia ad atoniam recte gignendam pertinere; ideoque pro cauſis remotis dyſpepſiae jure habenda eſſe.

Sedantium in numero habendae ſunt animi affectiones, cerebri incitationem imminuentes. Hujuſmodi ſunt in amore repulſa, metus, animi dolor, ultio negata. Animi in corpus imperium difficile et longum explicatu eſt; quod igitur hic, et quia res vera neutiquam dubitabilis eſt, omittendum exiſtimavi, ad morbi dehinc prognoſin tranſiturus.

## PROGNOSIS.

Neque cum ſanitatem receptura, neque cum exitio futura eſt, brevis morbus chloroſis eſſe ſolet. Si ſola debilitate peccatur, aut menſtruorum retentio in cauſa eſt, ac neque labes congenita, neque vitium locale malorum omnium origo ſunt, corpus roboratum et reducta ſuis remediis menſtrua ſalutem promittunt. Quam in illis alteris cauſis reducere, majoris molis plerumque eſt. Verum haec praeſagii pars eo lubrica magis et fallacior eſt, quod labes congenita et affectio localis difficillime

lime explorantur. Solumque, si corporis exigui incrementum tarde procedat, aut si, ob parum idoneam conformationem, parentis menstrua operose constituta sint, conjici quodammodo possunt.

## CURATIO.

In curatione, ventriculi uterique, cum hujus affectio subest, debilitas et atonia spectanda est, causaque ejus praecidenda. Chloroseos, a menstruorum retentione pendentis, curatio in eis reducendis consistit, ad amenorrhoeae rationem releganda. Aliunde ortae consilia medendi sunt eadem fere ac in dyspepsia, nisi quod hic quoque genitalium, animique libidinem spectantis, ratio habenda videtur. Primum est causas remotas redituras vitare, praesentes tollere; alterum atoniam et debilitatem, tum in ventriculo, tum alibi corporis, auferre.

Quod ad primum consilium attinet, ex causis remotis ante omnia seminium corrigendum est. Cumque id atonia primigenia est, extra chlorosi medentis potestatem est; et curatio ejus ad quandam morborum in atonia positorum, quales hydrops, emansio mensium, dyspepsia, et similes affectus sunt, prophylaxin redit. De quo hic agere a proposito praesente alienum est.

Cum acquiritur atonia, simul potestates quibus illata est vitandae, simul corporis, quo atonia constat, status, quod ad secundum consilium pertinet, est tollendus.

Quae atoniam inferunt, ea potestatum nocentium, quae alias, scilicet, posito jam intus seminio, causae occasionales, seu morbum excitantes, dicas, nomine supra expositae sunt, vitandaeque omnes sunt.

Igitur, si concubitus desiderium atoniam intulit, nuptiae ferunt remedio. Si nimia veneris indulgentia nocuit, ei sola via, qua fieri potest, parcendum, scilicet incitamento libidinis tollendo. Eoque praecipuum remedium victus lautior et plenior vitatus, contrarius quaesitus, est; sed de hac re suo loco agetur. Abstinendumque viri cubili est.

Cum immodicum menstruorum et alia profluvia noxae fuerunt, ea suis remediis sistenda.

Pariter lautus victus, et quietum vitae genus fugienda; ille non solum quia libidinem accendit, sed quia pariter ac hoc, vasa corporis implendo, stimulum ex sanguinis motu pendentem augendo, tensionemque nimiam seu plethoram dando, ad atoniam viam facit. Transitus autem e victu tenuiore in lautiorem tum hoc nomine caveatur, tum quia subita repletio, consuetudinis mutatione, periculosa est.

Cavendum

Cavendum etiam a laxantibus, quae humore et calore nocent, ſive ea intus, ut thea, coffea, potioneſve calidae et imbecillae, ſive extrinſecus, ut in balnei uſu, agunt. Quae longo uſu firmorum ſimplicium mixturam mutent, necne, incertum eſt, ſed aggregationem mutare et laxiores fibras reddere non addubitantur. Cumque firmi ſimplicis conditio vivi proprietates afficiat, illiuſque, exempli gratia, laxitas hujus tonum imminuat, quare talem laxitatem facientia caveri jubeantur, neutiquam obſcura cauſa eſt.

Altera laxationis cauſa diſtenſio eſſe dicta eſt, et in ipſo ventriculo, morbi ſede agere. Cujus igitur cauſa, ſive ea alimenti, ſive aëris evoluti, et elaterem denuo nacti, copia eſt, tollenda aut evitanda eſt. Evolutionis aëris prohibendae ratio in tono ventriculi reſtituendo, de quo mox dicetur, conſtat.

Sedantia, ſupra dicta, nempe potiones meraces, vinoſae, aut ſpirituoſae, item opium, nicotiana, et acida fermentata, eo noxiora ſunt, quod in ipſum ventriculum, morbi caput, agunt, hujuſque fibrarum motricium tonum protinus imminuunt; unde harum cum reliquis totius corporis ſimilibus fibris, per cerebrum conſenſu, tonus ubique, et ſimul nervoſa et animalis poteſtas, imminuuntur. Sicque late corpus affectum animi ſtatum afficit, ut nullae actiones, ſive hujus, ſive illius, intactae malo evadant. Verum, ut a ventriculo ad cerebrum, et dein ſic ad totum corpus, eque corpore ad animum, atonia tranſit; ita animi vitium ad idem cerebrum, perque hoc in totum corpus, diffunditur; uno verbo, fibrarum motricium ſtatus ad cerebrum labem tranſdit, et hujus affectio ad illas ubique, quarum actionis origo eſt, perfertur. Excitandus igitur animus, metuſque moeſtitia, et ſimilium affectuum ſedantium cauſae, quantum res ſinat, auferendae et prohibendae ſunt. Potionibuſque modo et ſupra relatis, et nicotianae ſtimulo, ita abſtinendum; ut caute tamen id fiat, et prior conſuetudo mutatione paulatim facta, ſimul efficaciter, ſimul tuto, ſolvatur.

Ad alterum conſilium explendum, et tum ventriculi tum corporis alibi atoniam auferendam, conveniunt tonica remedia, et toti corpori et ventriculo admota. Illa ſunt exercitatio, frigida lavatio, aer frigidus, et perſpirationem ſuſtentantia; haec ad victus rationem, corticem Peruvianum, et chalybeata redeunt.

Omnium tonicorum, iis qui eam tolerare poſſunt, longe praeſtantiſſimum exercitatio eſt; quippe quae, niſi immodica et ſupra vires ſuſcipiatur, nunquam, ſicut reliqua, in atonicum effectum degeneret. Ei plerorumque hominum ſalus, quodque morbos, in quos deſides et otio inſervientes nunquam non implicantur,

implicantur, effugiant, tribuendum eſt, ejuſdem neglectui imbecillorum, quo in numero literarum diſciplinae dediti, et omnes fere, ut Celſus ait, urbani ſunt, maximeque mulierum, quae raro ſatis exercentur, morbi, et prae caeteris dyſpepſia, cahectica mala, et hoc de quo agitur, imputandi. Non igitur chloroticis, quam tantopere affectare ſolent, indulgenda quies eſt ſolitudo, ſed actio inculcanda. Cumque viribus accommodanda exercitatio ſit, ne deficiens nihil agat, nimia laſſet, eoque atoniam, cujus in remedium paretur, augeat et confirmet, ſi magna debilitas eſt morbuſque provectus; ipſius corporis per ſuos muſculos motui geſtatio anteponenda. Dein, aut cum ab initio minor debilitas fuerit, ambulatio non vehemens, eoque inconſtantior, ſed lenior et aequalior, reſpondebit. Quae quomodo agat, minime ambigitur. Quippe enim tot toto corpore muſculi, in actionem concitati, ſanguinem per venas, ubi minime validis viribus movetur, has comprimendo, percitat. Hinc cito ad dextrum cor et pulmones, perque hos, cito ad ſiniſtrum, eque hoc ad arteriam, ſuis ramis univerſum corpus adeuntem, cito denique ad arteriolas perſpiratorias, quae ſolae omnium inſtrumentorum ſecernentium, cordis et arteriarum majorum actione aucta excitantur *, ſanguis percitatur. Sed, excitatis arteriolis perſpiratoriis, nempe in externa corporis ſuperficie, fibrae ventriculi motrices, quibuſcum illae conſentiunt, et, ut veriſimile eſt, arteriolarum humorem gaſtricum praebentium, alterae, ſaltem in hac internae ſuperficiei parte, excitantur, et ſic ipſa, de qua agitur, ventriculi tollitur atonia. Quae vaſculorum perſpiratoriorum exercitatio intra modum continenda eſt, ne, ſi ad ſudorem uſque fiat, hunc, more omnium auctarum ſecretionum, pro ratione collapſus ſequatur. Iterandumque conſtantia aliqua remedium, quia non uno impetu tantum malum ſuccidendum, conſuetudine certa ſtabili paulatim convellendum eſt.

Idem, protinus et recta, lavatio frigida, quod circuitu quaſi quodam exercitatio, praeſtat. Nam, ut in hoc ſanguine peritato, tonus augetur, quem inde poteſtas nervola et animalis excitata confirmat; ita in illa ſedans frigoris vis, extremos nervos ſentientes afficiens, perque hos poteſtatem nervoſam et animalem imminuere tendens, lege corporis, hanc contrario ictu afficit, cerebrique vim ſupra ſolitum modum intendit. Et ſic, aucta poteſtate animali, augetur dein nervoſa, poſtremo tonus, cum in aliis, tum prae caeteris in perſpiratoriis exteriae ſuperficiei vaſis, hujus calore et totius corporis vigore auctae, intenditur. Atonicum autem hoc remedium per infitam cerebro vim agit, qua quicquid ejus actionem imminuere aut

* Cull inſtit. clxxxi. et clxxii.

extinguere periclitatur, id lege dicta contrarium effectum, nempe majorem solito illius actionem, suscitat; igitur, ut id fiat, certa quadam cerebri vi quae sic excitetur, opus est. Neque enim, si minor justo ea est, effectus consequetur. Ideoque provecto hoc et similibus in debilitate positis morbis, parum tuta frigida lavatio erit. Cui similiter,

Frigidus aër, sed minori gradu, agit; non enim tam eventu stimulando, quam eventu tonum, perque eandem ac ante legem, dando, neque subita virtute, sed paulatim exerta, remedio est. Similiter tamen sentientium nervorum fines, per hos cerebrum, hujusque dein interposita quae communis omni corpori est actione, omnis corporis fibras motrices communiter excitat, tonoque et contractilitate auget. Sed, quanto minor sedans vis, ad tonicam, quam stimulantem, virtutem dandam, requiritur, tanto in debilitate aëris communis, quam lavationis, frigus tutius est, liberiusque adhiberi licet. Verum et huic suus modus statutus est; et perquam frigidum coelum, assidue sine reactione sedando, et vim cerebri reactricem superando, ultro infert debilitatem. Tutissimusque semper aër frigidus, cum exercitatione conjunctus, erit. Ad tonica quoque pertinet, eodemque, quo lavatio frigida ac aër frigidus, modo agit frigida potio; cujus tamen hic locus non est.

Perspirationem ea, de quibus dictum est, tonica sustentant, quod quo modo praestent, ex dictis quoque patet. Praeterque ea ex rebus externis (nam intus adhibita ab hoc capite aliena sunt), debita summi corporis temperies perspirationem fovebit. Neque hoc praeceptum alteri de aëris frigore contrarium est. Modum esse ejus rei dictum est, quem hoc praeceptum respicit. Nam licet, quiescente et parum tecto veste corpore, omne frigus, quamvis non maximum, ad perspirationem imminuendam aut etiam supprimendam pertineat; tamen vel cum exercitatione, ut Batavorum jussu Boerhaaviano glaciem superlabendi consuetudo indicat, conjunctum, vel corpore veste tecto adhibitum, satis magnum frigus perspirationi non inimicum est. Quod fit, quia exercitatio, caloris genetricem potestatem augendo, aut vestis vaporem, assidue e corpore dimanantem, concludendo et cumulando, necessarium vegetae perspirationi temperiem servat. Cave tamen ne sub calore coelesti nimium vestis onus praecipias; sic enim, naturalem nimis augendo, jam ante praeter modum relaxatas fibras etiam magis relaxares, et tum demum in praeceptum de aëris frigore incurreres.

Absoluto de remediis tonicis, toti corpori admotis, sermone, ad ea quae intus assumpta agunt, transeundum est. Horum primum victum spectans est. Qualis victus parum conveniat,

et

et poteſtatibus nocentibus annumerandus ſit, ſupra ſatiſque fuſe expoſitum; cujus rei nullam hic partem repetam. Sed huic loco reſervata eſt propriae alimenti actionis explicatio. Cum victus plenus, cujus effectum quae prohibeat idonea exercitatio non adhibetur, plethoram gignendo, tenuiſque, vaſa non ſatis implendo ſtimulandoque, atoniam pariter inferat, ideo adverſus atoniam jam factam, neuter, ſed utrivis medius, convenit. Victus autem plenus aut contra, non ſolum pro copia aut inopia ejus eſt, ſed prout plus minuſve alat. Plus alit caro et ex carnea natura conſtans materia, minus ex plantarum genere parata. Conſtituta igitur atonia, et morbo inde facto, materia ex plantarum genere, quippe debilitante, et omnia praeſentia ſymptomata augente, pro certo abſtinendum, aut farinaceis, quae hujus generis minime imbecilla eſt, parcius utendum, indulgendaque altera materia nunc eo eſt, quod nimis alendi periculum jamdudum ſuſtulit digeſtio imminuta, quodque ventriculus minore tono praeditus aliquid, quo hic augeſcat et ſuſtineatur, deficientibus viribus concoctricibus, requirit. Non tamen ad ſatietatem aut naturae maxime alentis, danda videtur; ne ſic crudeſcat intus et turbarum augeat numerum. Itaque paratam, ut ſolutu et concoctu quam expeditiſſima ſit, nempe fluentem, praecipue dare convenit. Hinc juſculorum uſus utilis. Et cum firmi aliquod datur, ut id quam leviſſimum et minime viſcidum ſit oportet. Hinc provectiorum animalium, quam aetate minorum, caro convenientior eſt, quam leviorem et concoctu faciliorem eſſe, experimentis per vomitum inſtitutis exploratum eſt.

Tonica medicamenta, cortex Peruvianus et chalybeata ſunt. Quorum ille quotidie dari ita debet, ut poſt decimum quemque vel decimum quartum diem, uſus ejus, ne nimia et nulidua actione tonum tandem imminuat, intermittatur. De actione tonicorum, quae multis in hac academia tempeſtatibus a multis tractata eſt, ſupra dictis addere ſupervacuum eſt.

Eundem fere, quem cortex Peruvianus, chalybeata ſeu ex ferro parata uſum praeſtant.

# DE COLICA.

*AUCTORE ELLIS BUTTON METFORD.*

COLICA recte et breviter definita videtur, " Dolor abdominis, praecipue circa umbilicum torquens; vomitus; alvus adſtricta," cum fibrarum, praecipue in inteſtinis, muſcularium motu abnormi *.

Colica a ſcriptoribus in plurimas, a Sauvageſio in viginti, ſpecies diviſa eſt †. Quarum multae aliorum generum ſunt, nec reliquae, niſi magnitudine, differunt. In hac diviſione cauſarum remotarum ratio parum recte reſpecta eſt; cum, quaecunque illae fuerint, ſolus internus, ex quo pendet morbus, reſpiciendus ſtatus eſſet. Quo perpenſo, nihil in ſymptomatis certum, nihil ſtabile, quatenus a cauſis remotis ea profluant, animadvertitur, quodque pro una quavis ſpecie habendum videatur, id, procedente morbo, in aliam verti ſolet; quin et is caſus, qui Colica Saturnina nominatur, maximeque a reliquis diſtare videri poteſt, nihil adeo conſtans aut ſibi proprium, excepta, quae ſemper intelligitur, magnitudine, quo pro ſpecie, a reliquis caſibus diſcreta, diſtinguatur, habet. De quo Iſlemann, qui maximam ejus varietatem vidit, " Interdum," inquit, " varii generis, pro diverſa aegrorum conſtitutione, febres ſuperveniunt, bilioſae, putridae, vel ex inflammatione inteſtinorum, quae in abſceſſum abiens, morbi moram nonnunquam morte rumpit ‡."

## CAUSA PROXIMA.

Van Swietenius, qui inflammatione inteſtinorum contineri colicam ratus eſt, tamen " Varia," inquit " experimenta recenſita fuerunt, quae docent, acria applicata inteſtinis ſpaſmos excitaſſe in his fibris muſcularibus, per quos inteſtinum conſtringeretur validiſſime, non tantum in loco cui applicatum fuerat, verum etiam in vicinis plurimis locis eodem tempore ſic conſtricta fuiſſe inteſtina, ut omnis tranſitus contentis intercluderetur ||." Et Franciſcus Homius, illuſtris praeceptor noſter, " A ſpaſtica," ait, " inteſtinorum contractione oritur hic morbus. Eluceſcit a ſymptomatibus, cadaverum inſpectione, et experimentis in vivis animalibus inſtitutis §."

* Cull. Gen. Morb. Cl. ii. Or. 3. † Sauvag. Cl. vii. Gen. 22.
‡ Hall. Diſput. Morb. tom. iii. p. 306. || Comment. in Boerh. Aphor. 959.
§ Princip. Med. p. 160.

Nos

Nos ſpaſmum inteſtinorum unius aut plurium partium pro colicae cauſa habemus. Neque obſervationes, cum aliae, tum inciſis cadaveribus, aut inſpecto in quibuſdam animalibus loco laborante, non hanc cauſae rationem, ut vir relatus ait, confirmant. In curationibus verſati adeo valido ſpaſmo conſtrictum rectum viderunt, ut hoc fiſtulam clyſmaticam aegre reciperet, receptaque immitti tamen liquorem prohiberet. Is ſpaſmus partim a torpore, gradum morboſum nacto, partim a praeſentis acredinis irritamento, pendet. Acredinem, humores in inteſtina excerni ſoliti, item perſpirabilis retentus et eodem transfuſus, tum bilis, denique e ventriculo alii huc cumulati, omnes copia ſimul et acredine adaucti, praebent. Quae acredo, ut in magna canalis alimentarii mobilitate, choleram, in ejuſdem fine mobilitate atonia ad ſtatum putridum vergente, dyſenteriam, in puriore debilitate cum irritabilitate, diarrhoeam; ita in hoc ejus partis torpore colicam, creat.

## SEMINIUM MORBI.

Corporis ſtatus, huic morbo opportunus, non omnibus communis eſt; ſiquidem alii totam fere vitam eum fugiunt, alii e leviſſimis caſibus, et ſaepe non evidentibus, plecti conſueverunt: Eſt igitur proprius quibuſdam habitus. Quem corporis, et, prae caeteris partibus, inteſtinorum torporem eſſe, difficile in iis, qui morbo opportuni ſunt, mota alvus, et, niſi validioribus, aut magna doſe datis, catharticis non parens, argumento eſt. Ita Iſlemann, quem modo retuli, "praecedit," inquit, "et comitatur diros hoſce cruciatus alvi obſtructio pertinaciſſima, remediis, alias maxime efficacibus, ſaepe haud ſuperanda, quam, quod mirandum, quatuordecim ultra dies aegros abſque dolore ſuſtuliſſe, Suchlandius adſeverat." Idemque hic, quanto tardius obſtructio ſubnaſcatur, tanto vehementiorem fore dolorem, dicit.

Eundem torporem non inteſtinis, ac ne canali quidem alimentario, contineri, ſed alibi corporis, maximeque in ſummo hoc ſubeſſe, tam eorum, qui morbo implicantur, natura, quam poteſtatum, ſeminium facientium, de quibus mox dicetur, agendi ratio oſtendit. Ita, qui colicae opportuni ſunt, plerique raro ſudant, tarde perſpirant, talemque omnium fere aliarum actionum, qualis atrabilarius eſt, torporem manifeſtant.

Torpor ille inteſtinorum et reliqui corporis, in quo ſeminium colicae poſitum eſt, poteſt aut congenitus eſſe, aut iis rebus, quae habitum faciunt, creari. Congenitus, ut dictum eſt,

eſt, ad atrabilarium notabilem illum accedens, in temperamento conſiſtit, eo, ſcilicet, quod atrabilarium dicitur.

## SEMINII CAUSAE.

Habitum creant, eo ſeminii cauſae dicenda, quietum vitae genus, victus ſedans et parum perſpirabilis, ebrietas, ſedantium actio, omnia in conſuetudinem deducta.

Ut exercitatio idonea, muſculorum toto corpore actionem excitando, ſanguinem in venis ad cor redeuntem percitando, per dextrum hoc et pulmones, perque ſiniſtrum et arterias univerſas, et in harum, qui motui in majoribus vaſis parent, finibus accelerando, perſpirationem auget, conſentientesque cum fibris muſcularibus, perſpiratoria vaſcula cingentibus, quae aucto in iis impetu in actionem excitantur, fibras, motum periſtalticum peragentes, ſimili modo excitat; ita quietis, quae contrariam huic effectuum ſeriem, vaſorum omnium motum languentem, fibrarumque torpentem ſtatum, ponit, actio explicatu facilis eſt, torporiſque, de quo agitur, cauſa manifeſta.

Materia victus maxime ſedans, minimeque perſpirabilis, e plantarum genere parata eſt: Et ex hac ipſa radices, olera, et fructus talis maxime naturae ſunt, quae non tam liquidam alvum, ut vulgo creditur, faciunt, quam facere videntur. Non enim, ſi res propius perſpicitur, alvi liquiditas auctam ejus actionem, ſed compulſam eo, imminuta perſpiratione, humorum copiam, ſignificat. Certe haec harum rerum, quam vulgaris, veriſimilior explicatio eſt. Eas enim pro ſtimulantibus nemo, contra pro ſedantibus omnes fere, quocunque modo earum actionem explicarent, habere, et ſaepe etiam praecipere, conſueverunt. Aucta autem hic alvi actio, non et ob hoc credenda eſt, quod perſpiratio, ſub illarum actione, pro certo et confeſſo imminuta eſt. Quae imminuta omnium ubique vaſorum imminutam quoque actionem denunciat, et omnia praeterea indicant. Sic igitur, ſcilicet, perſpirationem impediendo, eoque fibrarum, motum periſtalticum continentium, actionem et tonum imminuendo, materiae vegetabilis, maximeque ejus, de qua ſermo eſt, actio, ſive ut diarrhoeae ſive ut colicae poteſtas nocens, omnibus nota explicanda videtur. Eademque actio, ratione ſimilis, ſed minus valida, conſueta, et intra valetudinis fines ſubſiſtens, ſeminium inferre poteſt. Eodem potionis cujuſdam, nempe, fermentatione ex pomis confectae, actio pertinent, et explicationem eandem, nec vini Rhenani, ſi ſine ſaccharo Saturnino nocet, noxa aliam, recipit.

Quod

Quod si aliae potiones, sive vinosae, sive spirituosae, quae dicuntur, non solum pro potestatibus nocentibus in colica excitanda ab omnibus medicis habentur, sed per consuetudinem assumptae, paulatim agentes, intraque manifestam noxam subsistentes, seminium etiam faciunt; id, cum sine acido aut acescente proprietate, quae in potionibus modo relatis sola fere incusanda sunt, efficitur, per ebrietatem fieri solet. Ebrietas autem, quae ad tempus etiam, post stimulatricem actionem sedare solet, hoc multo magis et certius consueta efficit. Utque ejusdem, quovis uno tempore stimulum, ob id ipsum quod stimulus est, imminuta actio sequitur; ita is saepius renovatus, jamque consuetus, potestatem nervosam nimis usque intendendo, eam tandem hujus debilitatem, fibrarumque muscularium, ab ea pendentium, atoniam infert, quae sine sui causa, stimulo repetito, commode ferri nequeant. Qui effectus, ut sic latius per totum genus nervosum, ita ibi prae caeteris ejus partibus, quo primum semper et recta usque dirigitur, nempe in fibris motum peristalticum continentibus, percipitur.

Simili modo, sedantia ultra victum, sive canali alimentario, si qua sunt, sive generi nervoso alibi corporis, admota, agunt. Hujus generis aëris temperies est. Quae sive frigoris, sedando agentis, sive caloris, vasa exhaurientis et debilitantis, forma, colicam inferre potest. Frigus, musculares vasculorum perspiratoriorum fibras atonia afficiendo, consentientes semper cum his motum peristalticum peragentes similiter afficiunt. Calor, qui immodicus magis est, quales plagae torridae ardores habentur, ubi assidue corpori humano admovetur, assidue, eoque nimis stimulando, in atonicam potestatem vertitur, tonumque in summo corpore imminuens, in canali alimentario, maximeque in intestinis, imminuit.

Hae omnes noxae ut seminium facere possunt, quod ideo acquisitum recte dicitur, ita, ubi congenitum subest, id augeant, et tanto magis noceant, necesse est.

## POTESTATES NOCENTES.

Potestates nocentes sunt omnia ea, quae, subito et potentius agentia, seminium augent. Suntque ea ipsa, quae, paulatim et lentius agentia, seminium acquisitum faciunt, naturale augent. Eadem atonica seu sedantia sunt. Atoniaque, quam inferunt, ut aliqua ex parte in corpus reliquum, ita aut in summum corpus, aut in canalem intestinalem, potissimum dirigitur.

Quies hoc in loco subita, id est, quae repente labori aut exercitationi

exercitationi immodicae ſuccedit, intelligitur. Cujus effectus imminutio vel ſuppreſſio perſpirationis eſt, fibrarum, a qua motus periſtalticus pendet, actionem pro rata parte imminuens aut quodammodo etiam ſiſtens. Hic illius effectus colicae neceſſarius eſt. Alter ejuſdem effectus, diarrhoeae neceſſarius, nempe aucta in inteſtinis ſecretio, poteſt aut a colica abeſſe, aut cum ea conjungi. Quod ſi, ut opinor, ſaepius aucta in inteſtinis excretio, ex imminuta perſpiratione incidit; tamen in torpente fibrarum muſcularium, quae motus periſtaltici inſtrumenta ſunt, ſtatu relato, non ad eum motum toto canali augendum, et ſic liquidam alvum dandam, ſed ad abnormem et ſpaſmodicum irritante acredine reddendum, illa pertinet. Humores ſic in inteſtina excreti, et ſic irritantes, mucus, humor inteſtinalis, et exhalatus, ſunt, unam excretionem compoſitam conflantes, ſiquidem nullus eorum abſque reliquis aut copioſius aut parcius excerni reperitur. Sed alia acredinis cauſa bilis eſt, cujus aucta ſecretio ſimul et excretio ab eadem origine, nempe perſpiratione impedita, pendet. Quae adeo, eoque quo dictum eſt modo, nocet, ut ſpeciei colicae, quae Bilioſa dicta eſt, opinionem abundantia ejus fecerit. Sed haec non ſemper cauſa, et ſaepe haud obſcurus effectus, eſt, a vomitu, poſtquam is ſupervenit, mulſis ductibus biliariis, pendens. Horum humorum acredo, torpente motu periſtaltico, irritando hunc in ſpaſmodicum mutat.

Victus ſedans et parum perſpirabilis ex ea materia, quae in ſeminii cauſis expoſita eſt, conſtat, et eodem, quo illic quoque relatum eſt, modo, ſed vehementius, ac repentina magis vi, ſuum effectum edit. Si autem talis materia in perſpirationem forte occluſam coincidit, quales in canali turbas facere poſſit, experientia quotidiana docet. Hinc acredinis, modo relatae, origo. Et ſic, cohibita frigore perſpiratione, poma, olera, radices, aut carnis adeps, colicam millies intulerunt. Quin et eadem, ſedando, et cordis arteriarumque actionem imminuendo, extremarum quoque harum imminuunt, et per ſe perſpirationem hebetant.

Simileque ebrietatis magnae et ſedantium aliorum opus eſt. Quae, ſive in ventriculum, ſive in ſuperficiem externam, ſive denique in nervorum originem, agant, parem ubique, maximeque in partibus morbi ſaevitiae opportunis, atoniam et pares turbas inferunt. Quis, crapula quoties colicae cauſa, quamque potens, ſit, ignorat? Nec dubium eſt, quin animi affectiones ſimiliter inteſtina commoveant.

Omnes hae poteſtates, quae, leniore gradu et agere conſuetae, ſeminium acquiſitum faciunt, majore gradu vi repentina, et quaſi uno ictu, ſeminio jam ante intus parato, et ad

morbi

morbi modum assurgere prono, cum hoc conjuncto, morbum eandem excitant. Omnium communis effectus est, fibris intestinorum muscularibus torpentibus irritamento esse, easque, ob id ipsum quod torpent, non ad contractiones validas, quales intra certum modum consistunt, et cum relaxationibus alternant, sed ad contractiones, quae, dum deficiunt, abnormes et spasmodicas fiunt, excitare. Irritamenti acredinis effectui dissensio sive earundem, sive aliarum rerum, qualis aër fere est, addita, inchoatum spasmum auget.

## DIAGNOSIS.

Morbi, quos propius colica refert, Hepatitis, et aliae quaedam abdominis phlegmasiae, et prae reliquis Enteritis, sunt.

Ab hepatitide distinguitur hoc, quod, in eo casu, qui solus colicam refert, nempe, cum jecoris inflammatio ad colon vicina est, diaphragmatis affectio jecur, non colon, laborare indicabit. Absolvetque discrimen aliorum hepatitidis signorum praesentia, colicae absentia.

Eandem a Splenitide, Peritonitide, et similibus vicinorum viscerum inflammationibus, doloris sedes, quae in colica circa umbilicum torquet, non in illis, et initio morbi semper absens pyrexia, distinguunt.

Quod si sedes doloris, et pleraque alia signa, colicae cum enteritide communia fere sunt; tamen sola pyrexiae nota, quae ab illa, saltem ineunte, semper, ab hac nunquam abest, satis in discrimen est.

Ad colicam ab omnibus iis phlegmasiis porro distinguendam, si quando notae relatae ancipites videantur, causae remotae pertinebunt: Quae in colica tales quales memoratae sunt; cum in phlegmasiis seminium perpetuum diathesis phlogistica, potestates nocentes perpetuae frigus, et quaecunque aliae diathesin phlogisticam subito augent, intelligantur.

Ileus, qui a plerisque scriptoribus ad enteritidem pertinere creditus est, colica tamen est, cui progrediente morbo aut obstructio justa intestini aut inflammatio supervenerint, notis colicae propriis novae adfectionis effectui praecedentibus dignoscendus. Itaque, si pyrexia in morbi cursu inciderit, inflammatio, si obstinatus stercorisve vomitus, et obstirmata alvi durities, obstructio accessisse credendae sunt.

Ileus quoque videri potest localis vitii effectus; ut, cum circa corpora duriora, in aliqua intestinorum parte haerentia, nova materia retenta usque impedimentum fixum auget, aut ibi ex aliquo casu, puta gastritide, sive idiopathica, sive symptomatica, eoque ipsa colica, portio aliqua intestini, applicatis

hujus inter se lateribus, concrescit, aut denique, quando post distensionem insolitam, aut ex alia quavis causa, intestini pars in proximam recepta est. Qui casus ab idiopathica colica plerumque hoc dignoscetur, quod ab initio ad finem talis morbi nihil alvo redditur, cum rarissime in colica aut aër, aut humor tenuis, aut aliqua ex parte stercus fluens, non dejici soleant. Quod discrimen, si non semper respondet, et justa alvi compressio sine obstructione insuperabili reperitur, internum statum discernere minus eo refert, quod sola colicae remedia in utrovis casu tentanda sunt, quibus frustra habitis, actum fere de aegrotante est.

Pro specie colicae habitus est affectus, magnam alvi compressionem efficiens, Colica Saturnina aut Pictonum nominatus. Ejus causa remota plumbum acido, aut extra corpus humanum aut in hoc intus rosum, reperta est. Ejusdem frequens affectus extremorum, maxime superiorum, paralysis est. Qui affectus eo minus mihi colica justa esse videtur, quod causa ejus in quoslibet, et non solos in opportunos, agit, quodque etiam diversum effectum, nempe paralysin modo relatam, trahit. Unde, etiam intestina non colicam, sed horum fibris actione sua privatis, et motu peristaltico deleto, paralysin adficere credo. A quo morbo, causae remotae et paralysis praesentis aut absentis ratione, colica justa distinguenda est.

## DE EVENTU MORBI JUDICIUM.

Colica scite et prudenter curata raro, neglecta aut male administrata plerumque, ni fallor, exitio est. Hinc ex infelice vulgo, qui naturae, quam medico, credendos potius morbos existimant, plurimi hoc intereunt. Neglecta colica jugulat, quod, irritante simul et distendente materia crescente, spasmus, ab ejus effectu pendens, usque crescit. Hinc simplex colica vertitur in ileum, qui cum inflammatione, aut sine hac, interficit, aut in gastritida symptomaticam, cujus praesentiam pyrexiae et propria idiopathicae gastritidis signa indicant, aut in obstructionem relatam, quae Volvulus vulgo dicitur. Quorum aliquid vel ab initio subesse existimandum est, quoties morbus, pro colica habitus, mature et bene curatus, non tamen sanatur, sed proprias turbas modo relatas excitat. Quo in casu, licet obstructio absit, tamen quae intus est, constrictio plerumque pure spasmodica non est, sed cum vitio locali, ex aliqua memoratarum originum, nexa.

## CURATIO.

Consilium medendi colicae est: 1. Spasmum solvere, hinc causam

cauſam ejus irritationem, hinc effectum prius, dein invicem cauſam, diſtenſionem, aut etiam recta, tollendo; tum torporis reditui occurrere.

Quod ad conſilium prius attinet, quoniam quamdiu diſtendens cauſa permanet, tamdiu aliud agentia remedia propoſito medici aberrant; igitur ab iis remediis, quae ad ſtercus et congeſtos humores dejiciendos pertinent, initium faciendum, eo commodiora ſunt, quod eorum aliqua ad acres humores auferendos ſimul valent. Sic diſtenſionem tollentium primum memoranda

Alvum purgantia ſunt, quae rurſus ore dantur, aut in alvum immittuntur.

Ore data alvum varia, et alia lenius, alia gravius, purgant. Quorum quae lenius purgant gravius purgantibus nunc vulgo anteponuntur; propterea quod haec ob acredinem rejici per vomitum periclitantur, inflammationem ultro accendi periclitantem excitant, irritandoque etiam aliqua ex parte ad augendum ſpaſmum pertinent.

E lenius purgantibus cremor tartari commodiorum in numero eſt. Is neque guſtatu ingratus eſt, neque rejici vomitu periclitatur, et perquam leniter, ſed non impotenter, agit. Datus igitur electuarii forma, ad ſemunciam circiter, ſaepe reſpondebit. Alterum medicamentum, leniter quoque purgans, et non acredine irritans aut tormina excitans, ſal neuter Glauberi eſt. Quem guſtatu ingratum, et rejici per vomitum periclitantem, ſexta ſalis communis, quam puriſſimi, parte addita, corrigendum Cullenus judicat. Convenit quoque oleum ricini. Quod ſi iis, quorum ventriculi oleorum genera minus bene ferunt, ingratum nauſeam excitat, motoque vomitu rejici periclitatur; at, cum potione aliqua meracc, qualis ſpiritus Gallicus, aut ſaccharinus eſt, conjunctum gratius erit. Gummi etiam guaiacum bene alvum purgat, neque inflammante opere formidandum videtur. Utque difficilius quidem ventriculo diſſolvitur, ita mucilagine, ſaccharo vel ovi vitello accurate diffuſum, facilius diſſolvi poterit. Idem, parvis doſibus ad drachmas duas datum, alvum bene laxat. Calomelas, qui ad grana decem datus, alvum quidem purgat; quia tamen inflammationis excitandae periculum adit, rectius in hoc morbo omittitur. Denique, tartarum emeticum, parvis doſibus datum, ita in colica eſt, ut ſic pylorum tranſeat, et in inteſtina agens purget. Quod, ob certum prope excitandi vomitus, qui ultro nimis incidere periclitatur, effectum, procul dubio rejiciendum a colicae curatione eſt. Haec remedia fere ſunt, quae ore data, ad alvum purgandam pertinent. Verum eodem conſilio,

In alvum quoque varia immittuntur. Ea purgantium ore datorum opus adjuvant, inter quod etiam adhibita, ut ſic quam longiſſime motus periſtalticus excitatur, melius reſpondent. Praeterque hunc effectum, ubi colo contenti dolores ſunt, et a ſtercore inter ejus valvas impacto pendent, clyſmata, ad partem laborantem penetrando, inteſtinum conſtrictum laxare, ſtercus convellere et deducere promittunt. Terebinthina immiſſa ſaepe efficax remedium reperta eſt, et ad unam unciam data plus plurimo colocyntho prodeſſe. Quae tamen et cautam adminiſtrationem poſtulat, et ſtimulando inflammationem impellere minitatur.

Non igitur quieſcere in utere, ne ad extremum hunc effugiens non in alvum intromittatur, ſinendus eſt, ſed cum altero humore bene confuſa ſine mora immittenda. Eademque, ſi aut inflammatio metuitur, aut illius ſtimulus, morae impatiens, intacto ſtercore citius juſto refunditur, omittenda, et ad minus ſtimulantia decurrendum. Sales neutri, ut nitrum et ſal Glauberi, ſaepe et proſpere quoque adhibentur. Sed et ii quoque, ſi ſtimulando, re infecta, quod aliquando fit, terebinthinae inſtar, refunduntur, humori minus aut non omnino ſtimulanti poſthabendi. Talis aqua calida eſt. Quae copioſe immiſſa, et non irritando permanens, ſtercus durum mollit, inteſtina relaxat, et diſtendendo purgans, ſaepe feliciter impactas res deducit. Cui ſi ſtimuli aliquid requiritur, ſalis communis paululum reſpondebit. Ejuſdem autem vis relaxans quae, extrinſecus admota, adeo ad ſpaſmum ſolvendum efficax eſt, non intus quoque plurimum prodeſſe, illic etiam relaxando et ſpaſmum imminuendo, non poteſt.

Praeter alvum purgantia, ore et alvo data, aliud eſt, quod, his omnibus fruſtra adminiſtratis, ſaepe alvum dejecit. Id frigida, ſtantis ſuper lapidem frigidum inopinantis nudis femoribus, cruribus et pedibus affuſa, reperitur.

Ad hoc caput diſtenſionis tollendae, licet non purgando agens, primarum viarum dilutio pertinet Cujus generis ſunt juſcula, ex carne parata, demulcentia, et mollientia, potui data. Haec, quae in dyſenteria, durum ſtercus humectando et molliendo, ad hoc convellendum et depellendum manifeſte pertinent, nec levem opem ferunt, eadem virtute adverſus eundem intus ſtatum, hinc quoque uſui eſſe poſſunt.

Ad irritationem, qua ſpaſmus augetur, componendam, eadem diluentia, particulas acres inter ſe disjungendo, vimque earum frangendo, aliquid valere poſſunt.

Haec medicamenta, ore aut ano data, item diluentia, ſi cum cura urgentur, nec confirmari mora morbus ſinitur, in pleriſque

que idiopathicae colicae casibus per se sola respondebunt. Verum

Alia sunt, quae recta spasmum adsiciunt. Eorum praecipua sunt vesicatoria et balneum; quae relaxante virtute, et sic solvendo spasmo idonea, agere videntur. E quibus

Vesicatoria in plerisque viscerum, praeque caeteris, abdominis adfectibus, sive spasmodicis, qualis hic est, sive inflammatoriis, ut prudentissimus quisque medicus jamdudum testatur, praesenti sunt auxilio. Res certa est, quoquo modo eam explices. Verum e tribus actionibus, quae vesicatoriis tributae sunt, et nunc quoque quam maxime tribuuntur, stimulante, humorem detrahente, et laxante seu antispasmodica, certe haec in praesente casu est, qua adeo salutifera comperiuntur. Si enim intra breve temporis spatium quam imposita sunt, saltem quam agere coeperunt, non solum validissimus ipsorum intestinorum, sed et abdominis musculorum, spasmus ille, quo, umbilico intro versus spinam retracto, plurima in abdomine quasi tubera, ut sacci pomis referti instar ille videatur, efficiunt, aut ex toto solvitur, aut manifeste remittens locum dat, quo alia remedia interposita morbum tollunt; id nulla humores ad summum corpus pertrahendi virtute, vesicatoria efficiunt; utpote cum neque tantum humoris auferatur, neque ejus abundantia tam noceat, neque quibus viis sic salutaris detractio fiat, ita pateat, ut sic agere remedium existimandum sit. Relaxare igitur primum tegumenta, dein infra haec sitorum musculorum, tum ipsorum intestinorum, spasmum vesicatoria judicanda sunt. Quoniam autem eo semper efficaciora sunt, quo propius partem laborantem imponuntur; igitur, in hoc morbo, ipsi abdomini imponenda ita sunt, ut umbilico tamen, qui, iis rosus, non tam facile sanescit, abstineatur.

Balnei vis quoque relaxans ab omnibus agnoscitur, ipsumque, qui de morbis spasmodicis scripserunt, inter prima remedia omnes habuerunt. Juvenis, qui lauream in hac academia petens, de colica scripsit, propria observatione relaxantem et antispasmodicam balnei virtutem his verbis confirmat. "Quin et nos ipsi," inquit, "quater balneum, colicae dolorem, nequidquam agentibus, aut pro tempore tantum sublevantibus fomentis, penitus fugare vidimus. Neque in tribus e quatuor casibus dolor postea unquam rediit. Cumque in una virgine, sive quod ea irritabili admodum habitu erat, sive quod alvum suam purgare noluit, tamen dolor rediisset, manna purgata alvo, in perpetuum est fugatus." Non igitur justum balneum non optimum adversus colicam auxilium est. Quod cum, ut saepe, parabile non est, pro eo forma

forma ejus, nempe fomenta, utenda ſunt. Fovendumque, niſi eo prius impoſitum veſicatorium prohibeat, abdomen eſt, ſi prohibeat, extrema inferiora*.

Hactenus de conveniente colicae puriori medendi conſilio, deque huic reſpondentibus remediis, dictum ſit. Verum, cum eadem inflammationem ſymptomaticam accendere periclitetur, et toties accendat, ut multi in inflammatione cauſam ejus collocent, vel ad vomitum excitandum, quo omnibus remediis reſiſtitur, et morbus confirmatur, pertineat; ideo quo modo utrique huic periculo occurendum ſit, paucis expouere propoſiti noſtri erit.

Quod ad inflammationis periculum attinet, licet morbus in torpore ſitus eſſe dictus ſit, qui habitus ab inflammatorio longe diſtat; tamen, ſive hic quodammodo ſubſit, ſive poteſtates nocentes phlogiſticae, et, prae caeteris, frigus, praeceſſerint, ſive denique utraque noxa occurrerit, vel ubi haec quidem deſunt, ſed longior morbi mora partis laborantis, in inflammationem iturae, metum facit, multoque magis, ſi coeptae illius ſigna, quamvis obſcura, praeeunt; in omnibus his caſibus, ad inflammationi occurrendum, vel quodammodo praeſenti medendum, curandi conſilium eſt, vaſa ſanguifera periclitantia relaxare. Quod perficiendi optima via, ſcilicet, ut ex ipſa parte ſanguis detrahatur, quoniam non patet, ideo ad proximam decurrendum, et copioſe ex brachio ſanguis detrahendus. Quae detractio, omnia vaſa relaxando, habitum phlogiſticum, ſi forte ſubeſt, ſolvet, et, hoc facto, affectionem partis levabit, abſenteque illo habitu, ad laborantia vaſa quodammodo effectum tamen perfert. Certe profuiſſe hoc remedium experientia multorum confirmat. Optimus noſter nuper Praeceptor Gregorius, in praelectionibus ſuis, adeo illud profuiſſe teſtatur, ut, ubi ſpaſmus ingens clyſteri aditum negaret, is, ſanguine miſſo, protinus reciperetur.

Rurſus cum purius ſpaſmodicus morbi ſtatus eſt, ſed mora confirmatus, vel etiamſi inflammationis aliquid inductum, ſed ſanguinis miſſione habitus inflammatorius, qualis qualis fuerit, ſolutus, jamque vomitus non coepit ſolum, ſed viget; ad hunc componendum tumultum, prius antiſpaſmodicum, ſcilicet, opium, utendum erit. Quod, licet motum periſtalticum ſedante opere imminuat, et ſic ad caput mali confirmandum pertinere videatur; tamen, ſedando vomitum et remedia dandi copiam faciendo, manifeſte prodeſt, dum, motum periſtalticum abnormem et inverſum imminuendo, forſitan non

* Sed vix hoc metu opus eſt; nam, ut ingenioſus et optimus praeceptor Hope ait, haerente adhuc ventri aut tergo veſicatorio, balneum reſpondet, praeterque hoc ad ipſius veſicatorii dolorem leniendum pertinet.

omnino

omnino nocet, et contra juvat. Nam certe aliud eſt rectum, inverſum illum motum ſiſtere. Verum, ne rationibus a recto abripiamur, quid in aliis caſibus, non diſſimilibus, opium praeſtet, videamus. In lochiorum poſt partum profluvio, motus uteri abnormis moleſtos dolores excitat, et ſomnum fugat. Quid opium facit? Poſt opus ejus, etiam copioſius profluvium, ſed ordine et rite procedit, dolores fugantur, reducitur ſomnus. In dyſenteria, ſaepe humorum acredo et ſtercoris duri impactique diſtenſio, quem faciunt, in nimium urgent, ſpaſmum. Ibi quoque dandi ſaepe opii neceſſitas eſt; quod remedio efficaci fit. Imminuitur, manente adhuc materia diſtendente, ſpaſmus, et haec aut motu periſtaltico minore, ſed validiſſime per ſe, aut certius quidem purgantibus ſuſtentato, propellitur. De ejus in cholera, ubi, praeter abnormitatem, motus periſtalticus etiam nimius eſt, virtute nil ambigitur, et illic remedio manifeſte, quae in colica metui eſt, ſedans opii proprietas. Et quid ni? certe enim, ſi, quod poſſe nemo dubitat, motus ex parte abnormis et convulſivus ſit, ob id ipſum quod nimius eſt; quicquid igitur imminuat eum, ad ſalutem ſit neceſſe eſt. Sed non in colica, excepto vomitu, adverſus quem pro remedio receptum eſt; de opio perinde ratiocinandum eſt. Cujus illic uſus, qui ad torporem, in quo caput coli poſitum eſt, augendum pertinens, tantum mali ſedando, quantum boni ſpaſmum recta imminuendo, facere periclitatur, periculoſus fore videtur; neque committendum, ut, prae virtutis antiſpaſinodicae fiducia, effecti, quod ſedare et adſtringere alvum notum eſt, periculum adeatur. Tutiuſque videtur aliis laxantibus remediis, ſupra relatis, contentum eſſe, quam ad opium decurrere, vim hujus ſedantem, purgantium ſimul datorum vi, ſuperatam iri ſperantem.

Ubi conſtrictio magna eſt, et nullis remediorum relatorum cedit, ad eam vi ſuperandam medici decurrerunt, et modo aqua calida in alvum, modo argento vivo, aut globis metallicis, ore datis, ejus rei periculum fecerunt.

Si in inteſtinis tenuibus morbus ſedet, aqua ad hunc pervenire et valvam coli ſuperare poſſe, vix ſperanda eſt. Quae contra, ubi coli aliqua pars laborat, alvum relaxando, ut ſupra dictum eſt, potius, quam vi diſtendendo, agere putanda eſt.

Argentum vivum in ſtatu pure metallico dari conſuevit. Quod, quoniam non una maſſa, ſed hac in plurimos globulos, humoribus in inteſtinis ubique impeditos, et inter ſe disjunctos, diviſa, ad partem laborantem pervenit, fruſtra eſſe videtur. Magnus Sydenhamus, qui nullum temere remedium damnaturus fuiſſe credendus eſt, de ileo loquens, " Methodus," inquit,

quit, " eum curandi hactenus fere incognita fuit, quicquid jactent de usu argenti vivi et globulorum, quae, praeterquam quod parum conducunt, noxam saepe haud contemnendam inferunt †."

Neque globos plumbeos aut argenteos, eodem consilio datos, licet, quacunque eant, pondus circumferentes, felicius agere, sive ratione sive experientia adductus judices. Quippe enim per varios intestinorum gyros delati, quantum, alibi descendentes, pondere juvantur, tantum, alibi ascendentes, eodem retardentur necesse est. Et, si ibi intestini, quod saepe quoque accidit, morbus sedet, quo ascendendum metallo sit, cui pondus usui esse potest?

Si quid hujusmodi opem ullam promittit, id tabaci fumus aut decoctum, in alvum immissa, est. Quae valvam coli transire et distendendo intestina purgare forsitan valet.

Post sublatum his remediis morbum, quoniam, ut supra dictum est, is in seminio, nempe torpore, positus est; ideo diu post a potestatibus excitantibus, maximeque iis, quae seminium augere periclitantur, diligenter erit cavendum.

† Opera universa, p. 76.

---

# DE CHOLERA.

*AUCTORE J. LEMAN.*

CHOLERA est humoris biliosi simul vomitus, simul dejectio frequens, item anxietas, tormina, et surarum spasmata *.

Huic definitioni Sauvagesius " morbum acutissimum esse, vomitum assiduum, saltem nauseam, humorem, si biliosus non est, acrem, et, ubi deest dejectio, tenesmum, et abdominis dolorem," addit. Verum humoris et alia discrimina tantummodo magnitudinis sunt. Quod autem bilem posse abesse putavit, id, quia in plures justo species, ut mox dicetur, morbum extendit, feciisse videtur; cum re vera adeo bilis expers nulla cholera justa sit, ut citra hanc, etiam in omni vomitu paulo enixiore, cum rejectis bilis exeat. Pro dejectionibus, quae pariter a vera cholera segregari nequeunt, tenesmum suppositi, Sydenhamianam et Hoffmannianam speciem siccam

* Cull. Gen. Morb.

dictam,

dictam, respiciens. Dolorem abdominis, cum perpetuus sit, adjiciendum definitioni fatemur.

Idem vir clarus Sauvagesius, suo more, species veras cum alienis affectibus miscendo, symptomata pro morbis habendo, aut e potestatibus remotis varietatem semper petendo, non naturam morbi illustrasse, sed discentium perturbasse judicium, videtur. Qui tamen, nihil omittendo, et omnia in medium trahendo, quantum tyronum mentes confudit, aut in erroris etiam periculum adduxit, tantum prudentioribus et exercitati judicii viris periteve doctis junioribus profuisse putandus est; scilicet, omnem suggerendo materiam, quam posteriorum diligentia in meliorem ordinem digereret. Neque id de hoc morbi genere solo, sed et de toto ejus laboriosissimo opere, pariter dicendum est. Pariter enim ubique in eandem culpam incidit, eandem ubique, quasi ex divite penuario, utilem abundantiam, sed minus commodo ordine, expromit.

Ex undecim igitur ejus speciebus, omnes praeter primam, scilicet, spontaneam, rejicimus. Tertiam et quartam, alteram a vegetabili aut fossili, alteram ab animalis veneno, ortas, amandamus; quia non e re, sed ratione, eaque mala, hae species creatae videntur. Si enim hae species ejusdem naturae, cujus spontanea, quam pro vero morbo recipimus, sint, sed magnitudine tantum differant, quid opus erat eas in species, nedum diversas, diduci, cum magnitudo non discrimen faciat? Sin naturae diversae sint, id est, a diversa causa proxima contineantur, tum ne pro speciebus quidem recipiendae erant. Verum, omissa ratione, cui, saepe fallaci in ordinandis morbis, non temere insistendum est, nihil his in signis externis novi, praeter flavedinem cutis, et dejectiones iis similes, quae in dysenteria vulgo incidunt, video; unde ille speciebus nomina, alteri auriginosam, alteri et dysentericam, dedit, scite satis. Sed quorsum hic dysenteria? cujus neque causam ullam, neque effectum, praeter unum illum, qui supra relatus est, quique dysenteriae adeo proprius non est, ut cum diarrhoea graviori, et similibus noxis, communis sit, ullo modo cernimus. Et quis dysenteriae cum cholera nexus est, putridi morbi cum spasmodico, febris gravis cum malo non febrili? Si omnia contraria sunt, et adversis frontibus pugnant, haec species dimidia e parte corruit. Quam, ut ab altera parte explorem, et, an ibi securior sit, cognoscam; iterum rogo, quid auriginis cum eadem cholera commune sit, morbo, in quo, quicquid bilis abundans peccat, extra primas vias peccat, cum eo ubi noxa bilis intra easdem fere tota grassatur? Nullas novi secretiones quae brevi spatio in extrema deo vibrant. Sed hic quoque quam vereor auriginem nullam subesse. Si enim subsit, ubi stercus albescens, ubi alvi

durities, ſunt, ubi etiam longinquitas temporis, qua corporis ſummum, poſt levata aut ſublata omnia, tamen flaveſcere aut decolor eſſe permanet? Praeterea quid eſt, quod quiſquam ſuſpicetur hic auriginem? Venenum animalis? At viperae et aliorum animalium venenoſae noxae, item labes putrida, ſimilia efficiunt; ubi ego, nullum unum humorem mutatum, ſed omnes, et prae caeteris ſanguinem, illam cutis ſpeciem dare autumo. Cenſen' tu, eam viro viperino vim magicam ineſſe, ut, intus acceptum, exitum, quo bilis in duodenum intret protinus intercludat, et bilem per aliena itinera toto corpore protinus diffundat? Eave fungorum, viriioli, antimonialium, arſenici et mercurii actio venenoſa habenda eſt, quae bilem proprio itinere exturbet, et non potius, omnibus humoribus corruptis, firmis omnibus ſolutis, flavedinem illam creet? Aut in febre flava Indorum Occindentalium, putridiſſimo malo, cutis, unde morbo nomen impoſitum eſt, color, errantine, quaeſo, bili, et non multo rectius firmorum reſolutioni, humorum putredini extremae, tribuendus? Nulla igitur hic cholera eſt, nulla aurigo, dyſenteria nulla, ſed vis venenata motum quidem primarum viarum periſtalticum, ſed, una univerſos corporis, turbans. Quae primarum viarum turbae, ut morbum, choleram dictum, totum conſtituunt, ita alterius a venenis orti ſymptoma tantummodo ſunt, ac forſitan ne id quidem; ſiquidem inverſus ventriculi, nimius alvi motus, non a pluribus et diverſis magis cauſis profluunt, quam ipſi inter ſe natura et eventu diſcrepant. Et quidni? Omnem enim vomitum, omnem alvi citationem, eadem eſſe, et ad eundem finem tendere, manifeſto falſum eſt. Variant haec, non in diverſis ſolum, ſed in eodem etiam morbo, ita, ut alio ejus tempore ad ſalutem, alio ad interitum ducant, alio in neutram partem multum inclinent. Cujus rei, ne in rationes alieno loco imprudens implicer, eaſque ut ad aliam ſermonis hujus partem reſervem, dixiſſe ſatis ſit, tantum a morbis, quos venena fecerint, choleram diſtare, quantum partis affectio, nec ea quidem ſua natura gravis, ab ea, quae omnes vitae actiones, recta in exitium ruens, opprimit. Quo conſilio, quinta Sauvageſii ſpecies quoque excluditur. Porro, intermittentem, Indicam, inflammatoriam, verminoſam, et arthriticam reſpuo; quia in iis omnibus vomitus et dejectiones, quae pro cholera habentur, non morbus, ſed ſymptoma, ſunt. Tales enim ſpecies ſi reciperemus, tot cholorae ſpecies forent, quot fere morbi ſunt primas vias irritantes. Atque ſic ſeptem rejecimus. De quibus omnibus, praeter modo expoſita, hic demum rogo, quis talium ſpecierum uſus ſit? Si enim ordinis ratio iis habetur, eum turbant; ſi curatio aliqua tot cholerae ſpeciebus communis ſpectatur, fruſtra id

quoque

quoque eſt; cholera enim, ſi etiam atque etiam cholera dicenda eſt, in iis omnibus, non ſuam aliquam curationem, ſed morborum, quorum ſymptoma eſt, propriam ſibi vindicat. Reſtant adhuc duae ſpecies, quas rejecturus ſum, ſiccam et crapuloſam. Quorum quod ad poſteriorem attinet, ſi verba, quibus Meſeraius, unde eam Sauvageſius tranſtulit, conſideres, ne morbi quidem definitioni ſatis convenit. Poſt crapulam heſternam ſomnumque ſurgit homo, quid fit? Vomit. Quidni? Quo nihil conſuetius, nihil naturalius iis, qui poculis non aſſueverint. Aut, ſi quando etiam aſſuefactus magis vomit, id nihil aliud, quam aut cibum parum ei convenientem, juſtove plenius ſumptum, aut pravam potionem ingurgitatam, ſignificat. Vomit igitur, et levatum ſe protinus perſentit. At funditur ſimul alvus. Et quid adeo mirum? Si id, quod, dum in eo ineſt, ventriculi motum invertit, pylorum tranſiens, inteſtinorum rectum percitat. An vero ad hos ciendos motus opus medicina eſt? Non. Audi auctoris verba. "Natura hanc ſarcinam ſupra et infra cum impetu eliminat." Ecquid tamen incommodi poſtea permanet? Nihil. "Affectus fugax eſt et ſalubris." Ergo, ſi morbus recte definitur, "corporis totius aut partis ſtatus mutatus, ubi una aut plures actiones cum diuturnitatis aliquanto laeduntur, cholera, crapuloſa quae dicitur, adeo non eſt, ut ne morbus quidem ullus ſit. Ut reliquarum rerum quarumvis, ita et morborum, finis aliquis ſtatuendus eſt, ne, quae quotidie, immo omni fere hora, omnibus hominibus, et vel ſaniſſimis quidem, moleſtiae parvulae inciduut, pro morbis habeantur, et nemo in terris ſanus relinquatur. Hic nulla actio diutius paulo laeditur, nulla, niſi et fugax et ſalutaris, moleſtia ſubeſt, corporei ſtatus, ut ſupra et infra purgatione peracta adparet, mutatum nihil; ut, quod morborum numero adnumendum eſt, id cholerae ſpeciem eſſe, quis homo dixerit? Quod ſi vel maxime ad affectum crapulae et ſatietatis alia addita morbum juſtum creant, is, ſic quoque a cholera alienus, rejiciendus videtur. Itaque Sydenhamus, "qui," inquit, "ab ingluvie ac crapula, nullo temporis diſcrimine paſſim excitatur affectus, ratione ſymptomatum non abſimilis, nec eandem curationis methodum reſpuens, tamen alterius eſt ſubſellii."

Quod ad ſiccam ſpeciem attinet, ipſius Sydenhami verba accipe: Ille "eſt etiam," inquit, "et cholera ſicca a ſpiritu flatuoſo ſupra et infra erumpente, idque ſine vomitu aut ſeceſſu; cujus unicum duntaxat exemplum me vidiſſe memini, ineunte hujus anni autumno, quo tempore prior illa ſpecies," ſcilicet, ſpontanea, per populum A. D. MDCLXIX graſſans, "mihi creberrimo et facto quaſi agmine ſeſe obtulit." Quem

morbum choleram fuiſſe, nihil aliud praeter choleram, illo forte tempore per Londinenſes graſſantem, argumento eſt. Qui nihilo tamen magis cholera, quam dyſenteria, et in hanc paulatim vertentia, gravia tormina, quae eodem coelo nata, eodem anni tempore ſimul graſſabantur, aut quilibet prope alius morbus, quandoquando aut undeunde ortus, fuiſſe dicendus videtur.

Poſtremo, ſupra dicta de ſpeciebus cholerae Sauvageſianis quas rejecimus, hoc imprimis illuſtrat, quod omnes, quolibet anni tempore, ſine diſcrimine incidunt, cum vera cholera certo tantum prorumpat, per populum ſaepenumero etiam ſaeviens.

Recepta igitur pro morbi genere una tantum ſpecie, quae ſpontanea dicitur, quae ſint ejus communia ſigna exponam.

## HISTORIA MORBI.

Saepe praecedentibus brevi mora in ventriculi et inteſtinorum regione doloribus, ſaepe ſine iis aut ullo futuri ſigno, vomitus immanis protinus incipit. Simul vel paulo poſt alvus, crebris dejectionibus, ſed difficilibus, torquetur. Quae dejectiones ſaepe cum vomitu, ſaepius ſine eo, unum aut alterum diem permanent. Supra et infra rejecta primum coloris mucoſi, mox flaveſcunt. Pectus et venter toto ventriculi et inteſtinorum tractu vehementiſſime dolent, et diſtenduntur. Ventriculus mordetur. Sititur ita, ut frigida prae caeteris deſiderentur. AEſtus et anxietas aſſidua ſunt. Pulſus arteriarum exigui, interdum nulli, interdum celeres, frequentes, exiles, percipiuntur. Sudor gelidus dimanat. Vultus cadaverinum refert, liveſcit. Extrema frigeſcunt. Surae, brachia et alii etiam artus, ſpaſmis conſtringuntur. Singultitur. Deficit anima. Intra viginti et quatuor horas ſaepe morbus jugulat. Plerumque tertio die, rarius quarto, finitur. Nec unquam ſua forma ultra ſeptimum excurrit.

## CAUSA PROXIMA.

Choleram continens cauſa bilis eſt, copioſius juſto ſecreta, a ſuppreſſa perſpiratione pendens, temporis calore in acrem naturam verſa, et ſic primarum viarum motum periſtalticum hinc invertens, hinc celerius debito percitans. A bile choleram ſic concitari argumento ſunt, quod haec ſine ullis eorum, quae diarrhoeam inferre ſolent, ſtimulis exoritur; quod illo anni tempore ſolo incidit, quo bilis et abundantiſſima et acerrima eſt, id quod alii morbi bilioſi ejuſdem coeli et temporis demonſtrant;

demonſtrant; poſtremo, quod adeo copioſe in rejectis, ſive ſupra ſive infra, humoribus adparet. Cum bilem acrem in cauſa cholerae poſuerim, et eam acredinem multi clari viri fermentationem eſſe judicaverint, ad quam fermentationis ſpeciem referenda ſit, aut ſitne ulla ex iis omnino, anquirendum. Quae quaeſtio eo magis ad rem eſt, quod morbi curationem concepta de ejus natura opinio haud leviter tangere videtur. Utque ab acida fermentatione incipiatur:

Acida fermentatio calidiſſimis et temporibus et locis maxime fovetur, in omnibus partibus naturae aliis. Num idem fit in ventriculo et inteſtinis humanis? Non mihi veriſimile eſt. Nam in frigidiſſimis orbis locis et temporibus, quam calidioribus, acidum, non tutius, contra minus impune, perfertur; quod quidem latus hominum per orbem conſpectus ſuadere videtur. Et virum novi, cujus ventriculus tam ſubtiliter hujus diſcriminis ſenſibilis eſt, quam mens ad dijudicandum prudentia valet *, qui hac in regione ſatis tuto acidum aeſtate, non ſine incommodo hieme, aſſumit. Item multos novi, qui lemonum ſuccum in potionibus ſub gravibus horis aeſtivis in Scotia, neque ullo alio tempore, bene ferunt. Contra, apud nos, et in calidis maxime ſub ipſius zonae torridae plagis, non fruſtra provenit tanta acidulorum pomorum copia et varietas. Quippe quae non tantum grata, ſed et neceſſaria hominibus ſit, ad levandum aeſtum et ventriculum refrigerandum; ut in eum ipſum finem hoc iis paraſſe ſubſidium natura videatur; ſub frigoribus, ubi et ſupervacuum magis et inutilius eſt, ejuſdem naturae conſilio denegatum. Quin et me domi quae recreare acida grata ſolebant, eadem, poſtquam huc perveni, oneri ſaepe experior †. Ergo calor adeo nullam acidi generis fermentationem in ventriculis hominum progignit, ut id, quod naturale ulla ex parte per brevem moram ſit, imminuat. Ob quam cauſam, acidam fermentationem, quam in aliis naturae partibus calore gigni videbant, ad hominum et aliorum animalium ſanos ventriculos viri ſupra relati non recte tranſtulerunt. In ſanorum hominum ventriculis quicquid aſſumptum eſt, in acidam licet naturam inclinaverit, tamen cito concoctricibus facultatibus obtegitur. Verum, aliquis in nonnullis morbis, ut cholera, quod ad rem eſſe videatur, et dyſenteria, ſuboriri poſſe talem fermentationem, dixerit. Quam quaeſtionem, ut ſecundae valetudinis ratione illuſtrem, ſub ea bilis non acidum fovet, ſed retundit et abſolvit. Quod vel hoc patet, quod, ſi quae aciditatis notae obſervantur, eae in ventriculo, cum nondum ulterius concoctio proceſſerit, apparentes cito evaneſcunt. Ultra pylorum alimenti pars altura corpus,

* Cull. Uſus et Inſt. Med. in Acad. Edin. Profeſſ.

† Hujus diſſertationis auctor ingenioſus Barbadenſis eſt.

aut

aut ſecretiones ſuppeditatura, blanda evadit: Pars altera in putredinem ruit. Cui tamen, ſic ab omni aciditate alienae, nullus in inteſtinis novus liquor, praeter pancreaticum et bilem, affunditur. Unde bilem ſanam, et ſolita ſub ſecretione, non acidam eſſe, ſed aceſcenti occurrere naturae, credibile eſt. Quod igitur ſua natura acidum non eſt, ſed ei prorſus contrarium, quare id ſub cholera in acidam ire naturam judicetur, idoneam cauſam non video. Videamus morbi ſigna. At neque in iis quidem video quicquam, quod ad conjecturam, de acida fermentatione morbum continente, faciat, praeter ſolum ventriculi morſum. Quem morbo neceſſarium et perpetuum eſſe, nemo dixit. Eundem Sydenhamus quidem memorat. Sed multa in pleriſque morbis, non a cauſis eorum pendentia, ſed aliunde ſuborientia, ut memoranda quidem, ita non ad morbi cauſam referenda, reperiuntur. Hoffmannus non re, ſed rationibus perplexis adductus, de acido multa loquitur. Qui, ſi de rodente rejectorum natura meminit, in ea re arſenici et aliorum venenorum effecta, non choleram veram, quam, ut dictum eſt, parum perſpexiſſe videtur, reſpexit. Poſtremo, ſi curationem intueamur, quid illic eſt quod pro acido illo valere exiſtimandum ſit? Rejecta igitur omni acidi, ut cum cholera conjuncti, opinione, proxime dicendum eſt,

Si qua fermentatio huic morbo ſubeſt, eam e duobus aliis generibus ad neutrum referendam. De vinoſo res manifeſta eſt. De putrido genere, licet cholera in id anni tempus, quod putridos morbos maxime gignit, incidat, nexuſque quoſdam cum veris putridis, ut dyſenteria, habere videatur; tamen haud exigua ab his diſcrimine diſtat; id quod cum ſigna ejus, tum curatio, oſtendit. Quod ſi in debilitatem cito omnia cholerae ruunt, id non per ſepticam quamvis naturam, ſed ſedante aliqua ipſius bilis noxa, fieri videtur. Sedat autem bilis et in aliis morbis, a putredine longe remotis, ut deſes ictericorum habitus, argumento eſt. Neque veri non ſimile eſt, redundantem in dyſentericorum inteſtinis bilem, ad iſtius morbi omnia ſedanda, etiam magis quam pro inſita ei natura, pertinere.

Ex his tribus igitur generibus fermentationis, cum ad nullam ea redeat, quae cholerae cauſae origo eſt, dummodo fermentatio ſit, proxime inquirendum videtur, ſitne fermentatio omnino? Quae quaeſtio non difficillima non eſſe poteſt. Et, quoniam nulla praeter dictas nobis ſatis innotuit, ſequitur, ut, bilem chole ricam re vera fermenteſcere, pro certo dici nequeat. Verum, cum veriſimile in primis ſit, omnia genera, certe ſpecies, omnes fermentationes, neutiquam nobis perſpectas, et ad eam opinionem multa rerum faciant, biliſque

praecipue

praecipue claras alicujus fermentationis notas prae se ferat, veram ejus fermentationem hic quoque subesse maxime suspicandum est. Cujus si ultima natura non mutata morbo est, certe in statu ejus ita quaedam flectuntur, ut diversas quodammodo proprietates edat. In naturali statu ad chylum blandum efficiendum, et leniter intestina stimulandum, valet, et alios pacatos effectus edendos. Sub hoc morbo omnia turbat. Quas turbas siquis bilis, cujus eadem natura permaneat, vehementi actioni tribuat; respondeo, diros bilis in cholera effectus, qui non primis viis continentur, sed late per totam nervosam naturam grassantur, et vi, venenosae propemodum pare, mortem praecipitant, haud facile per ejusdem bilis, quae sana adeo salubris, morbosa, ut in ictero, ubi cum toto etiam sanguine permiscetur, adeo tamen lenis, reperitur, actionem auctam explicabiles esse. Certe bilis cholerica insignem subit mutationem. Quam, si nolis fermentationem dicere, quia qualis sit non potest commonstrari, ne vocabulum offendat, dummodo res vera animo teneatur, dicatur acredo peculiaris.

Bilem vero acrem reddi posse, similis aliorum, qui secretionis modo mutato accrescunt, humorum ratio suadet; suadent modo memorata in cholera effecta. Neque salinus omnium humorum, eo tempore quo cholera incidit, status non eandem opinionem confirmat. Haec acredo, sive ad fermentationis modum, sive non, intenditur, cum irritabilitate supra posita, praecipuam turbarum, in quibus cholera constat, partem certe concitat. Eandem bilis haud obscure abundans auget. Siquidem, si quando bilis in intestinis, ut in ictero, deficit, pro insolita effectuum vehementia, nullum effectum edit, sed subtracto alvo stimulo, haec dura et pigra torpet. Sed neque abundantia bilis, sive acredine sive fermentatione, illi effectui, dummodo satis diluatur, apta est; id quod ejusdem, in sanguine ictero eodem laborantium, abundantia diluta indicat, ubi, ut relatum est, sedat potius quam irritat.

Porro, nec abundantia mera acrem bilis naturam explanat; quoniam similem ejus effectui, similes in intestinis turbas, alii illic morbosi humores praestant. Quae res in dysenteria aliquando cernitur; ubi non semper bilis, quae effectus potius quam causa morbi est, ideoque primo non peccat, gravia tormina facit, sed alii humores, acris naturae jam ante participes, effectum prius infernnt. Qui humores et ab initio, dum abundantius solito secernuntur, et aliquamdiu stagnando, acriores justo evadunt. Cujus rei, praeter nimiam secretionem et stagnandi moram, calor corpori insitus auctus, perque coelestis vim cumulatus, origo est. Eadem acris humorum natura, eodem calore et aliis causis aucta, abundantiorem usque secretionem

tionem efficit. Quam noxam in dyſenteria putredo addita ita auget, ut origo cauſae eſſe videatur. Quae putredo a cholera utique abeſt. In qua calor inteſtinorum humores, perque eos bilem, forſitan acri natura imbuit. Simul quo tempore hoc fit, quo tempore cholera vulgo incidit, ſi quid perſpirationem ſubito ſupprimit, quale frigus eſt, ejuſque humore effectus adjutus, ideo plus ſanguinis in venae portae, bilis fontis, ramos conjicietur, et plus bilis ſecernetur. Atque ſic, calore, ut dictum eſt, omnia exaſperante, alioquin gravis acredinis ſtimulus tanto gravior fit, quanto per eundem calorem totus primarum viarum tractus, etiam in ſecunda valetudine, multoque magis ſub morbis, mobilior reperitur.

## SEMINIUM MORBI.

Habitus corporis, quo, perſpiratione impedita, bilis ſecretio et primarum viarum mobilitas citra morbum augetur, periculum cholerae infert.

Itaque juniores, calorem diuturnum perpeſſi, ac bile natura abundantes, caeteris cholera magis, periclitantur. Quo fit, ut Graeciam, Italiam, Hiſpaniam, et in zona torrida Indiam utramque, Mauritaniam, Arabiam, et Americam Mediam, incolentes, quaſi propriam cholerani habeant. Quam rem ut paucis illuſtrem; habitus in quo cholera futura conſtat, non ſubito iiſque diebus, quibus ea incidit, ſed aliquanto ante, contrahitur; paulatimque cholerae opportunus creandae ſubnaſcitur. Quae ipſa, licet brevi temporis ſpatio concluditur, tamen ex longinquiore, et quaſi gradibus, ut aiunt, efformatur; ſimili modo ac dyſenteria Sydenhamiana, quae eodem quo cholera anno, iiſque ipſis diebus, incidebat; ſimiliter etiam quibuſdam febribus intermittentibus, tam vernalibus quam autumnalibus, quae primo quoque tempore ſub alio, aut remittentium aut continuarum, aut aliorum morborum, non aut leviter, febrilium, atque ipſius denique cholerae, typo, ſaepenumero adparent.

## NOXA EXCITANS.

Quicquid vero hunc habitum ita per occaſionem intendit, ut morbo inferendo par ſit, id noxa excitans erit; quale praecipue frigus ad ſummum corpus adſpirans eſt. Excipi autem frigore, inde in morbum implicari, vel calidiſſimis locis et temporibus, corpus poteſt. Adeoque hoc vanum non eſt, ut et populares meos, et quotquot zonae torridae incolae ſunt, etiam atque etiam monendos cenſeam, ne corpora aeſtu diur-

no

no confecta et languida veſpertinis frigoribus aut vaporibus objiciant. Cum aeſtus enim vis noſtris nervis penitus inſedit, melius eſt, quantumvis moleſtiae perpeti, quam ſubito aut gravius corpus refrigerare. E numero forſitan noxarum excitantium fermentiſcentia, per cibum aut potionem aſſumpta, ſunt. E quibus, licet acida fermentatio choleram non cauſa contineat, tamen acida aſſumpta coeptam eam augent. Poſtremo, certa caloris vis certo anni tempore incidens, in hac regione menſem Auguſtum vix excedens, in calidioribus plagis Julium quoque et Septembrem complectens, omnibus noxis magis et prope ſola choleram excitat.

Venena vero, quia prorſus diverſum morbum, cujus id, quod cholera eſſe creditur, tantummodo, ut diximus, ſymptoma eſt, efficiunt, ſanoſque pariter, ac opportunos nullo diſcrimine invadunt, perniciei cauſas, non autem choleram excitantes, eſſe ostendimus. Quin et alterae noxae, qualia acidum et ſimilia ſunt, ita inclinatum morbum impellunt, ut acceptae labis pars longe maxima, ac, propemodum auſim dicere, tota coelo deerretur. Tantumque inter veram choleram noſtram, et imitatricem illam, quam illae noxae creant, nempe Crapuloſam Sauvageſianam, intereſt, quantum totius corporis affectus, et partis, ſcilicet primarum viarum, alioquin ſano corpore, turbae temporariae, ex rebus intus aſſumptis pendentes, et, his ejectis, rurſus protinus ſublatae, inter ſeſe diſtant. Alter effectus, nempe cholera, in calore diu corpus, ſcilicet per totam aeſtatem, ſubiens, et morbo opportunum reddens, tandemque hunc efficiens, vix ullo aliarum rerum auxilio, conſiſtit; alter, ne ulla corporis opportunitate tali, per externam intus acceptorum vim, partis alterius morbi imaginem refert, ſanum deprehendens corpus, ſanum demittens. Atque hic totius corporis ſpaſmi, non ſolum manente cholera, ſaevientes, ſed illa, niſi idonea cura prohibeat, ſuperſtites, et novas turbas cito ire minitantes, diſcrimen hoc quod poſui, haud inepte illuſtrant.

Illuſtrant porro gravia prius tormina, deinde dyſenteria, de quibus modo, et haud ſemel ante, dictum eſt, eodem tempore, quo cholera, iiſdem in locis, perque eundem populum, graſſantes. Ubi, cum idem coelum et ſolum et paria omnia externa eſſent, quod tamen alii in hunc, alii in illum, affectum implicarentur, eam rem internae cauſae, ideoque corporis pri- ; exiſtenti habitui, acceptam referendam, neutiquam obſcurum eſt. Immo altius haec ratio deſcendit, et non ſolum habitum corporis, ſed et naturam, in hunc, quam illum morbum, proniorem eſſe demonſtrat. Unde patet, nos, non ſine cauſa,

certos homines prae caeteris periclitari cholera, hancque a crapulosa Sauvagesii toto coelo distare, judicasse.

## SEDES.

Cholerae sedes latior est totus primarum viarum tractus; angustior et propria magis duodenum et itinera bilis. Neque ad rem manifestam opus argumentis est. Siquidem id omnia signa, id tota morbi facies, certo indicio, quin et incisa cadavera, firmant.

## IN CADAVERIBUS VISA.

Incisis cholera peremptorum cadaveribus, intestina tenuia, maxime duodenum, item pylorus, bile flava circumfusa, in gangraenam iisse, ductus biliferi relaxati, cystis ampliata et flaccida, ductus choldochus distentus, omnia circa humore nigro et fusco repleta esse, venaeque ventriculi turgere cruore, reperta sunt.

## PRAESAGIUM EVENTUS.

Non potest periculo tam vehemens, tam praeceps morbus, carere. Quippe enim hoc ipsum, quod unius diei et unius noctis spatio interdum jugulat, quantum ejus ad mortem intendatur gradus, ostendit. Idem neglectus semper metuendus est. Non enim humorum motiones ejus naturae sunt, quae salutem pariant. Qua in re, quantum a crapulosa specie, quae pergendo suum fit remedium, differat, sic quoque intelligitur. Idem senibus, pueris morboque debilibus, quam reliquis *, item calidiorum, quam temperatiorum, plagarum incolis; denique, quod omnibus per populum grassantibus morbis commune est, plures, quam pauciores, corripiens, pernicios̄ior est. Ut judicium e signis trahatur, exitialia fere sunt, admodum nigra rejecta †, cum pulsibus exiguis aut fere nullis, animae defectiones, gelidi sudores, extremorum frigus, et toto corpore convulsiones. Mala sunt sitis et aestus, eoque pejora, quo majora; item, compressis excretionibus, persistentia symptomata. Bonus, sequente somno, vomitus, aut ad septimum diem morbus excurrens.

## CURATIO.

Medendi consilia ad duo redeunt: Primum, humorem fer-

* Hoffman. de Chol. † Hipp. Aph. 22. l. iv.

mentatum

mentatum ejicere ; deinde, ejus effectum, motus enormes, diluendo aut ſedando, componere.

In qua diviſione magni Sydenhami auctoritate uti non dubitavi ; quippe cujus feliciſſimae hunc morbum curandi rationi nihil omnino poſteriorum virorum experientia novi adjecerit*. Ejus haec ſunt verba : " Sedula," inquit, " applicatione et multiplici etiam experientia edoctus, quod ſi hinc acres iſtos humores, fomitem morbi, catharticis expellere conarer, idem agerem, atque is qui ignem oleo extinguere ſatagit, cum cathartici vel leniſſimi operatio omnia magis perturbaret, et novos inſuper excitaret tumultus. Et, ſi ex adverſo medicamentis narcoticis aliiſque aſtringentibus, in ipſo ſtatim limine, primum humoris impetum compeſcerem, dum naturali evacuationi obſiſterem, et invitum humorem detinerem, aeger, inimico viſceribus clauſo, bello inteſtino indubie conficeretur. Has, inquam, ob cauſas, media mihi via inſiſtendum eſſe duxi, ut partim, ſcilicet, humorem evacuarem, partim etiam diluerem; morbum itaque hac arte, mihi a multis retro annis comperta et comprobata, toties quoties in ordinem coegi."

Quod ad primum medendi conſilium attinet, commune hoc omni alvi ex irritatione graviori nimio motui praeceptum eſt, ut vehementius purgantia vitentur. Quippe enim, ubi irritamenta ſic liquidum humorem prae ſe agunt, ſuperaddita talia medicamenta motum, jam antea nimium, inſuper augent; adeoque, ſi quid auferendum eſt, non auferunt, ut ipſum ſtercus poſt ſe, etiam denſius compactum, relinquant. Id in colica, id in dyſenteria et ſimilibus malis, ubi vehementer purgantia, quaſi mera vi, ante ſe omnia dejectura, dabantur, ſemper accidiſſe novimus.

Adeoque, in hoc morbo acriter purgantia pro remedio extenda non ſunt, ut ſpeciei, de qua ſaepe diximus, cauſis Hoffmannus ea annumeret ; quibus igitur in hoc morbo abſtinendum eſt. Quinetiam, cum et leniter alvum moventia, quo minus in uſum vocentur, aſſiduus vomitus obſtet, neque eorum quidem periculum fieri ſolet. Ad cujus vomitus immanitatem ſiſtendam, viamque ad medicinae, in curationem efficacioris uſum, faciendam, antiemeticum Sauvageſius, nempe ſyrupi limonum cochleare unum aut alterum, cum ſalis abſinthii granis viginti, dedit. Cujus in hac re remedii quae ſit potestas, neſcio; ideoque fidem penes auctorem reliquo. Certe nihil ſimile Sydenhamus, cum cholerae naturae ſcientiſſimus, tum curationis feliciſſimus, egit. Et, praeterquam quod dubium tale antiemeticum, etiam ſupervacuum eſſe videtur ;

* Cura Sydenhamiana eſt omnium optima, ut vigeſies et ultra expertus ſum. Inv. Noſol. method. de cholera.

ſiquidem nunquam tantus tamve aſſiduus vomitus eſt, quin id morae detur, quo gratiſſimum pleriſque remedium, in quo, mox memorando, curationis cardo vertitur, accipi liceat, acceptumque aliquamdiu manere, aut, ſi qua pars rejicitur, nova accepta copia, compenſari. Quod quidem, et quid ſit, et quo modo adminiſtrari debeat, protinus exponam.

Supra memorata oſtendunt, nulla ſolitorum, ſive ſupra, ſive infra, ſive gravius, ſive lenius, purgantium, medicamentorum, aut huic medendi conſilio, aut omnino huic curationi, convenire; niſi, ſi dicas aquam tepidam, quam nonnulli praecipiunt, ad eorum numerum pertinere. Quae, quatenus vomitum juvet, emetica eſt. Sed eo conſilio dare amentis, non medentis, foret. Neque eo amentia medica, quod ſcio, pervenit, ut augendum gravem cholericorum vomitum quiſquam exiſtimaverit. Quod ſi nonnulli, non augendi quidem, ſed expediendi vomitus, cauſa, tepidae aquae uſui inſiſtunt; eoque magis, quod vomendi labor, quam libertas, copioſius bilem exprimendo, magis noceat; profecto ne eo quidem nomine aqua tepida utendum arbitror, neque ullum tantae vomendi contentionis uſum video. Et quicquid ea diluit, id melius et efficacius praeſtant, quae ſub eo capite jam jam explicaturus ſum.

Si quibus eandem, alvo immiſſam, prodeſſe poſſe placuit, ab iis non diſſentio; quam tamen, magis laxando et diluendo, quam citando alvum, id facere contendo.

Secundo conſilio duo remediorum genera reſpondent, ſcilicet diluentia et ſedantia. Quorum, quod ad primum genus attinet,

Ante omnia diluentium delectus habendus diligenter eſt, eaque, quae quam minime in fermentationem eunt, caeteris anteponenda. Quibus hoc nomine omnibus unum longe palmam apud nos praeripuit, ſcilicet juſculum pullinum aut bovinum. Quod huic morbo maxime accommodari omnium teſtimoniis confirmatum, certoque uſu exploratum eſt. Quippe, quod adeo non fermentationem excitet, nedum juvet, ut ei vehementer reſiſtat, et ad enormes motus componendos egregie pertineat. Idem Riverii, ad vomitum cohibendum, antiemeticum, aut aquae tepidae ad eundem expediendum, uſui ſuperſedet. Idem alvum purgantium defectum poteſtate efficaci compenſat, et miris modis ſalutem reconciliat. Cujus agendi ratio, ne eam praeter rationem agere, id eſt, ſpecifice ut vulgo praedicatur, videamur tamen credere, haec eſſe videtur: Juſculum, motum periſtalticum ſequens, ſimul internam canalis partem obducens, iiſque ſeſe immiſcens, biliosorum humorum acrem vim retundit. Quod quo magis facit, eo

magis

magis magisque enormes, ab acri ea vi pendentes, motus in ordinem redigit, et pro inverso naturalem restituit. Atque sic utraque pollet potestate, hinc acredini humorum, hinc irritationi intestinorum, medendi. Neque huic tam salutifero ejus operi adeo, ac credas, frequens vomitus officit; quoniam quicquid jusculi sic rejectum perit, suumque perdit effectum, id nova injecta copia compensatur. Aut, si vomendi immanitas eo procedit, ut frustra medicamentum habeat, est quod adversus eam satis prospere adhibeatur. Verum de eo mox suo loco.

Aliud diluens aqua frigida est. Cujus actio ea fere, quae jusculi modo relati, est: Scilicet, sese cum acribus et biliosis humoribus miscendo, eorum vim irritatricem, et motuum violentorum effectricem, frangit. AEstuantemque praeterea morbum grato suo frigore, primo effectu, temperans prodest; praesertim in calidioribus regionibus, ubi fermentatio, a calore pendens, maxima sit oportet. Quo fieri videtur, ut antiqui medici tantum huic remedio tribuerint tribuantque nunc quoque, quod Cleghornii testimonio discitur, et cum maxime Hispani. Cujus actio, quantum diluendo juvet, modo sub jusculi pullini ratione explicato; qua ratione aliter etiam usui sit, quod mihi, quaeso, videtur, accipe. Partem causae remotae cohibitam perspirationem posuimus; scilicet, quatenus sanguinem in interiora, ideoque in varios venae portarum ramos, impellit et fontem bilis adauget. Eadem, postea permanendo, et morbum usque servando sustentandoque, causae continentis jure pars habenda est. Frigida vero, ut nemini non notum est, et, ut Sydenhamus, praeclaro illo, vomitus pestilentis sudore frigida moto sistendi, exemplo, ostendit, potenter ad summum corpus dirigitur, sudorem potenter movet, et per notum cutem inter et ventriculum consensum, hunc apprime levat, vomitum supprimit, et ad totius denique canalis alimentarii componendos motus pertinet. Nunquid in cholera sic frigida agere existimanda est? Mihi sane videtur, eoque magis, quo curiosius rationem, qua antiquitus hoc remedium administrabatur, expendo. Sic Aretaeus Cappadox *, "si," inquit, "omne stercus redditum jam sit, si transierint humores biliosi, et biliosus vomitus, cum distentione, cibi fastidio, anxietate, et robore debilitato, subsit; tum ad ventrem comprimendum, inversum humorem motum in rectum restituendum, et stomachum ardentem refrigerandum, frigidae aquae duo aut tres cyathi toties dandi sunt, quoties ea vomitu rejecta erit." In eandem Hippocrates † sententiam "ventrem cum superiorem, tum inferiorem, potionibus hu-

* De curat. M. A. l. ii. c. 4. † De affect. morb. aut. § iv. c. 2.

mectantibus,"

mectantibus," ſcilicet, frigidis, " curandum eſſe," addit. Si igitur frigida, quo modo ſupra dictum eſt, agit, et, foraminibus cutis apertis, ſanguinis eo onus inclinat ; manifeſtum eſt, vena portarum onere ſic levato, et parcius bile ſecreta, magnam cauſae continentis partem removeri. Quo nomine, hoc eo magis remedium uſui eſt, quod laudati alterius, nempe, juſculi pullini, quod nihil certe circa cutem movet, defectum commode explet. Neque dubium mihi eſt, quin et magnus Sydenhamus, et ſi qui alii, ſine aqua frigida choleram, ſub minus calidis coelis, ideo minus ſaevientem, proſpere curaverunt, ſi forte in calidioribus regionibus, quales Graeciae, Hiſpaniae, et Minorcae inſulae, tractus ſunt, curationes exercuiſſent, neceſſario ad illam, et, ſaeviente illic magis morbo et diutius graſſante, decucurriſſent, et incolarum medicorum curationi felici nequaquam reſtitiſſent.

Hoffmannus oleum adverſus choleram magnis proſequitur laudibus. Verum, efficaciore, de quo verba fecimus, remedio reperto, praeterquam quod ei ſuperſedetur ; minus quoque commode ſe oleum cum humoribus noxiis conjungit, et, cum plerumque extra regiones oleoſas degentium ventriculis grave ſit, periculum nauſeae movendae et motus, adverſus quos adhibeatur, in majus tollendi, minatur. A quo ejus effectu ne ii quidem, qui uſui ejus quotidie aſſueverunt, in tanta ventriculi mobilitate ſunt ſecuri. Nam in omni regione alia aliis ventriculis humanis gratiora ſunt.

Oleo autem gratius diluens Sydenhamianum nemo inficias eat.

Aquam vero frigidam morbi, qui ipſe ardens, ardenti quaſi tempore, incidit, natura requirere videtur. Verumenimvero, ſi adverſus venenoſas turbas, quas ille vir una cum Sauvageſio pro cholera nullo diſcrimine habet, adeo oleoſis fiſus eſt, ab eo nihil diſſentio ; quippe quae, ſuo corpore viſcido particulas venenatas impediendo, implicando, et a firmis ſtomachi, ventriculi, et inteſtinorum lateribus arcendo, ſummo et ſoli fere auxilio ſint. Idem vir mucilagines commendat, quas ſupervacuas eſſe, ſupra relata cuivis facile oſtendent. Non enim omnia, quae aliquid auxilii promittunt, in ventriculum ingerenda ſunt, ſed quae maxime ad ſalutem valere uſus confirmavit, utenda. Quod autem hepar lupi exſiccatum, raſuram priapi, cervi, cranii humani, ungulas alcis, cancri uſti fluviatilis et oſſa humana calcinata, non carere egregio ſuo fructu dicit ; eam farraginem a ſano quoque nunc ubique rejectam, reſpondeo.

Ad ſummam, magnus hic vir, a quo multum me adjutum iri fruſtra ſperaveram, choleram veram neque vidiſſe, neque de

de ea lecta intellexisse videtur, siquidem nullum similis ei morbo, nisi aut a venenis aut aliis morbis orti, exemplum attulit. Et omnes ejus rationes, ut ad ea quodammodo pertineant, ita a cholera vera prorsus aliena sunt.

Verum tantis generis nervosi turbis, tam immanibus motibus, per ita simplicia auxilia non semper, immo raro satis, obsistitur. Quo fit, ut omnes viri prudentes ad efficacius plerumque confugerint. Id opium est. Quod secundi consilii partem alteram optime explet, mirandaque vi motus enormes sedat et componit. A quo tamen, quod ad alvum comprimendam adeo eventu pertineat, ne nimis id prius, quam omnis humor nocens ejiceretur, faceret, nonnullos, ut ipsum Sydenhamum, initio morbi pertimuisse video. Verum enimvero motus spasmodici convellentesque tanti saepe sunt, ut humoris mali rejectione posthabita, iis quam primum, etiam protinus a morbi principio, occurrendum esse, posterior experientia firmaverit; eoque etiam magis, si dolores retorquent *. Neque ab hoc consilio antiqui adversus dolores abhorruerunt. Quibus, ni fallor, spasmorum ratio magis est habenda; quippe enim consopiuntur in praesens levamen dolores. Qui autem obviam spasmis ut eas moment, ii, praeter praesentis mali radicitus tollendi rationem, etiam in longitudinem consulunt. Neque enim consuetius quicquam est, quam, ut spasmi, etiam sublato morbo, repetant, et consuetudine, in quam, si quid aliud, proni sunt, inveterantes confirmentur. Quod autem ad alvi suppressionis, et humoris noxii retentionis, metum attinet, compertum jam usu est, opium adeo non secretiones suo opere supprimere, ut suppressos ante non minus liberet, quam dolores, inde ortos, consopiat, item corpus somno recreet, et robore confirmet; id quod dolores post partum ingravescentes, et lochiorum profluvium, illi sistentis ejus virtute sublati, hoc copiose reductum, ostendunt. Cui rei simillimas habet rationes cholera. In qua, quo plus doloris est, eo, ni fallor, tenesmodes magis, ut ita dicam, alvus fit. Consopitoque dolore, opium tenesmum inde pendentem solvit, restituitque profluvium. Verum, fallorne annon, hoc certe certum est; quicquid adeo intestina irritet, ut tales motus, quales cholerae sunt, excitet, id ad eosdem per se vel in nimium sustinendos, satis est; quos opii tantum datum, quantum dolorem levet, non periculose imminuit. Et si irritamentum nimium, ideoque ab eo pendentes, nimios quoque motus, imminuit, adeo non obest, ut, e contrario, prosit, et voto medicum dannet. Praeterea, cum

* Cullen, Clegh. Hipp. in loc. rel. qui "cholerae conferunt," si dolor subest, anodyna; item Sauv. et Hoffman.

tanto

tanto difficiliorem, quanto diutius neglecta ſit, choleram curatu eſſe, inter medicos conſtet, ea quoque cauſa eſt, quare quam primum opium detur, praeſertim ſi diluentia, ſupra memorata, quae nunquam omittenda ſunt, ſimul adhibeantur. Nam et ea quoque ſatis liquidam alvum, ne quod malae ſuppreſſionis periculum interveniat, prohibebunt. Aut, ſi ſic quoque aliquando ſiſtetur alvus, bene ſiſtetur. Id enim, irritationis et motuum pravorum cauſam ſublatam jam indicio eſt, et morbum deceſſiſſe. Cum igitur ea ſit opii, tam adverſus ſpaſmos, quam adverſus dolorem, potentia; ubi hi utrique ſaeviunt, ab ipſo protinus initio; ſi remiſſiores ſunt, paulo poſt, illud dandum cenſeo.

Optima opii forma laudanum liquidum eſt, cujus praeſentior actio et celerior, quam opii firmi, comperitur. Ejuſdem alia actio eſt, ſcilicet, ad ſummum corpus ſanguinem dirigendi. Quae, quo certior fiat, cooperiri veſte homo, ad foramina cutis aperienda, aut etiam ſudorem movendum, debet. Qua ratione haec et ſimiles primarum viarum turbae ſaepe ſunt ſublatae. Neque alia hic obſervatio neceſſaria eſt, quam, ut, ne frigori inter ſudandum objiciatur homo, et non tollatur, ſed contra exaſperetur malum, caveatur. Quare autem ſudorem Hoffmannus, praeſertim in initio hujus morbi, vetat, idoneam rationem non video. Timet rheumatiſmum. Nunquid autem veriſimile eſt, quod potentiſſimo adverſus rheumatiſmum remedio eſt, id eum excitare? Timet etiam podagram; ſed quid illic ſibi velit podagra non video; niſi ſi, quia iracundus aliquis in vomitum et dejectiones poſt iram forte incidit, ideo nobis podagram pertimeſcendam judicet. Nam, omnia licet miſceat, non tamen, ut e cholera videatur, podagra ſymptomatica perſuadebit.

Porro, cum tanta pars et ſeminii et cauſae proximae ſint foramina cutis occluſa, ad eadem recludenda balneum uſui erit. Cujus adverſus choleram optima forma ventris et pectoris fomenta ſunt. Ratio qua balneum agit haec eſt. Cuticulam ideoque innumerabilia ſubter eam vaſa relaxat. Laxatis toto ſummo corpore vaſis, alia remotioribus in locis laxabuntur. Atque ita tenſio totius corporis, quicum ſpaſmus cholericus adeo conjungitur, imminuetur. Praeterque relaxandi vim, balneum, a ſordibus aeſtivo calore contractis, ſummum corpus abluens, hac quoque ratione foramina ejus aperiet, copiamque dabit, qua ad ea ſanguis et vis nervoſa uberius dimanent, morbus ſublevetur, et ventriculus, per conſenſum ſupra expoſitum, perverſis motibus liberetur.

DE

# DE DIARRHOEA.

"DEJECTIO frequens et copiosa, morbus non contagiosus; pyrexia nulla primaria*."

Cum genera morborum species universas comprehendendi, rationemque medendi, quae omnes ex aequo fere spectet, genericam stabiliendi consilio tantum debeant institui, cumque diarrhoea plerumque aliorum morborum, eorumque inter se longe diversorum, symptoma merum sit, utrum pro genere necne debeat haberi, ambigi potest. Quamvis vero saepissime, ut in febri hectica, variola, rubeola, symptomatica est, et ab irritantibus ore sumptis, a vermibus, a liquoribus canalis alimentarii propriis vitiatis, ab humoribus praeter naturam, ut pure ab ulceribus viscerum vicinorum orto, vel sanguine, ut in melaena, non raro pendet, in multis tamen exemplis nequit dubitari, quin pro morbo idiopathico debeat haberi.

A cibi desiderio imminuto plerumque incipit. Dejectiones frequentiores sunt, et speciem solitam praebent, quanquam quod excernitur est dilutius. Borborygmi adsunt, qui ad ructus usque odoris putridi gradatim increscunt. His alia signa succedunt, pro dejectionibus majus minusve frequentibus, pro quantitate materiae expulsae, statuque habitus corporei antecedente, qualia sunt vires gradatim imminutae, sitis non parva, pallor vultus, oculi hebetes, et non raro pulsus arteriarum intermittentes. Dejectiones e stercoreis aquosae et mucosae evadunt, torminibus aliquando comitantibus. Tenesmus nonnunquam sit molestus, et aliquid sanguinis exprimitur, quod tamen plerumque purum, quantitate modicum, et haniei sanguinolentae dysentericae prorsus absimile. Symptomata demum febrilia haud raro se ostendunt.

Nonnunquam morando et vires aegroto convellendo fossa fit funesta, saepius vero alios morbos inducendo. Plerumque tamen post aliquantum temporis signa leviora fiunt, et dejectiones, absque auxilio etiam medicinae, statum naturalem rursus adipiscuntur. Hoc aliquando incidit, postquam morbus aliquot annos aegrotum exercuit.

Hoc in morbo tria in causa sunt, quod plerique nosologorum totidem ejus genera instituerunt. Dejectionibus frequentibus colore naturalibus nomen diarrhoea, albis caeliaca, et aliis, ubi alimentum parum mutatum esse videtur, lienteria

* Cull. Gen. Morb.

 indiderunt.

indiderunt. Cum vero haec ſigna nonnunquam eodem in exemplo ſe oſtendant, ab eadem cauſa generali pendere videantur, nullamque rationis medendi differentiam faciant, diſtinctio hujuſmodi parum neceſſaria eſſe videtur. Dyſenteria unicus morbus quem inter et diarrhoeam ulla ſimilitudo intercedit. Illa vero contagioſa fere eſt, febre plerumque comitante, finem verſus aeſtatis calidioris invadere ſolet. Conatus dejiciendi ab initio uſque inefficaces et graves ſunt, materia ſtercorea indurata et fruſtulis, quae ſcybala appellantur, excernitur, ſaniei ſanguinolentae admiſta, et ex omni parte inſigniter foetens.

Quolibet in habitu per cauſas hujuſmodi excitantes, diaetam nempe abnormem, frigus, &c. diarrhoea poteſt moveri. Caeterum in valentioribus plerumque fugax. Debiles, quique diaeta tenuiore et vegetabili inſueverunt, ei in primis opportuni ſunt. In iis quoque diu manere maxime periclitatur. Debilitas igitur, inteſtina potiſſimum afficiens, hujus morbi fons eſſe videtur. Haec, quae pleriſque morborum longorum fundamenta jacit, vim nervoſam imminutam eſſe ſignificat, cujus effectus in partibus a cerebro et corde remotiſſimis potiſſimum ſentiuntur. Vaſcula ſuperficiei hoc modo affecta vigorem ſuum ſolitum et neceſſarium amittunt, circuitus ibi fit languidior, ſpiracula cutis occluduntur, humores ad canalem alimentarium debilitatum naturaliter feruntur. Quaelibet autem ſecretio adaucta aliquanto acrimoniae ſtipatur, quod una cum reliquiis alimenti non rite concocti, ſibris inteſtinorum motricibus applicatum, motum eorum periſtalticum turbat, et praeter naturam adauget. Hic motus periſtaltici auctus partibus canalis alimentarii cum ſuperioribus facile communicatus, et alimentum nonnunquam adhuc parum concoctum per pylorum urgetur, alias vero ſub forma chyli nimis celeriter deſcendere cogitur. Vaſa lactea hoc in exemplo forſitan debilitate univerſa afficiuntur, et igitur ad abſorbendum, quod illorum eſt, parum apta evadunt. In maſſa autem hujuſmodi male concocta aër explicatus non ſatis rurſus abſorbetur, ſed inteſtina diſtendit, haec tormina affectuſve ſpaſmodicos, qui ſemet oſtendunt, faciens. Cum vero hae impreſſiones dolentes deorſum propagentur, et circa rectum extremum accumulentur, teneſmum movent. Profluvium perpetuum, quod vires aegrotantibus convellit, reliqua ſigna manifeſte exponit.

Quod ad hujus morbi curationem attinet. Conſilia caſibus ſymptomaticis medendi cauſarum ratione habita dirigenda, eoque hic omittenda ſunt. In exemplis autem idiopathicis potiſſimum agendum eſt, ut tonus inteſtinis eoque aut aliter univerſo ſyſtemati reddatur. Cum morbus ipſe, ſi modo di-

luentia

fluentia adhibeantur, ad acrimoniam, quae ſubeſt, vel a ſecretione adaucta vel a reliquiis alimenti ortam, eluendam ſufficiat, cathartica, ad quae medici ſemper decucurrerunt, uſu eorundem frequente in dyſenteria inducti, raro neceſſaria, et reiterata ſaepe exitio ſunt, utpote irritationem debilitatemque augentia. Idem omnino de emeticorum frequentiore uſu dicendum. Quae tamen, portiunculis data, nonnunquam prodeſſe videntur, quod forſitan humores ad ſuperficiem percitando praeſtant. Quod ad motum periſtalticum imminuendum conferunt, id in tempus tantum manere poteſt. Adhibentur plerumque, cum utrum diarrhoeam, quae inveteravit, exſiccare necne conveniat ambigitur, et medicamentis quae plenam ſudationem eliciunt, minus haud dubie incommodi habent. His incaſſum tentatis, ad adſtringentia plerumque confugitur, quorum plurima in uſu ſunt. Vegetabilia caeteris anteponuntur, qualia ſunt biſtorta, roſae rubrae, tormentilla, lignum capechenſe, ſemirouba, gallae, ſuccus japonicus, gummi kino, &c. Plurimi facere videntur medici ſuccum japonicum. Cum autem plerumque aromati et opio adjungatur, maximam commodi, quod ſecum adducit, partem poſteriori deberi probabile. Hoc enim, quod omnes norunt, caute adhibitum, efficacius, quam quodlibet aliud medicamentum, ſigna in praeſens levat, quod quidem fere ſolum medicina facere poteſt, et tantum ſpatii medentibus comparat, quantum id regimen eaque medicamenta tonica adhiberi patitur, quae non ſolum canali alimentario, ſed vaſculis etiam totius ſyſtematis remotiſſimis, a quo ſolo certa aegrotantis ſalus pendet, vires tonumque reſtituant. Diaeta ſit cibus animalis ſolidus, utpote qui maxime nutriat, et ad acorem minime vergat. Eandem ob cauſam, juſcula e cibo animali confecta quibuſlibet demulcentibus anteponenda. Si vero nihilominus acor aegroto moleſtiam faceſſat, ad abſorbens, ut aquam calcis, confugere conveniet. Plurimum proſunt induſium laneum et exercitatio citra defatigationem conſtanter adhibita. Reliquis autem hujus generibus equo vehi, utpote quod viſcera abdominis potiſſimum concutiat, longe praeſtat, ſi facile poſſit tolerari.

# DE DIABETE.

*AUCTORE JOS. HART MYERS.*

HISTORIAE, cauſarum, et curationis morborum notitia, niſi ſemet ſaepe oſtendunt, et omnia indolem eorum ſpectantia accuratiſſime notantur, non poteſt comparari. Si igitur hunc morbum parum clare pleneque exequamur, non nobis vitio verti debet, cum ejus mentionem antiquiores, apud quos rarius apparuerit, vix fecerint, nullumque fere auxilium ab iis poſſit peti. Multi quidem medici optimae notae, quorum curae plurimi aegroti ſunt demandati, nullum ejus exemplum unquam viderunt. Galenus, qui omnibus ſuis aequalibus palmam praeripuit, ſe duo tantum ejus exempla notaſſe refert. Lomnio, et Fabricio Hildano, ſemel tantum morbus ſeſe oſtendit. Si ſcriptores antiquiores cum hodiernis conferas, hos cohortem morborum novam, quae ſeculo noſtro et ſuperiore terris incubuit, et a luxuria omnigena, quae hodie tantopere invaleſcat, vires mortalibus inſigniter convellat, eoſque morbis hactenus parum notis opportuniores efficiat, haud dubie proficiſcitur, depinxiſſe comperies. Non igitur mirandum, nonnullos recentiorum compluria ejus exempla vidiſſe, et memoriae prodidiſſe. Varia ei nomina indiderunt, quae omnia cum naturam morbi veram minime deſignent, ſilentio praetereunda ducimus.

## DEFINITIO MORBI.

" Urinae praeternaturalis, copia immodica, profuſio, chronica *."

## HISTORIA.

Morbus a deſiderio urinam reddendi, quod e brevibus intervallis redit, incipit, et quantitas urinae, quae excernitur, praeter conſuetudinem magna. Urina non tantum quantitate, ſed etiam dotibus, a naturali differt; namque ſpecies diverſas prae ſeſe fert, ſapore et odore admodum varia. Quantitas urinae deſideriumque potus ex aequo increſcunt, os gradatim magis magiſque ſiccum evadit, et ſaliva albida, viſcida, ſpumoſa; et aegrotus ad eam excernendam admodum proclivis eſſe videtur. Quod urinae excernitur, id modum in mirandum augetur. Sitis, ſub initium modica, pro ratione profluvii,

* Cull. Gen. Morb. G. lviii.

vii, quod ingesta semper excedit, increscit. Quatuor humorum libris sumptis, duodecim urinae librae fuerunt excretae*; et exempla non desunt, ubi quantitas multo major † profusa est. Prout sitis augetur, calor praeter consuetudinem magnus in visceribus abdominis sentiri incipit. Potestas urinam retinendi gradatim imminuitur, et doloris sensus aegrotum eam ex intervallis brevissimis excernere saepe cogit. Urina odorem et saporem subdulcem habet, et quantitatem materiae saccharinae praebere consuevit. Namque tres librae urinae et dimidia tres uncias sacchari et dimidiam ‡ comprehendere sunt compertae. Nonnunquam aliqua ex parte opaca est, et mistura mellis et aquae dilutiorem reddit. Plerumque tamen omnino pellucida, et fere coloris expers, nihil sedimenti servata ostendens. Alias, quasi oleum continere videtur, quod sub forma pelliculae ei innatat. Mutationes hujusce modi saepe incidunt, dum dotes urinae sensibus percipiendae, statusque morbi, nulla ex parte mutantur. AEgrotum cubitum iturum, et mane postero surgentem, ponderatum pondus, uncias complures adaequans, quamvis aëre in sicco cubiculoque calido decubuit, noctu sibi comparasse; pondus vero die, etiam per tempus, quo nihil urinae fuit redditum, ei nonnunquam imminutum esse, experimenta || testantur. Odor saporque dulces urinae ad hunc morbum constituendum non ex toto necessarii esse videntur; etenim non semper adsunt.

Listerus, qui naturam urinae diabete laborantium per quaedam experimenta indagare conatus est, se eam insipidam nonnunquam offendisse memoriae prodit. Et rem ita sese aliquando habere, medicus sagacissimus, quem nostrum viderit seculum, plane § testatur. Cutis fit arida et contracta, et speciem anserinae prae sese fert. Alvus plerumque astricta. Appetentia cibi solidi gradatim minuitur, adeo ut aegrotus, quanquam magna molestia in regione epigastrica, cum sensu quasi esuriei perpetuo, saepe sentitur, alimentum omnigenum tandem fastidiat. Vires ei gradatim convelluntur, et notae debilitatis manifestissimae sese ostendunt. Tumores oedematosi in partibus corporis diversis, ut in femoribus, cruribus, et pedibus, noctem versus potissimum, oriuntur; sed, mane appetente, rursus evanescunt. Si quando aegrotus excretione urinae diu abstineat, aliae partes, ut lumbi, testes, &c. quoque intumescunt et tenduntur. Signa nonnunquam ascitis in quinque sexve dies continuos apparent, adeo ut aqua

* Vide Home's Clinical Experiments.
† Vide Medical Observations and Inquiries.
‡ Vide Home's Clinical Experiments; Medical Observations and Inquiries.
|| Vide Home's Clinical Experiments. § Vide Cullen's Lectures.

in

in abdomine percuſſo plane fluctuet; deinde gradatim decedere incipiunt, rurſuſque ex intervallis brevibus redeunt, morbum primarium et idiopathicum ne minima quidem ex parte mutantia. AEgrum miſerandum infeſtat ſenſus caloris inteſtinorum gravis et excrucians, cum doloribus qui in regionem lumborum diffunduntur. Volae manuum et pedum frequenter caleſcunt, quae ſigna noctem verſus ingraveſcunt. Nocte prima ſudor non raro prorumpit, qui nonnunquam univerſus et odore ingratus et ſubacidus. Arteriae plerumque non ſaepius, quam octogeſies aut nonageſies, intra minutum agitantur. Caeterum, cum paroxyſmi febriles, febris hecticae proprios referentes, ex intervallis accedant, pulſus eo tempore celeriores et duri evadunt, numerum centum decem centumve viginti attingentes. Corpus ſqualidum et macilentum fit, mens inquieta parumque conſtans, adeo ut nihil poſſit reperiri, quod animum aegroti a moeſtitia poſſit abducere. His ſignis ingraveſcentibus, convulſiones tandem accedunt, et ſingulis momentis graviores evadentes aegrotantem extinguunt.

## INCISIONES CADAVERUM.

Cum morbi non poſſint depelli, niſi ſedes eorum effectuſque, quos in partes laborantes edant, cognoſcantur, cadavera omni fere morbo extinctorum incidere conſuerunt anatomici, et non fruſtra; namque multum lucis naturae morborum hinc ſaepe fuit offuſum. Hoc in diabete quoque non fuit neglectum. Quae autem inter cadavera incidenda ſe in conſpectum dederunt, ea hujuſcemodi fuerunt. Renes mulierculae, Petro Pawio teſte, quae hoc morbo per aliquot annos laboraverat, praeter conſuetudinem flaccidi, colore cinerei, et ſanos rubore non adaequantes, reperti ſunt. Quinetiam in cadavere viri nobilis aperto, uti Hoffmannus memoriae prodidit, qui diabete diu fuerat coliactatus, ſe oſtenderunt concreta calculoſa viis in urinariis inhaerentia, ureter dexter mirum in modum dilatatus. Ren dextri lateris inſuper magnitudinem naturali et ſana duplo majorem ſibi fuerat adeptus. Reliqua quoque abdominis viſcera morbida eſſe comperti ſunt incidentes; hepar vero potiſſimum. Hoc autem in cauſa eſſe videtur, cur Meadius celebris non in renibus, ut pleriſque aliis medicis placet, ſed in hepate diabetem, ſedere contendat. Quomodo vero hepar vitioſum et tumefactum diabetem poſſit movere, intellectu in primis difficile. In morbis quidem abdominis non paucis hepar quoque laborat. Affectus vero hujus pro ſequela vel comite illorum fortuito, non pro cauſa, plerumque habendus. Haec opinio fundamento parum

parum ſtabili haud dubie innititur, et argumenta multa, quae ad eam refellendam plane conferrent, facile poſſent proferri; operam vero in hoc male poſitum iri putamus. Igitur inciſionem potius cadaveris aegroti cujuſdam, quem anno ſuperiore, Noſocomio in Regio Edinenſi, vir illuſtris Dr Home, ad ſanitatem reducere multa per medicamenta potentiſſima adhibita fruſtra conatus eſt, referemus. Huic interfuimus, et ſequentia in conſpectum ſeſe dederunt. Renibus patefactis, ſiniſter praeter conſuetudinem amplus, et ſubſtantia mollis. In duas partes aequales ad lineam horizontalem diviſus, nihil fere pelvis, quae ex toto propemodum fuit deleta, oſtendit, et nihil amplius potuit videri quam ureter certae ſubſtantiae ejus parti adjunctus. Tubuli uriniferi, quam ſanitate ſubſtante, multo minus evidentes et manifeſti fuerunt. Dexter eodem modo inciſus ſpeciem magis ſanam et naturalem praeſeſe tulit, et pelvis ufitatam magnitudinem habuit. Ureteres non praeter naturam adaucti. Subſtantia utriuſque renis odorem emiſit ſubacidum. Omnes et meſenterii et meſocoli glandulae intumuerant, colore pallidae, ſubſtantia modice firmae. Syſtema meſenterii ſanguiferum aliquantum adauctum. Hepar ſpecie ſanum et naturale fuit, ſed nonnullis in locis colo firmiter adhaeſit. Nulla lymphatica in veſica urinaria, quae tunicis praeter conſuetudinem valida fuit, potuerunt notari. Reliqua abdominis et thoracis viſcera omnes ſanitatis notas habuerunt *.

## DIAGNOSIS.

Cum ſigna hujus morbi praecipua, urinae nempe praeternaturalis, copia immodica, profuſio, chronica, cum ſiti plerumque magna, non ei cum ullo alio ſint communia; a reliquis vitiis, quae corpus humanum infeſtant, ſatis ſecerni videtur. Unum tantum morbum, viz. enureſin, ſive urinae incontinentiam, memoria tenemus, quem inter et diabetem aliquid ſimilitudinis intercedit. Si vero nobiſcum conſideremus, urinam diabete laborantibus, invitis, non excerni; enureſi, contra, affectis, abſque voluntate, conſtanter fere, profluere, et dotibus ſuis non mutari, ſigna quae unum ab altero morbum diſtinguunt, ſatis manifeſta eſſe fatebimur.

## CAUSA PROXIMA.

Quanta obſcuritate et caligine haec implicetur, e ſententiis diverſiſſimis, in quas ſuper ea auctores, rei medicae peritia et

* Vide Home's Clinical Experiments.

ingenii

ingenii acumine jure nobilitati, conceſſerint, abunde conſtat. Ex hiſce autem complures, quae, judicio noſtro, minus ſint probabiles, prius leviter percurremus, deinde eam, quae proxime ad verum videatur accedere, referemus.

Dolaeus, in Encyclopedia ſua medica*, cauſam diabetis proximam ex tota improbabilem profert. "Tubulos," ait ille, "iſtos per omentum ex fundo ſtomachi prodeuntes nimis laxatos culpo; per hos enim patentiores ductus ſine mora pergit ad renes, quicquid eſt potulenti; ad cor enim potus in diabete non poteſt deferri, quia impoſſibile eſt potum per cor ita ſtatim tranſire, et cum ſanguine ad renes deferri," &c. Quod vero hanc opinionem Dolaeanam ex toto convellit, eſt, quod nulli hujuſcemodi tubuli ab ullo ex hiſce anatomicis, quos noſtro contigerit ſeculo videre, accuratiſſimis unquam reperti ſunt, quanquam plurima, quae antiquiores fugerant, e tenebris eruerunt. Quinetiam non erat, cur negaret, potum in diabete per cor tam ſubito poſſe tranſire, et cum ſanguine ad renes deferri, ſi ſecum reputaſſet, quam brevi humores in ventriculum recepti poſſint abſorberi, et ſanguinem ingredi, quamque rapide ſanguis per cor tranſeat, et omnia ſibi admiſta in partes corporis remotiſſimas diffundat. Cujus exemplum in ea urinae excretione liberali, quae liquores ſpiritnoſos alioſque ſumptos non raro ſubito excipit, luculentum habemus.

Junckerus † autem motum vaſculorum renum ſecernentium admodum turbatum pro cauſa proxima habet, qui, eo judice, ut non ſolum ſerum, ſed etiam lympha a pinguedine liquefacta deducta, in tubulos uriniferos magno cum impetu propellatur facit. Motus quidem hujuſcemodi forſitan turbatus, ſenſilitaſve potius renum ipſorum, ut poſtea oſtendetur, nonnullis in exemplis, ſed minime in omnibus, ſecretionem urinae adauctam movet.

Liſterus ‡, contra, morbum non in renibus ſedere, ſed ab ardore ventriculi et inteſtinorum maximo, qui potionem quamlibet lenem admodum diureticam acremque reddere poteſt, proficiſci contendit. Haec vero opinio meram theoriam tantum ſapit, ut refutationem vix mereatur.

Williſius ‖ vero, et nonnulli alii, morbum a ſanguine diſſoluto, vel ſero lymphae coagulabili et craſſamento non rite admiſto, oriri opinantur. Caeterum partes, unde ſanguis conflatur, nunquam a ſe invicem diſſociantur, niſi lympha ipſa coagulabilis, quae omnes inter ſeſe conjungat, et ſpiſſitudinem illis juſtam concilict, ſit diſſoluta. Quod ſi incideret, nihil,

* P. 583. et ſeq. † Conſpectu Med. p. 799.
‡ Exercit. Medic. p. 64. ‖ Oper. tom. ii. p. 90.

judicio

judicio noſtro, valeret obſtare, quominus humores e vaſis excernentibus quibuſlibet, ut in morbis ad putredinem multum vergentibus fit, aeque ac renalibus, effunderentur.

Boerhaavius * denique celebris morbum a nimia arteriolarum renum, quae urinam ſecernant, laxitate pendere exiſtimat, et ſimul humores praeter conſuetudinem dilutos ad eum movendum neceſſarios eſſe, affirmat. Cauſam quidem priorem diabetem nonnullis in exemplis dare fatemur; nihil vero rationis, cur humores hoc morbo laborantium juſto dilutiores eſſe ſuſpicemur, reddi poſſe putamus. Quae urina excernitur, ea quidem ſaepiſſime pellucida; urina vero hujuſmodi in hyſteria, aliiſque morbis ſpaſmodicis, ſeſe oſtendit, ubi nihil omnino ſubeſt, unde humores nimis tenues eſſe poſſimus concludere. Praeterea, aliis in caſibus, ſpeciem longe diverſam prae ſeſe fert, et non raro ſervata turbida fit, ſerum lacve etiam dilutius referens; quod aliquid ſolito craſſius ei admiſtum eſſe teſtari videtur.

His opinionibus quam breviſſime percurſis, et nonnullis aliis, quae minoris momenti eſſe videantur, ſilentio praeteritis, proximum eſt, ut Culleni celeberrimi propriam, qua diſcipulos ſuos per aliquot annos antequam diſſertatiuncula Dobſonia, ſuper hoc morbo, in obſervationibus medicis Londinenſibus in lucem fuit edita, conſtanter erudiendos curavit, referre aggredianur.

Cauſa autem diabetis proxima, ut viro illuſtriſſimo placet, triplex eſt.

1. Curſus ſanguinis nimius ad renes factus.

2. Laxitas vaſorum renum ſecernentium praeternaturalis.

3. Quidam ſanguinis ſtatus, qui eum ad nimis copioſe tranſeundum per renes proclivem reddit.

Cauſa prima in diabete hyſterico, uti appellatur, ſubeſſe videtur; ſed hunc non pro diabete juſto, pro ſigno vero tantum alius morbi, habemus. Altera in diabete juſto chronico adeſſe poteſt; et inciſiones revera nonnullorum, qui diabete diu colluctati fato tandem conceſſerunt, laxitatem renum praeternaturalem in conſpectum dederunt. Utrum vero equidem haec laxitas poſt mortem ſeſe oſtendens ſecretionem urinae adauctam fecerit, vel impetus humorum nimii ad renes facti, et ſaepius reiterati, effectus fuerit, judicatu difficile. Et nullae, quantum noverimus, diabetis hiſtoriae in monumentis medicinae reperiundae ſunt, quae hanc difficultatem tollere, nobiſve ſuadere poſſunt, ut laxitatem vaſorum renum praeter naturam morbi cauſam unquam fuiſſe credamus. Certia autem diabetis cauſa, quam tradidimus, magis manifeſta et evi-

* Praelect. Acad. tom. iii p. 174.

dens. Conditio ſanguinis, quae eum ad tranſeundum per renes, quantitate praeter conſuetudinem magna, proclivem efficit, duplex eſſe poteſt. 1. Quantitas tantum humoris aquoſi in ſanguinem devecti ſolito major. Ita quantitatem liquoris aquoſi inuſitatam epotam diabetem, qui in tempus maneat, facere notamus; qui tamen non pro morbo, ſed ſecretione ad ſyſtema levandum omnino neceſſaria, habendus. Caeterum, quantitas humoris aquoſi inſolita vaſa ſanguifera alia ratione, quam mera potione, ingredi poteſt; pars aquae etenim, quae aëri omnibus, quotquot ſunt, circumdato conſtanter ineſt, per vaſcula cutis lymphatica abſorbetur. Abſorptionem autem hujuſcemodi revera pergere, compluria experimenta plane teſtantur; corpus enim, nulla materia ſenſibus noſtris percipienda in id invecta, pondere augeri conſuevit. E tali ponderis auctu abſorptionem, quae ſenſus fugiat, fieri, et e pondere corporeo eundem in modum imminuto perſpirationem inſenſibilem pergere, concludimus. In multis diabetis exemplis quantitas urinae, dato tempore excretae, potionem cibumque eodem tempore ſumptum non tantum magnopere exceſſit, ſed tanta fuit, quanta partem humorum, qui vulgo corpore ſoleant contineri, majorem exhauſiſſet, niſi detrimentum, quod cepiſſent, idem per ſpatium more in ſolito natura penſaſſet, quod aliter, quam abſorptione cutanea, fieri ponere non poſſumus. 2. Altera maſſae ſanguineae conditio, partem ejus ſeroſam, ad nimis copioſe per renes tranſeundum accommodatam reddens, eſt ſtatus ſeri praeter naturam ſalinus. Salina in corpus quantitate praeter conſuetudinem magna invecta per renes tranſire, et urinae ſecretionem augere, ſolere non raro notamus. Quaecunque cauſae igitur ſtatum ſeri ſanguinis praeter morem ſalinum facere poſſunt, eaedem diabetem quoque movebunt. Compluria exempla ſunt, ubi ſtatus ſanguinis praeter conſuetudinem ſalinus ſeſe oſtendit; ſed, quantum nonnulla eorum ſpectat, nunquam, quod noverimus, diabetem fecerunt. Et unicum hujuſcemodi, quod habemus, exemplum eſt, ubi materia ſaccharina in maſſa ſanguinis nimis abundat. Experimenta quidem ſaporem ſeri ſanguinei dulcem eſſe, aut materiam ſaccharinam ei ineſſe, nondum demonſtrarunt. Caeterum, cum nonnulla experimenta nupera quantitatem materiae ſaccharinae largam una cum urina in diabete excerni oſtenderint, vix ambigere poſſumus, quin materia hujuſmodi in ſanguine quoque exiſtat, profluviumque urinae immodicum faciat. Hoc vero longius proſequi, et quo modo haec materia ſaccharina quantitate adeo inuſitata, gignatur, exponere difficillimum eſſe comperimur, vixque conari audemus. Alimenta vegetabilia non parum materiae ſaccharinae conſtanter ſuppeditare,

ſuppeditare, quae in lacte foemineo, quod ex alimentis recentibus, et potiſſimum vegetabilibus, extrahi videtur, ſeſe revera oſtendit, dici poteſt. Cum vero lac hoc modo formatum, et materia, quam comprehendat, ſaccharina in maſſa ſanguinis, poſt alimenta ſumpta, non diu ſeſe oſtendant, materiae ſaccharinae generationem unum tantummodo, in proceſſu ſanguificationis, ſi ita loqui liceat, animali gradum eſſe, alterumque non deeſſe, quo lac et materia ſaccharina prorſus mutentur, et in eum humorem ex toto alcaleſcentem, qualem animalium ſanguinem eſſe plerumque comperimus, vertantur, non opinari non poſſumus. Si vero hic gradus proceſſus animalis poſterior minus perfectus evadat, et conſilio ſupra poſito nequeat inſervire, materia ſaccharina ex alimentis extracta mutationis expers manere, in maſſa ſanguinis accumulari, et in ſecretione urinae apparere poteſt, diabetem, ut ſupra comprehenſum, movens. Hoc vero, ut conjecturam tantum probabilem, examini eruditorum ulteriori ſubjiciendam, proferimus.

## CAUSAE REMOTAE.

Has in tres claſſes, uti tribus cauſis proximis ſupra poſitis melius accommodarentur, in eas, nempe, quae curſum humorum ad renes nimium faciunt, quae vaſa renalia nimis relaxant, quaeque ſerum ad effluendum e renibus nimis proclive reddunt, dividendas quondam putavimus. Cum vero nobiſcum reputaſſemus, pleraſque cauſarum, quae ſpaſmum ſuperficiei corporeae inferunt, et impetum igitur humorum ad renes adaugent, vim quoque debilitantem, ut e febribus rite conſideratis abunde patet, habere, et idcirco non tantum per ſe, ſed etiam per profluvium urinae immodicum, quod faciunt, renes praeter conſuetudinem laxos efficere, et eas, quae hoc potiſſimum praeſtare putentur, renes non poſſe debilitare, quin vires quoque ſyſtemati univerſo aliqua ex parte convellant, poteſtates aſſimilantes imminuant, et igitur materiam ſaccharinam in maſſa ſanguinis, uti ſupra fuit expoſitum, nimis copioſam progenerent, rationem nullius ordinis ſingularis, cum omnes effectus potius conjunctos quam ſeparatos edant, habendam eſſe ducimus. Sequentes autem praecipuae eſſe videntur:

1. *Irritatio, ſpaſmuſque igitur forſitan, quibuſdam in morbis ſpaſmodicis, renibus illatus.*—Exemplum hujuſmodi manifeſtum nobis praebet hyſteria. Cum hic morbus a motibus canalis alimentarii, quem inter et renes conſenſus evidentiſſimus intercedit, ſpaſmodico-convulſivis plane proficiſcatur, hi quoque

irriteutur neceſſe eſt. Irritatio autem actionem vaſculorum renis ſecernentium adauctam movebit, quae, ut copia urinae praeter conſuetudinem magna profundatur, facillime faciet. Et cum nihil irritatione ad ſpaſmum cuilibet parti inferendum ſit accommodatius, vaſcula ſecernentia eo fortitan aliqua ex parte conſtringentur; et nihil igitur parumve mucilaginis urinae propriae deſcendere patientur; unde id urinae, quod excernitur, limpidum evadet, nihil, uti conjicimus, vel dulcedinis vel materiae ſaccharinae ſupra comprehenſae, habens. Diabetes vero, qui in hyſteria ſeſe oſtendit, tantum ſymptomaticus eſt; et idcirco ab incepto noſtro, qui de idiopathico fere ſolo agere decrevimus, magna ex parte alienus. Quinetiam diabetes ſymptomaticus in febribus, potiſſimum finem verſus, nonnunquam accedit, et igitur forſitan non tantum ab irritatione, quantum a debilitate, uti Boerhaavio et Swietenio * placere videtur, per febris durationem renibus illata promanat.

2. *Liquores quilibet nimis liberaliter ſumpti.*—Si quando ſyſtema immodica horum quantitate repleatur, natura ſemet excretione urinae praeter conſuetudinem magna levare conabitur. Impetus autem humorum ad renes factus, et ſaepe reiteratus, vaſcula iis ſecernentia nimis diſtendit, et ita non parum debilitabit, unde curſui inveteraſcenti in poſterum difficillime obſiſtetur. Qui igitur in uſu liquorum diluentium nimio perſtabit, is diabete haud dubie periclitabitur. Exemplum autem hujus clarum in iis, qui in infuſo theae, vino, aliiſque liquoribus ſpirituoſis, immo cereviſia tenuiore, dulciter et fere conſtanter ſorbillandis tempus conſumunt, ſeſe oſtendit; homines enim hujuſce farinae in diabetem incidere conſuerunt. In aurigis ſaepius, quam in aliis, dicitur morbus accidere. Hoc duplicem ob rationem accidere poteſt; namque potationi in primis dediti ſunt, et agitatio fere perpetua, cui viſcera eorum abdominalia inter equitandum objiciuntur, curſum humorum ad inferiora corporis, et ad renes in reliquis, facit.

3. *Frigus corpori admotum.*—Si hoc modice applicetur, vix impetum humorum ad renes facere valere videtur; namque id brevi ſubſequuntur rubor, calor, omneſque aliae reniſus ſyſtematis excitati notae. Igitur, hoc in exemplo, vim ſtimulantem, non ſedantem, habet, et curſum ſanguinis cutem potius quam renes verſus facit. Si vero, contra, corpori ſummo adeo liberaliter diuque admoveatur, ut nullus applicationem ejus reniſus ſubſequatur, vim plane ſedantem habet, molem totius corporis vaſcula cutanea conſtringendo imminuit,

* Vid. Van. Swiet. com. ſect. 661.

et

et humores ad renes, inter quos et cutem manifeſtus intereſt conſenſus, copioſius ſolito devehit. Frigus autem effectus hujuſmodi edere hinc abunde conſtat, quod ſub dio, potiſſimum ſi aër ſolito frigidior ad corpora adſpiret, quam domi et in cubiculo calido ſedentes, urinam multo liberalius excernere ſolemus. Quo liberior et copioſior, contra, e. g. inter ſaltandum, perſpiratio eſt, eo parcius rariuſque ſemper urina redditur. Ex his igitur et ſimilibus facile poteſt cogi, frigus intenſum et diuturnum corpori applicatum diabetem poſſe movere.

4. *Venus immodica.*—Cum coitus nimis frequens corpus plane ſolvat, ſyſtema nervoſum debile et irritabile reddat, curſumque humorum ad partes genitales, et igitur ad renes quoque, qui non longe ab illis diſſiti ſunt, ſemperque vitiis, quibus illae laborent, per ſympathiam quandam, explicatu quidem difficillimam, magis minuſve afficiuntur, evidentem faciat, non eſt cur miremur, venerem immodicam ab omnibus fere auctoribus cauſis, quae moveant diabetem, fuiſſe annumeratam.

5. *Diuretica nimis acria.*—Omnia hoc genus medicamenta impetum humorum ad renes faciunt, et excretionem urinae adaugent. Hoc autem aliter, quam vaſcula renalia ſecernentia ſtimulando, actionemque igitur illis intendendo, facere nequeunt. Itaque, ſi diutius juſto adhibeantur, vaſa, quae urinam ſecernunt, actione adaucta continua debilitabuntur, tonumque ſuum ammittent. Namque vaſa ſanguifera e fibris muſcularibus magna ex parte compoſita, in morem muſculorum, exercitatione modica firmantur, immodica relaxantur. Nihil autem obſtat, quominus diabetes a tono horum amiſſo proficiſcatur.

6. *Evacuationes immodicae.*—Si in febribus intermittentibus, ex. gr. aliiſve morbis acutis, ſanguis nimis liberaliter, nulla aetatis, virium aegrotantis, indolis febris epidemice graſſantis, tempeſtatiſve anni ratione habita, detrahatur, vel alvus ſaepius violentiuſque juſto moveatur, vires et ſyſtemati univerſo et renibus convellentur, adeo ut diabetes a ſecernentibus horum relaxatis facile forſitan poſſit oriri. Evacuationes ſeroſae nimiae et inveteratae idem praeſtare dicuntur.

7. *Defatigatio.*—Omnes muſculi corporis humani, ſi intra certos limites exerceantur, inde firmitatem ſibi majorem adipiſcuntur. Si vero exercitatio ultra hoſce adhibeatur, tantum abſunt, ut validiores, ut, contra, debiles, irritabiles, relaxati, actionique parum apti evadant. Igitur, ſi corpus labore, ambulatione, curſu, equitatione, &c. quae modica quidem curſum humorum a partibus internis in ſuperficiem avertunt,

tunt, nimis diu adhibitis, magnopere defatigatur, haud dubie ob debilitatem et corpori universo et renibus illatam, diabeti opportunius efficitur. Chirurgum celebrem, qui artem suam in agro Suffolciensi exercuit, et postea hac in academia ad summos medicinae honores evectus est, probe novi, qui, ob magnum aegrotantium numerum suae curae commissum, equitationem diurnam et nocturnam fere continuam adhibere coactus, in hunc morbum incidit. Vir sagax vero, quanti momenti esset *principiis obstare* experientia doctus, ad medicamenta idonea protinus confugit, et per corticem Peruvianum, serumque aluminosum potissimum, quam maxime liberaliter adhibita, semetipsum ad sanitatem brevi reduxit. Quod notabile fuit, siquando, licet valetudine commodissima, quantum ad alia attineret, frueretur, semet incautus postea defatigaret, signa morbi se rursus ostendere coeperunt, et iisdem remediis semper ex toto sublata sunt.

8. *Metus.*—Hic, ut neminem latet, spasmum superficiei corporis inferre consuevit, ut faciei reliquarumque eorum, quibus incutitur, partium pallor evidenter testatur. Igitur cursum humorum ad renes faciendo, excretionem urinae adauctam movere potest; rarius vero adeo diu agere videtur, ut diabetem, qui multum spatii habebit, possit creare. Hae sunt praecipuae causae, quarum ab auctoribus mentio fuit facta. Caeterum morbus absque ulla causa manifesta frequenter invadit.

## NONNULLORUM SIGNIS EXPLICATIO.

Cum signa hujus morbi numerosissima sint, nec fines, quibus dissertatiuncula hujusmodi circumscribatur oportet, nec tempus patiuntur, ut omnia exponere aggrediamur. Unde vero sequentia, quae quidem praecipua esse videantur, sitis, nempe, calor intestinorum gravis, odor sudoris subacidus, quantitas urinae excretae magna, dotes ejus praeternaturales, tumores partium inferiorum hydropici corpusque emaciatum pendeant, ostendere pro virili conabimur.

1. *Sitis.*—Si una secretio adaugeatur, omnes reliquae, ut neminem rei medicae physiologicaeque peritum fugit, pro rata ratione imminui consuerunt. Pleraque autem causarum, quae diabetem excitent, tales esse jam vidimus, quales impetum humorum praeter consuetudinem magnum ad renes faciunt. Igitur minime mirandum, vascula oris et faucium secernentia nihil fere humoris, quod secernant, habere, et succo sibi proprio magna ex parte privari, et sitim ex hac causa oriri, quae cursui humorum ad renes facto pro rata ratione semper respondet,

ſpondet, et pro gravitate morbi increſcit. Exemplum idem genus in hydrope, ubi ob humores ſeroſos ad telam cellulo-ſam, vel aliqua e cavis corporeis, juſto copioſius devectos, os fauceſque ſemper areſcunt; et in pneumonia, ubi humores in cavum thoracis effuſi, et empyema facientes, ſputum repente ſupprimunt, manifeſtum habemus. Quinetiam hanc doctrinam ulterius firmat, quod, cum phlegmaſia ab uno ad alium locum transfertur, incidere ſolet. Curſus ſanguinis a parte laborante ad aliam, ob ſtimulum forſitan huic admotum, majoremve vaſorum laxitatem, ſanguinem hic congeri patientem, factus, locum prius affectum protinus levat, tumorem, tenſionem, dolorem, et omnia ſigna inflammationis propria, tollens.

2. *Calor intestinorum gravis.*—Hic ab eadem omnino cauſa proficiſci videtur; namque curſus humorum renes verſus factus parum ſucci vaſis vel faucium vel canalis alimentarii exhalantibus ſecernendum relinquit, et igitur eandem ſiccitatem ab ore ad anum uſque diffundit. Quod ſitis in faucibus, calor in inteſtinis appellatur.

3. *Odor ſudoris ſubacidus.*—Quae urina in diabete excernitur, ea haud dubie talis eſt, qualis fermentationem omnigenam, vinoſam, acetoſam, et putridam, poteſt ſubire *. Nec hoc mirandum, cum quantitatem materiae ſaccharinae magnam contineat, quam ad fermentationem omnes norunt eſſe proclivem. Igitur, ſi haec materia urinae admiſta extra corpus fermentationi omnigenae ſit opportuna, nihil obſtare videtur, quominus intra idem quoque, ſi, ob vires aſſimilantes debilitatas, in alimentum corpori debitum ſpatio ſolito non convertatur, vinoſam ſaltem, vita tuta et conſervata, ſubeat, et ſudorem odore ſubacido impertiatur. A nonnullis forſitan fermentationem hujuſmodi intra corpus pergere poſſe negabitur. Caeterum et motam et bene provectam eſſe teſtari videtur odor ſubacidus, quem tota renalis ſubſtantia cadaveris diabetici, quod noſocomio in regio anno ſuperiore fuit inciſum, evidenter emiſit. Si vero hoc modo ratiocinari nobis non liceat, in ſententiam quorundam, qui ſignum ratione ſequente exponunt, concedemus. Qui ſudor prorumpit, is e chylo perperam aſſimilato conficitur, nihilque fermentationis adhuc ſubiit. In ſuperficie vero corporis per veſtimenta cohibitus, et calori ibi ſemper offendendo objectus, prius vinoſa, deinde acetoſa, fermentatione afficitur, hoc modo odorem ſubacidum progenerans, adeo ut fermentatio excretionem, non excretio fermentationem, ſubſequatur.

4. *Quantitas urinae excretae magna.*—Hanc aliunde, quam

* Vide Medical Obſervations and Inquiries.

ab

ab humorum colliquatione, cum ingesta tantum excedat, non posse proficisci multi sunt opinati. Caeterum ab hac causa nequit oriri; namque urina aegroti diabete laborantis calori, qui ut ebulliat facit, objecta minime cogitur *, quod nihil lymphae coagulabilis ei admistum esse testatur. Si vero lympha coagulabilis, quae reliquas sanguinis partes inter sese conjungit, et ne e vasis elabantur cavet, nulla ex parte soluta sit, sanguis haud dubie nihil colliquationis subiit. Cum autem magna urinae quantitas, quae soleat excerni, non a sanguine liquefacto profluat, haud alimnde quam ab absorptione cutanea suam originem potest deducere. Corpus saepe, nullo cibo potuve iugesto, non parum ponderis sibi acquirit, quod nequit exponi, nisi vascula cutis lymphatica, quae ibi ostiis patulis ubique hiant, quorumque vis absorbens hoc in morbo forsitan, ob impetum humorum ad interiora factum, multum augetur, humorem ab aëre ei circumdato attrahere ponas. Aërem autem humore semper liberaliter esse instructum, testantur magnae aquae quantitates, quas acida nonnulla salesque alkalini ei quam siccissimo objecti attrahere consuerunt.

5. *Dotes ejus praeternaturales.*—Harum autem praecipuae sunt dulcedo et magna materiae saccharinae quantitas. Prior, nonnullis in exemplis, uti Cullenus celeberrimus testatur, deest. Cum hoc incidit, vis concoctrix et potestates assimilantes non plurimum videntur imminui; et igitur cibus, qui sumitur, in alimentum idoneum convertitur, et non cum urina, quae, quanquam quantitate adaucta, sales sibi proprios, concoctionis fere absolutae propaginem, reliquasque dotes naturales retinet, sub forma materiae saccharinae excernitur. Quandocunque vero dulcedo, quod quidem plerumque accidit, urinae inest, a nulla alia causa, quam a materia quam lotium contineat saccharina, potest proficisci. Igitur proximum est, ut unde haec oriatur reperire conemur. Magnam materiae saccharinae autem quantitatem vegetabilibus inesse, docet fermentatio eorum vegetativa cohibita. Non parvam ejusdem copiam ex iis pro cibo sumptis, et concoctioni objectis intra corpus quoque posse extrahi demonstrare videntur saccharum e lacte foemineo paratum *, serumque diabete laborantium subdulce repertum †. Haec vero materia in iis, qui diabete colluctantur, non longe, ut sanitate substante solet ultra naturam chyli, quamvis aliquantum tamen progreditur, nec, ob vires concoctrices et assimilantes magnopere debilitatas et infractas, in alimentum ad detrimenta, quae cor-

* Vide Medical Observations and Inquiries.
† Vide Doctoris Young Dissertationem Inauguralem.
‡ Vide Medical Observations and Inquiries.

pus

ppus ſingulis diebus capiat, penſanda rite accommodatum mu-
tatur, ſed una cum urina deſcendit, ſignumque, quod exponi-
mus, movet.

6. *Tumores partium inferiorum hydropici, corpuſque emacia-
tum.*—Tumores autem hydropici ab ea corporis debilitate
univerſa, quae in hoc morbo plane ſubeſt, et ut vaſcula ex-
halantia nimiam humoris ſeroſi quantitatem effundant, haud
dubie facit, manifeſte proficiſcuntur. In partibus inferiori-
bus ſeſe potiſſimum oſtendunt, quod humores ibi contra gra-
vitatem ſuam aſcendant neceſſe eſt. Quod vero rem ita ſeſe
habere teſtatur, eſt, quod tumores, cum poſitura corporis per
noctem horizontalis difficilem humorum aſcenſum ſuſtulit,
mane multum imminuuntur, vel ex toto evaneſcunt, et, cor-
pore erecto, rurſus apparere incipiunt. Quantum ad corpus
emaciatum attinet, hoc ſignum nullius explicationis indigere
videtur, cum materiam ſaccharinam, quae a natura ad corpus
alendum deſtinatur, ob vires concoctrices depravatas, una
cum urina tranſire habeatur compertum. Hoc haud dubie
corpus macilentum reddit, vires ei mirum in modum convellit,
eamque, quae debilitatem nunquam non ſubſequitur, irrita-
bilitatem movet, unde febris hectica, quae, diabete finem ver-
ſus appropinquante, accedit, videtur proficiſci.

## EVENTUS MORBI.

Hic quidem nonnunquam fauſtus eſt, ſi morbo venienti per
remedia efficaciſſima liberaliter adhibita occurratur. Si vero
diabetes inveteravit, nullis medicamentis parere, aegrotumque
tandem extinguere conſuevit. Si coitum immodicum febreſve
excipiat, vel ſenes et bibaces invadat, quam plurimum peri-
culi habet.

## RATIO MEDENDI.

Conſilia autem hunc morbum depellendi duo eſſe videntur:
I. Impetum humorum renes verſus factum tollere.
II. Univerſum ſyſtema, cum morbus non a vitio renum
tantum, ſed totius corporis, plane videatur oriri, omni ratio-
ne firmare.

I. *Impetum humorum renes verſus factum tollere.*—Reme-
dia autem, quae huic conſilio accommodantur, ſunt ſequentia.

1. *Exercitatio.*—Vires aegroto plerumque adeo convulſae
ſunt, ut exercitationem corpoream nequeat adhibere, quin
brevi admodum fatigetur, quod circuitum ſanguinis minus vi-
vidum reddit, et igitur tantum abeſt, ut curſum humorum ad

ſuperficiem faciat, et perſpirationem promoveat, ut, contra, ſpiracula cutis occludat, effectuſque ex toto contrarios edat. Igitur ad geſtationem decurrendum. Hanc diu, cum non viribus ſuis ſed alienis promoveatur, citra defatigationem adhibere poteſt aegrotus, et optimos igitur multoque magis continuos ab ea fructus percipere. Hujus autem optima ſpecies videtur eſſe equitatio, quae non tantum curſum humorum cutem verſus facit, igiturque perſpirationem liberalem, ut experimenta Sanctoriana teſtantur, movet, impetum renes verſus factum hoc modo imminuens, ſed animum demiſſum quoque erigit, ſolidis ſimplicibus elaterem, fibris motricibus tonum, et univerſo corpori robur vigoremque, concilians. Quinetiam, in rheda curruve vehere idem fere praeſtare ſolet, et illis, quibus vires adeo imminutae ſunt, ut equo facile nequeant inſidere, magis convenit. Navigatio, denique, cujus periculum hoc in morbo non ſaepe adhuc factum eſſe videtur, utpote quae diem noctemque poſſit continuari, non minus forſitan, quam aliae exercitationis ſpecies modo poſitae, in morbum perſpirationem aequabilem excitando poſſet.

2. *Frictio.*—Haec pro ſpecie exercitationis poteſt haberi, et haud dubie eodem modo, quamvis minus univerſe, agit, curſum humorum ad ſuperficiem faciens, partibuſque, quibus applicetur, vigorem comparans. Igitur ad impetum ſanguinis renes verſus factum compeſcendum quam optime accommodari videtur; et hoc commodi habet, quod omni tempeſtate, ſive coelum ſudum et ſerenum, ſive nubibus obductum ſit, cum ad alia exercitationis genera nequit decurri, poteſt adhiberi. Hoc autem, quod ad omnes exercitationis ſpecies ex aequo attinet, memoria ſemper tenendum, quod a lenioribus, ſi corpus ſit debile, ſemper incipiendum, et ad vehementiores lente et gradatim tranſeundum, quodque in illis adhiberi inceptis, abſque ulla intermiſſione, perſtandum. Hoc enim neglecto, quod utiliſſimum fuiſſet, id ſaepe ex toto inutile evadit.

3. *Balneum tepidum.*—Hoc, propter vim ſuam relaxantem, qua id praeditum eſſe omnes fatentur, ad cutem aridam et aſtrictam emolliendam, et idcirco ad curſum a renibus exteriora verſus faciendum, in primis videtur accommodari. Igitur ad hoc, quandocunque conſtrictio cutis ſeſe oſtendit, confugi debet. Exempla, ubi in auxilium morbi promptiſſimum fuit, non deſunt. Unum, idque inſigne, memoriae in praelectionibus ſuis prodendum curavit celeberrimus Cullenus. AEgroto, cui cutis et aridiſſima et frigidiſſima fuit, ut ſemetipſum in tepidarium quotidie demergeret, ſuaſit. Quod ſperavit, evenit; namque mollities calorque priſtina cuti redierunt, profluvium urinae

urinae imminutum eſt, et aegrotus ad ſanitatem ex toto tandem reductus eſt.

4. *Regio calida.*—Ad plagam calidiorem migrare, cute arida et aſtricta, ſaepe in morbum non parum poteſt; hic enim perſpiratio, ob majorem ſolidorum laxitatem, multo magis, quam alibi, copioſa et liberalis. Si vero in hanc medendi viam procedatur, in regione ad auſtrum vergente per totum vitae forſitan decurſum manendum, aut ſaltem, morbo depulſo, ad terram, quae ad ſeptemtriones ſpectat, tarde et gradatim, ne morbus fiat recidivus, redeundum.

5. *Diaphoretica.*—Haec in uſu communi fuerunt, et ea quidem depoſtulare videtur ſummi corporis ſiccitas. Circuitum ſanguinis in ſuperficie diabete laborantibus non parum impediri neminem latet. Hinc cogi poteſt, renes totumque ſyſtema internum admodum levatum iri, ſi curſus humorum ad ſuperficiem poſſet fieri. Nonnulli ſuadent, ut ad diaphoretica potentiſſima, pulverem nempe Doveri, &c. confugiatur. Si vero meminerimus, quantus totius ſyſtematis niſus ſudationem praecedat, quantaque debilitas eam ſaepe ſubſequatur, iis haud dubie abſtinere, et ad leniora tantum, quae circuitum liberum faciant, et madorem cutis modicum excitent, decurrere tutius eſſe judicabimus. Nihil autem conſilio hujuſmodi forſitan melius accommodatur, quam veſtimenta e panno laneo confecta proxime cutem gerere.

6. *Emetica.*—Haec eoſdem effectus, ac diaphoretica, editura eſſe putares. Caeterum, quanquam curſum humorum ad ſuperficiem faciendo prodeſſe poſſunt, aliquid periculi ab actione eorum violenta, ſyſtemate adeo debilitato, metuendum. Inſuper, actionem eorum promovendi cauſa plus liquoris, quam hoc in morbo convenit, in ventriculum ingerere neceſſarium. Praeterea, emetica, quae fluxum urinae augere dicuntur, hoc non aliter, quam per diluentia, una cum iis adhibita, praeſtare videntur. Igitur plurimi, utrum necne proſint, dubitare conſuerunt. Exemplum vero aegroti memoriae traditum eſt, qui vomitione adeo gravi, ut mortem ei intentaret, correptus eſt, quique nihilominus e diabete ex toto brevi convaluit. Hoc quidem ſuadere videtur, ut periculum eorum fiat; ſed potiſſimum ſub initium ſunt adhibenda.

II. Univerſum ſyſtema, cum morbus non a vitio renum tantum, ſed totius corporis, plane videatur oriri, omni ratione firmare.

Quae remedia huic conſilio accommodantur, ea ſunt,

1. *Aſtringentia.*—Haec in ſolida ſimplicia agunt, tonumque, illas particulas, unde conflentur, ad ſe invicem propius accedere cogendo, conciliant. Non parum auxilii, cum eva-

cuationes ex aliis organis ſecernentibus morbidas ſaepe compeſcant, hoc in morbo promittere videntur. Caeterum renes, reliquum ſyſtema roborando, tantum firmant; ea enim nunquam dari notiſſimum eſt, quin effectus ſuos in totum corpus diffundant. Igitur hoc in morbo, qui minime renum proprius, ſed ſyſtematis univerſi communis, eſſe videtur, in primis neceſſaria ſunt. Eorum autem praecipua ſunt acidum vitriolicum, aqua calcis, aqua Bathonienſis et Briſtolienſis, rhabarbarum, uti nonnullis placet, et alumen. Horum omnium periculum fieri poteſt; ſed palmam reliquis praeripit alumen. Vel ſubſtantia, vel ſub forma ſeri aluminoſi, adhiberi poteſt. Nunquam vero obliviſceris, hoc et reliqua aſtringentia parum prodeſſe ſolere, niſi liberaliter aſſumantur, et in uſu eorum ſatis diu perſtetur.

2. *Tonica.*—Plurima horum hoc in vitio fuerunt adhibita. Eodem modo, quo aſtringentia, agunt. Non tantum renes, ſed canalem alimentarium, totumque ſyſtema, corroborant. Igitur nihil illis contra ſigna hujus morbi praecipua, concoctionem depravatam nempe, vireſque aſſimilantes debilitatas, efficacius facile reperies. In modum autem aſtringentium quam maxime liberaliter ſunt adhibenda, alioquin parum proderunt. Praecipua ex hiſce ſunt cortex Peruvianus, praeparata e ferro, amara, balneum frigidum, exercitatio, quam remediis curſum humorum ad ſuperficiem facientibus ſupra annumeravimus.

3. *Stimulantia.*—Haec, vaſa languida et debilia excitando, tonum forſitan illis, et igitur univerſo corpori, aliqua ex parte conciliabunt. His haud dubie accenſenda eſt tinctura cantharidum. Ad uſum hujus ſucceſſu cum proſperrimo, ut ille teſtatur, in noſocomio Middleſexiae ſaepe decucurrit vir celebris Dr Briſben. Apud Scotos majore etiam quantitate fuit adhibita; ſed votis adhibentium nequaquam ex aequo reſpondit.

## REMEDIA ANOMALA.

Conſilio viſciditatem maſſae humorum univerſae majorem comparandi alii ad inſpiſſantia vegetabilia, ut gummi Arabicum, althaeam, &c. alii ad animalia, ut cornu cervinum, ichthyocollam, oſtreas, &c. confugerunt. Haud dubie innocua ſunt, et, abſque ullo periculo, poſſunt tentari. A nemine tamen, cui fidem habere potuimus, ea, quanquam liberaliter adhibita, unquam profuiſſe accepimus. Opium per ſe, et aſtringentibus toniciſque adjunctum, fuit datum. Nihil aliud vero

vero quam ſigna in tempus breve levat, et diu adhibitum tonum univerſo corpori perdendo magnopere nocet.

Quinetiam regioni lumborum frigida, emplaſtraque defenſiva, uti appellantur, fuerunt applicata. Eidem quoque circumdata ſunt cingula. Hanc medendi viam multum commodi ſecum adducere putavit vir celebris Whyttius. Alii vero, qui ejuſdem periculum fecerunt, ſe ſpes ex toto inanes foviſſe confitentur. Quantum ad nos attinet, quomodo, niſi partes quibus admoveantur ſuſtentando, poſſint prodeſſe, haudquaquam videmus.

Curatio denique hujus morbi magna obſcuritate adhuc involvi videtur. Igitur locum remedia multa potentiſſima, quae nondum in uſu, ſaltem communi, fuerunt, qualia ſunt, metallica tonica, ut cuprum ammoniacale, calx zinci, vitriolum, &c. medicamenta nervoſa, uti nominantur, ut moſchus, &c. tentandi praebet. Quantum vero haec in morbum poſſent, dictu in primis difficile foret.

Cum aegrotus ad ſanitatem nequit reduci, ſigna omni ratione levare conandum. Hoc potiſſimum praeſtant tabi corporis alvique duritiei occurrere, et ſitim ſedare. Primo conſilio accommodantur alimenta adipoſa, quae, uti experimenta accuratiſſima teſtantur, admodum nutriunt; alteri oleum ricini, et, ſi alvum aſtrictam nequeat ſolvere, tinctura jalapii ei adjuncta; tertio aurantia, tamarindi, &c. et, his ſitim extinguere non valentibus, diluentia quam maxime parce raroque adhibita.

---

## DE HYSTERIA.

*AUCTORE HEN. WOOLLCOMBE.*

QUI morbi a medicis Nervoſi appellari conſuerunt, hi inter omnes, quibus genus humanum eſt opportunum, notabiliter eminent. Horum autem non multi ſunt, qui ſaepius, quam is de quo paucis abſolvere decrevimus, ſemet oſtendunt, de quorum natura opiniones antiquorum magis diverſae, magiſque ſibi invicem contrariae fuerunt, quorum curatio obſcurior et difficilior.

Hyſteria nomen falſa naturae ſuae notione deduxiſſe videtur; multi etenim, e ſcriptoribus vetuſtis uterum ſedem ejus eſſe ſunt opinati. Foeminas quidem multo ſaepius, quam mares, ea infeſtari fatemur; in hujus cauſa tamen non ſemper

uterus

uterus eſt, ſed conditio ſyſtematis nervoſi ſingularis, cui mulieres potiſſimum ſolent patere *.

Notas morbi tam clare, tamque eleganter, in definitione ſequente, Cullenus celeberrimus depingendas curavit, ut eam imminutam omnibus, quotquot ſint, aliis anteponere non dubitemus. " Ventris murmura ; ſenſus globi in abdomine ſe volventis, ad ventriculum et fauces aſcendentis, ibique ſtrangulantis, ſopor, convulſiones, urinae limpidae copia profuſa, animus, nec ſponte, varius et mutabilis †."

## SIGNORUM ENARRATIO.

Hyſteria ex intervallis, modo longioribus, modo brevioribus, nullo vero tempore ſtato, repetit. Quantum paroxyſmi reditu ſpatioque, tantum gravitate ſignorum variant. Nunc breves ſunt, nulliſque notis periculum indicantibus ſtipantur ; nunc contra, violenter invadunt, adeo ut omnes corporis functiones momento horae perturbent.

A languore, debilitate totius corporis, oſcitatione, pandiculatione, et inquietudine, ſolent incipere. Morbum venientem frigoris partium externarum ſenſus fere ſemper praecedit, qui per totum paroxyſmi ſpatium plerumque manet. Huic vero ſenſus aliquando caloris ſuccedit, et alter alterum in diverſis corporis partibus invicem nonnunquam ſubſequitur. Vultus modo palleſcit, modo rubeſcit, vel rubor pallorque alternatim apparent ; caput gravi dolore tentatur ; oculi caligant, et lacrymae ex iiſdem effunduntur. Murmura tandem in totum ventrem ſeſe diffundunt, inteſtina inflantur, et globus quaſi in parte abdominis inferiore, vel hypogaſtrio, ſentitur, qui non in una parte fixus manet, ſed per totum canalem alimentarium ſeſe volvit. Modo ſubito modo tarde ad ventriculum aſcendit, inflationem ejus, ſenſum gravitatis circa praecordia, anxietatem, nauſeam, vomitumque movens. Deinde gulam petit, ibique haerere videtur, devorandi, ſpirandique difficultatem faciens. Signis hujuſmodi ſummam aegrotae moleſtiam faceſſentibus, partes abdominis, cum externae, tum internae, dolore graviſſimo corripiuntur, muſculi torquentur, umbilicus introrſum trahitur, et ſpaſmus ventris ſaepe tantus eſt, ut, ob eundem, nec flatus deſcendere, nec liquores ulli in alvum poſſint immitti.

Cum haec ſigna aliquandiu manſerunt, paroxyſmus interdum remittit ; aegrotae vero plerumque, ſenſus omnigeni ex-

* Cum mulieres huic morbo potiſſimum objiciantur, inter loquendum de aegrotis, genere foeminino utemur, viros quoque eodem non vacare memoria ſemper tenentes.

† Vid. Culleni Gen. Morb. c. 59.

pertes,

pertes, concidere ſolent. Modo immobiles, et ſopore obrutae, jacent; modo pectus manu continuo violenterque plangunt; modo membra univerſa convulſionibus vehementibus, quae laborantibus epilepſia proprias magnopere referunt, correpta iis agitantur, torquentur, graviſſimeque diſtenduntur.

Haec ſunt ſigna praecipua quae in paroxyſmis hyſtericis apparere ſolent; caeterum eadem modis diverſis accedere neminem poteſt latere. Interdum ſub initium paroxyſmi extrema corporis frigeſcunt et rigeſcunt, et aegrotae, in modum catalepſi laborantium, momento proſternuntur; interdum dolor graviſſimus et pulſans aliquam capitis partem, nunc frontem, nunc tempora, potiſſimum vero occiput, ſenſu, quaſi clavus per ictus mallei iis partibus infigeretur, vexat et excruciat; et omnia, quae oculi contemplantur, videntur circumvolvi. Quinetiam functiones vitales nonnunqnam turbantur; cor palpitat, motibuſque vehementibus et abnormibus agitatur; pulſus arteriarum duri et inaequales fiunt, et interdum intermittunt; reſpiratio male ſeſe habet, et aliquando vix pergere videtur. Dolor nonnunquam gravis, nephritico ſimilis, lumbos, dorſum, renes, et veſicam urinariam invadit; et aegra magno urinam reddendi deſiderio tenetur, quae immodice profunditur, aquam limpidam magna ex parte reddens.

Ut corpus, ſic animus etiam graviſſime laborat. Salutem ex toto deſperant aegrotae, timore inani viſuve aliquo falſo obſtupeſcunt. Modo in hilaritatem riſumque immodicum viciſſim effunduntur, aliena loquuntur, et ridicule ſeſe gerunt; modo, abſque ulla evidente cauſa, contriſtantur, lacrymantur, ſortem ſuam miſerrimam lugent, et metu mortis, quam ſibi ſingulis horis invaſuram eſſe putant, conſtante afficiuntur. Denique, animus ſaepiſſime adeo varius et mutabilis eſt, ut nulla tranquillitate aut quiete diuturna fruantur.

Cum paroxyſmus remittere coepit, pulſus arteriarum, qui ante parvuli et debiles fuerunt, molliores plenioreſque evadunt; inteſtina murmurant, flatus e ventriculo per ructum foras expellitur, aegrotaeque tandem, crebris ſuſpiriis ex imo pectore tractis, quaſi e ſomno excitatae, vocem, ſenſum, motumque recuperant. Paroxyſmo finito, omnia ſigna ſupra comprehenſa decedunt, et aegrotae ad ſanitatem ex toto reduci videntur; praeterquam quod dolorem capitis et gravitatem, et languorem quoque totius corporis, queruntur.

Hujuſcemodi ſunt ſigna quae in hyſteria ſemet oſtendunt. Inter ſeſe vero tantopere differunt, tot modis invadunt, tot in formas ſe vertunt, totque morborum aliorum ſpeciem prae ſe ferunt, ut nonnulla eorum, et multa quae ad ea declaranda pertineant,

pertineant, limitibus hujus opuſculi nimis anguſtis incluſi praetermittere cogamur *.

## NOTAE QUAE MORBUM AB ALIIS EJUS SIMILIBUS SECERNUNT.

Hiſtoria morbi ad finem perducta, proximum eſt, ut notas quoque, quibus ab aliis morbis poſſit diſtingui, indiceimus.

Omnes fere antiqui, et non pauci recentiorum, *hyſteriam* et *hypochondriaſin* eundem morbum eſſe, et hoc tantum, quod haec viros, illa mulieres invadere ſolebat, dignoſci poſſe putarunt. Cuilibet autem hanc rem leviter tantum conſideranti manifeſte conſtabit, hanc opinionem fundamento ſtabili haudquaquam inniti; namque exempla non deſunt virorum, qui hyſteria, et foeminarum, quae aetate provectae hypochondriaſi laborarunt. Si quis animum ad temperamenta diverſa, in quibus hi morbi appareant, rite perpendenda adjunget, diſcrimen eorum, licet ſigna ſibi invicem non raro ſimillima ſint, non eum fugere valebit. Temperamentum melancholicum hypochondriaſin, ſanguineum, contra, hyſteriam ſemper concomitatur. In illa, ſenſus et animi et corporis imminui videtur; affectus animi aegre moventur, et metus et moeſtitia in eodem penitus inſident; quaecunque mentem tangunt, in eam alte deſcendunt; et nonnulla ſignorum vim nervoſam torpidam vel immobilem factam eſſe teſtantur. In hac, ſenſus magnopere augetur, ingenium hilare et leve, affectiones animi facile concitantur, et totum ſyſtema quam maxime mobile.

Quinetiam, hyſteria ab hypochondriaſi modo, quo paroxyſmi accedant, plane diſcrepat. Illa aegrotam ex improviſo occupat, humique proſternit; haec tarde venit, et globo hyſterico, aliiſque motibus canalis alimentarii ſpaſmodicis et convulſivis, magna ex parte caret. Hi morbi denique inter ſeſe ſpatio differunt. Hypochondriaſis a temparamento melancholico proficiſcens, raro ex toto depellitur; ſed, contra, accedente ſenecta, ingraveſcit. Hyſteria vero certis vitae temporibus invadit, juventutem potiſſimum, ſenectutem vix unquam, infeſtans. Haec forſan ad hoſce morbos inter ſeſe diſtinguendos ſufficient. Igitur proximum eſt, ut quorundam aliorum morborum mentionem faciamus, qui non facile ab hyſteria diſcerni poſſunt.

Nonnihil ſimilitudinis *hyſteriam* inter et *ſyncopen* intercedere

* Hic morbus vix in duabus aegris eandem ſpeciem praebet, et in eadem etiam aliis temporibus alia ſeſe oſtendunt phaenomena; nunc haec nunc illa ſymptomata pollent; modo perquam gravia, modo ita lenia ſunt, ut nullo morbi tempore in paroxyſmi modum aſſurgant.

Here videtur; aliquot tamen notae ſunt, quae illam ab hac ſatis clare ſecernunt. Quaecunque hyſteria conflictatur, facies ejus rubrior tumidiorque, quam ſyncope laborantis. Inſuper, paroxyſmus hyſtericus diutius, quam animi deliquium, manet; raro etenim ſyncope, a qua aegrota convaleſcat, ultra ſpatium unius horae extenditur; hyſteria vero per multas horas, quod omnes compertum habent, aegrotas interdum exercet. Denique, dum animo linquitur aegra, motus convulſivi abdomen nunquam infeſtant.

Quae notae *hyſteriam* ab *epilepſia* ſecernunt, eae quidem non parum obſcurae; cum morbi ſaepe conjungantur, et ſigna eorum ſe invicem magnopere referant. Si quis tamen ſigna ſupra relata, cum iis, quae in epilepſia ſe oſtendunt, diligenter comparaverit, notas, quibus hi morbi inter ſeſe differant, non deeſſe comperietur. Epilepſia laborantes, nec adſtantes, nec ea, quae in oculis ſita ſunt, vident; hyſteria vero conflictantes ſenſus parum laeſos plerumque habent. In illa globus abdominis et ſtrangulatio deſunt; in hac nec oculi aperti vertuntur, nec ſpuma ab ore profluit. Qui illa modo emerſerunt, ii in aliquantum temporis poſtea ſtupidi hebeteſque ſaepe manent; quae vero hac, ſenſum omnigenum faciemque mentis ſolitam, momento fere ſemper, recipiunt.

## CAUSAE MORBI.

Cauſas morborum in remotas et proximas diviſerunt pathologi.

Quod morbum, qui adeſt, nullo alio interpoſito, conſtituit, id cauſa proxima appellatur. Haec ſive ſimplex, ſive compoſita ſit, ſemper integra ſufficiensque eſt; praeſens, morbum facit et continuat, abſens, eum tollit *.

Cauſae remotae ſunt omnia, quae ſerie conjunctimve ad proximam faciendam poſſunt conferre. Simplices vel compoſitae ſunt. Simplices, cum in omnes mortales, vel in eas corporis conditiones, quae omnium communes ſunt, agunt; compoſitae, cum in aliquod vitium corpori ingenitum, quod nonnullis tantum hominibus proprium eſt, vel ſaepius in aliis, quam in aliis, reperitur, ſine quo morbus non oriretur. Hinc cauſae in eas, quae mortales ad morbos procliviores reddunt, et in eas, quae morbos excitant, vel, in morem Gaubii †, in ſeminia, et poteſtates nocentes, diſcerptae ſunt. Hujus morbi propriae hoc modo apte dividi poſſunt. Igitur ſequitur, ut eas quam breviſſime exponamus.

* Inſtitut. med. patholog. Boerhaav.

† Inſtitut patholog.

## CAUSAE QUAE HOMINES AD HYSTERIAM PROCLIVIORES REDDUNT.

His propositis, id vitium corpori ingenitum et natale, vel post partum ortum, quod facit, ut corpus causae excitanti objectum morbo corripiatur, exequendum suscipiemus.

Foeminas huic morbo solas patere antiquiores sunt opinati; sed exempla, pauca quidem, memorarunt auctores, quae viros a malo hysterico non semper vacare testantur. Non omnis aetas huic morbo ex aequo objicitur. Hysteria enim pubertatem inter et annum aetatis trigesimum quintum potissimum invadit. Foeminae constitutione corporea molles, textura tenues, cute adeo laeves, ut per eam vasa sanguifera facile videantur; magna animi sensilitate, ut ita dicam, praeditae; ad motus animi violentos proclives, variae et mutabiles, quae modo sperant, modo timent, modo lasciviunt, modo moerent, hysteriae, omnium maxime, objici solent. Eidem opportunae, quae plenae sunt, otiose agunt, vinum liberaliter adhibent, opipare et apparate edunt. Dum mulieres menstruis purgantur, saepius, quam quolibet alio tempore, accedit; mensibus enim provenientibus, systema maxime mobile. Causa etiam levissima, ut multae, hoc tempore, praesertim loco honesto natae, et nobilissimae affectibus hystericis corripiantur gravissimis, saepe facit. Hysteria crebrius steriles, quam eas quae liberos pepererunt, et viduas denique juniores, quod omnes norunt, infestare consuevit.

Ex supra positis, hoc cogere possumus, seminium hujus morbi in sensilitate et mobilitate systematis nervosi adauctis consistere, quae cum mentem tum corpus ex aequo afficiunt. Namque corpus a mente mobilius reddi, quam hanc ab illo excitari, non magis probabile *.

Sensilitas extremorum sentientium certa conditio est, quae facit ut impulsus, ab externis corpori admotis accepti, ad cerebrum usque deferantur, sensum et diversa quae cum subsequuntur, facientes. A causis compluribus sensilitas aucta potest oriri. Caeterum sequentes tantum, quae ad eam movendam potissimum conferre videntur, enumerabimus.

Sensilitas morbida a diversis substantiae extremorum sentientium medullaris conditionibus, quibus eam stamina prima fuerint impertita, proficiscitur †. Rem ita sese habere experientia quotidiana demonstrat. Alii homines aliam sensilitatem habent. A quonam, simplice solido, an conditione potestatis nervosae diversa, hocce pendeat, quaerere volupe

* Institutiones pathologiae Gaubii.

† Cullen. physiol. parag. 56.

foret.

foret. Caeterum, me hoc, in primis difficile, rite illustrare posse despero; namque in tenebris magna ex parte adhuc jacet, et forsitan diu jacebit. Vitium autem in utrisque saepe, sed potissimum in simplici solido, sedem habere, et a quadam fibrarum teneritudine et gracilitate, quae easdem nimis exiles reddunt, pendere non improbabile.

Quinetiam sensilitas morbida a tensione substantiae extremorum sentientium medullaris aucta, quam plenitudo vasorum sanguiferorum cum iis nunquam non conjunctorum dat, oritur *. Ramuli vasorum sanguiferorum innumeri, una cum universis extremis sentientibus, omnes in corporis partes diffunduntur. Arteria nervum opticum semper prosequitur, mirandumque in modum cum eo expanditur, adeo ut ramusculi ejus omnes retinae fibrillas concomitari videantur. Ex incisionibus cadaverum discimus, nervos narium, linguae, cutis, &c. eodem modo semper expandi, et arterias eos quocunque tendunt deducere. Igitur ambigi nequit, quin vasa sanguifera certam extremis sentientibus tensionem impertiantur; praesertim cum exempla non pauca evidenter ostendant, plenitudinem vasorum sensum cujuslibet organi mirabiliter augere.

In ophthalmia, exempli gratia, praesertim si inflammatio retinam ipsam occupaverit, tanta tamque morbida sensilitas oritur, ut oculi lucis etiam minimae intolerantes evadant. Hoc nimia tantum vasorum sanguiferorum plenitudo, quae semper in inflammatione fit, exponere potest. Haec enim tensionem, et igitur sensilitatem, adauget. Multorum aliorum hujusmodi exemplorum meminisse non difficile foret; cum vero neminem, qui medicinam labris primoribus gustaverit, possint praeterire, hanc rem fusius hoc in loco non tractandam putamus.

Per mobilitatem, facilitatem significamus qua contractiones fibrarum muscularium possunt moveri †. Causas, a quibus mobilitas aucta proficiscatur, investigare longum et difficile foret, a quadam teneritudine saepe oriri testari videtur observatio. Hinc ratio, non absque summo jure, petest peti, cur parentes hunc morbum cum liberis, per seminium quoddam, possint communicare; cur sublatu adeo difficilis sit; curque mulieres, denique, quae tenui habitu corporeo sunt praeditae, insigniter sint mobiles.

Mobilitas vitiosa per consuetudinem quoque acquiri potest, et haud dubie augetur. Namque musculi, quo saepius actio eorum movetur, nisi debilitentur vel defatigentur, eo facilius et validius semet contrahere solent. Hoc autem rite conside-

* Cullen. physiol. loc. supr. relat.
† Cullen. physiol. par. 89.

ratum cauſam evidenter explicatam dabit, cur hyſteria ſaepe inveteraſcat, et facilius faciliuſque excitetur.

Auctam vero mobilitatem aegrotae ipſae ſaepiſſime acquirunt. Ad hanc movendam quam plurimum conferunt omnia quae vaſorum ſanguiferorum plenitudinem facere poſſunt. Tonus enim, plenitudine ſubſtante, ſyſtematis arterioſi, quem inter et tonum ſyſtematis univerſi nexus arctiſſimus intercedit, a tenſione magis, quam contractilitate fibrarum muſcularium, vique iiſdem inſita, pendens, augetur; ſi res ita ſeſe habeant, manifeſtiſſimum eſt, plenitudinem ſyſtematis arterioſi, mobilitatem cum arterioſi, tum univerſi, ſibi pro rata parte reſpondentem, eſſe daturam. Et nulli quidem medicorum, quantum meminerimus, negant, corpora, quo pleniora ſint, eo ſemper eſſe mobiliora. Igitur foeminae, menſibus proventuris, et ſexus quidem uterque, ſub vitae meridiem, quo tempore corpus humanum pleniſſimum, mobilitati, quam vel ante vel poſtea, magis patent.

## CAUSAE QUAE HYSTERIAM EXCITANT.

Cauſis, quae proclivitatem ad morbum ſoleant dare, percurſis, ad eas quae eundem moveant dicendas tranſibimus; etenim nec hae nec illae ſolae, ſed utraeque conjunctae, ad morbum excitandum ſufficiunt. Variae et innumerae. Inter omnes eminens affectus animi vehementes, per ſenſus externos vel internos moti. Namque commotiones animi, graves, longae, abnormes, multo magis oeconomiam humanam, quam corporeae, laedunt; praeſertim ſi ſubito et ex improviſo concitentur. Quae praeſtant, ea ſenſus non fugiunt. Quamvis modus, quo agant, explicari nequit, et inexplicabilis haud dubie manebit, donec, quale animo cum corpore ſit conſortium, mortales comperientur. Harum praecipue ſunt, amor, ira, odium, gaudium, ſibi invicem ſuccedentia, quae vires ſuas non tantum in animum exercent, ſed omnes corporis functiones, animales, vitales, naturales, mille modis perturbant. Effectum hujuſcemodi hiſtorias complures apud medicos ſcriptores offendimus. Aliae cauſae, quae morbum excitant, ſunt nonnulla quae nervos olfactorios ratione ſingulari afficiunt; quidam, exempli gratia, odores, ut moſchi, ambrae, aliorumve fragrantium. Hi tantum in eos, qui aliquam habitus corporei proprietatem vel idioſyncraſiam, ut appellatur, habent, agere videntur. Alii autem eorum aliis odoribus afficiuntur, alii ſuaveolentium, alii ceparum, alii caſei. Quin etiam generoſam ipſe novi, quae, ſele conſpecta, immo effluviis

vijs ejus ad se adspirantibus, anxia fit, animo linquitur, et aliquando gravissimis hysstericis paroxysmis corripitur. Nullum vero morbidum corporis viscus hysteriam aeque saepe movere solet, ac canalis alimentarius, potissimumque ventriculus, quem creberrime laedunt vitiosumque reddunt ingesta nimis varia, parumque idonea, epulae quotidianae justoque lautiores, ususque theae frequens et immodicus.

Praeterea, causis, quae hysteriam possint excitare, omnes systematis mutationes subitae sunt accensendae, viz. evacuatio quaelibet solita suppressa, ut menses, vel haemorrhois, vel, contra, profluvium horum lochiorumve in puerperis, immodicum. Menses suppressi hunc morbum forsitan, plenitudinem corporis augendo, movent. Quamvis enim non improbabile menstrua non a plenitudine universa, sed loco propria, pendere; dubitari tamen nequit, quin haec evacuatio critica suppressa nonnihil plenitudinis universae faciat, ut signa omnia, quae menstrua non rite provenientia subsequuntur, plane demonstrant.

Quinetiam profluvium mensium, lochiorumque in puerperis immodicum, hysteriam concitare valet; quod quidem omnes medici, a seculo Hippocratico ad nostrum usque, semper notarunt. Namque, motu sanguinis regulari perturbato, functio fibrarum muscularium, cum circuitu sanguinis aliqua ex parte conjuncta, perturbetur quoque necesse est. Quocunque vero modo profusio sanguinis nimia hysteriam excitare potest, rem tamen ita sese habere, experientia omnium medicorum, quotquot sunt, clare evincit. Causis supra comprehensis sunt adjicienda, quaelibet corporis defatigatio insolita, perviligium, calor externus, quaeque humores rarefaciunt.

## CAUSA PROXIMA.

Causa hujus morbi proxima affectus canalis alimentarii spasmodicus esse videtur, qui semet quoque in partes vicinas diffundit. Rem ita se habere, testantur notae morbi praecipuae, viz. murmura ventris, globus abdominis, urinae limpidae copia profusa, &c.

Seminium hysteriae in mobilitate et sensilitate systematis nervosi nimiis consistere, supra comprehendimus. Mobilitas autem, a staminibus primis vel plenitudine proficiscens, ad motus abnormes muscularium fibrarum movendos confert; omnis enim musculorum motus potestati nervosae per nervos ad musculos delatae tribuendus. Et ille hujus mobilitati pro rata parte semper respondet. Igitur causa motuum abnormium

mium mobilitati poteſtatis nervoſae, ad muſculos delatae, mimiae evidenter referenda.

Quam ob rem, affectus hujuſmodi ſpaſmodici canalem alimentarium potiſſimum invadant, quaerere animo naturam cauſaſque rerum explorandi cupido non foret indignum. Cum vero argumentum obſcurius et difficilius videatur, quam quod poſſimus rite illuſtrare, hoc inutile et ſupervacaneum eſſe judicamus.

Hoc tantum compertum habemus, quod canalis alimentarius reliquis corporis humani partibus, ſi cerebrum ſolum excipias, ſenſilitati mobilitatique vitioſis opportunior eſt, quodque univerſum corpus, per conſenſum illum nervoſum, quem canalem alimentarium inter et reliquas partes nunquam non intereſſe exempla numeroſiſſima probant, graviſſimis ſpaſmis affici poteſt. Quomodo hoc fiat, quidem ignoramus; ſufficit vero, ſi quid fiat intelligamus.

## PROGNOSIS.

Si notas hujus morbi perpendamus, eum pavorem aegrotantibus potius incutere, quam verum periculum inferre, videbimus. Nullus morbus eſt, qui plus periculi, paroxyſmis ſubſtantibus, videatur habere; hi tamen plerumque breves ſunt, et omnia, hiſce finitis, ſigna decedunt, et aegrota ex toto reſtituitur.

Judicium finis hyſteriae a notitia cauſae, quae morbum faciat, vi, numero, et natura ſignorum, deducendum. Morbus a ſeminio potiſſimum proficiſcitur, quod multis in exemplis, imminui ſaltem, ſi non ex toto tolli, poteſt. In paroxyſmis nihil metuendum, ſi ſpiritus et actio cordis rite pergant, parumve tantum afficiantur.

Hyſteria, niſi graviſſima ſit, vel corpus debile et vitioſum infeſtet, raro lethalis eſt. Depulſu tamen difficilis, et medicinae aegerrime paret; namque remedia valentiſſima, ſaepe, ut quotidie notamus, eam nulla ex parte levant. Non raro quidem vinci videtur; facile tamen repetit, et de cauſa leviſſima rurſus invadit.

## RATIO MEDENDI.

Conſilia huic morbo medendi ſequentia eſſe videntur.

I. Paroxyſmum ad finem quamprimum perducere.

II. Per intervalla reditui ejuſdem occurere.

Morbum in affectu canalis alimentarii ſpaſmodico, exinde in

in reliquas corporis partes diffuso, consistere, supra posuimus. Constat igitur, ea remedia esse adhibenda, quae motus corporeos abnormes levare et tollere valent. Haec a medicis antispasmodica appellantur, et vel partibus externis admoventur, vel in ventriculum ingeruntur; antequam vero ea sigillatim enarrare incipiamus, de sanguinis missione, remedio, quod, paroxysmo gravi, consilio priori accommodari putatur, pauculа dicere conveniet.

An detractio sanguinis utilis necne sit, a medicis ambigi solet. Alii hanc paroxysmum leviorem reddere, et aegrotam eo citius liberare, contendunt. Alii, contra, in sententiam contrariam eunt, et, cum morbus a mobilitate per plenitudinem facta plerumque proficiscatur, pro remedio ancipiti, parumque profuturo, habent. Quo tempore, quibusque substantibus, sanguinem emittere non alienum sit, dictu admodum difficile; nec aliunde, quam ab habitu aegrotae morbique spatio, possumus judicare. Si aegrota plena sit, si aliquod profluvium naturale eam deficiat, si signa gravissima sint, si spiritus difficillimus, pauculae sanguinis unciae, spiritum expediendi causa, mittantur necesse est. Caeterum, contra, si morbus diu manserit, missio sanguinis, morem pravum ad hocce remedium saepe decurrendi, inveteratum reddendo, et plenitudinem faciendo, mobilitatem augebit, eamque conditionem, cui occurere volumus, plane evidenterque dabit. Igitur, si unquam ad eam confugiamus, cautissime, sub primamque tantum morbi accessionem, adhibeatur.

Medicamenta antispasmodica, quae naribus admoveri soleant, sunt ea, quae vim stimulantem habent, ut assa foetida, sales volatiles, et oleum succini. Si sphincteris ani contractio sinat, enemata, quibus aliquantum assae foetidae fuerit adjectum, immittenda. Frigida partibus externis applicata, ut aqua gelida, quamvis in morbum non semper possunt, aliquando prosunt, praesertim si paroxysmus jam accesserit, et aegrota, quasi animo linqueretur, jaceat.

Remedia hujusmodi, paroxysmo substante, sunt adhibenda, cum aegrota medicamenta ore sumere nequit. Caeterum, si affectus spasmodici eo gravitatis non processerunt, medicamenta interna danda, quae ad vim potestatis nervosae imminendam, et ad hos motus abnormes, a quibus spasmodici pendeant affectus, sedandos conferunt. Medicamenta hoc genus sunt, opium, camphora, aether vitriolicus, gummique foetida.

*Opium*. Cum affectus spasmodici a vi nervosa parum aequaliter diffusa oriantur, ad stimulantia vel sedantia decurratur oportet.

oportet. Opium ſtimulet, an ſedet, inter medicos nondum convenit. Horum autem dubitationes forſitan hinc oriuntur, quod opium alia aliis temporibus praeſtat. Effectus autem ejus diverſi a doſi, tempore quo ſumatur, et habitu aegrotae, pendere videntur. Quanquam vero modum quo agat exponere ſit difficile; id tamen adverſus ſpaſmos graviſſimos efficax eſſe, experientia ſatis clare teſtatur. Sub acceſſionem paroxyſmi datum ſigna ſaepe levat, et paroxyſmum nonnunquam depellit. Enematis admiſtum excretionem urinae immodicam, quae hoc in morbo ſaepe incidit, ſiſtendo prodeſt: Licet vero haec commoda ſecum afferat; non tamen nimis liberaliter dandum, vel ſaepe reiterandum, ne mos ad id frequenter confugiendi pravus inveteraſcat, et ventriculum debilitando, faciat ut paroxyſmi crebrius repetant.

*Camphora.* Haec in vitiis hyſtericis et hypochondriacis non raro fuit adhibita, et, ſatis liberaliter data, forſitan utilis eſt. Cum vero effectus ejus parce ſumptae tales ſint, quales ſenſus humanos omnino fugiunt, et largiter datae nimis violenti, haud dubie pro remedio ancipiti haberi debet.

*AEther vitriolicus.* Quantum hoc medicamentum in ſpaſmos poſſit, neminem hodie latet. Quamvis potiſſimum apud medicos nuperrimos in uſu fuit, ſi Hoffmannum tamen adeas, eum mentionem ejus ſaepe facere videbis; namque liquor ejus anodynus mineralis nihil aliud quam aether in ſpiritum vini diffuſus eſſe videtur. Idem auctor, inter loquendum de medicamentis, quae in paroxyſmo debent ſumi, dicit: "Quae inter principem ſibi vindicat locum eſſentia caſtorei, cum partibus tribus liquoris anodyni permiſta;" et iterum, "incomparabile, ſaepe praeter omnem ſpem et opinionem, ex hoc remedio obſervavimus auxilium *." Commodiſſime datur, in aquam diffuſus. Triginta et plures, ad centum uſque interdum, guttae, cum quantitate aquae idonea commiſcendae. Summa cura ſi adhibeatur ne diſſipetur, hoc modo forſitan, quam quolibet alio, potentius aget.

*Gummi foetida.* Omnia medicamentorum foetentium valentiſſimum et efficaciſſimum eſt aſſa foetida. Namque, quo magis ſubtiles odores gummi quodlibet emittit, eo plerumque praeſtantius eſt, vimque majorem antiſpaſmodicam habet. Igitur medici hodierni, non abſque ratione gravi, hoc medicamentum reliquis omnibus anteponunt. Ratio dandi facillima. Quinque grana et plura, ad drachmam uſque nonnunquam, pro gravitate ſignorum, &c. capienda, ex aliqua aqua ſimplice ſoluta. Hoc medicamentum in paroxyſmis hyſtericis

* Hoffmannus de malo hyſterico.

magnopere

magnopere prodeſt, non tantum ore ſumptum, ſed quoque, experientia teſte, in rectum immiſſum.

Non ſilentio praetereundum eſt, diverſa medicamenta, quorum jam meminerimus, ſigna potiſſimum levare, tantumque, paroxyſmo ſubſtante vel accedente, prodeſſe. Ratio forſitan, cur antiſpaſmodica hyſteriam tollere ſaepe nequeant, eſt, quod omni tempore adhibentur, et corpus igitur iis adeo inſuefcit, ut vires medicatrices ex toto amittant tempore paroxyſmi data. Quae remedia ad morbum penitus depellendum conferunt, ea conſilio ſecundo reſpondent.

II. Per intervalla reditui ejuſdem occurrere.

Duo huic conſilio plane accommodantur. 1mo, Cauſas, excitantes vitare vel tollere; 2do, Seminium, quod corpus nunc ad morbum admodum proclive reddit, minuere vel removere.

Inter cauſas excitantes percurrendum, maxime ſolitas et violentiſſimas animi affectus eſſe diximus. Igitur pars curationis praecipua eſt, eos regere et rite moderari. Hoc autem facere in primis difficile, et omnia conamina nihil omnino ſaepe poſſunt. Omnia, quae terrorem incutiant, motuſque animi vehementes concitent, ſumma cura vitentur. Animum aegrocantis aliquam in rem fere conſtanter intendere, adeo ut triſtia et lugubria ei quam rariſſime ſuccurrant, magnopere prodeſt. Hanc ob cauſam, perigrinatio animo nova, oculis amoena ſemper objiciendo, vim morbi non raro fregit.

Cum morbus ab aliqua evacuatione ſolita ſuppreſſa oritur, haec remediis ad cauſas, unde vitium fuerit profectum, accommodatis reſtituenda. Contra, ſi profuſio humoris cujuſlibet immodica malum fecerit, curatio in eadem, per medicamenta, cauſae et gravitati ſignorum pro ratione reſpondentia, imminuenda et compeſcenda plane conſiſtit. Denique, quam diligentiſſime defugiantur, fatigatio inſolita, vigilia, calor excernus, et omnia quae humores rariores efficiunt; vel, ut omnia pauciſſimis abſolvamus, ſumma non naturalium, uti appellantur, ratio ſemper habenda.

Via cauſas excitantes fugiendi tollendive breviter expoſita, proximum eſt, ut ſeminii minuendi vel removendi rationem quoque indicemus.

Quae cauſa maximam ad morbum proclivitatem dat, ea, uti ſupra oſtendere conati ſumus, eſt nimia ſyſtematis nervoſi ſenſilitas et mobilitas, vel corpori ipſi ingenitae, vel per plenitudinem factae.

Quantum eaſdem natales, vel a teneritudine aut debilitate ſyſtematis univerſa pendentes, ſpectat; ſi haec vitia omnino tolli poſſent, non raro in manu noſtra foret ſigna, unde unde

 fuerint

fuerint orta, levare, et paroxyſmum arcere. Cum vero in ſtaminibus primis fedeant, ab habitu corporeo ſejungi nequeant, et nullum morbum, pravamve victus rationem, ſubſequantur; curationem abſolutam non recipiunt, et nihil aliud quam ea levare poſſumus. Hoc praeſtant, aër frigidus et purus, ad corpus liberaliter adſpirans, exercitatio idonea, lavatio frigida, tonica medicamenta.

Ut aër humidus et calidus, cubicula minus ſpatioſa, et ſomnus nimis longus, corpus debile laxumque reddunt; ſic, contra, aër ſiccus et frigidus, et ſub dio frequenter verſari, faciunt, ut idem firmum robuſtumque evadat.

Nihil tantum virium et firmitatis corpori, quantum exercitatio, comparat. Multi exinde multum fructum ceperunt. Reliqua ejus genera longe praecedit equitatio; utpote quae corpus non tantum roboret, ſed mentem inſigniter erigat, et magna ex parte caveat, ne animus, quod omnibus hyſteria laborantibus inimiciſſimum, cuilibet rei nimis intendatur.

Nullum remedium ſorſitan corpus univerſum, nervoſque potiſſimum, magis firmat, quam lavatio frigida. Multas ex infirmis validas, et multas ad hyſteriam minus proclives reddidit. Non pauca utilitatis ejus inſignis exempla apud auctores offenduntur. Ad eam, tempeſtatibus calidis et temperatis, ut vere, aeſtate, &c. ſummo cum commodo decurri ſolet. In ea adhibenda diu perſtent aegrotantes.

Medicamenta tonica nobis ſufficiunt regna foſſile et vegetabile. Quae foſſilia hoc in morbo adhibentur, ea ſunt e ferro cuproque praeparata.

Quamvis e ferro praeparata numeroſiſſima ſunt; omnia tamen eodem modo agunt, et formae diverſae nihil aliud quam facilitati ea ſumendi elegantiaeve conſulere videntur. Omnia in duas claſſes dividi poſſunt, ferrum adhuc metallicum, et acidis admiſtum. Illius exemplum eſt limatura, hujus ſal martis. Pauciſſima medicamenta ſunt, quae ventriculum et inteſtina aeque potenter corroborant, eique atoniae, quae ſpaſinodicos affectus toties moveat, occurrunt, ac e ferro praeparata. Satis liberaliter danda, et in tempus diuturnum adhibenda; namque aliter nihil commodi ab uſu eorum orietur.

Cuprum potenter ſtimulat. Modice datum vomitionem movet, adeo ut illud fumere, hancque ſimul vitare, difficile ſit. Cum acidis conjunctum potentius ſtimulat. Salibus neutralibus autem, vel ammoniacis, ut in cupro ammoniaco, admiſtum mitius evadit. Hac forma datum vim tonicam habet, et debilitati ſyſtematis, a qua pendeat mobilitas, occurrit.

Tonica vegetabilia perquam varia ſunt; eorum vero praecipuum

cipuum et unicum forsitan, ad quod cum commodo, hoc in morbo, confugerunt medici, est cortex Peruvianus. In hysteria a mobilitate, quam faciat debilitas, pendente, nulla viscerum obstructione subsistante, tuto et cum fructu fuit adhibitus. Quantum ad modum, quo debeat dari, attinet, medici inter sese differunt. Alii his, quae in febribus incidant, adducti, eum prorsus inutilem esse, nisi magna brevi spatio quantitas sumatur; alii, contra, modice, adinstar chalybeatorum, datum, diuque adhibitum, in auxilium morbi tantum promptum esse, contendunt. Hanc litem componere difficile. Vim tonicam universim majorem forsitan habet, liberaliter, sed e brevibus intervallis, datus, quam modice sumptus, diuque continuatus.

Ea remedia sola dicenda superstant, quae mobilitati a plenitudine pendenti obviam eunt. Remedia huic consilio respondentia sunt, abstinentia et exercitatio.

Dum omnia alimenta partes, unde constet sanguis, universas suppeditant; multae tamen gravesque rationes sunt, cur sibum animalem quantitatem et glutinis et globulorum rubrorum majorem progignere credamus. Haec vasis rubris ex toto fere continentur, et aucta plenitudinem faciunt. Huic igitur potissimum occurrit quantitatem ingestorum maxime nutrientium minuere; quod forsitan optime praestat cibo animali magna ex parte abstinere, et oleribus modice sumptis victitare. Cum vero hysteriae dyspepsia frequenter adjungatur, aegrotantibus cibum plenum, et e carne animalium confectum, praecipere moris fuit communis. Nihil forsitan hoc pernicio sius fuit; victum enim parcum reditui morbi, non tantum cum a mobilitate, quam plenitudo creat, oritur, sed etiam cum mobilitas congenita est, insigniter et efficaciter obstitisse, experientia nonnullorum e medicis primariis, quos nostrum viderit seculum, abunde testatur.

Alii in spatium longius, quam alii, semet inertiae et quieti udini impune dedere possunt; caeterum, aliquantum motus et exercitationis ad valetudinem commodam omnium fere mortalium servandam, et ad eam plenitudinem, quae huic otque aliis morbis fundamenta jacit, arcendam, ex toto necessarium est. Exercitationem excretiones universas, potissimum vero perspirationem, quae suppressa ad plenitudinem, novendam evidenter conferat, augere, neminem rei physiologicae consultum fugere potest. Hinc igitur, quam utilis in curatione hujusce morbi exercitatio sit, clare perspicueque constat.

Quanquam hoc malum medicina saepe levare; id tamen saepissime, cum in corpore altius insederit, non radicitus evellere,

lere, poteſt. In primis, difficile proclivitatem ad morbum ortam mutare, vel, quo minus cauſae occaſionales agant, prohibere. Si morbum, exempli gratia, affectus animi fecerint, medicus ſaepe non adeſt, qui auxilium aegrotanti ferat, nec, quod pejus, ei praecipienti mos rite geri ſolet. Inſuper, ignavia et luxuria hunc morbum ſaepe creant. Igitur opulentos, ignaviae deditos, et apparate edere et bibere conſuetos, rationem vivendi ſuam mutaturos eſſe fruſtra ſperes; praeſertim cum fructus magni evidenteſque ab abſtinentia diuturna ſola poſſint capi. AEgrotam ad ſanitatem, intra certum temporis ſpatium, reduci poſſe non pollicendum; ſed, per totum vitae decurſum, modo curationi, modo prophylaxi, conſulendum.

---

## DE ASTHMATE SPASMODICO.

*AUCTORE JAC. MELLIAR.*

### DEFINITIO.

SPIRANDI difficultas, cum anguſtiae in pectore ſenſu, per intervalla ſubiens, aſthma eſt.

### HISTORIA MORBI.

Aſthma nonnunquam eſt acuta, aeger, ſcilicet prima ejus acceſſione morti ſuccumbere poteſt. Saepius autem chronica vel periodica, quandoque ſaltem tempore certo ſtatoque revertens, quod a diverſis atmoſphaerae mutationibus, aliiſque cauſis, de quibus mentio poſtea fiet, ortum ducat; et, ſi fides ſit habenda Helmontio, ſcriptori quidem credulitati aeque ac ſuperſtitioni ſatis dedito, luna aſthmaticos quodammodo afficit. Aſthmatis invaſio prima repentina et inopinata eſſe poteſt. Futuram vero paroxyſmi acceſſionem ſigna quidem praeeuntia, eandem eſſe in propinquo, plerumque indicant.

Aliquo diei tempore antequam acceſſio patet, aegrotus invitus ſe movet; laſſitudinis, torporis, languoriſque indicia prodit. Ventriculus inflatione, praecordia tenſione et anguſtiae ſenſatione, tentantur. Ructus ſaepe copioſi ejiciuntur. Nocte appropinquante, pulmones quaſi rigent; reſpi-

ratio

ratio minus libera esse apparet; thorax gravedine quadam deprimitur, vel plus solito oneratur; vox interdum rauca evadit. Gravitas et dolor capitis comitantur. Desiderium somni, aegrum crebrae oscitationi pandiculationique obnoxium reddit. Excretio urinae fit aliquando uberrima, coloriscque pallidi. Tussis sicca et fere strangulatoria supervenire nonnunquam observatur. Oris ariditas fauciumque sitisque inexplebilis interdum adsunt. Noctu aliquantulum caloris sentit aegrotus, minimumque ponderis in pectus incumbentis aegre sustinet.

Praeludio morbi fere peracto, somnus saepe incidit, parvamque remissionem symptomatum conciliat. Adveniente autem hora prima vel secunda matutina, omnia in pejus ruunt. Incipit paroxysmus a quadam thoracis constrictione, cum spirandi difficultate stipata, quae somnum statim subitoque rumpit; e lecto surgere, ad erectam corporis posituram confugere, cogitur; majore aëris quantitate eget, ad quam colligendam non tantum vela lecti ductilia retrahit, sed etiam fenestras cupide pandit, ut aurae admissione commoda fruatur; nonnihil levaminis hoc perfugium ei plerumque affert. Respiratio in genere est molesta; admodum difficilis vel laboriosa fit inspiratio; talis est expiratio qualis si ei anhelator invito quasi animo cedat; ad servandos pulmones distensos operam dat, hancque ob causam, aëris expulsio est lenta, et propter tarditatem fortasse sonus stridulus circa partem tracheae glottidisque superiorem eam comitatur. Bilis, ni fallor, vel flavae vel viridis a quibusdam auctoribus notatur, vomitio. Vox imbecillis efficitur, et loquelae exercitium majus minusve injucundum est. In inspiratione cervix, thorax, et humeri insigniter eriguntur. Calor permagnus, anxietas, et inquietudo urgent; pulsus celer, parvus, debilis, et inaequalis. Haec est series symptomatum generalis, quae paroxysmum constituit. Sed neque in hoc, neque in ullo alio morbo, ulla fere perpetua praecepta stabiliri queunt; ubique in re medica exceptiones sunt.

Asthma modo mitius, modo gravius sese habet; cum in summo aeger versatur periculo, apparent signa sequentia. Manifesta cordis palpitatio; pulsus tactu intermittens abnormisque reperitur; artus, praecipue corporis extrema, calore solito privantur. Sanguine turgescunt genae, et colorem saepe nigrum assumunt; sudore frigido madescit cutis; oculi, ab orbitis quasi exilientes, nitorem naturalem amittunt, lachrymasque involuntarias effundunt. Statu comatoso afficiuntur aegri, somno haud interpellato raro fruuntur. Inter

omina

omina infelicia, animi deliquium, vires vitae admodum languescere ostendens, silentio non est praetereundum; saepe dilirium ferox, et tandem mors, omni remedio incassum tentato, scenam amice claudit.

Si morbus autem formam leniorem induat, angustiae in pectore sensus gradatim evanescit, demumque omnino cessat.

Totum per corpus modo aequali pervadit calor, et supra cutem sudatio modica serpit. Paululum spissae pituitae, ex nigris filamentis interdum constantis, vel dulcis vel salsi saporis, plerumque, adventante mane, exscreatur, qua ejecta, majore spirandi facilitate gaudet anhelus. Urina, antea pallida, nunc sedimentum prope coloris lateritii deponit.

Diuturnitas paroxysmi incerta est; raro ultra quinque, plerumque tres vel quatuor dies (vel potius noctes, quippe symptomata tunc maxime ingravescere, sublevari mane, solent) permanentis. Licet haec symptomatum antecedens series concursusque in asthmate communes esse videantur; at ordo tamen morbique vis insita, aliis rebus et temporibus, aliter sese habent.

## DIAGNOSIS.

Dijudicandae sunt variae laesae respirationis species, quae tres vulgo statuuntur: Nempe, dyspnoea, asthma, et orthopnoea; sub prioris titulo, latiore sensu sumptae, omnes aliae spiritus difficilis species comprehendi possint; quae stricte tamen sic dicta, respirationem humidam, sputa crassa, atque citam, anhelitu sibilo et febre absentibus, denotat. Contra, secunda vel asthma, respiratione sublimi, tarda, laboriosa, nunc densiore, nunc rariore (prout majus minusve provectior morbus sit) cum rauco sono distinguitur: Certior fortasse nota, et quae adhuc majorem inter asthma et dyspnoeam constituit discrepantiam, est, quod haec morbus plerumque symptomaticus ac continuus esse videtur, aut raro aut nunquam intermissionem ullam ostendit; illud vero, quasi periodice revertens, it reditque per intervalla quaedam, licet incerta et nondum definita.

Postrema, vel orthopnoea hoc peculiare sibi assumit, quod nisi recta cervice, aut corpore erecto, aegrotus spirare nequeat; situi enim horizontali indulgens, anxietate et oppressione intoleranda illico afficitur, et ea positura instantem ei mortem semper intentare videtur. Ad dignoscendum asthma a pulmonum vel pleurae inflammatione, summa cura est adhibenda, ne in errorem incidamus, qui ad pessimum eventum ducat. Morbi, quos modo tetigimus, cum tanto languore

ac

ac moerore non ſtipati ſunt; et pulſus raro eſt tam enormis quam in aſthmate, ſaltem incipiente; ſpirandi difficultas, progredientibus his pneumonicis affectionibus, ſtabilis perdurat, et aſſidue creſcit; certamen vero non eſt adeo violentum, ut in aſthmate.

Anginae malignae ac inflammatoriae ſe comitem exhibet ſpirandi difficultas, quae a tumore et ſtrictura partium pleruſque oritur; fauces rigidae fiunt, et os aegerrime aperitur. Hoc autem in morbo, hae partes non afficiuntur. Anginam malignam luculenter eruptio aphthoſa manifeſtat, quae ab aſthmate abeſt. Ad globum hyſtericum, alioſque adfectus ſub nomine generali nervoſorum contentos, aſthma quadam ſimilitudine interdum accedit: Quatenus methodus tractandi quodammodo ſimilis in ambobus adhibetur, error in diagnoſi inter eos formanda levioris eſt momenti; verum etiam ſunt notae, quibus inter ſe diſcerni poſſunt. Globus, a conſtrictione ſpaſmodica, ac veluti laryngis atque pharyngis ſuffocatione, ortum ducit; in quo, coarctato tracheae canali, aëris ad pulmones liber aditus prohibetur: Aſthma autem, vitio in pulmonibus ipſis nititur, et ſedem plerumque ſuam ibi habet.

## CAUSAE REMOTAE.

Sub titulo cauſarum remotarum, cauſas occaſionales aut excitantes, aeque ac praediſponentes, vel eas quae morbo corpus humanum, quaſdam ob res aut a natura aut a conſuetudine pendentes, magis obnoxium reddunt, comprehendi intelligimus.

## CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Ab hoc quamvis morbo nulla nec aetas, nec ſexus eſt immunis, ad eum tamen recipiendum vel gignendum quaedam ſyſtema humanum aptum efficiunt. Ab experientia compertum habetur, ad aſthma procliviores eſſe eos, qui temperamento ſanguineo (cujus praecipua ſigna poſthac memorabimus), vaſis gracilioribus, ſed copioſis, pinguitudine, ſtatu plethorico, pectoris anguſtia, praediti ſunt.

Quamvis nullus dubitandi locus ſupereſt, quin tales corporis conditiones, quales ſupra enumeravimus, hujus morbi impetui faveant; ratio tamen, qua haec feminia agant, perdifficile explicatu eſt.

Qui ſanguinei ſunt temperamenti, aſthmati magis expoſiti, quam alii, eſſe dicuntur; quod, ſi quis, quibus ſignis dignoſcendum

ſcendum ſanguineum temperamentum ſit, interroget, ad id reſponſum certum promittere nolumus. Sequentes vero notas in medium adferemus.

Ab elaſtico firmoque ſtatu longe abſunt muſculoſae corporis partes; ſolidorum laxitatem quidem indicant mollities ac laevor capillorum, ad colorem albidum quam nigrum viciniorum; cutis cum candore teneritudo, et nitor amabilis; arteriarum magnitudo, humorum abundantia, genae rubrae vel roſeae, in verbo, facies plerumque florida; venae nonnunquam parvae ac pellucidae; ſyſtema nervoſum inſigniter rerum praecipue jucundarum ſenſibile; irritabilitas, levitas, animus mobilis, inaequalis, gaudio facile elatus, vel dolore depreſſus, ingeniique ſaepe acumen.

Quaedam mobilitas, ut phyſiologi loqui amant, huic temperamento propria, iſte poteſtatis nervoſae definitur eſſe ſtatus, in quo inſunt facilitas et aptitudo, quibus non tantum motus excitantur, ſed praeſertim ea ſimul facultas, qua motus diverſi inter ſe ſuccedunt. Mobilitas quoque vocari poteſt ea fibrarum conditio muſculoſarum, quae eas in actionem, cauſis occaſionalibus agentibus, excitatu faciles reddit. Hancce ob cauſam, pulmones, fabrica tenerrima et delicatiſſima conſtantes, ſimul variae coeli temperiei, perpetuoque ſanguinis fluxui, ad vitam ſuſtentandam obnoxii, in ullo ſyſtemate, in quo eſt auctior et inſolita mobilitas, ortui morborum in viſcera thoracica incidentium, cauſis excitantibus applicatis, magis amici redduntur. Hoc conceſſo, ſanguineum temperamentum praediſponens eſſe cauſa recte aeſtimatur. Huic quidem ſententiae faventia haud exempla deſunt. E quibus hoc unum ſufficiat: Nonnulli corporis mobili conſtitutione notabiles, ex minima atmoſphaerae viciſſitudine cum aliquo morbo afficiuntur, aſthmate temporario nonnunquam laborant; dum alii, tantae mobilitatis expertes, omnem aëris mutationem ac tempeſtatis inclementiam impune tutoque perferunt. Pulmones quidem adeo exquiſite ſenſibiles et irritabiles ſunt, ut aſthmatici confirmati nullam, ſine dolore, paulo majorem, aut cum irritatione aliqua conjunctum, motum ferre queant. Hic loci quaeſtio oriri poteſt, utrum, necne, ſit hereditarium aſthma? Quod eſſe hereditarium, nonnulli non dubitandum contendunt. Affirmantium an negantium opinionem tueri debeam, in dubio haeret animus. Cum mecum cogito, aſthma, ſicuti pleroſque alios morbos, idiopathicum vel ſymptomaticum eſſe poſſe, vix dubitare poſſim, quin aſthmatica diathesis ſaepe a labe hereditaria, ſaepius a morbis praeeuntibus, originem trahat.

CAUSAE

## CAUSAE OCCASIONALES.

Neminem latere potest, cui pulmonum structura ususque innotuerunt, causarum occasionalium in numero haud esse paucas. Quas autem, ut in aliquem ordinem redigantur, ad capita discreta, rerum quaedam non naturalium, ab antiquis sic nuncupatarum, comprehendentia, viz. aëra, diaetam, exercitium, animi pathemata, referre conabor.

Quod ad aëra attinet, ad ejus modum in asthmate gignendo, seu in pejus vertendo, operandi explicandum, philosophicam qualitatum ejus diversarum investigationem moliri, haud ad me attinet.

Satis superque nobis erit, si in hujusmodi tractatu generalia in corpore humano aëris effecta perstringamus.

Sensiles ejus qualitates sunt calor, frigus, siccitas, et humiditas: Hae omnes in alios interdum aliter agunt, prout sexus, temperamentum, aetas, corporis habitus, consuetudo, affectum varient.

Cl. Hoffmannus, de causis hujus morbi tractans, haec habet verba. "Si quid ex causis occasionalibus est, quod asthma inducere potest, certe est externum frigus, hostis ille servolo generi inimicissimus, unde hic mali tempore, flantibusque ventis aquilonaribus, ingravescit malum; et a frigido quoque potu exacerbatur. Imprimis observavi, illos, qui recte non bene tegunt, illudque frigori, maxime nocturno, exponunt, saepius hoc malum incurrisse *."

Ad eandem opinionem ducit frigoris ratio agendi, quae procul dubio in quibusdam casibus multiplex est: Illud autem gaudere vi astringente, qua contractionem vasorum superficie corporis facit, pallorem, insensilisque perspirationis suppressionem inde creans, nemo inficias ibit; quo quidem opere, fluida nociva ac superflua, quae in corpore sano per foramina cutanea foras expelluntur, ad interiora quaedam organa saepe repelluntur. Si ad intestina cursum dirigant, diarrhoea movetur; si ad pulmones, asthma, vel catarrhus, vel morbus ex ambobus compositus, eoque natura sua complicatus, est sequela. Nervos afficiens cutaneos, per sympathiam, aliquod spasmi genus in vasis pulmonum aëreis, idem frigus efficit.

Aërem, prout a terra magis distet, rariorem evadere, docent experimenta: Eques Floyerus, qui ex professo de hoc morbo scripsit, exemplum commune profert; in altis nempe locis, prae diminuta atmosphaerae pressura, vomitio, cholera, haemorrhagiae, et dyspnoea contingunt. Asthmaticum me-

* Tom. iii. p. 97.

morans Helmontius, " montanis," inquit, " locis pejus ſe habet, ideoque Bruxellis vix pernoctare audet."

Nimia aëris ſiccitas, acceſſioni aſthmaticae humiditate minus eſt inimica ; teſtante Floyero (cujus auctoritati in rebus quibuſdam confidere licet), in ſicco coeli ſtatu, hoc morbo laborantes, ſumma alacritate ac facilitate ſpirandi imperturbata potiuntur.

Si atmoſphaera nimis humida ſit, vel fiat nebuloſa, opprimitur anhelus, atque de anguſtia in pectore, quadamque plenitudine in ventriculo, conqueritur. Noxiis particulis aër tunc forſan temporis magis refertus eſt. In pleriſque calor ſymptomata auget : In lecto omnia ingraveſcunt, in quo calidam tanquam atmoſphaeram circa ſe congerit aeger, quae corpori majorem ſenſibilitatem dando, et vim ſtimulantem generi ſanguifero admovendo, morbum exacerbat. Floyerum his verbis, ſic redditis, audi.

" AEſtate ſaltem ſaepius et ſaevius infeſtat acceſſus, quam hieme." Hoc plerumque verum eſſe, ipſe concedit ; in eadem vero ſectione, cum nonnullis, quibus hiems erat inimiciſſima, ſe habuiſſe ſermonem confitetur : Aſthma hiemale cum catarrho fere conjungi notatu dignum opinatur.

Poſtremo, repentinae tempeſtatis viciſſitudines, ſive ex graviore coelo ad levius, ſeu ex frigidiore ad calidius, exoriuntur, aut vice verſa, hoc malum gignunt. Sub hoc capite, quoniam aër eſt medium per quod volatilia ad olfactus organum deferuntur ; igitur diverſos odores, qui cum aliis cauſis ad inducendum aſthma operam conferant, comprehendere liceat.

In eis, quibus ſyſtematis nervoſi ſenſilitas eſt valde exquiſita, nicotianae fumus paroxyſmo originem praeberet.

Tametſi hujus plantae fumus vel odor aliquibus adeo injucundus eſt, ut hos edat effectus ; aſt alios non tantum non ſic afficit, ſed etiam medicinalis nonnihil virtutis ſecum affert : Sic in aſthmate chronico acceſſiones et rariores et leniores nicotianae fumo redditae ſunt. Non ſolum omnes ingrati foetidique odores, verum et qui ſuaveolentes ſunt, idonea occaſione oblata, anhelationis cauſa fiunt.

Quod ad victum attinet ; ventriculi ſympathiae conſenſuſve cum aliis corporis humani partibus nemo, in phyſiologia praxique medicinae vel mediocriter verſatus, inſcius eſſe poteſt : Hoc quidem factum tam immoto certoque fundamento inniti videtur, ut nullus de eo dubitandi locus ſuperſit. Si hoc, igitur, loco inter medica vera dignum eſt, diaetam ut aſthmatis cauſam, haud multis verbis exponere opus erit.

Alimentum noſtrum, vel quantitate vel qualitate, nocere poteſt. Nimia cibi, licet ſaluberrimi, copia ventriculum viſceraque

ceraque opprimit, proceſſui digeſtivo non perfecte ſubjicitur, et vel ad aciditatem vel ad putredinem vergit, multumque flatus generat; unde, nervis partium iſtarum injucunde affectis, varietas morbidorum corporis habituum naſcitur; inter quos aſthma, ex nervoſo generali commercio, mechanica diſtenſione, ac ventriculi inflatione, liberam, ob vicinitatem, diaphragmatis actionem deſcenſumque ejus impediente, pendens teminere poſſit.

Intemperantia atque error in potu aeque ac cibo, non minus in culpa habenda ſunt: Immodica cereviſiae non bene lupulatae et fermentatae ingurgitatio, praeſertim in actu fermentationis, aëre elaſtico abundante, deglutitae, vel vini, quamvis optimi, uſus immodicus, anſam huic morbo dabunt.

Exercitium juſto violentius, pleno praecipue ventriculo, totum corpus ſtimulando, cordis arteriarumque impetum augendo, et motum ſanguinis per pulmones accelerando, multum quoque interdum ad anhelationis acceſſum excitandum confert.

Ad eundem efficiendum, omnia ſubita violentaque animi pathemata, ſicut ira, metus, et ſimilia, pertinent: Effectus, quos hae cauſae ſaepe edunt ſenſibus pateſcunt; ſed modus operandi adhuc in tenebris jacet, et fortaſſe ſemper jacebit. Exemplum poſterioris, nempe timoris, a Roberto Whytt, nuper hic profeſſore, memoratur * : Qui, differens de morbis nervoſis, inquit, " ut hyſterici acceſſus et dolores colici ſpaſmodici ab affectionibus mentis oriuntur; ita paroxyſmum aſthmaticum in muliere, quae crebris hujus morbi invaſionibus fuit obnoxia, timore repentino eſſe inductum, cognovi."

Nimium ſanguinis diſpendium in eis, quorum pulmones ſunt valde delicatae vel irritabiles, impetus aſthmaticos, potius quam alia ſymptomata nervoſa, nonnunquam inferre ſolet.

Ex vita admodum laborioſa in ſedentariam ſubita tranſitio; ad literarum ſtudium, abſtruſas ſpeculationes metaphyſicas vel mathematicas, nimia propenſio; vigiliaeque, in cauſarum numero ab auctoribus, includuntur.

Febres, potiſſimum naturae intermittentis, catarrhum, hyſteriam, hypochondriaſm, podagram retrocedentem, ulcera chronica intempeſtive conſoludata, vel fonticulos repente occluſos vel evacuationes ſolitas, per haemorrhoides vel menſes repreſſas, interdum comitatur ſequiturve aſthma.

## CAUSA PROXIMA.

Ut de vera aſthmatis indole variae hypotheſes ac theoriae

* Whytt on nervous diſorders.

ſnos habuerunt fautores, et de ſede ejus adhuc ſub judice lis eſt; ita cauſam proximam, quam complecti ac dare audeo, omnibus poſſe ſatisfacturam, haud falſam ſpem concipio. In ea tradenda diffidenter, ut in re cujuſdam ambiguitatis decet, ſententiam meam propono. A ſpaſmodica fibrarum muſcularium bronchiorum conſtrictione, aſthmatis cauſa proxima pendere videtur. In aliquam hujus opinionis illuſtrationem, operae pretium erit phaenomena ſputi animadvertere: Sputum, invadente paroxyſmo, ac priore ejus parte omnino plerumque abeſt; ſolumque, ſuperveniente integra ſymptomatum remiſſione, qua conſtrictio bronchia prius afficiens tollitur, muci haud exigua quantitas demum exſcreatur.

Licet ſententiae a pleriſque receptae congruat haec idea noſtra, tamen veritas ejus a nonnullis in dubium vocatur: Ad hanc opinionem repudiandam eo inclinari ſe dicunt, quod pulmones vi peculiari contrahendi haud eſſe praeditos contendunt: Iidem vaſa tamen in nulla corporis parte ſpaſmo affici, hanc diſpoſitionem ad naturam muſculoſam referri debere, eandemque in pulmonibus accidere poſſe, concedunt: Sed pulmonibus, inquiunt, contractiones attribuere ſaepe ſolemus, quarum ſedes in larynge eſt, et morbi, hanc partem infeſtantes, ſymptomata peripneumoniae plurimum imitantur.

Qui noſtram aſthmatis cauſae opinionem reſpuunt, ii, canis faucibus irritatis, acceſſionem aſthmaticam fieri, eoque non in pulmonibus, ſed ſupra hos, ſedere morbum, judicant. Verum iſtiuſmodi irritationis, ſic admotae, effectus non aſthma, ſed dyſpnoea, nobis videtur.

## PROGNOSIS.

Aſthma, haud alterius morbi particeps, expers periculi plerumque habetur. Annos ſaltem triginta ejus tyrannide ſe laboraſſe aſſerit Floyerus. Eodem auctore, nonnulli qui huic morbo, occaſione tantum oblata, annos etiam quinquaginta fuerant obnoxii, ſecunda valetudine, tantum cum exigua pulmonum tabe, officioque horum non multum interpellato, uſi ſunt.

Fauſtus autem vel infauſtus morbi exitus primum ab aetate et aegri temperie, dein cauſa in qua morbus conſiſtit, denique hujus duratione, violentia, et invaſionum frequentia, deducendus eſt.

1. Juvenilis aetas medici conatibus plurimum favet. In juventute, ſyſtema nervoſum, ob extremam mobilitatem, mutationes vel a natura vel arte effectas facillime recipit.

Si

Si morbus a labe haereditaria ortum ducat, conamina noſtra ad medelam radicalem perficiendam erunt fere inania, ſolumque cum vita ipſa ille prorſus ceſſabit.

Si arthritis, affectiones exanthematicae, et ſuppreſſio evacuationum aſſuetarum, primas inter cauſas ſint, renovatae ſpes valetudinis, in his reſtitutis, poſita eſt.

Curationis expeditio vel retardatio a duratione morbi pendere videtur. Vetus et verum eſt dictum, morbos non tam facile in provectiore, quam incipiente vel infantili ſtatu, medicamentis tolli. Si acceſſiones ſint acriores et crebriores, artem ſalutiferam fruſtra ſolicitantes, morbos in pulmones inducendo, effectus plerumque lethales tandem edunt.

## CONSILIA MEDENDI.

Sicuti methodus medendi vel tractandi a vera aut cogitatione ficta cauſae proximae notitia conſtitui debet, ideo duas indicationes curatorias inſtituere neceſſe ducimus.

1mo, Spaſmum pulmones afficientem amovere, vel ei moderari. 2do, Ejuſdem reditui obviam ire.

Ad primam indicationem peragendam, venaeſectio, epiſpaſtica, emetica, purgantia, variaque antiſpaſmodica, inter praecipua ſunt remedia, quae maximo cum fructu adhibentur. De his ordine pauca dicemus.

In ſanguine detrahendo, quoniam de uſu ejus in hoc morbo, in primis chronico, apud quoſdam, forſan haud abſque gravi cauſa, multum ambigitur, attentionem ad quaedam aegri propria nos convertere oportet. Cum reſpirationis valde laborioſae, oppreſſionis magnae, continuaeque anxietatis, una cum vultu turgido aut rubore ſuffuſo, ſigna conſpicua ſunt, et praeſertim ubi plethora urget, tum venaeſectio liberali manu, aut ſaltem pro re nata, celebranda eſt.

In vero aſthmate ſpaſmodico, omni ſuſpicione ullius in pulmonibus impedimenti, ponderiſque muci, phlegmatiſve eos prementis, remota, ſanguinis jactura ad aegroti vigorem, aetatem, ſexum, caeteraque, accommodata, omnibus aliis in initio remediis palmam praeripit. Attamen ſanguinis miſſio, perinde ac quodlibet aliud utiliſſimum remedium, limites habet ſuos. Quamvis, diminuta ſanguinis quantitate, ſymptomata mitiora evadunt, vel temporaria paroxyſmi remiſſio paritur, nihilominus in multis, forſan pleriſque, caſibus, praecipue malo inveterante, et vires vitae debilitante, repetitio eſt evitanda. De ſanguinis detractione, omnem morbum ſpectante, hoc in memoria ſemper habendum eſt, hoc periculi in nimia detractione ſemper ineſſe, ne recuperationem priſtinae valetudinis

valetudinis tardiorem efficiat, aegrum novae acceſſioni obnoxiorem reddat, vel alias affectiones morboſas inducat.

Epiſpaſtica, cum venaeſectionem quaedam prorſus vetant, haud parum proſunt; quae ad dorſum inter ſcapulas aut imam colli vertebram, aut ad pectus, applicata, vaſa partis relaxando, et determinationem a pulmonibus avertendo, idoneum ac utile remedium, quod ſanguinis miſſionis loco adhibeatur, erunt. Miſſione ſanguinis et veſicatione in eodem anhelo ſaepe uti liceat, cum perneceſſaria haec cautela ob oculos nunquam non habenda ne venis ſanguinem detrahas, donec veſicatorii corpori prius admoti irritatio, et vice verſa, deſinat; quippe enim remedia utraque, eodem tempore adhibita, duplice quaſi actione ſuos effectus mutuo impediunt.

Setacea et fontanelli ſimile opus veſicatoriis praebent, humoreſque, ſed diuturnioris temporis ſpatio, eoque certiore in quibuſdam caſibus chronicis effectu, auferunt, et ſic ad imminuendam plethoram, et inde mala pendentia, quale praeſens eſt, pertinent.

Emetica ab auctoribus collaudantur, praeſertim Floyero, qui ad ſeipſum medendum varietatis medicamentorum maximae periculum fecit; et "vomitio," inquit, "ſi lenis eſt, magnam humorum fermentantium e ventriculo quantitatem eliminando, paroxyſmorum impetum permultum compeſcit; ſed in paroxyſmo validum vomitorium praeſcribere ſemper nolui."

Non dubito quin praxis vomitionem ciendi ſaepe utilis ſit; attamen, me judice, debitoque cuilibet auctoritati obſequio, nunquam aliquo periculo vacare poteſt. Quippe enim, aſthmaticum, manente paroxyſmo, in diſcrimen ſuffocationis ſemper adducit, quod, ni ſumma utamur cautione, augeri, immo exitio eſſe, poteſt.

Cathartica, ſi hoc nomine talia medicamenta in auxilium advocentur, qualia draſticae naturae, ex violento operandi modo ita nominata, ſunt vitanda, mitiaque ſalina, veluti ſal Glauberi, et cremor tartari, aut ſaltem quaedam eis qualitate et actione ſimilia, danda.

Proque iiſdem his, ad alvum ſolutam tenendam, laxantia lenia, ore ſumpta, quae minime ſtimulant, ſicut ſales medii, manna, tamarindi, ſulphur, electarium lenitivum, oleum ricini, et ſimilia, plerumque adhibenda.

Ad removendam alvi adſtrictionem, quae in tempore paroxyſmi urget, enemata mitia optime conveniunt; ea ſummo cum fructu ac levamine aſthmatico exhibita eſſe, practici auctores perſuaſum habent. In aſthmate laudatur balneum tepidum,

dum, aut generale aut locale, ob virtutem laxantem ac emollientem, quae primae intentioni noſtrae probe conducat.

Antiſpaſmodicorum omnium, opium longe praeſtantiſſimum longeque potentiſſimum eſt. Quo tamen in aſthmate recte uti difficile eſt, certe ſtatu plethorico et diatheſi inflammatoria urgentibus, opiata, niſi illis remotis, nunquam adhibenda ſunt. Si vero hae corporis conditiones haud in culpa ſunt, opium, ad mitiganda quaedam ſymptomata, ſi caute tractetur, ſatis reſpondere videtur. Ob eandem virtutem, moſchus, camphora, aſſafoetida, multaque alia hujuſmodi remedia, laudantur.

In morbis ſpaſmodicis vel convulſivis, moſchum ſaepe opem ferre, docuit experientia; ſed eum genuinum et purum parandi difficultas uſum ejus valde ambiguum reddit.

Huic exceptioni minus obnoxia eſt camphora, cujus julepum, ad quantitatem cochlearis i. vel ii. datum, quarta quaque hora, vel redeunte paroxyſmo, multum laudatur.

In adhibendo quovis multum olenti remedio, prae caeteris moſcho et aſſafoetida, ſumma cautela eſt neceſſario obſervanda; quippe quibuſdam delicatis is odor adeo ingratus eſt, ut incrementum mali ab eo nonnunquam patiantur.

Liquor aethereus vitriolicus, indole inſigniter volatili et penetrabili gaudens, ita utile ac potens antiſpaſmodicum eſſe remedium, ut pro tempore nonnihil ſolaminis praebeat, repertus eſt.

Guttae triginta aut quadraginta ex aquae cyatho ſumptae, eſt quantitas aeque ac modus exhibendi conſuetus *.

Expectorantia attenuantia, a ſcriptoribus de materia medica ita nominata, uti praeparata ſcillae varia, colchicum, gummi ammoniacum, ad ſputa promovenda adhibita fuerunt.

In unaquaque paroxyſmi parte, regimen antiphlogiſticum eſt accurate obſervandum: Ab animali et ſtimulanti cibo, a liquoribus fermentatis, cum cura abſtineat aeger: Omne incrementum corporei externique caloris ſedulo evitandum eſt. Sexaginta gradus Fahrenheitiani thermometri temperies cubiculi ejus haud ſuperare debet. Potus quo utitur, ſimplex aqua eſſe debet, cui tantum aceti, vitriolici acidi, etiamque limonum ſucci, tuto commodoque, quantum ad modicam gratamque aciditatem ſufficiat, adjiciatur.

Secundae indicationi quaedam antea memorata inſervient medicamenta; in his autem ſolis tota curationis ſpes haud eſt collocanda; niſi enim rebus non naturalibus dictis ratio debita habeatur, ad optima medicamenta incaſſum confugiemus;

* Hujus liquoris etiam binae unciae menſura, ſingulis diebus, partitis vicibus, in hoc morbo, hyſteria, et ſimilibus, nunc aliquando datur.

de

de earum igitur moderamine pauca notatu obſervatuque digna dicenda ſunt.

Aſthmatico ſummi momenti conditio aëris eſt; qui cum bonae temperiei eſt, tam in curatione morbi, quam in hoc prohibendo, aliorum medicamentorum effectum feliciter ſecundat; quo lucidior et purior, eo gratior et melior: Exceptione haud caret haec obſervatio, quam ſequentibus verbis illuſtris Mead comprehendit.

" Vidi, nempe, nonnullos qui, cum ſub craſſo aëris aethere ſatis commode agerent, rus petentes, ab aëre ſereno, qui pleriſque hoc morbo laborantibus levamen efficit, in graviſſimam dyſphoeam ſunt delapſi *."

Hanc igitur ob cauſam, medici conſilium hoc in caſu inutile eſt, et aegrum ipſum aëre, qui ei optime conveniat placeatque, frui oportet.

Nutrimento plenus, levis, ab omni flatulentia immunis, cibus eſſe debet. Lac igitur, quod partim ex animali, partim e vegetabili regno ſuam originem trahens, mediae quaſi naturae eſt, perquam idoneum erit, ſi cum aegroto congruat; cujus in uſu diu perſeverandum eſt, ut reditus morbi certius impediatur; conſtanti enim cautaque diaetae adminiſtratione, acceſſionum violentia et frequentia mitigari, ſi non prorſus arceri, poſſunt.

Exercitium paſſivum, quale geſtatio eſt, quod activi more, congeſtionem in pulmonibus temporariam non creat, ſed circuitum aequabilem parat, leniterque ad corporis ſuperficiem determinat, multum commodi ſecum adfert.

Omnes animi affectiones violentae cane pejus et angue ſunt devitandae: Mens tranquilla ſerenaque ſervanda eſt.

Vigiliae et lucubrationes ſunt nocuae, ideoque fugiendae.

Alvi ratio nunquam eſt negligenda, quae ſemper liquida eſſe, interdum duci, debet.

Ad nimiam pulmonis ſenſilitatem avertendam, cortex Peruvianus utendus eſt. Qui caute adminiſtrandus eſt, et, diatheſi inflammatoria manente, ex eo abſtinendum. Quod ad metallica tonica attinet; pleraque metallorum virtute tonica gaudent; quae tamen, propter poteſtatem ſtimulantem, caute in auxilium vocanda ſunt, niſi quod ex iis chalybeata fortaſſe tutiſſima ſunt.

Lavatio frigida, quae, facultatem tonicam poſſidens, ad mobilitatem debilitatemque removendas accommodatur, haud utenda eſt, donec plethora, ſi forte ſubeſt, procul amoveatur.

* Mead. monita et praecepta medica, in capite de aſthmate.

# DE PERTUSSI.

*AUCTORE G. KIRKLAND.*

## DEFINITIO.

MORBUS contagiosus; tussis convulsiva, strangulans, cum inspiratione sonora, iterata; saepe vomitus.

## HISTORIA MORBI.

Hic morbus primo apparens speciem plerumque induit vulgaris catarrhi. Una cum levi tusse, adest nonnihil raucitatis, nonnulla oculorum rubescentia, atque frequens sternutatio. Plerumque haec symptomata levi febre stipantur, quae saepissime decursu morbi omnino evanescit. A frigore corpori applicato, an a contagio pertussi proprio, originem ea symptomata duxerint, plerumque difficile est, hoc morbi stadio, cum certitudine dijudicare. De posteriore causa, vix alia ratione constare potest, ac compertum habendo, tale existere contagium morbum sua ipsius forma epidemicum efficiens.

Perstat morbus, per aliquot dies, forma jam memorata. At tussiendi paroxysmi, minus plerumque duabus septimanis, peculiarem induunt formam. Tussis enim fit vehementior, succussiones saepius iteratae, magis involuntariae, magisque convulsivae, usque adeo ut respiratio demum intermitti videatur: Continuo vero subsequitur inspiratio plena sonora, quodam modo galli cantum referens. Plenam inspirationem excipit alius tussiendi paroxysmus, sicuti prior vehemens, convulsivus. Qui iteratus tussis paroxysmus plerumque finitur, rejecta demum muci quantitate, e pulmonibus, faucibus, et naribus. Hac in convulsiva forma, tussis vulgari nomine *the Kink* insignitur, atque praebet morbo charactera certissimum. Hoc solum pacto, singularem esse morbum discernimus. Duos notavit casus celeberrimus noster praeceptor Gregorius, quibus non continuo tussiendi paroxysmo sonora inspiratio, sed loco inspirationis syncope superveniebat, et, aliquot horae sexagesimis post syncopen interjectis, demum subsequebatur, solito more, inspiratio et alter tussiendi paroxysmus.

Post intervalla, admodum variantia, renovantur paroxysmi. Renovari sentiuntur, orto demum, circa larynga, quodam sensu titillationis. Jam tum, quasi paroxysmum prohibiturus infans, quodcunque obvium manibus adripit; calcibus ferit; guttura aliquando tenaciter prendit; atque toto corpore val-

de agitari videtur. Praecedit interdum paroxyſmos reſpiratio frequens; ſenſus in thorace conſtrictionis; aliquando etiam pectoris dolor. Interdum vero haud praecedunt haec ſymptomata. Sunt tamen infantes, quibus conſtanter adeſt ſpirandi difficultas et frequentia. Saeviente tuſſe, manifeſta ſunt indicia magnae in vaſis capitis congeſtionis; vehementior ſolito pulſatio arteriarum; cum rubeſcentia turgeſcit vultus; rubeſcunt oculi; ubertim effunduntur lacrymae; nonnunquam e pulmonibus ejicitur ſanguis, ſaepius e naribus; et, quibuſdam caſibus, propelli ſimul et ex auribus et oculis animadverſum. Rejectio muci ſupra dicta, quae paroxyſmos ſubmoveret, non perpetua eſt initiis morbi; paulatim fieri incipit, paulatim quantitate augetur. Saepe formam mutatur materia rejecta; primo aliquantum tranſlucens, colore ſubcoeruleſcens, cum modica viſciditate; tum paulatim craſſior, opacior, alba, flava, etiam ſubviridis evadens. Non ſolum a tali expectoratione, ſed etiam, id quod plerumque fit, a vomitu, finiuntur paroxyſmi; unde quod ventriculus continet ejicitur, cibus plerumque proxime aſſumptus.

Saepiſſime pertuſſin ne ulla quidem febris comitatur. Ex quo illuſtriſſimus Sydenham nunquam comitari dixiſſe videtur; quod ſane mirum eſt in viro qui tam multa adeo accurate obſervavit. Febrem enim huic morbo ſupervenire, multis occaſionibus animadverti. Saepiſſime fere continua eſt haec febris, immo fere continens ſaepe videtur. Remiſſiones tamen aliquando habet, et etiam aliquot dies evaneſcit; ſed revertitur, et, quod infelicius eſt, *hecticam* forma fere ad omnia refert. Si acciderit, id quod nonnunquam accidit, ut eodem tempore quo morbilli hic morbus quoque exiſtat epidemicus, tunc acerbior evadit: Nec non opportunior ſupervenienti inflammationi, quae modo fauces occupat et tracheam ſuperiorem, quaeque interdum pulmonibus peripneumoniam infert.

Pertuſſis, vel mitiſſima ejus forma, variat duratione. Tollitur interdum paucis ſeptimanis; ſed plerumque in ſecundum aut tertium extrahitur menſem; ſaepe diutius manet, annum interdum, modo amplius anno. Quum ante hiemem, aut tempore hiberno, inceſſerit, raro aegrum dimittit, donec veris tepores, aut prima aeſtas advenerit.

Morbus, variam poſt durationem, ſaepe ſanitate mutatur, atque decedit, nullis qui corporis conditionem male adficiant relictis effectibus. Sed quoque eventu aliquando eſt funeſtus; aut, ſi hoc non acciderit, aliis morbis viam aliquando ſternit, qui finiuntur vario, uti ſua cuique eſt natura, eventu. Sic dicitur infantibus rachitidem intuliſſe; nonnunquam etiam abdominis

dominis viſceribus obſtructiones, et atrophiam. Modo, cauſam tuberculis pulmonum dando, phthiſin pulmonalem effecit.

## DE CAUSIS.

Quum pertuſſis, uti morbus epidemicus, ſic ſemper appareat, quippe quae plurimos, hinc inde, uno eodemque tempore, ſemper corripit, vix ambigi poteſt, quin cauſa ejus certo aliquo modo atmoſphaerae inſit. Quae cauſa, utrum ſingularis aliqua ſit materia in aëre diffuſa, aërique peculiares indens vires, an contagium aegri corpore pertuſſi laborantis emiſſum, et tantummodo proxima quaeque adficiens, haud fortaſſis pro certo affirmandum. Simul et illud veriſimile eſt, ut plerique epidemice inceſſentes morbi a contagio pendent, ſic multas eſſe in caſu pertuſſis res circumſtantes, quae ſolummodo in morbum contagioſum caderent. Quale tamen ſtatuamus id contagium, quo modo afficiendis praeſertim pulmonibus aptum, quoque modo ibi proprios ſuos producere effectus, nemo medicus, quod ſcimus, adhuc reperire potuit; neque nos ad talia, utpote abſtruſiora, adgrediemur. Dici tantum poteſt, quum tale contagium alios alia ratione tentare, i. e. morbum et gradu et duratione varium efficere, obſervetur, hoc potius ab alio atque alio aegrorum corporis habitu, quam a diverſa contagii natura, pendere. Quod ſi ita ſit, utile foret eos habitus corporis, in aliis aliter exiſtentes, ſpeciatim notare. Sed in hanc rem nondum medici, quantum appareat, obſervationes intenderunt. Interea, veriſimile eſt, convulſivam, quam viribus ſuis efficere videtur contagium, affectionem, pro irritabilitate aegri corporis, aut miteſcere aut ingraveſcere; nec non morbo poſſe varium poni modum, tum prout aliae dentur circumſtantiae, tum prout pulmones pluſve minuſve opportunae ſint mucoſae materiae affluxui; itemque prout hujus adfluxus, ob humores ad ſummum corpus magis propulſos, avertatur.

## PROGNOSIS.

Dictum jam eſt, alias alium dari morbi eventum. Sed ignorantes adeo, quod ſupra confeſſum dedimus, contagii naturam, atque varias, unde actio ejus pendeat, conſtitutionis circumſtantias, non ii ſumus, qui eventum morbi, qualis ſit, in unoquoque caſu, ex ratiocinio praeſignificare poſſumus. Prognoſtica itaque peragentes, eas tantum res in mentionem deducere licet, quas experientia docet, aut monſtrare felicem, aut malum denunciare eventum.

Maximam partem, infantibus duobus annis minoribus, gravior morbus; infantibus poſt id aetatis, et praeſertim quo longius hinc provecti ſint, levior. Quicquid fuerit aetatis, ubi modum ſervant ſymptomata, et cum ſuis tantum ſymptomatis apparet morbus, fere ſemper ſine periculo. Sanguis pulmonibus ejectus, idemque aut oculis profluens aut auribus, morbum ſignificat vehementem et periculoſum. Bonum autem ſignum, ubi ſanguis naribus profluat, neque nimius neque frequens; necnon, ubi tuſſis paroxyſmos excipit vomitus, idque praecipue ſi appetentia cibi, nuſquam proſtrata, poſt vomitum renovatur. Expectorationis nonnihil morbum, ut tutior ſit, efficit: Profuſa autem viſcidae aut opacae, ſubflavae aut viridis materiae expectoratio, plerumque cum periculo. Malum ſignum eſt, ſi febris morbum comitatur, quae quo magis continua exiſtit et violentior, eo plus periculi intentat, quaeque, adinſtar hecticae apparens, plerumque eſt exitialis. Malum quoque ſignum, ſi ſemper aegrum divexet difficilis reſpiratio: Peſſimum, ſi ea cum febre conjuncta fuerit et peripneumoniae ſymptomatis.

## CURATIO PERTUSSIS.

Dum naturam hujus morbi adeo ignoramus, dum cauſam ejus proximam tantum in obſcuro poſitam videre eſt, vix ſperandum, indicationes curatorias inde cum certitudine poſſe ſtatui. Ipſa plerumque natura, ſine artis auxilio, morbum vincit. Sed qua via procedit, non facile eſt ad dicendum. An datur morbifica materia, quam ejici oportet, incertum: Atque poſita tali materia, quibus modis eliminatio fieret, etiam incertum. Parum facere ad morbum continuandum morbificam iſtam materiam inde ſuſpicamur, quia curatio metu interdum, aut aſtringentibus remediis et tonicis, perficitur. Sed haec utut ſint, plerumque, in tuſſe convulſiva, tota fere praxis medentium eo cardine verſa eſt, ut ſymptomatis morbo ſupervenientibus, quae periculoſa eſſe poſſent, obviam iretur. Nobis hic arridet duplex conſideratio: *Quo modo ſymptomatis ſupervenientibus lenimen adferretur*; deinde, *quibus ipſius morbi curatio contineretur*.

Omnium primum, in ſymptomatis mitigandis, neceſſarium duxerunt, praxin inire certis *evacuationibus inſtituendis, ſanguinis* praecipue *miſſione*. Si conſideretur, ſanguinis, tuſſe, ſingulis paroxyſmis tamdiu perſtante, motui haud parum obſiſti, idque praecipue in pulmonum vaſis, et in vaſis quae ſanguinem a capite reducem tranſmittunt, unde haec ipſa vaſa ſanguis nonnunquam diſrumpens non ſine periculo effundi-

tur,

tur, in promptu erit intelligere, utile fore, ſanguinis quantitatem in corpore minuere. Profecto ſanguinem detrahere, cautio plerumque videtur haud abſurda, eo quidem utilior, quo major corporis plethora. Sed ſimul credere licet, eas, quae talibus malis occurrerent, evacuationes nimias fore in ſpaſmodicis, uti loquuntur, affectionibus, irritatione potius quam plethora ortis. Omnibus praeterea in confeſſo eſt, infantes, quos ſaepius adoritur hic morbus, male largas evacuationes poſſe ſuſtinere; ut detractio ſanguinis hic aliquando evadat anceps genus auxilii.

Illud tantum affirmare libet, utilem eſſe cautionem, in curatione pertuſſis, aliquantum initio ſanguinis detrahere; nocere autem plerumque, ſi huic evacuationi, decurrente morbo, inſiſtatur.

Suſcepit quoque uſus aliam evacuationis viam, *alvi purgationem*. Profecto alvum mediocriter liquare, ad corpori laxitatem, qua opus ſit, conciliandam neceſſarium videtur. Quo tenus purgando nihil vetat, toto morbi curriculo, prodire. Accidit, quod infantes improvidi, quicquid e pulmonibus in fauces aſcenderit, id raro exſpuunt, ſed deglutiendo in ventriculum remittunt. Ex hoc exiſtimatur, inteſtina, toto eorum tractu, plus juſto onerari. Ne quid inde gravioris incommodi accipiatur, frequentem cenſent inſtituendam eſſe purgationem; et quatenus, alvo ſimul non niſi modice ſoluta, onere copioſioris muci inde leventur inteſtina, quatenus etiam laxitas corpori concilietur, aut diatheſi inflammatoriae ſic obviam eatur, haud obeſſe conceditur.

Sed ſane, praeter has utilitates, nihil boni a purgatione percipi experientia nobis compertum eſt. Neque mente comprehendimus, quo modo pertineret alvi purgatio ad cauſam morbi proximam tollendam. Quinetiam quibuſdam illuſtriſſimae notae medicis auctoribus affirmamus, alvi purgationem, effuſius factam, nequaquam ad morbi curationem conferre, immo potius nocere. Huic ſententiae, ut alios omittam, ſuffragatur Cullenus.

Ne vero accumulatio mucoſa inteſtinis inſideat, et ut mucus in ventriculo, quod ſolet, congeſtus ejiciatur, facilius et promptius fieri per emetica, quam per alvum *ducentia*, exiſtimamus. Emetica praeterea huic morbo ex uſu fore credimus: Namque ſeu folliculi bronchiorum mucoſi, ſeu eorundem *cava*, muco aliquando onuſta fuerint, nihil praeſentius eſt quam vomitus, ſive ad folliculos emulgendos, ſive ad bronchia evacuanda. Probabile etiam, vomitum, quum fluida ad ſummum propellat corpus, utilem eſſe ſanguini, ne pulmonibus copioſius adfluat, prohibendo. Has ob cauſas, atque quia ita docuit

docuit experientia, nobis perſuaſum eſt, vomitum frequentem, medicamentis emeticis concitatum, eſſe pertuſſi utiliſſimum, donec ſaltem ultro tuſſis paroxyſmis comes fuerit vomitus: Poſt haec vero, emetica ſupervacanea fore, forſan nociva, ſuſpicamur. Utrum vero concitando modicas, parva adhibita ſingulis diebus *emetici* doſi, an pleniores, largiore per longiora intervalla doſe adhibita, vomitiones, melius aegro conſuleretur, in incerto habemus. Difficile enim diſcernere, in morbo ſponte plerumque, progreſſu temporis, in ſanitatem abeunte, quantum quaevis medicina fecerit. Caſibus quibuſdam, ubi obſtirmatiorem contra medicinam ſe oſtenderat pertuſſis, utramque vomendi rationem caruiſſe ſucceſſu animadverti. Ad ſententiam autem Doct. Fothergill accedimus, tartarum emeticum, ubi in pertuſſi emetica ſunt opus, et praeſertim ſi "refracta doſi," uti ſuadet, adhibentur, ipecacuanha praeſtare, eo quod non ſolum uberius perſpirationem ſic dictam movet, *diaphoretici*, ſed etiam alvum certius ſubducit, *purgantis* vice fungens. Quaecunque, denique, a purgantibus ſupra diximus exſpectari, ea omnia et alia inſuper a tartaro emetico habemus.

Per *veſicatoria* quoque, quae etiam evacuationibus annumerantur, lenimen ſymptomatum moliuntur. Equidem non dicimus, veſicatoria nihil poſſe omnino, niſi quatenus evacuationem movent: Id tamen, utut ſit, nihil obſtat, quo minus iſtam medicinam hic conſideremus. Notum eſt, veſicatoriis ineſſe vires, quibus tolleretur congeſtio quaevis inflammatoria, ſedem habens corporis parti, cui veſicatoria applicata fuerint, vicinam. Probabile quoque, per fonticulos ſic dictos, aliqua corporis ſede excitatos, unde aliquamdiu efflueret purulenta materia prohiberi, ne partes vicinas oppleat, congeſtionem inflammatoriam. Quemadmodum vero agunt, cum talia efficiunt, veſicatoria et fonticuli, non neceſſe eſt hic explicetur. Si quod dictum jam eſt re vera ſiat, locus erit dicendi, veſicatorium dorſo applicatum, aut lateribus, quotieſcunque congeſtionem inflammatoriam pulmonibus inſtare metuatur, pertuſſi prodeſſe. Et veriſimile eſt, ut pulmonibus ſanguinem non copioſius adfluere, niti ſimul dato quodam inflammatorio impetu, ſic veſicatoria, in modum jam dictum, applicata, ejuſmodi adfluxum poſſe prohibere. Sane veſicatoria, ſaepius adhibita, in utramque partem prodeſſe reperiuntur, ſimul nimirum et impetum prohibentia inflammatorium, et iſtum fluidorum adfluxum. Neque abs re videtur, ubi velles affluenti pulmonibus ſanguini iri obviam, ulcus arte natum, ſede quavis pulmonibus vicina, conſtanter ſervare. Quod idem, ope cantharidum efficere, quia dolor ex earum irritatione aegro inureretur,

inureretur, haud adeo convenit. Igitur, ulceri cantharidibus excitato, fonticulum eum, cui piſum includitur, praeponeremus. Is aeque prodeſſet, minus doleret. Ut moderatiora evadant ſymptomata, praeter evacuationes ſupra memoratas, certis utuntur remediis, quibus nomen eſt *Pectoralibus*. Quorum alia ſunt ejus generis, quae *Demulcentia* vocantur, et vel mucilaginoſa vel dulcia ſunt; alia autem, quae mucum dant copioſius et ſecretum et excretum, plerumque ſtimulantia et calefacientia. Cum exoritur tuſſis ex acri, indeque irritante materia, in fluida corporis diffuſa, prodeſſe videntur iſta *demulcentia*, ſiquidem tum quod in faucibus aſperum ſit leniunt, tum acre quodcunque fluidorum obvolvunt. Sed in pertuſſi, non liquet de tali acrimonia: Si acrimonia quaevis hujus morbi pars eſſet, nervis, puto, inhaereret: Quo, forte, a *demulcentibus* dictis attingi nequiret. Experientia habemus compertum, medicamenta demulcentia, neque tuſſis occurrere acceſſionibus, neque morbum, quo minus ſolitum ſuum curſum teneat, ſiſtere: Plurimum contra nocere, quia ventriculo ſunt oneri; quia appetentiam proſternunt ciborum, et ſitim accendunt. Ad pectoralia quod attinet, quae muci ſecreti vim majorem excernere cenſentur, perraro horum auxilio eget pertuſſis; et quum plerumque ſimul et calefaciant et ſtimulent, facile poterint pernicioſa evadere, ideoque rectius omittenda.

Squillae potiſſimum expectorationi amiciſſimae habentur, ita ſuffragante ubique fere hodierna medicinae praxi. Ne tamen longus ſim, de iis hoc tantum dicendum, quod ſolummodo vomitum ciendo videntur prodeſſe, caetera inutiles: Id vero non melius quam tartarum emeticum efficiunt; et ſimul multum habent injucunditatis, perpetuam aegro nauſeam conficientes. Mea quidem ſententia, eas omnino inſuper habere oportet.

Haec ſunt remedia vulgo adhibita, tum ad moderandum, ſi quando violentior venit, hunc morbum, tum ad curſum ejus, donec quo optemus perventum ſit, tutius dirigendum. Sed neſcio, an, per ullum horum, unquam veram adſequeremur curationem, aut morbum, ante curſum ſolitum confectum, ſiſteremus. Curatio, etſi naturae medicatrici plerumque relicta ſit, ſpes tamen ſubeſt, ibi quoque non nihil poſſe artem. Sunt medici, qui grandius de certis medicamentis, *ſpecifica*, ut putant, ad hunc morbum depellendum, virtute praeditis, commemoraverunt. Qualia quidem haud, in rerum natura, exiſtere, nequaquam diceremus. Sed nolumus, hoc vel alio quovis caſu, multam *ſpecificis* habere fidem. Animo equidem perſuaſum eſt, quaecunque in hoc morbo *ſpecifica* habentur, ea omnia medicamenta viribus pollere, quum multis aliis morbis,

bis, tum pertuſſi, ut ita dicam, communibus. Horum, quot quot ſint, medicamentorum ſatis commoda videtur bipartita diviſio; *Tonicorum*, aut *Antiſpaſmodicorum*: Hinc et hinc conſiderandum.

De tonicis ante dicendum.—Inter tonica primum omnium recenſere libet Metum et Terrorem, quibus aegrum ſubito occupantibus, ſanatio pertuſſis interdum contigit. Hunc locum abſolvere placet, citando Williſium de pertuſſi * differentem. Ita ille, "Alterum pro tuſſi puerorum convulſiva remedium eſſe ſolet, ut ſubito quodam timore adficiantur: Hinc cum medicamenta minus efficiunt, apud vulgus in praxi familiari eſt, ut pro terriculamento, aſpectu horribili circumagitur, affectus, (i. e. aeger), grani ſive frumenti receptaculo imponatur, indeque morbi hujus ſubita curatio nonnunquam contingit."

Alterum, teſte eodem Williſio, datur remedium, muſcus pyxidatus: "Hic," inquit, "erat in communiſſimo apud noſtrates uſu contra puerorum tuſſes." "Virtutis," addit, "quantum ex ſapore colligimus, adſtrictoriae eſt." Muſcum iſtum tonicum habemus. Huc etiam pertinere videntur quum reliqua *adſtringentia*, tum *viſcus quercinus*; remedia pertuſſi ſaepe adhibita, ob tonicas, uti videtur, eorum vires. Sed de his breviter tantum diſſeremus; tonico illi remedio, cui nihil hac potentia ſimile novimus, *cortice Peruviano*, paulo diutius immoraturi. Primus, ni fallor, corticem pertuſſin curantibus ſuaſit utendum Joannes Burton, medicus Eboracenſis. Is voluit cum eo conjungi, quo efficacius exiſteret remedium, portionem cantharidum. At cantharides, quoniam teneris iis corporibus, quae maxime omnium huic morbo implicantur, nocerent, a pleriſque medentium neglectae ſunt. Solus, et per ſe, cortex aeque reſpondet. Quantum valet ad finem huic morbo faciendum, plurimis ſatis notum. Sola uſum ejus praepediens difficultas duobus conſiſtit; quod non ſemper ſatis conſtat, quando, atque qua morbi conditione, tutiſſime et maximo fructu adhiberetur; aut, conditione morbi licet ſatis perſpecta, quo pacto eum infantibus quantitate ſufficientem exhibere poſſemus. Ad tempus quod attinet adhibendi, alienum habetur, corticem ingerere, ineunte morbo, aut ſtatim ab eo inito. Dum recens contagium nervis inhaeret, iſtud remedium cum ſucceſſu reſiſtere vix poterit. Sed poſtquam exhauſtae aliquam partem fuerint vires contagionis, atque morbus a vi potiſſimum conſuetudinis perſtet, illico demum ad nimiam ſyſtematis mobilitatem tollendam, ſufficere poterit cortex. Neque temporis ſolum, ſed etiam aliarum morbi con-

* Pharmaceuticae Rational. part. ii.

ditionum,

ditionum, habenda cura. Itaque, ubi ea adsunt symptomata, unde pulmonibus imminere novimus congestionem inflammatoriam, ubi praesertim talis congestio propria sua forma illic apparuerit, ubi, postremo, haud ita lenis morbum comitatur febris tunc existimatur, non convenire corticem. Tum solummodo certa videtur remedii corticis fides (si modo idoneam quantitatem ingerere potuerimus) quum aliquamdiu persistiterit morbus, quum praegressae fuerint aegro quaedam evacuationes, quum, denique, morbus dyspnoea et febre magnam partem solutus fuerit.

Quo modo idonea corticis quantitas aegro infanti ingeratur, arbitrio medentium relinquendum. Nos hoc tantum monitum velimus, vix fore efficacem, infusione praeparatum aut decoctione; efficacissimum contra fieri in substantia, uti aiunt, datum Facile est, ope gummi Arabici, et extracti glycirrhizae, tenuem corticis pulverem in liquore suspendere, quem aeque facile ac decoctionem aut infusionem assumeret aeger.

Via a quibusdam monstratur, qua difficultatem ore adhibendi omnino vitaremus; si, videlicet, ritu enematis, intus in alvum inferretur, aut extrinsecus corpori infantis imponeretur. At nondum, propter paucitatem huc pertinentium experimentorum, satis compertum, num ita administratus et adhibitus pariter valeret.

Verisimile est quasdam cupri, ut aiunt, praeparationes, atque flores *zinci*, etiam tonicos esse in pertussi. Sed neque hic satis experientia innotuit; ideoque rem in medio relinquemus.

Unum non amplius, quod tonice ageret in corpus pertussi tentatum, memorare visum; *lavationem*, scilicet, *frigidam*. Inutile quidem, immo periculosum foret, quibusdam hujus morbi casibus, puta urgente febre, aut pulmonibus haud ita exigua infarctione laborantibus, in frigidarium descendere. Tutum vero demum est, quum morbus duratione extrahitur, neque febris urget, neque dyspnoea, neque aliud quodcunque insolitum symptoma. Tunc profecto, uti experientia discimus, cito morbo finem faceret. Haec fere de tonicis habuimus dicere.

Jam de iis *Antispasmodicis* breviter differendum, quae praxis medicorum hic susceptit, aut suscipienda proposuit. *Opium*, plerisque morbis, inter antispasmodica praecipuum tenet locum. Sed in morbis febre, aut, quod magis timendum, inflammatione seu inflammatoria diathesi, hepatis, effectibus precariis exstit, saepe nocivum. Fit hinc manifestum, in pertussi saepe opio abstinendum esse. Ubi morbus tamen sine his circumstantiis pertat, saepe cum utilitate adhibetur, quippe quod symptomata reddit mitiora. An vero ita possu-

mus adhibere, ut, ex viribus ejus, decurrentem morbum fistamus, adhuc nescitur.

Nupera praxis *moschum* quoque aliud antispasmodicum auxilio submisit pertussi. Et, si consideretur, quantum alibi valeat, valiturum etiam hic pronum est intelligere. Neque non ad rem est quod nobiscum communicavit ingeniosus noster professor Home, se, ex quatuor nimirum aegris pertussi laborantibus, tres ope hujus remedii in sanitatem cito perduxisse. Vix opus est praeterea dicere, si eundem consequi successum volumus, oportere moschum et qualitate praestare, et largiter adsumi.

Restat aliud antispasmodicum remedium, *castoreum*, cujus mentionem facere volumus. Vid. Lond Medical Observations, vol. 3 art. 27. De hoc nihil nos experientia habemus compertum. Vellemus profecto plura dari exempla virium et potentiae hujus remedii per se dati: Conjunctum enim cortici Peruviano, quid et quantum possit, quis dixerit?

Haec de remediis in curationem pertussis adhibitis. Libet pauca subnectere de eo, quod hic conveniret, regimine. Quoniam ita facile fit, ut febris, inflammatio, atque infarctio pulmonum, huic morbo superveniant, quumque praesertim his et aliis id genus malis tam opportunus sit status corporis plethoricus, manifestum est morbi initia tenuem desiderare et refrigerantem victum; post haec autem, apparentibus ejusmodi symptomatis, regimen antiphlogisticum, omnibus suis partibus, esse necessarium. Ubi morbus aliquamdiu duraverit, neque omnino febris adest, pleniorem, et plus alimenti adportantem, adsumere poterit cibum. His iisdem positis et persistantibus, aptum videtur quidquam gestationis genus; navi, equo, sella gestatoria, vehiculo.

Nocet multum quaevis corporis exercitatio paulo vehementior. Crediderimus aëra tenuem et purum optimum semper esse: Sed crebra comperimus observatione, ex aëre subinde mutato, plurimum aegro contingere levationis: Plurimumque prodesse, alternis mutationibus invicem, modo ruri esse, modo in urbe.

DE

# DE EPILEPSIA.

*AUCTORE PHILIP. TURPIN.*

HIC morbus, inter auctores medicos, permagnam nominum varietatem ſibi adeptus eſt. Namque non ſolum morbus ſacer et herculeus, ſed comitialis, infantilis, lunaticus, ſonticus, &c. appellatur. Quod autem nomen auctores notae melioris hodierni ei vulgo indiderunt, quodque adhibere nobiſcum decrevimus, eſt Epilepſia, vocabulum ad vim repentinam, qua hic morbus in aegrotos invadat, enunciandam quam optime accommodatum.

## DEFINITIO.

Haec tot ſymptomata haud dubie continere debet, quot ad diagnoſin, per omnia morbi ſtadia, illuſtrandam ſufficient; nihilominus vero cavendum, ne minus neceſſaria vel ambigua adhibeamus, quae nihil aliud niſi definitionem magis perplexam obſcurioremque efficiunt. Seu hoc ſeu illud ſpectaveris, pleroſque noſologorum in errores incidiſſe compertum habebis. Definitione igitur Culleniana utemur, a quo epilepſia ita definitur:

" Muſculorum convulſio cum ſopore." Haec omnibus aliis eſt anteponenda; quoniam cum elegans tum brevis eſt, et, vocabulis Periodicus et Chronicus omiſſis, omnes morbi ſpecies, quae ſeſe oſtendere poſſunt, plane complectitur.

## HISTORIA MORBI.

Epilepſia nonnunquam eſt acuta, i. e. prima ejus acceſſio mortem aegroto inferre poteſt; ſaepius vero longa vel periodica, temporibus quibuſdam certis ſtatiſque rediens, quae, ſi fides auctoribus habenda, a ſtatu lunae non raro pendere conſueverunt. Morbus in primam vicem plerumque repente, idque noctu, accedit; nonnunquam aegrotum dormientem invadit. Paroxyſmus vero poſtea rarius accedit, quin ſigna quaedam antecedentia eundem appropinquare demonſtrent. In diem unum alterumve, priuſquam hocce eveniat, languorem univerſum, laſſitudinem, capitis dolorem, et pulſum aliquando arteriarum temporum inſolitum, perſentiſcit aegrotus. Imaginatio illi turbatur, menſque parum conſtat. Somnus modo profundus, modo ſomniis gratiſſimis, modo terrificis, in-

 terpellatus,

terpellatus. Experrecto et nolenti penis saepe rigescit, et semen absque ulla causa evidenti profunditur Multo expeditius, multove tardius solito, loquitur. Saliva nimia illi secernitur. Appetentia cibi vel multum imminuitur, vel multum augetur. Praecordia saepius intumescunt et intenduntur. Venter tumefactus murmura edit. Faeces insigniter foetent, et urina copia augescit, nonnunquam sanguine tincta.

Paroxysmo accedente, aegrotus admodum languescit et contristatur; attamen vero frequenter, de causis leviculis, gaudio risuque immodicis vicissim exagitatur. Venae colli distenduntur. Quod oculorum est album saepius rubescit et inflammatur, pupilla aliquantum augetur, aegriusque contrahitur. Quinetiam accedunt vertigo, tinnitus aurium, caligo, foedus et ingratus odor; et quasi muscae parvulae ob oculos obversantur.

Paroxysmus dein incipit, sensu frigoris in partibus corporis extremis, vel qualibet alia, nonnunquam antecedente, et quasi aura frigida caput versus adscendente; quod quamprimum attigit, aegrotus, si forte tunc temporis steterit, plerumque concidit, clamorem horrendum edens. Sensus omnigeni expers jacet. Musculi totius fere corporis, potissimum vero faciei quam violentissime convelluntur. Quibus modum in mirum variumque contortis, aegroti vultus omnes affectus animi diversos, velut gaudium, tristitiam, rabiem, amorem, &c. vicibus alternis repraesentat. Maxillae inter sese tanta vi contrahuntur, ut fractura nonnunquam periclitentur; quod trismus, contractiones et relaxationes musculorum alternae, excipiunt, dentibus collisis, qui aliquando franguntur, sonitum aures radentem ingratumque reddentibus. Oculi modo immobiles evadunt, modo huc illuc vertuntur; ita tamen, ut, quod illorum album inferiusque sit, tantum sese ostendat. Intumescit facies, lividumque colorem induit, qui primum in labiis et infra oculos se in conspectum dare consuevit. Digiti valide contracti volam versus adducuntur; et simul aegrotus pectus sumn una vel utraque manu pulsare conatur. Perturbantur secretiones et excretiones, corpus sudore universo diffluit. Saliva, inter initium parca, nunc copiosissime effunditur, speciemque spumosam prae sese fert. Bilis aliquando rejicitur, et faeces sine voluntate foras expelluntur. Urina in pueris, semen in adultioribus, excernitur, quae tentigo violentissima saepe concomitatur. Per hoc tempus, spiritus admodum gravis efficitur, sterioren apoplecticum nonnihil referens, ab eo tamen diversus. Pulsus arteriarum ab initio paroxysmi celer, exilis, vixque percipiendus est; finem autem ejusdem versus plenior et tardior, debilis tamen, evadit. Paroxysmus,

roxyſmus, aegroto in ſoporem illabente, finitur; ſpirituſque expeditior fit. Ægrotus deinde brevi ad ſeſe redit, nihil omnino quod per paroxyſmum acciderat reminiſcens. In diem unum alterumve dolorem et gravitatem capitis, ſtuporem, caliginem, torporem, laſſitudinemque omnium membrorum, ſaepe conqueritur. Paroxyſmus, quantum ſuam longitudinem ſpectat, aeque variat, ac tempora quibus redit. In aliis tantum pauca minuta, in aliis nonnullas horas, et etiam dies totos, manere conſuevit.

Epilepſia frequenter, amauroſi, fatuitate, apoplexia, paralyſi, et rarius tetano, qui aegrotantem plerumque rapit, finitur. Quinetiam aliae noxae convulſiones graviores excipiunt, quales ſunt diſtortiones et rupturae muſculorum et tendinum in partibus corporis diverſis, &c.

## DIAGNOSIS.

Hiſtoria morbi et definitione percurſis, proximum eſt, ut, quae illum a ſingulis generibus, a quibus haud ita facile dignoſcatur, ſecernunt, ea paucis comprehendamus.

1. Ab apoplexia diſtinguatur neceſſe eſt. Ab hac, et omni alio ejuſdem ordinis morbo, quam facillime ſecernitur; quod motus voluntarii in epilepſia multum augentur; quodque, contra, in apoplexia, magnopere imminuuntur.

2. A tetano. In hoc ſpaſmus fixus eſt vel genere tonicus; contra vero, in epilepſia, relaxationes alternae accedunt, ſpaſmoſque convulſivos vel clonicos efficiunt.

3. A convulſione. Hic corpus non raro aeque violenter ac in epilepſia convellitur; quod vero unum morbum ab altero ſatis clare ſecernit, eſt ſopor, et ſenſus impreſſionum externarum omnino ſublatus, quae epilepſiam ſemper, convulſionem nunquam, concomitantur.

Alius tantum morbus ſupereſt neceſſario commemorandus, viz. hyſteria. In hac quoque convulſiones graves ſaepe aegrotam invadunt; hae autem cum hyſteria et epilepſia inter ſeſe non conſociantur, quod tamen crebrius evenit, hoc plane ab omnibus aliis diſtingui poſſunt, quod aegrota ſenſibus externis per paroxyſmum ſaepius non orbatur, et globo caeteriſque paroxyſmum ſolito praecedentibus afficitur.

Diagnoſi breviuſcula, ſed, uti arbitramur, ſatis clara, propoſita, proximum eſt ut cauſas epilepſiae perpendamus. Hae autem ſunt remotae vel proxima; cum vero poſteriorem nos penitus ignorare lubenter confiteamur, priores tantum, idque ſatis apte, ut occaſionales vel praediſponentes conſiderabimus. Prius exponendae ſunt

CAUSAE.

## CAUSAE OCCASIONALES.

Has in modum Culleni celeberrimi bifariam dividemus.

I. In eas, quae cerebrum excitando agunt;

II. In eas, quae primario collapsum *, quem renisus excipiat, inferendo agunt.

Classis prior generalis bifariam rursus dividetur:

1. In eas causas quae protinus in cerebrum ipsum;

2. In eas quae primario in aliquam aliam systematis partem, agunt, quarumque effectus inde ad cerebrum transeunt. Hinc epilepsia in idiopathicam et sympathicam dividi consuevit.

Quaecunque fibrarum muscularium actionem movent, ea stimulos nominamus. Quae eam augendo excitationem edunt, stimuli directi; quae vero idem, collapsum prius inducendo, praestant, stimuli indirecti audiunt. Causae, ut stimuli directi, in cerebrum agentes, sunt,

A. Stimuli mechanici,

B. Stimuli chemici acres,

C. Irritationes mentales,

D. Irritatio a vasis sanguiferis intra cranium distensis oriunda.

De his ordine dicetur.

A. *Stimuli mechanici.*—Hi autem sunt instrumenta vulnera inferentia, seu acuminata, seu incidentia, per vim externam in cerebrum impulsa, laminae vel fragmenta ossium fractorum, exostoses interna superficie cranii innatae, vel membranae cerebri ipsius formam osseam induentes.

Hic loci quaestio oriri potest, utrum necne sit necessarium, ut hae substantiae, quo effectus suos edant, membranas vel partem cerebri corticalem pressura tantum adficiant, vel in partem medullosam penetrent. In sententiam posteriorem inclinat Sauvagesius.

C. *Stimuli chemici acres.*—Hi suam actionem ab iisdem rebus circumstantibus, a quibus stimuli mechanici, deducere, et vice corporum acutorum et acuminatorum fungi existimantur. Ex abscessibus et suppuratione membranarum cerebri, vel cerebri ipsius, vel carie cranii, materiem acrem et erodentem progenerante, oriuntur. Caeterum, haec morbum saepius excipiunt, quam in causa ejusdem sunt, qui forsitan inter initium ab inflammatione, distensione, vel tumoribus effusionem antecedentibus, profectus fuerat. Hinc multis in exemplis

* Cerebrum, ob conditiones suas diversas, temporibus diversis, actioni magis minusve aptum est. Idem vero hisce conditionibus diversis subjici, in exemplis somni vigiliaeque plane videre est. His autem nomina Excitatio et Collapsus indi possunt.

jure

ſure ambigi poteſt, utrum epilepſia a tumore et impetu circuitus ſanguinei adaucto antecedente, vel ab acrimonia in humoribus ſtagnantibus et effuſis procreata, oriatur.

Ad ſtimulos chemicos forſitan referri poſſunt epilepſiae, quae urinam et alias ſecretiones et excretiones ſuppreſſas excipiunt. Caeterum hae cauſae, ut opinor, plethoram univerſam movendo, vel per copiam materiei in cerebri cavitates effuſae, quam per ullam acrimoniam, ſaepius agunt.

Hic quoque ponenda ſunt exempla epilepſiae, quae variolas, morbilloſve erumpentes, vel alia exanthemata, concomitantur, quae per aliquod acre cerebro nerviſque admotum agere videntur.

C. *Irritationes mentales.*—Cerebrum eſſe medium, per quod mens extrinſecus admotorum impreſſionem perſentiſcat, et in quod, quandocunque velit, agat, eſt quod omnes compertum eſſe confitentur. Quae mutationes igitur in mente fiunt, eae ſtatum cerebri afficiant neceſſe eſt. Ita plerique affectuum vel excitationem cerebri vel collapſum progignunt. De prioribus, viz. excitantibus, quales ſunt gaudium, ira, &c. hic loci agemus. Quamvis hi primario in ſyſtema nervoſum agunt, et protinus cerebrum irritare poſſunt; effectus tamen eorum ſimul alicui abnormi in ſyſtema ſanguiferum exinde invecto motui deberi poſſe videntur. Hoc modo effectus ſuos praecipuos edere videtur ira, uti ex humoribus ad caput copioſius delatis facieque ſuffuſa evidenter pateſcit. Quatenus hoc evenit, affectus irae ſtatum diſtenſionis, qui poſtea eſt conſiderandus, inducendo agere videtur.

Quemlibet paroxyſmo epileptico laborantem, aliorum oculis objectum, paroxyſmum quoque in iis, qui ad morbum procliviores ſunt, movere conſueſcere neminem fugit. Hoc autem plerumque ab horrore, quem figura epileptici diſtorta incutiat, prorſus pendere exiſtimatum fuit. Caeterum alia praeter horrorem cauſa adeſſe videtur, viz. principium imitandi quoddam mortalibus inſitum, quo ſunt in tantum praediti, ut nomen ζωον μιμητικον, vel animal ad imitandum quam maxime prolive, homini ab Ariſtotele fuerit inditum. Hinc oſcitantes, tuſſientes, vel vomentes, ubi nihil horroris omnino poteſt incuti, nonnunquam imitari conſuevimus. Idem principium in omni fere vitae actione, plane perſpicueque dominatur; nuſibi tamen magis notabile quam in multis motibus partium diverſarum convulſivis conſuetis, in quos, utcunque per ſe deridiculos, eoſdem in aliis ſpectantes, facilius incidamus. Hinc non abſque cauſa graviſſima cogere poſſumus nihil aliud ad motus vel actiones corporis nonnullas ciendas deſiderari, quam ut idea horum motuum actionumve in animo oriatur. Inſuper fieri

poteſt,

poteſt, ut epilepticis abſentibus, vis imaginandi ſola, ideam alicui in memoriam reducens, epilepſiam de novo movere queat. Exempla quaedam fraudulentorum, quam plurima, non defuerunt, qui, per vim imaginandi meram, paroxyſmum epilepticum, adeo verum et genuinum, ut cauſticum potentiſſimum admotum, abſque ullo doloris ſenſu manifeſto, toleraverint, lubitu movere potuerint. Spectacula libidinoſa, oculis olim ſubjecta, in mentem rurſus redeuntia, quantum quamque fortiter agant, nemo non compertum habet: Hoc forſitan ante omnia alia quam potens et vivida ſit imaginandi facultas demonſtrat.

Idearum, per aſſociandi facultatem, ut logici loqui amant, renovatio hic commemorari poteſt; utpote quae crebrius epilepſiam moveat. Exemplum hujus inſigne tradit illuſtriſſimus Cullenus. Quaedam gravida, loco honeſtiſſimo nata, ſtolam novam, quam ſutrix veſtiaria adduxerat, induendi labore, diutiuſque ſtando defatigata, aliquantum aegrotavit et vomuit. Idem die proximo, ſutrice veſtiaria et ſtola rurſus conſpectis, evenit. Stola autem ex oculis deinde ſublata eſt; caeterum poſtea in cubiculo forte viſa, ad nauſeam et aegritudinem movendas etiamnum ſuffecit; quod ſemper facere potuit, donec gravida tandem peperiſſet, et imaginandi poteſtas illi imminuta fuiſſet. Swietenius celeberrimus puerum, in quo epilepſia, cane in eum inſiliente, primum fuiſſet excitata, paroxyſmo, eodem cane rurſus conſpecto, correptum eſſe refert. Somnia quoque, ideas renovando, idem ſaepe praeſtant; ipſe quoque hominem novi, qui, mentione ipecacuanhae injecta, aegritudine nauſeaque corripi ſoleat. Exempla hoc genus mille, ſi opus foret, in medium quam facillime poſſent proferri

D. *Irritatio a vaſis ſanguineis intra cranium diſtenſis oriunda.*—Hanc autem epilepſiae cauſam frequentiſſimam eſſe, cadavera fere innumera a Lieutaudio et aliis inciſa demonſtrant: in quibus vaſa capitis turgida, et ſanguine, qui multis in exemplis ſeſe effuderat, admodum diſtenſa, in conſpectum data ſunt. His multa inſuper exempla accedunt, ubi pus fuit repertum, quod inflammationem et acumulationem anteceſſiſſe ſemper ſignificat. Haec autem doctrina aliqua ex parte hinc illuſtratur, quod phrenitis in epilepſiam tam ſaepe deſinat, quodque effuſiones ſeroſae in multis exemplis epilepticis, in quibus congeſtionem in vaſis ſanguineis praeceſſiſſe arbitremur, cadaveribus diſſectis, ſeſe oſtendant. Ad eandem quoque ſtabiliendam plurimum facit, quod epilepſia morbos a congeſtionibus pendentes, quales ſunt dolor capitis, paralyſes multae, apoplexia, aliaque id genus vitia, ſaepius excipiat, vel

vel cum iisdem consocietur. Quinetiam, cum epilepsia hisce morbis adjungatur, a congestione, fonte eorum communi, promanet oportet. Pro causis hujus cerebri conditionis, et igitur pro causis hunc morbum excitantibus, habenda sunt, uti supra comprehensum, ira, tempestas fervida, cubiculum calidum, exercitatio acris, crapula, ebrietas.

Tumores, exostoses, quibus apices acuti desint, sinus in tantum ossescentes, ut transitus sanguinis liber prohibeatur, pro causis accumulationis haberi possunt. Causis hujuscemodi quoque plerumque accensetur potentia novae et plenae lunae. Quomodo agat, nos omnino latet; effectus tamen suos in systema nervosum quodammodo agendo forsitan edit.

Aliae causae distensionis nimiae sunt evacuationes suppressae, quales sunt mensês, haemorrhoides, &c. Hae omnes ad distensionem vasorum cerebri nimiam faciendam non parum conferre solent. Quomodo epilepsia vero exinde oriatur, explicatu difficile; cum tamen tensio vasorum causa excitationem cerebri ordinariam sustentandi praecipua sit, ambigi vix potest, quin distensio nimia illi in causa excitationis extraordinariae esse queat.

2. Causae quae in alias partes primario agunt. Hae autem sunt omnes sensationes vehementes, sive a natura impressionis, sive a quadam idiosyncrasia oriundae. Ita voluptas gratissima, dolorve in parte qualibet acutus, vice causae epilepsiae fungi potest. Sensationes vero coloris sonitusque, quae non tantum a vi impressionum, quantum ab aliis conditionibus, pendent, epilepsiam, praeterquam per vim associandi solam, non dare consueverunt. Sensationes solae lucis et clamoris ingentis, odorum, saporum acrium, quae a vi impressionis pendeant, magnum dolorem movendo, epilepsiam forsitan movere possunt. Caeterum potissimum agunt improvisae et insperatae. Hoc pendet ab actione cerebri, quae, quantum ad vim suam, ordinem, velocitatemque successionis attinet, limitibus tam angustis circumscribitur, ut voluntas, si qualibet actione gradu insolita fungi velit, imperium sum quasi prorsus amittat, motibus suis abnormibus, confusis, nimisque redditis. Igitur, quaecunque sensationes cerebri tenorem solitum excedunt, eae actionem ejusdem nimiam et abnormem excitabunt.

Ita titillatio, oscillationem frequentem, sensu qui voluptatis et doloris aliqua ex parte mixtura est stipatam, edens, non solum motus convulsivos ciet, sed epilepsiam etiam mortemque ipsam inferre potest: Cujus exemplum satis conspicuum apud Swietenium occurrit.

Hic apte meminerimus hos motus oscillatorios jucundissimos,

qui in concubitu adeo conſpicue et evidenter oriantur, quique convulſiones, epilepſiam, et etiam mortem, nonnunquam intulerint.

Sunt quaedam impreſſiones, quarum modus agendi in obſcuro latet, quoniam nulla ſenſatione ſtipantur; ut in exemplo calculorum in pelve renum inhaerentium evenit. Duo vel tria hujuſcemodi exempla apud Lientaudium reperies, ubi, cadaveribus inciſis, nulla alia morbi cauſa ſeſe oſtenderit.

Sub hoc capite vermes omnigenos in canali alimentario deliteſcentes comprehendo, qui aliquando nullis ſignis ſeſe ſubeſſe demonſtrant. In exemplis tamen hoc genus Cullenus epilepſiam non raro, vermibus foras eliminatis, depulſam fuiſſe tradit. Huc quoque accedunt acrimonia primarum viarum et dentitio, quae effectus ſuos magis per modum doloris quam violentiam edere videatur.

Aliae cauſae ambiguae ſunt, excretiones ſuppreſſae, ulcera inveterata, fonticuli, et eruptiones exſiccatae. Multa ex his, unde plurimum effundi conſueverat, haud dubie plethoram movendo agunt; ſed ea, unde parum profluxerat, ratione longe alia agere poſſunt. Nonnunquam forſitan per acrimoniam, ut ſtimuli directi, effectus ſuos edunt. Caeterum, cum ſuppreſſiones cachexiam hydropemque interdum quoque movere animadvertamus, hoc eas per vim ſuam ſedantem facere, et non aliter in epilepſia progeneranda agere, cenſemus. Hoc illuſtrandi cauſa, atoniam a partibus illis, unde humor cum fructu profluxerat, ad cerebrum tranſlatam fuiſſe ponere ſufficiet.

Qui ad morbum procliviores ſunt, iis tonitru nonnunquam paroxyſmum epilepticum infert; utrum vero hic loci, an alibi potius, id meminiſſe debeam, prorſus ignoro. Seu per ſuccuſſum electricum, quo aegrotum impertiatur, ſeu per terrorem, quem illi incutiat, agat, dictu difficile. Caeterum, exemplum a Prieſtleio commemoratum, ubi paroxyſmus, ſive tonaret, ſive ſuccuſſus electricus adhiberetur, ſemper acceſſerit, facit ut ad opinionem priorem magis inclinem.

II. In eas quae primario collapſum, quem reniſus excipiat, inferendo agunt.

Multas epilepſiae cauſas hoc modo agere non eſt cur dubitemus, cum eaſdem cauſas modo ſyncopen et apoplexiam, modo epilepſiam, movere videamus. Haemorrhagiae profuſae tentionem vaſorum cerebri, quae excitationem ejus ſolitam ſuſtentat, imminuendo, collapſum facere videntur. Quod etiam praeſtare videtur affectus timoris vel terroris, a magnis malis in nos repente invadentibus oriundus. Timor, pro genere ſuo graduque, effectus admodum diverſos edit; conſtans et

et modicus vi tonica gaudet; nam, ut multa teſtantur, motibus convulſivis et paroxyſmo intermittentis occurrit, quod aliter explicare non poſſumus; caeterum ſubitaneus et violentus poteſtate ſedante viget, ut ab effectibus ejus, qui, nullo reniſu ſubſequente, ſunt apoplexia, paralyſis, ſyncope, vel mors; ſed, reniſu ſubſequente, tremores, convulſiones, et epilepſia, ſatis ſuperque pateſcit. Hi ſunt rerum in ſyſtema nervoſum protinus agentium effectus; ſed ſyſtema ſanguiferum quoque non parum afficitur, quatenus actio cordis arteriarumque retardatur vel praepeditur: Unde ſtagnationes in ſyſtemate ſanguifero oriri poſſint. Cujus exemplum in nauta, qui, terrore naufragii graviſſime commotus, in epilepſiam incidit, et poſtea ad ſanitatem, omnibus aliis remediis nihil proficientibus, per ſanguinis miſſionem, cibumque inminutum, reductus eſt, Culleno teſte, inſigne occucurrit.

Perceptio cujuſlibet ingrati, cum quaedam idioſyncraſia ſubeſt, paroxyſmum epilepticum movere poteſt. Ita odores complures, qui aliis arrident, aliis ſyncopen, hyſteriam, et epilepſiam inferunt. Hi effectus, nonnullis in exemplis, a facultate odorum ſedante forſitan pendent; caeterum ſenſationi ingratae, quam moveant, potius referendos eſſe, veriſimilius eſt. Inſuper, hoc modo quidam ſapores nauſeoſi agunt; at non in linguam ſolam, ſed etiam in ventriculum, vires ſuas exſerunt, et cerebrum afficere poſſunt, atoniam cum eo communicantes.

Uſus mercurii ab auctoribus pro cauſa epilepſiae habetur, et per globulos ad cerebrum delatos agere exiſtimatur; cum vero his epilepſiae exemplis occurrant tonica, cumque non pauci ex illis, qui in eo e fodinis eruendo, &c. occupati ſint, non ſolum epilepſiae, paralyſi, aliiſque morbis a debilitate oriundis, ante alios patere ſoleant, mercurium cerebrum per vapores ſuos nocivos potiſſimum afficere, vimque nervoſam inminuere, veriſimilius eſſe duco.

Sauvageſius complures epilepſiae ſpecies, a venenis, velut ab oenanthe, cicuta, coriaria, &c. ortum ducentes, meminit. Multa alia venena, quae plus minuſve convulſionum vel epilepſiae movendo inſigniantur, commemorare facile foret. Nonnulla eorum vim ſtimulantem protinus edunt, et inflammationem ventriculi totiuſque ſyſtematis excitare queunt; quo in caſu morbus a poteſtate eorum ſtimulante ſola oriri videtur. Caeterum multa eorum epilepſiam abſque ulla ventriculi et inteſtinorum inflammatione progenerant. Hiaſce ſubſtantias crebrius eſſe narcoticas; et collapſum gignendo, et excitationem mobilitatemque ſyſtematis nervoſi penitus abolendo, agere compertum habetur. Modum in poſteriorem

hyoſciamum, cicutam aquaticam, &c. effectus ſuos edere judico. Sedantibus quoque annumerari poſſunt quidam vapores, fumique nocivi, vel effluvia, quae ab animalibus ſumma putredine corruptis ac vitiatis, a carbone, metallis, &c. oriuntur, quaeque ſaepius ſunt in cauſa epilepſiae. Quae aliae cauſae collapſus ſuperſunt, eae omnes forſitan per compreſſionem agunt. Hanc autem in cauſa eſſe ſuſpicari licet, cum epilepſia apoplexiam et paralyſin, quae a cauſis hujuſcemodi crebrius oriuntur, antecedit vel excipit.

Mentio aurae epilepticae hic loci eſt injicienda. Haec acceſſionem complurium epilepſiarum concomitatur. Theoriam autem hujus non aggrediemur, et tantum pro ſigno epilepſiae ſympathicae ab affectu partis, unde oriatur, organico pendentis fere ſemper habendam eſſe, probabile videri notabimus. Rem ita ſeſe habere teſtantur caſus complures, per ligaturas vel nervi diviſionem omnino ſublati. Quinetiam facultate ſedante agere videtur, licet nullam hujuſce opinionis rationem a priori reddere poſſimus. Cum vero in hyſteria globus, quamprimum ad partes ſuperiores aſcenderit, non tantum convulſiones et epilepſiam, ſed aliquando quoque ſtuporem et debilitatem, quod per potentiam ſedantem in cerebrum editam faciat neceſſe eſt, inferre conſueſcat; auram epilepticam modo non ita diverſo agere quicunque putabit, is a vero, me judice, non longe deflectet.

## CAUSAE PRAEDISPONENTES.

In primis ponenda eſt quaedam ſyſtematis nervoſi mobilitas; namque illis, qui ad epilepſiam procliviores ſunt, mens adeo non conſtat, ut ſaepiſſime timeant, ſperent, laetentur, et doleant, cur ita faciant fere prorſus ignari. Haec autem mentis mobilitas conditioni corporeae conſimillimae nunquam non adjungitur. Nec quiſquam inficias ibit, infantes muliereſque, quas haecce mobilitas graviter fere ſemper infeſtet, epilepſiae in primis eſſe obnoxias. Mobilitas hujuſcemodi quidem a ſtaminibus primariis ortum aliquando ducit, et patribus ingenita cum filiis communicatur; quod igitur epilepſiam haereditariam eſſe poſſe demonſtrat. Saepius vero forſitan ab aegrotis ipſis adquiritur; et ad illam excitandam quam maxime conferunt victus lautior, omniaque alia quae plethoram inferre conſueverint. Quonam modo hoc fiat, haud difficulter intelliges; plethora etenim ſyſtematis tenſionem, quae fibrarum motricium actioni quam maxime faveat, intendit. Extenſio vel diſtenſio, v. g. ad contractionem muſculi vivi ciendam nunquam non ſufficit; ut ab actione cordis quam apertiſſime conſtat.

His

His propoſitis, pauca de vi conſuetudinis et uſus dicenda. Haec enim omnes corporeos motus faciliores expeditioreſque reddit, et igitur epilepſiae quam amiciſſima eſt. Hic ſatis apte referetur hiſtoria ſequens, e Culleni celeberrimi praelectionibus deprompta. Vir quidam robuſtior vomitum ſibi ſaepiſſime movere conſueverat, et ad eundem excitandum grana tartari emetici quatuor vel quinque neceſſaria erant. Hoc per longum tempus, ſemel, aliquando bis, ſingulis ſeptimanis facere perſeveravit; tandem vero ventriculus adeo irritabilis evaſit, ut dimidium tartari emetici granum vomitionem, integrum ſpaſmos, et convulſiones univerſas, movere potuerit.

Haec de cauſis, quae homines ad epilepſiam reddant procliviores dixiſſe ſufficiat. Hoc tantum adjiciendum ſupereſt, cauſas occaſionales ſolas, ſi modo vehementer agant, morbum, nullo ſeminio ſubſtante, movere poſſe. Seminium vero, ſupra comprehenſum, per ſigna ſatis aperta plerumque ſeſe prius oſtendit, quam epilepſia invadat.

## PROGNOSIS.

Quae morbum leniorem efficere conſueverunt, ea primum ponemus. In junioribus minus periculoſus eſt; quoniam in pueris ſub tempus pubertatis, in puellis, menſibus proventibus, decedere plerumque ſolet. Namque hoc tempore ingens in oeconomia vitali deprehenditur mutatio. Pro bono habendum eſt, ſi febris, potiſſimum intermittens, typi quartani illi ſuperveniat, quam Hoffmannus ſaepe morbum omnino depellere perhibet. Cum morbus ſymptomaticus eſt, facile tollitur, et, cauſa occaſionali ſublata, decedit, ſi nullum ſeminium ſubſit, et curatio maturius adhibeatur: Caeterum, ſi inveteraverit, cerebrum, ob paroxyſmos ſaepius reiteratos, talem ſibi mobilitatem acquirit, qualis aegrotum ad morbum, qui tandem idiopathicus, raro ſanabilis, evadit, quam maxime proclivem efficit.

Quae morbum gravem reddunt, proxime ſunt referenda. Cum morbus haereditarius eſt, vel ſub tempus pubertatis accedit, cum ſigna ſeminii evidentiora ſeſe oſtendunt, cum diu manſit, &c. aegre medicinae parebit. Cum ab exoſtoſibus internis, humoribus in cerebrum effuſis, &c. proficiſcitur, cum cauſas ejus tales eſſe quales inferant collapſum ſuſpicamur, ſi jam inveteravit, et paroxyſmi crebriores quam olim evaſerunt; exitum ejus infauſtum fore, non abſque cauſa graviſſima concludere licebit.

RATIO

## RATIO MEDENDI.

Prius viam epilepſiam ſympathicam, poſterius idiopathicam, ſanandi exequemur.

Per idiopathicam hos epilepſiae caſus, qui ab affectu cerebri protinus oriuntur, ſignificamus; per ſympathicam autem, eos qui a ſtatu aliarum ſyſtematis partium peculiari pendent. Hos rite diſtinguere non raro difficile eſt; morbum vero ſympathicum eſſe, cum a rebus in partes corporis remotas agentibus, ſi hae non in ſeminium agant, oritur, cogere licet. Ita, ſi morbus a rebus non acribus in ventriculum receptis excitatur, a ſenſorii conditione vel a ſeminio praecipue pendet, et pro idiopathico haberi poteſt. Caeterum, aliis in exemplis, morbus a tali partis corporis remotae affectu, qualis a nullo, quantum novimus, ſeminio proficiſci poteſt, ex toto pendere videtur. Hoc in exemplo, morbus jure ſympathicus appellatur, et curatio ejus ab affectu topico tollendo, remediis univerſis ſenſorio admotis partim proficientibus, petenda eſt. Si vermes, e. g. adſunt, morbus, niſi his animalibus foras expulſis, depelli nequit: Et idem de tumoribus dicendum. Aura epileptica, Sauvageſio judice, morbum ſympathicum eſſe, vel ab affectu partis a ſenſorio longe diſtantis proficiſci, plane teſtatur. Sin autem Sauvageſio morbum, cum aura epileptica adeſt, ab affectu, quod quidem plerumque evenit, extremorum proficiſci aſſentiamur, ratione curandi ſingulari opus erit. Haec autem in ſtatu partis immutando, A. Vomite in parte qualibet ſito tollendo, a. Loco per ignem adurendo, b. Materia extrahenda, *a*. Epiſpaſticis, *b*. Fonticulis, *c*. Scarificationibus; B. Communicatione partem inter et ſenſorium intercipienda, a. Inciſione, b. Ligaturis, conſiſtit.

Evacuationes morbum aliquando ſuſtulerunt; et prope partem affectam ſunt faciendae. Communicationem partem affectam inter et cerebrum intercipere conantur medici, cum pars morbida haud plane innotuit, vel eum ad eam accedere non poſſunt. Hoc modo tetanus trismuſque ſublati ſunt. Memoriae prodidit illuſtriſſimus Gregorius, ſe epilepſiae exemplum probe noviſſe, ubi ligaturae totum per biennium, paroxyſmos arcerent. Quinetiam De Haen aegrotum ab Albino, portione quinti nervorum paris, quae ad maxillam inferiorem deſcendat, et partes muſculares nervulis inſtruat, inciſa, ad ſanitatem perductum fuiſſe tradit. Si hoc fieri nequeat, ad ligaturas confugere conſuevimus. Quo tempore auram epilepticam in pede manuve incipere ſentit aegrotus, eo protinus ſunt adhibendae. Paroxyſmi hoc modo saepius arcentur.

arcentur. Morbum quidem hac ratione protinus omnino depelli non posse fatemur; cum tamen omnes affectus convulsivi, saepius redeundo, graviores et curatu difficiliores evadant, vis consuetudinis, quae brevi in systemate oriretur, quantum fieri potest imminuenda est, et morbus tandem, diligentia adhibita, ex toto forsan tolletur.

*Ratio Epilepsiae idiopathicae medendi.*

Cum causa morbi proxima nos omnino lateat fugiatque, consilia curandi ab iis quae nobis innotuerint causis sunt deducenda. Consilia autem medendi generalia sunt:

I. Causas occasionales vitare.

II. Causas praedisponentes removere.

I. *Causas occasionales vitare.*—Cum causas hujusce modi antea tam fuse depinxerim, haud opus est ut eas rursus percurram. Quo vero paucis multa comprehendam, quicquid ad plethoram creandam, vel ad humores in caput determinandos, et vasa igitur ejus turgida reddenda, conferat, diligenter cavendum. Quaecunque igitur mentem irritant, ante omnia alia sunt fugienda. Ægrotus a conspectu cujuslibet paroxysmo epileptico laborantis abstineat, et omnia quae per facultatem associandi ideas agant cane pejus et angue defugiat. Omnes impressiones validiores vitandae sunt. Cullenus casus cujusdam pueri meminit, cui paroxysmos epilepticos quilibet sonitus violentior, et etiam sonitus nihil molestiae aliis facessens, inferre consueverit, quique ab urbe rus tranquillum remotus ad sanitatem reductus sit. Causas denique occasionales quam attentissime reperire, easdemque denique repertas non minus attente vitare, conandum est.

II. *Causas praedisponentes removere* —Primum plethoram. Haec, quod neminem latet, epilepsiam saepius movere consuevit. Huic autem potentissime occurrit sanguinis missio, quae, in plethora generali, cum universe tum topice est adhibenda. Cum plethora a tensione sola adaucta pendet, vena plaga majore incisa, et pauculae tantum sanguinis unciae detractae consilio nostro respondebunt; contra vero, si copia humorum major adsit, multum sanguinis eliciendum est. Si ulla determinationis ad caput nimiae signa animadvertantur, hirudines cucurbitulaeque cruentae temporibus interea simul admovendae. Multorum casuum meminerunt scriptores, ubi paroxysmi epileptici hoc modo depulsi sunt; contra vero, exempla non desunt ubi sanguinis missio nihil omnino profecit. Multum quidem dolendum est, remedium hoc praestantissimum plethoram ipsam augere, cui per id occurrere voluerimus. Hunc autem effectum nocivum aliqua ex parte arceri posse existimo, si copiam

piam satis magnam sanguinis simul detraxeris, quod necessitatem ad idem remedium saepius decurrendi praeveniet.

Exempla habemus, ubi exostoses intra cranium sint repertae, et morbus tamen non fuerit excitatus, nisi cum causa occasionalis adesset, quae distensionem cerebri valis inferret. Sanguinis autem missio, plethora substante, paroxysmum accedentem nonnunquam omnino tollit, aliquantum provectum levat.

Alia evacuatio, plethora urgente, est alvi purgatio; quae, ut totius systematis evacuatio, effectus haud magnos edit, licet systema totum relaxando nonnihil proficiat, et plethoram vasorum capitis topicam, revulsione facienda, imminuere possit. Cavendum est autem, ne hae evacuationes, saepius reiteratae, vires aegroto convellant, statumque plethorae omnino contrarium progignant.

Ad reditum plethorae praecavendum quam plurimum conferent diaeta parca, exercitatio modica, et fonticuli.

Quantum ad fonticulos attinet, haud dubie profluvium non parvum continuumque efficiunt, et, cum partem lymphae coagulabilis evacuent, plethoram pro certo multum imminuent: Caeterum, alia ratione quoque, nempe determinationi humorum ad caput nimiae occurrendo, et igitur quandocunque haec subest quam proxime caput aperiendi sint, agere possunt. Setacea et fonticuli eosdem fere effectus edunt, et, in iis plethorae exemplis quae a profluviis istiusmodi exsiccatis orinntur, quam maxime conveniunt. In omnibus autem exemplis, ut profluvium quam copiosissimum fiat, semper agendum.

Exercitationem ad superficiem corporis humores determinare, perspirationemque augere, nemo mortalium inficias ibit. Hanc autem caute adhibere conveniet; namque immodica debilitatem semper infert, quam ad epilepsiam movendam non parum conferre supra comprehendimus. Semper igitur citra defatigationem fit, quam saepius excipit perspiratio imminuta, conditioni corporeae, quam aegrotus desideret, prorsus adversa et contraria. Igitur epileptici exercitationem minus acrem, crebram vero continuamque, adhibeant necesse est.

Diaeta sit parcior; namque nisi cibo pleniore diligenter abstinebitur, evacuationes supra praeceptae nihil proficient, cum supplementa humorum corporis humani copiae et dotibus cibi adhibiti semper pro rata ratione respondere compertum sit. Epilepsias plures per abstinentiam, quam per quaslibet alias curandi vias, depelli, inter medicos firme consensum. Abstinentia nimia cavebitur, ne inanitionem debilitatemque, quae pessimae sunt, progignat. Diaeta ex oleribus

constans

conſtans maxime conveniet, quae cum copiam materiae nutrientis minorem, quam cibus animalis, contineat, cum plethorae occurret, tum ſatis nutrimenti praebebit, eamque inanitionem, quae debilitatem inferret, praeveniet.

Cauſa ſecunda praediſponens, quam ut tollatur oportet, eſt debilitas.

Cum effectus debilitatis, uti ſupra comprehenſum, ſint mobilitas et affectus ſpaſmodici; remedia igitur vel tonica vel antiſpaſmodica ſint neceſſe eſt. Priora timorem, aſtringentia et tonica, tum vegetabilia tum metallica, lavationem frigidam, exercitationem, diaetam idoneam; poſteriora, quaecunque ſpaſmos conſopiunt, qualia ſunt poeonia, valeriana, oleum animale, moſchus, opium, &c. complectuntur.

De exercitatione et diaeta, quae tonicis accenſendae ſunt, jam dictum. Hoc tantum adjiciendum ſupereſt, quod cibus aegroti plus, debilitate ſubſtante, quam cum plethora adeſt, nutrire debeat. Tantum lactis, quantum appetitus aegroti deſiderat, ad vegetabilia adjiciendum eſt. Quod ad horum delectum attinet, farinacea, utpote quae plurimum nutriant, omnibus aliis anteponenda ſunt.

Timor proxime conſiderandus. Hic modicus, ut ſupra poſitum, vim tonicam potentiſſimam habet. Eum autem pro remedio rite adhibere difficile eſt, cum rationem eum ad gradum juſtum uſque movendi ignoremus. Hic loci commemoranda ſunt omnia, quae vim imaginandi fortiter occupant. Specifica autem, olim laudibus tantis concelebrata, velut crania humana, alcis ungula, &c. ex impreſſione, quam in mentem faciant, ſola virtutem ſuam, me judice, ſi quam habeant, plane deducunt.

Vegetabilia adſtringentia et tonica. Hic viſcum quercinum olim adeo laudatum commemorare non alienum eſt, licet experimenta recentiora eum non aeque utilem eſſe, ac antiquiores crediderint, demonſtrarint.

In tonicis vegetabilibus ſunt amara. Quidnam adverſus epilepſiam proficiant, nondum innotuit; ſi quid proſunt, hoc forſitan praeſtant cum aſtringentibus conſociata. His folia aurantiorum annumeramus, quibus De Haen epilepſiam depulſam fuiſſe teſtatur. Caeterum noſtrates virtutes illorum nondum ſatis tentarunt et periclitati ſunt.

Cortex Peruvianus. Hic votis noſtris melius reſpondebit, quoniam cum amaritudinem tum vim aſtringentem majorem inter ſeſe conjunctas habet; cum vero effectus ejus minus diuturni ſint, tantum debilitati in tempus occurrendo, et hoc modo forſitan acceſſionem arcendo, prodeſſe poteſt, protinus ante paroxyſmum aſſumptus. Hinc in iis exemplis utiliſſimus

eſt, ubi morbus ſtatis temporibus repetit, adeo ut copia ejus largior prius aſſumi poſſit, quam paroxyſmus exſpectetur. Caeterum hic caute agendum eſt. Cortex, quod omnes ſciunt, diatheſin inflammatoriam, quae plethoram ſaepe concomitetur, adauget, et ita ſtatum plethoricum omneſque ſequelas ab illo oriundas intendit. Igitur, cum ſtatus plethoricus non parvus ſeſe oſtendit, prius eſt tollendus, quam ad uſum corticis decurramus; quapropter, in exemplis etiam epilepſiae periodicae, cum a congeſtione diatheſin inflammatoriam movente oritur, cortice abſtinendum eſt. Sin vero diatheſis inflammatoria abſit, licet morbus a ſtatu plethorico originem ſibi deducat, paroxyſmis per corticem Peruvianum occurrere licebit.

Metallica tonica. Haeraque metallorum facultatem tonicam habent; caeterum, propter vim ſtimulantem, caute danda ſunt. Stannum in morbum, experientia teſte, aliquantulum poteſt. Arſenicum quoque, portiunculis datum, nonnunquam profecit; ſed tamen, ut parum tutum, expellendum putamus. Chalybeata tutiora ſunt; adverſus epilepſiam vero parum valere videntur.

Cuprum. Swietenius ſe praeparatum ex hocce metallo noviſſe teſtatur, quod epilepſiam, nullo affectu ſenſibus percipiendo, praeter formicationem totius ſuperficiei cutaneae leviculam, edito, ſuſtulit. Eum vero rationem hujuſce remedii accuratiorem non reddidiſſe dolendum eſt. Vicem ejus igitur talibus e cupro praeparatis, qualia vim tonicam quam maximam, facultatis ſtimulantis quam minimum, habeant, ſupplere conandum. Praeparatum hoc genus eſt cuprum ammoniacale *, cujus efficaciae pauca, ſed minime dubitanda, exempla reperiunda ſunt. In multis tamen exemplis, abſque ullo ſucceſſu proſpero datum fuit. Vitriolum ipſum coeruleum, doſibus parvulis aſſumptum, quibuſdam in exemplis, non abſque emolumento fuit adhibitum.

Flores zinci. Paucula tantum huc uſque fuerunt exempla, quae efficaciam hujuſce medicamenti in epilepſia curanda demonſtrent; cum vero laudibus a Gaubio celeberrimo et quibuſdam aliis ſit ornatum, attentionem diligentiſſimam haud dubie meretur †.

Lavatio frigida. Haec poteſtate tonica inſigni gaudet, et ad inobilitatem debilitatemque removendas probe accommodatur; parum vero tuta eſt, donec plethora fuerit imminuta. Si humores ad caput copioſius determinantur, illud in aquam

* Hocce medicamentum ad quantitatem uſque gr. ix ter de die datum profuiſſe dicitur. Vid. Ruſſel de Cupro.

† Florum zinci gr. v et plura ad xl uſque bis de die ſaepe fruſtra Cl. Home praecepit. Cupro autem ammoniacali adjuncti a quibuſdam multum laudantur. Vid. Duncan's Caſes.

primum

primum demittere, vel aquam illi ſuperne affundere, forſitan conveniret.

Antiſpaſmodica. Haec conſilio paroxyſmum arcendi adhibemus; auxilium igitur ab iis, vel cum exſpectatur vel praevidetur, tantum ſperandum. Pleraque illorum remediorum inutilia ſunt. In optimis illorum poſitae fuerunt poeonia et valeriana. Priorem fere ſilentio, cum pauciſſimi medici hodierni ad eam confugiant, praetermittere cogimur. Cullenus nihil commodi a poſteriore, praeterquam in paucis exemplis, oriri ſe notaſſe teſtatur; licet periculum ejus in multis fieri viderit: Et, in hiſce exemplis, ubi profuerit, alvum purgaſſe tradit; unde effectus ejus ſalutares, potius quam ab ulla virtute antiſpaſmodica, profectos fuiſſe exiſtimat.

Oleum animale. Hoc a Germanis medicis multum laudatur, et, propter indolem ejus volatilem et penetrabilem, multum auxilii promittit; caeterum periculum ejus ſatis crebrum et diuturnum noſtrates nondum fecerunt.

Moſchus. Hunc in convulſiones et epilepſiam non parum poſſe, experientia monſtrat; ſed genuinus et purus aegerrime comparatur. Pretioſiſſimus eſt, parumque prodeſt, niſi copia majore datus.

Liquor aethereus. Hic etiam, quibuſdam in exemplis, auxilium minime ſpernendum praebet.

Opium. De virtute hujuſce medicamenti in vitiis convulſivis vix ambigi poteſt; id tamen in epilepſia rite adhibere difficile eſt. Cum ſtatus plethoricus et diatheſis inflammatoria adſunt, opiata, niſi illis remotis, non adhibenda ſunt. Sin vero epilepſia a ſtatu plethorico non proficiſcatur, opium utiliſſimum eſt, utpote quod mobilitati, ex qua reditus epilepſiae pendeat, potenter occurat. Memoria ſemper tenendum eſt, opium, in omnibus epilepſiis ſtato tempore redeuntibus, nunquam, niſi protinus antequam paroxyſmus accedat, dari debere; namque effectus opii, et omnium aliorum antiſpaſmodicorum, fugaces ſunt. Spaſmos ſolventia quoque diutius adhibita debilitatem, et igitur irritabilitatem, ſyſtematis ſaepius adaugent. Et, praeterea, opium, et omnia alia inebriantia, diſtenſionem vaſis inferunt, et aegrotum ad congeſtionem in capite proclivem efficiunt. Idem de hyoſcyamo, quem Storkius in hoc morbo laudat, ac de opio dicendum eſt. In hoc tantum ab opio differre videtur, quod adhibitus alvum ſolutam relinquat.

Stramonium. In commentariis academiae ſcientiarum Stockholmienſis, mentio de quatuordecim aegrotis epilepſia laborantibus injecta eſt, quibus pilulae ex ſtramonio confectae datae ſunt. Ex hiſce octo ad ſanitatem abſolutam reducti

ſunt, quinque levati, et unus tantum nihil levaminis accepit. Pauca ejuſdem generis exempla memoriae prodidit Storkius.

Si ad omnia haec remedia fruſtra fuerit decurſum, proximum eſt, ut habitum et conditionem corpoream aegroti praeſentem, diaeta, ratione vitae, regione, prorſus immutatis, in melius vertere conemur: Namque haec via curandi, omnibus aliis incaſſum tentatis, ſaepius optime ceſſit.

---

# DE SPASMO.

*AUCTORE JAC. STEUART.*

QUONIAM ſpaſmus ejuſmodi eſt, ut ad multorum morborum cognitionem prorſus neceſſarius ipſe cognitus ſit, et explicationes ejus, quae plurimae ſunt oblatae, ſumma rem obſcuritate implicuerint, adfectuumque, in quibus adparere, quoſve facere ſolet, naturam obſcurarint; ideo, ad eum in clariore monumento ponendum, quaedam, non ex conjecturis aut incertis illis, quae hypotheſes dicuntur, principiis tracta, ſed in rebus exploratis, aut ubique apud medicinae prudentiores receptis, ultro ſe, omnia rimanti et verum ſimplex citra ambitionem anquirenti, offerentia, proponere decrevi.

*Quid ſpaſmus ſit.*

Spaſmus eſt ea fibrarum muſcularium adfectio, qua naturales harum contractiones, juſto majores et diuturniores reddantur, neque alternis vicibus relaxantur, cum moleſtia, dolore, et adfectae partis officio praepedito.

*Qualis morbus, et quibus in morbis ſymptoma adpareat.*

Spaſmus morbus eſt in eo adfectu qui tetanus *, catochus †, opiſthotonos ‡, epiſthotonos ||, varie adpellatur, et totius fere corporis rigor ſpaſticus definitur §. Unus tetani caſus, ſcilicet, tonicus ** rarus eſt, utpote quem tres viri ſoli viderint, †† eo incertiore adhuc natura. Alter ejuſdem frequentior

* Ill Cull. G. M. G. xlvi. Sauv. noſ. method. Cl. IV. O. xi. G. vii.
† Sauv. ibid. G. viii. Lin. G. cxxviii. Vogel. G. clxxxiii.
‡ Vogel. G. clxxxi. || Vogel. G. clxxxii.
§ Cull. loc. rel. G. xlvi. ** Sauv. ibid. ſp. 1.
†† Sennert. Sauv. et alius Journ. de med. Avril. 1764, p. 336.

caſus,

casus, tetanus emprosthotonicus, apud Indos frequentissimus‡‡. Is male sanguinis detractione prius, dein laudano, tractatur. Tetanus Holotonicus apud Peruvianos incidens, insanabilis hactenus videtur |||, et ex profusis sudoribus, subito frigore cohibitis, nasci. Tetanus Indicus §§ frequentissimum et notissimum tetani exemplum, et purissimum, reperitur. In his casibus, spasmus, maximam corporis summi partem occupans, ipse morbus est, ut et in catocho holotonico ***, catocho cervino †††, et catocho diurno, si qua hujus sides sit. Eodemque pertinet, judice me, convultio Indica, quae non vulneris, quod saepe levissimum, saepe parvula solum punctura est, symptomatica (neque enim ea vulneri vis est), sed, hoc ut noxa excitante agente, e seminio, quod regionis calor creat, exoritur, et omni ex parte pro tetano idiopathico habenda est. Quae opinio eo certior esse videtur, quod calidissima terrarum plaga spasmodicis et convulsivis omnium generum morbis, nec caeteris ejus tractibus minus India, abundat. De qua loquens Sauvagesius, " In hac," inquit, " regione frequentissimi et diri sunt morbi convulsivi: A levi vulnere, a colica recens nati plures convulsi moriuntur; adulti a convulsione evadentes deformati vel paralytici remanent; epilepsia, hysteria, hypochondriasis, ibi frequentissimae sunt *." Unde, calidas orbis regiones, ad seminium spasmorum et convulsionum creandum idoneas, intelligitur. Neque quo modo id calor praestet, obscurum esse potest, si, continuatus et vehemens quam pronus ad sedandum et debilitandum sit, reputetur. Spasmus morbus quoque est in tetano laterali †. Casus porro ille, qui syphiliticus Sauvagesio dicitur, ad relatos idiopathicos pertinere, et a symptomaticis alienus esse, propediem dicetur. Idiopathicus, an symptomaticus, idem sit in illo casu opisthonico, qui pro tertia tetani specie a Sauvagesio traditur, ubi e graviore vulnere nascitur, incertum est; quia, seminium praecedens, una cum vulnere agens, an hoc, absoluta principii vi, morbum per se fecerit, non satis adparet. Sic anceps casus Centurionis Gallici, qui, in obsidione Parmae, globo plumbeo intra pectus recepto, infraque cartilaginem ensiformem delapso, in gravissimos cruciatus et emprosthotonum incidit ‡. Nec alio pertinet ex vulnerato tendine Achilleo tetanus exortus ||. Idemque de tetani casibus dicendum, qui in frigidis regionibus ex aliis vulneribus, ut in tetano traumatico §, paulo vehementioribus, proficiscuntur. In quibus omni-

‡‡ Sauv. ibid. sp. ii. ||| Sauv. ibid. sp. iv. §§ Sauv. ibid. sp. v.
*** Sauv. G. viii. ibid. sp. i. ††† Idem, ibid. sp. ii.
* Sauv. Class. IV. O. iii. G. sp. ix.
† Sauv. Class. IV. O. ii. G. vii. sp. vi. Morgag. de sed. morb. x. 3.
‡ Sauv. loc. relat. in tetan. sp. iii. || Ibid. § Ibid. sp. xi.

bus,

bus, viſne vulneris per aliquam laxae partis proprietatem, ſine ulla corporis conditione interna, quales, in aliis caſibus aliae, ſeminia faciunt, morbum inferat, an vulneris effectus operam tantum cum ſeminio, intus jam ante parato, conjungens, et ſic pro noxa excitante, quales cauſae occaſionales dicuntur, agens, idem efficiat, jure ambigi videtur. Nam, ubi levia vulnera, magnum ſeminium, ſunt, ut in convulſione Indica et iis tetani caſibus, qui ab exiguis noxis, quales punctura plagaeve mediocres, ſine mali vehementia, ſunt, plurimi et frequentes oriuntur, in iis omnibus ſeminium plurimum poſſe, et noxam nihil valere, manifeſtum eſt; eoque totus adfectus non pro noxa ſymptomatica habendus, ſed morbis juſtis annumerandus haud dubie eſt. Verum, ubi noxa graviſſima eſt, quod dolores cruciatus immanes evincunt, et, ſeminium intus, annon, incertum; tum ex illa, ut principio ſimplice, totus maximave parte ſpaſmus pendeat, nihilque ſeminium vixve valeat, recte requiſiveris. Ad quam quaeſtionem rite conſtituendam, res verae excutiendae, ſymptomata exploranda, quid valeant conſiderandum, quae noxae externae vis ſit perſpiciendum, et, in frigidis locis ei, quod in calidis manifeſtum eſt, ſimile ſeminium ſubſit, ſcrutandum rimandumque. Adeo enim non vana haec quaeſtio eſt, ut, e contrario, non ante ad ſpaſmi tetanici, hactenus pene ignorati, cognitionem aditus eſſe poſſe videatur, quam illa conſtituta fuerit, et quando morbus idem ſpaſmus, quando ſymptoma ſit, conſtiterit. Quod quaeſtionis genus in omni fere adfectu morboſo nimium negligitur. Ex qua, quod ſeminii doctrinam potiſſimum ſpectat, plurimum intereſſe videtur. Quo omiſſo, fruſtra morborum cauſa requiritur. Ex his omnibus caſibus, ſolis illis, qui in dubitationem deducti ſunt, exceptis, in adfectu, qui Tetanus vulgo nunc nominatur, ſpaſmus manifeſte morbus eſt. Quo autem modo caſus excepti conſtituendi ſint, monſtrare quoque conatus ſum.

Symptoma autem ſpaſmus haud dubie eſt, in Sauvageſianis tetani ſpeciebus indictis, ut in ſyphilitica verminoſa, hemiplegica, febricoſa, et hyſteria *, quae dicuntur, niſi quod in caſu, qui ſyphiliticus dicitur, aliquod paulo incertius eſſe, aut error forſitan irrepſiſſe, videtur. "Ex male ſanata olim gonorrhoea, virus ſyphiliticum in ejus ſanguine latere," medicus ſuſpicatus eſt. Quae non tantum ſuſpicio, ſed mera conjectura erat, ac ne veriſimilis quidem. Credunt Itali et Galli forſitan meridionales, illis finitimi, virus ſyphiliticum poſſe annos, immo magnam vitae partem intus in corpore latere, nullum ſui ſignum praeſentis dare, ac, poſt longum tandem

* Sauv. loc. rel. ſp. vii. viii. ix. xiv.

tempus,

tempus, magna vi erumpens dira mala concitare. Credant; non enim tempus praesens ejusmodi ineptiis refellendis abutendum †. Quo enim modo illud virus, omnium corporis firmorum cito et facile edax, sine malefició diu iis haerere, ac tandem in morbosum adfectum, qui non firma ambedit destruitque, vim nervosam minime adficiens; sed, qui hanc solam adficit, spasmosque ac convulsiones, quae ex ejus solius adfectione pendent, concitat, erumpere queat, illius opinionis auctorum est ostendere, non nostrum, alius rei satagentium, refutare. Ut hac notione Aimar, qui eum casum curavit, falli ipse, et Sauvagesium fallere, potuit, ita, quod tetani, maxime idiopathici, efficax remedium mercurius tunc temporis ignorabatur, utriusque viri error facilior simul et venia dignior foret. Unde, cum adfectus spasmodicus non, nisi "cicatrice obducta," adparuerit, et soli omnium medicinarum mercurio cesserit; eum igitur morbum, quam symptoma, fuisse verisimilius est; eoque magis, quod sanguinis in vulnere maximo, dein in membri recisione, effusio statum corporis mutasse, et habitum ei, quem coeli calor creat, persimilem, quem mox debilitatem esse ostendetur, fecisse, haud dubitanda est. Quantum igitur, ex hujus casus historia judicare licet, spasmus in eo morbus, non symptoma, fuisse credendus, et ad idiopathicos, supra relatos, non symptomaticos, de quibus in praesentia agitur, casus, hic referendus. Excepto igitur eo, et ad idiopathicos relegato, reliqui omnes, paulo supra relati, quatenus spasmus respicitur, symptomatici procul dubio sunt. Symptomaticus autem spasmus tum habendus, cum non totus morbus, aut praecipuum hujus symptoma, est, sed alii morbo supervenit, ac remediis alienis, non suis, tollitur. Hujusmodi igitur casus ad morbos, quorum symptomata sunt, semper relegandi sunt, et sub iis tractandi. Ut spasmus sic totum corpus, vel maximam ejus partem in tetano adficit, ita parte exigua magis continetur, ubi maxillam inferiorem occupat. Qui morbus trismus *, et capistrum †, Anglice *lock-jaw*, nominatur, et maxillae inferioris spasmus rigidissimus recte definitur. Quod ad trismum attinet, de eo casu, qui Traumaticus dicitur ‡, et ad idiopathica exempla refertur ‖ idem fere, quod de tetano opisthonico dictum est, hic dicendum videtur. Scilicet, quantum seminium desit, et violentia in vulneribus peccet, tantum abesse, ut affectio idiopathica sit.

† Haec in rebus medicis dubitatis alias quidem saepe necessaria, hic tamen haud incertae observationi, hac etiam in regione, parum congruere videtur.

* Cull. G. M. G. xlvii. Sauv. Cl. IV. O. i. G. ii. Lin. G. cxxiv.
† Vog. ccviii. ‡ Sauv. loc. relat. sp. i.
‖ Cull. G. M. xlvii. 2 species verae.

Exempla

Exempla ſpaſmi, triſmum facientis, ſunt prima, decima quarta, quae eadem nonne eſt, decima quinta, item anginae generis § decima octava.

Porro, licet non ad vehementiam tetanicam, ſpaſmus tamen, alias corporis partes occupans, haud dubie quoque morbus eſt. Ex partibus autem ſic adfici conſuetis, prae caeteris poplitum alteruter notabilis eſt. Qui, praecipue nocturno tempore ſubito ſpaſmo tentatus, multos mortales doloribus diris cruciat. Incidit autem haec affectio nunquam fere non poſt noxas ſedantes et relaxantes in habitu manifeſte debili. Sic, inter alia, quae viam ad eam ſternunt, ſudor animadvertitur, qui, tonum imminuendo relaxandoque, praecipue agit. Haec ſpaſmi, muſculos, ſeu motus voluntarii inſtrumenta, adfectantis, et morbi formam obtinentis, exempla in hiſtoriam ejus ſufficiant. Verum idem partes etiam internas occupat; et quamvis non juſtorum muſculorum, muſculares tamen fibras afficit. Sic ſymptoma praecipuum in dyſpepſia et dyſenteria ac morbum continens in colica eſt, doloris quoque in nephritide calculoſa et calculo bilioſo cauſa ſubeſt. Quibus omnibus in caſibus ſpaſmus idiopathicus, ab una eademque cauſa pendet, eodem medendi conſilio tollendus. Eoque, quaecunque ejus in quovis caſu, eadem in omnibus, cauſa cenſenda.

## CAUSA SPASMI.

Quoniam ſpaſmi, fibras muſculares motus non voluntarii adficientis, cauſa maxime evidens et perſpicua eſt, ideo ab ea initium faciendum. Qua expoſita, an eadem dein ad eundem, muſculorum juſtorum fibras apprehendentem, transferenda videatur, poſtea monſtrabitur.

Spaſmi, interna cava contrahentis, cauſa eſt affectarum fibrarum pro ſimplicibus habitarum relaxatio, pro vivis exiſtimatarum atonia, cum deficiente toto genere nervoſo incitatione, et nimia fibrarum, extenſilium nimis, extenſio. Hanc cauſam veram eſſe, noxae antecedentes et auxilia rite adhiota demonſtrabunt. Ad quae igitur, rationem et ordinem operis perſequens, deinceps tranſibo, et a noxis, ſeminium facientibus, incipiam.

## NOXAE SEMINIUM FACIENTES.

Quoniam morborum omnium ſeminia idem corporis ſtatus ſunt, ac cauſae; eoque hoc idem quoque ac cauſa; igitur noxas, id facientes, eaſdem ac cauſam creantes, eſſe ſequitur. Atque

§ Cl. V. O. xi. G. X.

Atque utrarumque opus, eadem lege, tale ſit, quale aut ad ſeminium, aut ad cauſam faciendam, idoneum ſit, neceſſe eſt. Non igitur, niſi gradu quaſi, ſubitoque magis aut ſero opere, differunt. Seminium facientes paulatim, ſerie temporis, et quaſi agendi more agunt, et, poſt aliquod temporis intervallum, effectum tandem abſolvunt, id eſt, ſeminium juſtum procreant. Quo abſoluto perfectoque, noxae excitantes, eodem operis genere, ipſae eaedem, ſubito plerumque et vehementius, ac ſemper fere conſcio aegrotaturo, agunt, ſeminiumque in cauſam vertunt.

Noxae antecedentes, quae ſic in ſeminium facientes et excitantes diſtinguendae ſunt, per omnes morbos, in quibus ſpaſmus, inſtrumenta motus non voluntarii adficiens, praecipuum ſymptoma eſt, quietum vitae genus vel labor nimius, affectiones animi et mentis actio ſedantes, cibus ex plantarum genere, nullum condimentum, et longa luxuria, potio aquoſa, frigus aut calor, ſedando agentia. His dyſpepſia, cui podagra adjicienda eſt, his diarrhoea, item dyſenteria et cholera, poſtremo hydrops, naſcuntur. Eaedemque poteſtates, plus minuſve, plures, pauciores, aut univerſae, agentes, totum morborum genus, quae in debilitate conſiſtunt, faciunt. Utque omnium natura eſt ſic nocere, ita aliae reliquis ad alios morbos procreandos potentiores ſunt Sic ad dyſpepſiam faciendam, prae caeteris poteſtatibus relatis, quies nimia, et cibi ex plantis petiti abundantia, proprietatis alentis defectum ſupplendo neceſſaria, valet. Diarrhoea ex ejuſdem cibi, in fermentationem ruentis, vitio praecipue pendet, et quiete ſimul vel inertia, totum corpus debilitante, eoque perſpirationem languere ſinente, promovetur. In cholera nocentiſſima noxa idem cibi genus eſt, calore, ſedando agente, ſuperaddito. Hinc magna debilitas, quae pro mobilitate habita eſt, et, ex plantarum natura, in acidam ruente, fermentatio. Debilitatem dyſenteriae ſubeſſe cum fermentatione diverſa, nempe, ad putreſcentem vergente, ex carneae naturae abuſu, et caloris longi effectu, nemo ignorat. Idem cibi genus, nempe, ex plantarum genere ſumptum, non ſatis chyli aut ſanguinis praebendo, nec ventriculum et vaſa irritabilia, eoque totum genus nervoſum, ſtimulando et excitando, efficaciſſimum ad hydropem faciendum eſt. Sic enim, univerſis vaſis languentibus, ſanguinis partes non ſatis inter ſe permiſcentur, eoque aquoſa a reliquis copioſius juſto ſecedens, ad excretoria aquoſa perfluit. Quod tanto facilius efficietur, ſi cum expoſita cibi natura humidus quoque victus eſt, et aquae potandae copia in conſuetudinem trahitur.

Quies et deſidia poteſtatis nervoſae univerſae incitationem

imminuit, ſanguinem in venis, quieſcentibus muſculis, non ſatis perpellendo, eoque in omnibus tardari ſinendo. Hinc inter alios debilitantes effectus, perſpiratio imminuitur aut ſupprimitur.

Affectiones animi et mentis languor, inſtrumentum ſuum cerebrum non ſatis incitando, ubique incitationem deficere patiuntur.

Aſſumpta ex plantis cibi nomine materia dupliciter nocet; primum, quia genus nervoſum in ventriculo, dein in vaſis omnibus irritabilibus, non ſatis incitat. Quod eo fit, quod ſtimulans ejus, ex proprietate pendens, vis perexigua eſt, et ſatis chyli ſanguiniſque, quorum diſtenſione vaſa ſtimulentur, non in eo cibo conficitur. Condimenti defectus ſtimuli, in ventriculo agentis, et inde totum genus nervoſum potentiſſime moventis, abſentiam ponit. Sine quo Indorum victus, ex ſolis plantis petitus, neutiquam, etiam in ſumma eorum deſidia, quamvis calore quodam tenus in futurae putredinis remedium requirente, eſſet tolerabilis. Potio aquoſa non ſatis ſtimulando, ſanguinemque nimia aqua replendo, nocet.

Licet primum rectumque caloris opus ſtimulans ſit, frigoris ſedans, hinc ille vitae neceſſarius, hoc nocens; utrumvis tamen magnum, ſive quaſi gradu, ſive diuturnitate, in contrarium primo effectum, quadam naturae lege, tranſit. Sedanſque eorum opus, in omnibus ſummi corporis vaſis extremis tonum et denſitatem imminuendo, incitationem toto genere nervoſo, et ubique corporis, imminuit. Debilitantur plagarum calidarum et extreme frigentium ex aequo fere incolae.

Morborum, de quibus agitur, feminium a noxis, illud faeientibus, ſic fieri, hinc adparet, quod ante morborum adventum, hic habitu corporis, qui phlogiſtico contrarius eſt, haud obſcure praeſciri poteſt. Itaque in omnibus, in ejuſmodi morbos implicandis, pro tono atoniam, pro denſitate laxitatem, pro magna et valida incitatione nervoſa debilem, animadvertes. Hoc inficiandum non eſt. Quamvis enim, invento vocabulo feminium et cauſa morborum, in nimia incitatione conſiſtentium, jamdudum inſignita ſint, et nullum, quo contrarium ſeminii aut cauſae genus diſtinguatur, eſt adhibitum, res tamen neminem fefellit. Nec quiſquam adeo ignarus, ut non habitus, ad peripneumoniam et hydropem ducens, quam diverſus ſit, diſcernat. Ad rem certam igitur diſtinguendam, inveniendum vocabulum. Sitque diatheſis antiphlogiſtica vel aſthenica; qua omnes morbi, in debilitate poſiti, aeque diſcriminentur, ac contrarii relato notoque vocabulo. Si igitur inter alios hujus generis, ſic diſtinguendi, morbos hydrops tali ſeminio, quale relatum eſt, cognoſci futurus poteſt; inde

noxas,

noxas, id feminium facientes, debilitando agere sequitur. Rursus, si eaedem, quatenus

## NOXAE EXCITANTES,

" Sunt, in dyspepsia, anorexiam, nauseam, vomitum, inflationem, ructus, ruminationem, cardialgiam, gastrodyniam, et alvum plerumque adstrictam," creant * ; si in diarrhoea cum dejectionum frequentia, pulsus parvi, debiles, et saepius frequentes sunt, cibi desiderium imminuitur, et cohibitae perspirationis indicia manifestantur ; si in nephritide calculosa et calculo biliario, confuso quamvis et obscuro toto habitu, hujus tamen segnities clare cernitur ; et in debili corporis statu hi morbi potissimum incidunt, ac noxas debilitantes, quarum praecipua quietum vitae genus est, subsequuntur ; denique, ut alios id genus morbos omittam, si magna totius corporis debilitas, manifesta ubique relaxatio et atonia, perspirationis ex toto suppressio, pulsuum exiguitas, debilitas, et mira saepe frequentia, hydropem praecedunt et comitantur ; noxae, unde haec symptomata orta sint, pure debilitando agere, credendae, immo pro certo habendae. Certe omnia haec symptomata clare explicabilia sunt, si ad causam pure mereque debilitantem religuntur, sed nullo alio posito principio comprehensibilia.

His debilitatis purae morbis irritatio subesse, et symptomatum quaedam efficere, existimata est, sed, ut mihi videtur, non sat recte. Quam igitur notionem, nostrae repugnantem, ut diluere coner, frequentiam pulsuum paucis explicare liceat.

Ea duplicem causam agnoscit, ipsa duplex status. In seminio, morbis phlogisticis praeeunte, inque his ipsis, frequentia pulsuum validae fibrarum muscularium, vasorum omnium irritabilium, maximeque cordis, actionis, et sanguinis, distendendo hanc suscitantis, effectus est. Quo fit, ut majores simul et crebriores contractiones fiant. Sed, quia totus sanguis auricularum, et solito plus, in ventriculos, unaquaque systole adigitur, ideo huic pulsuum frequentiae modus statuitur. Neque vera raro centenos singulis minutis haec frequentia superat. Supra enim naturae vires est, aeque celeriter tam magnos, tam validos, tam plenos, et longe plerumque plus minusve duros, pulsus, ac eos, in quibus haec omnia contraria sunt, peragere. Ipsa sanguinis, qui perpellitur, copia ingens certos fines adponit. Hoc genus pulsuum igitur est, quod sollum a vi stimulante pendet.

* Cull. Gen. Morb. G. xliii.

Utque hic pulſus a nimio, naturalis et ſanus a juſto, ſtimulo, pendent; ita in feminio antiphlogiſtico, ad ſuum morborum genus ducente, et in his ipſis, pulſus in deficiente ſtimulo, vel poteſtate ſedante, poſiti ſunt. Ubi enim nihil niſi debilitas eſt, ibi vim ſtimulatricem ſubeſſe, neutiquam veriſimile eſt. Sed et ipſae res omnes idem oſtendunt. Qua enim in typhi forma citiſſimi pulſus? in ſynocho, ubi plus, an in puro typho ubi minus virium? In hujus initio? ubi aliqua roboris adhuc imago, an in fine? ubi puriſſimae debilitatis ſymptomata, omnia manifeſte ad mortem rapiunt. Certe, quo plus debilitatis, eo celeriores in omni typho pulſus. Hinc in articulo mortis innumerabiles. Porro, ubi citiſſimi pulſus, urgens delirium et peſſimae omnes notae ſunt; nonne in hoc ſtatu vinum, ut delirium fugat, et reliquas notas in melius vertit, ita pulſus quoque retardat? Æquumne igitur eſt, id alicui pro cauſa tribuere, quod contrario manifeſte debetur? Si vinum, quod ſtimulare compertum et in confeſſo eſt, pulſus retardat, quomodo quivis ſtimulus celeritatis cauſa eſſe poteſt? Aut, ſi ſtimulus ſubſit, quo modo vini ſtimulus illum auferet? Denique, quoniam pulſuum numerus ſemper debilitatis modo reſpondet, qui in pueris ſemper et foeminis haud paulo celeriores, quam in adultis et viris, ſunt, et in toto debilitatum ſeu morborum aſthenicorum genere, a catarrho ſenili incipiente, ubi minima, ad typhum petechialem vel peſtem, ubi maxima debilitas eſt, ſemper celeritas debilitati reſpondet; effectum tam conſtantem ex cauſa aeque conſtante fluere judicandum. Quin et non ſolum in lato, quem deſcripſi, orbe, ſed in quolibet ſingulo morbo, pulſuum numerus tanto major, quanto debilitatis plus. Itaque in hydrope, qui, incipiens, et nondum multum provectus, mediocri magis pulſuum frequentia eſt, extremo, jamque inſtante morte, hi innumerabiles ſunt.

Hi celerrimi pulſus, plurimum debilitatis ſemper ſignificantes, ut ab hac manifeſte oriri putandi ſunt, ita caeterae notae eoſdem comitantes, illam ſententiam confirmant. Ejuſmodi pulſus exigui, debiles, minimi, pleni, ac molles ſunt; ut multo minus ſanguinis hic, quam in contrario habitu, unaquaque ſyſtole trajici, facile intelligas. Cauſa igitur horum pulſuum eſt debilis fibrarum muſcularium vaſorum, maximeque cordis, actio, et ſanguinis, qua haec excitetur, diſtenſio non ſatis ſtimulans. Hinc totus auricularum ſanguis, licet non abundans, una eademque ſyſtole in ventriculos, deficiente vi, non tranſfunditur, ſed pars, unicuique ſyſtole ſuperſtes, iterum ſtimulo fibris eſſe, et aliam ſyſtolem efficere, perſtat, donec totus trajiciatur. Quo fit, ubi celeritatem faciens debilitas magna eſt, cujuſmodi in typho, et aliis propriis febribus eſt, ut ſingu-

li pulſus imperfecti, dimidiaeque, aut etiam tantummodo, ternae, juſtorum pulſuum partes, ſint. Pulſuum in typho celeritas hoc illuſtrat, in quo ternis pulſibus tantum ſanguinis non trajicitur, quantum ſingulis in peripneumonia. Non igitur irritationi pulſuum celeritas, ſed debilitati, tribuenda eſt; quia quo plus debilitatis, et quo minus irritationis, cernitur, eo major uſque, et pro ratione, celeritas. Quis, in morborum, debilitando jugulantium, fine, ubi omnia ultimam debilitatem, nihil irritationis, vel leviſſimam hujus umbram, oſtendunt, huic celeres pulſus, et non illi, imputaverit? Quanquam igitur graviſſima auctoritas contra hanc concluſionem ſtat, tamen, cum ratio et verum eam tuentur, his potius quam illis fidere viſum eſt. Objici Sydenhamo, magnam doctrinae medicae partem mutanti, totius ſeculi potuit auctoritas. Quam tamen veri vis, ab uno viro aſſerta, alterius ſeculi ſuffragiis collabefactam, evertit.

Cum igitur pulſuum frequentia non irritationem, ſed debilitatem meram, pro cauſa agnoſcat, et omnia reliqua ſymptomata, jam ſat fuſe commemorata, quae ex iiſdem noxis ac ſpaſmus naſcuntur, in mera quoque debilitate, ut cauſa manifeſte conſiſtant, et, tam haec quam ipſe ſpaſmus, ab omni irritatione aliena ſint; igitur cauſa, ſpaſmum continens, ſupra tradita, vera ſit neceſſe eſt. Et doctrinam communem, quae in morbis ſupra relatis ſpaſmum ex irritatione, et reliqua ſymptomata e debilitate pendere ponit, rejiciendam ſequitur. Sive igitur in dyſpepſia, ſive in diarrhoea, ſive in dyſenteria, ſive in calculoſo ductuum biliferorum vaſorumque renalium adfectu, ſive alibi ſpaſmus occurrit, ex eadem ſemper cauſa eſt. Eſtque affectarum fibrarum, pro ſimplicibus habitarum, relaxatio, pro vivis aeſtimatarum, atonia, deficiente per totum nervoſum incitatione, addita extenſione.

Ex noxis excitantibus, quae eaedem, ac ſeminium facientes, ſunt, ſpaſmi producendi potentiſſima et praeſentiſſima diſtenſio eſt. Sic materiae ex plantis paratae, maximeque aëris, mole, fibrae ventriculi ultra modum diſtentae, continuo in ſpaſmum ruunt. Stercoris, aëris, et aliarum in inteſtinis rerum diſtendens, moles in dyſenteria idem efficit. Nec aliunde quaerendus is, qui colicam idiopathicam cauſa continet. In vaſis renalibus aut biliferis ductibus deſcendens calculus, diſtendendo, ſpaſmum gignit. Immodica urinae copia in eo, qui jam ante imbecillus ſit, immobilem ſpaſmum concitat. Unde ſtimulus ille, quem extenſio dat, ſpaſmi efficax eſſe intelligitur. An ſpaſmo, inſtrumenta motus non voluntarii occupanti, neceſſarius et perpetuus? Sic videtur, niſi in inani, qui videtur, ventriculo, quandoque incidens ſpaſmus, illinc excipiendus

excipiendus ſit. Quem non excipiendum arguit, magna ventriculi, tam aëre pleni, quam cibo vacui, in illo caſu ſuſpicio.

*Quo modo ſpaſmus creetur.*

Muſcularium fibrarum proprium eſt, et ab omni alia materia alienum, ut extentae contrahantur, et manente re extendente, contractae uſque maneant. Ut vitae ſtatus ei proprietati neceſſarius (nam brevi poſt mortem omnis contractio perit), ita maxima vitae vis non maximas quoque contractiones efficit. Sic plogiſtici habitus a nimiis contractionibus, quae ſpaſmi audiunt, alieni ſunt. "Qui pleuritidi opportuni ſunt, non," teſtante Hippocrate, "acidum eructant." Spaſmi indicia abeſſe diatheſin phlogiſticam, et ab hac pendentem inflammationem idiopathicam, qualis in phlegmaſiis veris pyrexiam ſequitur, haud ancipite fide monſtrant, et optimam diagnoſticam notam peragunt. Spaſmus, arteriolas extremas in phlegmaſiis occupare creditus, diatheſis tantum phlogiſtica eſt, univerſa vaſa, eoque horum quoque fines, comprehendens. Quod dubium aut incertum non eſt, ſiquidem diatheſin illam augentia, qualia noxae phlegmaſias excitantes ſunt, illum extremorum vaſculorum ſtatum augent, et eandem diatheſin imminuentia aut ſolventia, qualia eorundem morborum auxilia ſunt, eundem ſtatum imminuunt ſolvuntve. Ubi ſummum corpus ſiccum et aridum eſt, cum magno calore, pulſibuſque magnis, plenis, validis, et duris, ſtimulantia omnia eum ſtatum augent; hinc alexipharmacae adminiſtrationis eventus exitialis. Et, e contrario, ſanguinis detractio, alvique purgatio, madore corpus digerunt. Igitur,

Praeter extenſionem conditio, qua in ſpaſmum fibrae muſculares proniores ſunt, non ſummus vigor, ſed contra debilitatis haud exiguum eſt. Id quod cauſa, ſupra expoſita, ſive ſolum ſpaſmum, ſive una cum ejuſdem naturae ſymptomatis procreans, argumento eſt. Definitus quoque debilitatis ſtatus eſt; ſcilicet, imminuta poteſtatis nervoſae incitatio, item atonia et laxitas, in toto corpore, ſi totius ſtatus comprehenditur, aut in parte ſola, ubi haec ſola reſpicitur. Fibrae igitur, quae ſpaſmo opportuni ſunt, aut eo afficiuntur, debiles manifeſto ſunt.

Ex qua debilitate atonia illarum et laxitas inter ſe magnitudinis ratione conveniunt. Nam atonia, ſeu toni diminutione data, laxitas ſeu denſitatis diminutio illi neceſſario reſpondet. Utque fibrae muſculares ab omnibus aliis firmis ſimplicibus vi cohaeſionis, qua particulae ſuae pollent, diſcrepant, tantoque robuſtiores ſunt, quanto vitae principio vel poteſtatis nervoſae incitatione inſtruuntur; ab hac ſola earum robur

ſeu

seu cohaerendi vim pendere inde clare constat. Quae fibrae musculares valentissimae? Nonne optime valentium, magisque etiam phlogisticis morbis implicitorum? Delirans in peripneumonia, aut insania justa seu splendida bile laborans, quantum immane valent? ut facile tono densitatem ratione respondere videas. In iis enim casibus, ubi maximus, qui naturae nostrae convenit, tonus est, maxima quoque densitas reperitur. Aliquot post mortem horis, cum jam ubique corporis, atque etiam, ubi diutissime subsistit, in fibris muscularibus, vitae principium seu incitatio nervosa deleta est, quis earum, cum aliis consimili textura fibris comparatarum, status est? Nihil sane a simplice quovis in natura firmo ejusdem fabricae differunt, aeque facile adposito pondere rumpuntur. Item in typhi, hydropis aut paralysis, in debilitate positae, sine, ubi tonus minimus est, qui vitae convenit, minima quoque, quam vita recipit, densitas est, et summae, quae mortem sequitur, resolutioni proxima. In manifesta igitur totius corporis pariter et partis, spasmo comprehensae, debilitate, fibras laborantes tono pariter et cohaerendi vi imminuitas, non abdubitandum. Eoque,

Praeter adpositam iis potestatem extendentem, ipsarum solito major extensilitas effectum adjuvat. Cui rei in definitione spasmi provisum est. Extensilitatem igitur auctam spasmo faciendo necessariam, patet. Unde, quod eaedem fibrae in diathesi phlogistica spasmum minus, aut non omnino, recipiunt, in promptu ratio est, scilicet, deesse effectui necessariam conditionem, extensilitatem auctam: Quae cum valido tono, densitatem augente, non omnino, cum atonia laxitatem creante, facile convenire potest.

Cum denique atonia et laxitas magnitudinis ratione inter se conveniant; inde tonum spasmi statui repugnare, atoniam favere, sequitur. Unde etiam, quamvis in spasmo contractiones, sanis majores sunt, incitationis nervosae in fibris contractis tamen minus esse, constat; nam ab incitatione tonus manifesto est. Quam sententiam omnes res verae clare quoque confirmant. Non igitur, ut vulgo existimatur, et contractionum visu enormium tumultus facile suadeat, a magno potestatis nervosae in fibras spasmodice contractas adfluxu, spasmus pendet, sed a conditionibus jam expositis.

Imbecillae fibrae potestati tendenti cedunt, quia cohaerendi vis contra niti, et extensioni, eoque contractioni, quae magnitudinis ratione inter se pares conveniunt, moderari non potest. Quantum autem fibrae tendantur, tantum contrahentur, neque alius huic finis, quam ruptura, statuitur. Et quo majores contractiones, sic excitatae, sint, eo rupturam propiores

propiores erunt, et incitatio nervosa, in fibris residens, eas sustinens, minor usque, ad extremum extingnitur. Potestatis autem nervosae nihil, praeter levem illam, quae aliquamdiu fibris haeret, particulam, a stimulo, quem extensio dat, adficitur, ut actionum animalium, vitalium, et reliquarum languor indicat. Idemque hinc quoque intelligitur, quod, quicquid potestatem nervosam corpori communem excitat, id contractiones spasmodicas imminuit, aut pro actionis gradu tollit. Laudanum et vinum sic potestatem communem excitant, et pro ratione spasmum tollunt. Particulam autem potestatis nervosae, fibris adhaerentem, et a communi non sustentam, satis ad effectum esse, hinc quoque scire licet, quod a stimulis et acribus, etiam post mortem, fibrae musculares brevi aliqua mora cient contractiones ; quae a communi potestate nervosa, nunc prorsus extincta, nequeant adjuvari. Quis in dyspepsia et dysenteria spasmos totius corporis, quod totum languet, vigori tribuerit? Cibus ex plantis petitus, quia copiose, propter stimuli, e qualitate pendentis, exiguitatem, necessario adsumitur, ea copia distendendo, stimulat. Cujus utique, a distensione praebitus, stimulus nihil, praeter extentas fibras partis motricis movet, nec in ulla corporis praeterea parte incitatio attingitur. Contra, carnea materia, quae parce adsumitur, quia rectus ex qualitate stimulus non in distensione posito minusve eget, cum idoneo condimento, potestatem quidem nervosam in fibris muscularibus, sed communem multo magis et potentius, excitat.

Ex his omnibus argumentis, non conjectura et incertis principiis, quae hypotheses dicuntur, nixis, sed, e rebus veris et exploratis petitis, esse spasmi causa adparet, imminuta toto corpore incitatio nervosa, et inde atonia et relaxatio pendens, atque magnitudinis ratione respondens, addita potestate extendente, quae extensiles nimis fibras superat, potestatem nervosam, iis inhaerentem, et communi non sustentatam, exhaurit, nec communem ullo modo attingit, sed in summum languorem ire, et senescere, patitur.. Quam sententiam ut noxae antecedentes, et harum effectus symptomata, in omnibus adfectibus, ubi spasmus internum aliquod cavum idiopathicus occupat, abunde confirmarunt ; ita, quid porro ex eorundem adfectuum curatione, et remediis hanc peragentibus, ad eandem conclusionem tuendam ponderis novi accedat, deinceps inquiratur.

## CURATIO.

Quoniam spasmi et congenerum adfectuum causa ea est, quam

quam modo retuli, igitur eorundem medendorum consilium esse debet, potestatis nervosae incitationem toto corpore augere, et sic atoniam et laxitatem fibrarum, cum alibi, tum prae caeteris laborantium, adimere, et tendentem has potestatem renovare.

Auxilia, huic consilio respondentia, stimulantia omnia sunt, sub queis tonica vulgo dicta comprehenduntur.

Haec opium, vinum, aut potio spirituosa sunt. Cum quibus ad morbo occurrendum, aut statum convalescendi expediendum, exercitatio idonea, quae optime omnium corpus excitat, cibus ex carnea materia constans, rite conditus, post hunc vini tantum, quantum excitet, postremo ea coeli, quae excitet, non quae hebetet, temperies.

Haec omnia potestatem nervosam toto corpore, patentibus omnibus, excepto opio, excitant. Quod, recta et protinus illam adficiendo, et leviter aut non omnino in laborantes fibras agendo, fere faciunt. Sic caro, magisque condita, sic vinum modice adsumptum, et stimulo futurum, et potio spirituosa; non justo meracior, aut merax parcior, item idoneus corporis motus, et grata temperies, agunt. Quorum nullius effectus parte continentur, sed toto corpore diffusi, ubique vim nervosam excitant, eoque tonum et densitatem, pro rata parte, fibris motricibus addunt. Tonus autem et densitas, non ex ullo effectu locali nascuntur, sed ex totius potestatis nervosae incitatione aucta pendent. Hae omnes potestates, alia alio tractu, genus nervosum, victus per ventriculum et partim vasorum interiorum via, exercitatio per hanc et musculorum justorum fibris, temperies summi corporis latis spatiis, ingrediuntur. Sed quacunque parte prius id adeunt, totum, quia unum est, universo ambitu illico commovent. Quoniam igitur omnium opus, sic noxarum antecedentium operi contrarium est; igitur conclusionem, supra relatam, pariter confirmant, et stimulante opere spasmum tollendo, cum in debilitatis statu consistere demonstrant. Ut simplicissime, quasi vulgo unus ex vulgo, loquar; quoniam noxae, debilitando agentes, ut supra retuli, dispepsiam faciunt, et his contrariae potestates, stimulando medentes tollunt: quis spasmum, qui praecipuum ejus morbi symptoma est, non in debilitate, id est, incitatione nervosa imminuta, atoniaque et laxitate, positum, negaverit? Idemque de eodem, ubicunque cavum aliquod internum adficit, et idiopathicus est, dicendum. Nec symptomaticos ejusdem casus alia mente excludo, quam quia simplicem rem cum ea, quae variae naturae, et ex varia origine, esse videatur, non confundendam, ne argumentum perturbare videar, existimo.

Si igitur ea ſpaſmi cauſa, quae propoſita eſt, iſque a noxis relatis, more relato oritur, et auxiliis, quoque relatis, tollitur; opinio igitur, vulgo recepta, quae in nimio poteſtatis nervoſae in fibras muſculares adfluxu ſpaſmi cauſam ponit, infirma et lubrica credenda eſt. Sed prius, quam haec concluſio abſolute conſtituatur, una exceptio, remedia ſpaſmi reſpiciens, excutienda.

Quoniam opii, in medendis ſpaſmis et convulſionibus, opus diverſum a reliquorum omnium, quae eidem uſui ſunt, exiſtimatum eſt; et aut haec opinio, aut noſtra ſpaſmi cauſa, falſa ſit, neceſſe eſt; ideo opii opus paulo fuſius inveſtigare, et ejus in variis adfectibus virtutem contemplari, operae pretium viſum eſt. Quid igitur in ſecunda, quid in adverſa valetudine valeat, quo modo phlogiſticos, quo aſthenicos, adficiat, ordine anquiretur.

In ſecunda valetudine, vini more animum exhilarat, pulſus roborat, omnes corporis actiones excitat, moeſtitiam fugat, ſpem revocat, dolorem gaudio mutat, ex miſeris beatos reddit. Hanc ejus virtutem Mahometae cultores, vini uſu prohibiti, experiuntur. Eo autem facilius quemque excitat aut contra, quo is natura aut habitu excitabilior aut ſegnior ſit. Poſtquam vero ſtimulans hoc opus abſolvit, ſi quis eo uti perſeveret, in contrarium effectum tranſit, ſedareque et ſomnum inducere incipit. Quod vinum quoque, largius adhibitum, efficit. Hoc quoque ei cum vino commune eſt, ut omnia effecta in inaſſuetis citiſſime peragantur, aſſuetos tarde moveant. Nihil novi refero. Omneſque relatas opii proprietates norunt. Quo mirum magis eſt, ſtimulantem ejus actionem parum innotuiſſe, aut, ſi in quibuſdam caſibus cognita videatur, in aliis latuiſſe, et in errores duxiſſe.

Idem opium in omnibus morbis, in nimia incitatione, tono et denſitate auctis, et ſanguinis abundantia, poſitis, qui habitus phlogiſticus adpellatur, nocentiſſimum perpetuo eſt. Quod ſi, in peripneumoniae fine, diatheſi phlogiſtica jam fugata, ſomnum inducere, et moleſtam tuſſim componere, dicitur, nulla haec exceptio ab obſervatione eſt. Aliud enim eſt poſt diatheſin phlogiſticam et praeſente hac prodeſſe. Non igitur in peripneumonia, ſed ejus fine, vel potius ea jam finita, prodeſſe, verum reputanti videbitur. Quo in caſu non contra tonum et denſitatem, ſed atoniam et reſolutionem, morbi et curationis vi factas, agit. Quod agens ſuo officio fungitur. Porro, ſi una trium partium pulverem Doverianum componentium, opium non nocenti ſtimulo in ſudore eſt, id fieri poteſt, aut quia effectus ejus conjunctis rebus mutatur, aut quia ſudoris diuturnitas occurrentem circa initium ſtimulum compenſat, aut,

aut, denique, quia diatheſis phlogiſtica, in ſuperficiem magis directa, ab internis viſceribus. vitae neceſſariis, avertitur. Quarum reſponſi partium noviſſima majorem vim habet, protinus reputanti ad animum ſuccurret. Pyrexia phlegmaſiarum tendit ſemper, ad aliquod corporis punctum exquiſitam ſui partem, inflammationem, dirigere. Hinc minus, ne aliae ſimul inflammentur, periculum. Directa igitur ad ſummi corporis artum aliquem inflammatio, etſi ad alium fugere, ac dein alium, poteſt, nunquam fere interius contendit. Nullus igitur, vitae utilis aut neceſſarius, locus periclitatur. Quo facilius augeri, incipiente ſudore, paululum diatheſis, nec mali quicquam facere, eoque latere, poteſt.

Contra, in omnibus contrariae notae morbis, nempe, quos diatheſis aſthenica, ſive febriles ſive non, continet, valde opiferum opium eſt. Ita in typho extremo, ubi ſumma debilitas, ad perniciem praeceps, tardius, quod vinum promittit, auxilium non permanet, opium, quod diffuſibiliore magis ſtimulo eſt, eoque citius per genus nervoſum dividitur, vini vice, ſed ea, qua opus eſt, celeritate fungitur, et optimam vitam certo orco eripuit. Si vinum igitur hic, opium quoque, ſtimulante virtute, prodeſt. Non enim debilitas minor ſtimulo vini, major ſedante opere, ſive opii ſive cujuſvis alius rei corrigi, putanda eſt.

Convulſiones omnes canalis alimentarii compeſcit idem opium, ut in dyſpepſia vomitum, in dyſenteria dejectiones, et utramque ſimul in cholera purgationem. E quibus dyſpepſiam et dyſenteriam in debilitate poſitas ſupra monſtratum; unde et illud ſymptoma ejuſdem ſignificationis credendum. Cholera autem adeo debilitans eſt, ut octodecim horis, ſaepe debilitando jugulet. Porro iidem morbi ſtimulantibus et tonicis auxiliis, quibus ſpaſmus cedere ſupra dictus, curantur. Denique quaecunque ſpaſmum, eadem convulſionem, in debilitate conſiſtere, ſtimulo tolli levarique, declarant.

Contra, canalis alimentarii, qualis dyſpepſiae eſt, vaſorumque biliarium et renalium, ſpaſmum, qui poteſtate diſtendente morboſa creatur, proſpere opium adhibetur. Quod ſtimulando fieri judicandum; quoniam eorum adfectuum noxae antecedentes debilitando, remedia ſtimulando, agere demonſtrata ſunt.

Languorem animi, moeſtitiam, capitis dolorem, omneſque adfectus e cerebri, animi inſtrumenti, imbecillitate, pendentes, idem opium ſublevat aut tollit. Nec dubium eſt, quin ab eo copioſior in morborum curationibus fructus, ſi notior fuiſſet, perceptus eſſet.

Haec actionis opii hiſtoria eam ſtimulatricem eſſe liquido

declarat, quae recta et propria opii virtus est. Sedans autem, quae hactenus adeo pro vera et prima fefellit, tantum stimulatricis excessus est, omnium stimulantium more; quae, postquam tantum egerunt, quantum corporis natura ferat, in contrarium stimulanti opus, lege naturae, transeunt. Quod igitur omnibus stimulantibus commune est, id uni non imputandum, nec proprio modo opium sedare, quod eodem modo, quo omnia, sedat, credendum. Ab aliis stimulantibus hoc tantum differt, quod volatilius est, et genere nervoso citius diffunditur. Hinc stimulans opus brevius ac fugacius est, citiusque sedans, et conspicuum magis adparet. Quae proprietas etiam cum aliis stimulantibus ei communis reperitur; cujus alkali volatile exemplum idoneum est. Verique simile est, antispasmodica, quae vulgo dicuntur, sic omnia explicanda, saltem quatenus explicabilia sint. Quique ab his derivatus est, idem ab illa stimulandi proprietate usus derivandus. Exempli ergo, si opium in febribus, ubi extrema debilitas, praesentem mortem intentans, tardiorem vini effectum non operitur, citiore stimulo, protinus per genus nervosum diffuso, et incitationi labanti opportune succurrens, saluti esse novo exemplo compertum; idemque eodem modo in cholera, rapidae debilitatis morbo, incitationis defectui subveniens, saepe prodesse notum est; igitur, ut in febribus, pro vino adhibetur; ita in cholera pro eo poltve id, vinum adhiberi quid prohibet? Qua medendi ratione omnia utriusque remedii commoda accipientur, citus opii, ubi instans occasio flagitat, et permanens vini, stimulus, cum vires, quodammodo jam suffultae, non cito, sed permanente, amplius egent.

Conclusio igitur, supra relata, quae spasmum a noxis debilitantibus concitari, in debilitate consistere, et potestatibus stimulantibus tolli, proponebat, opinionemque vulgo receptam, qua in nimio potestatis nervosae in fibras musculares adfluxu spasmi causa ponitur, refellebat, nunc sine excepto opii, spasmo medentis, opere, firma ac valida habenda est; novumque opii, stimulando agentis, judicium pari ratione recipiendum. Certe quod aut ad illam conclusionem, aut ad hoc judicium attinet, vel firmissima in medicina facta, res certissimae, falsa sunt, vel illa vera fatenda.

Verumeninvero, cum, quatenus argumenta nostra processerint, exposita conclusio spasmos, sola motus involuntarii instrumenta obtinentes, respiciat; ideo, an ad eum quoque, qui justos musculos, parentia voluntati instrumenta, rigefacit, traduci possit, inquirendi, ex promisso, tempus videtur.

Qui spasmi ex aliis occasionibus in aliis corporis partibus, ut, ubi aliquis ex priore quovis morbo convaluit, post digestum

ſtum ſudore corpus, poſt ebrietatem aut concubitum immodicum, oboriuntur; eos in debilitate conſiſtere tam perſpicuum eſt, quam habitum corporis, in quo naſcuntur, imbecillum et debilem eſſe. Cui obſervationi hic quoque, quae de internorum cavorum ſpaſmis propoſita eſt, ſcilicet, eos nunquam in habitibus phlogiſticis provenire, adjicienda videtur. Pauci mortales poplitum ſpaſmos non aliquando experiuntur. Quos tamen, ſi rite reputes, tum maxime, cum aliqua debilitatis occaſio forte praeceſſerit, oboriri percipies. Tali occaſione, ſi quis natura robuſtior adficiatur, ſola adfici ſolet.

Unde eadem firmorum ſimplicium laxitas, vivorum atonia, haſque gignens, incitationis nervoſae diminutio, hunc ſpaſmum, quae ſupra relatum, ut cauſa, continere manifeſta eſt. Neque altera conditio, jam relato neceſſaria, nempe, extenſio, huic deeſt. Novi virum, qui, hoc ſpaſmi genere vexari ſolitus, ſaepe rem reputando, verum muſculi, ubi ſpaſmus incipit, deprehendere ſtatum didicit. Dum muſculus adficiendus quieſcit, non adficitur. Sed, ubi contrahi incipit, protinus cruciatus inſtat. Quid in hoc ſpaſmi genere poteſtas extendens ſit, forſitan requires? Reſpondebo rogando, an voluntas? Is vir praeſcire ac prohibere acceſſionem poteſt. Quod hoc modo fit: Ubi leviter crus movet, ingratum ſenſum percipit, quem ſpaſmi initium eſſe experientia doctus novit. Quo animadverſo, non ſubito attrahit crus, quod ſpaſmum excitaret, ſed paulatim ac leniter extendit, ſimul totum corpus demittens, ut ad imum lectum imprimere plantam poſſit: Alias ſudorem vitat, quem ſpaſmus ſequi ſolet. Nonne, ut fibrarum muſcularium contractiones extenſio excitat, ita ſimili extenſioni ratione voluntas juſtos muſculos in actionem conjicit? Et ſi hoc ita ſit, nonne, ubi aliquis muſculus in eo habitu eſt, qui ſpaſmo favet, eadem voluntas hunc, id eſt, nimiam contractionem, efficiet? In exemplo propoſito, ubi jacet immotum membrum, non exoritur adfectus; ſed ubi movetur, quod voluntas imperat, illico dirus dolor cietur. Hinc, dum id incitationis nervoſae communis (poteſtas animalis vulgo dicitur), quod ita has futurae contractioni fibras, ac extenſio alteras praeparat, illis admovetur, ſpaſmus tanto major ſequetur, quanto plus voluntas et ſubito magis egerit. Neutiquam igitur haec ſpaſmi forma a relata funditus differt. Utraque a noxis debilitantibus infertur, in debilitate conſiſtit, et remediis excitantibus tollitur. In utraque extenſio, aut huic par effectu aliquid, occurrit. Ubi poſt ebrietatem ſpaſmus manuum aut alibi exoritur, ut continere os aut manus obfirmare hoino nequeat, nonne repetita potio, quoad citra exceſſum

conſiſtit,

conſiſtit, ſpaſmum, cumque eo omnia debilitatis ſigna, fugat, et ſi ad exceſſum uſque procedat, malum mox reducit? Turcas ſuo opio ebrios ſic adfici, et, ſtimulante ejus doſe, excitari, veriſimile. Nequicquam exempla cumulantur. Haec ſufficiunt. Jamque via ad ſpaſmum tetanicum, huic, niſi magnitudine, non, ut opinor, diſcrepans, ſtrata.

Puriſſimum tetani exemplum id eſt, quod in calidis regionibus, poſt leviſſimos caſus, incidit. Hoc in tetano Indico, ſupra ex Sauvageſio relato maxime conſpicuum. Et reliqui caſus, prout plus minuſve ad ejus naturam accedunt, puriores aut mixtae magis vel ſymptomaticae naturae ſunt. Accedit quoque ad ejuſdem naturam, tanquam modulum, nobis notus caſus; ſcilicet, ubi tetani aut triſmi notae, poſt levem aliquem adfectum, et tantis turbis concitandis, ut videtur, imparem, aut fugatis jam ex toto gravioribus, adparent. Qua in re non externae noxae, ſed interni corporis ſtatus, vis reſpicitur. Ad perſpiciendam igitur tetani naturam hic corporis ſtatus conſiderandus eſt.

In calidis aut ardentibus regionibus, corpus humanum, propter nimium caloris, ninuſque continuatum ſtimulum, in deficientem demum tranſeuntem, debilitatur. Incitatio, tonus, et denſitas, omnia proſternuntur. Quod ſpaſmi, ſupra explicati, haud dubie ſeminium eſt. Ideinque calor, poſtquam ſic ſeminium fecerit, perſtans agere, aut vehementius agens, excitando morbo facile accommodatur; quia, ut ſupra dictum, eodem operis genere ſeminium facientes, et morbum excitantes, noxae agunt. Spaſmus autem, qui alias talem corporis ſtatum ſequitur, non internum cavum, ſed externae partis muſculos, adficit; ex lege quadam corporis, qua, dum omnes poteſtates, genus nervoſum adficientes, totum, quia unum et indiviſum eſt, adficiunt, ſemper tamen in aliqua id parte, plerumque non magna, magis quam in reliquis, adficiunt.

Frigus in phlegmaſiis legitimis noxa praecipua eſt, et is corporis tractus, ad quem illud adſpirat, prae reliquis partibus, morboſum effectum recipit: Hic praecipua noxa calor in ſummum quoque corpus agens, inter totum genus nervoſum adficiendum, id praecipue alicubi ſummi corporis adficit. Et, quoniam affectionis ſequuturae genus ſpaſmus eſt, is ad eam ſui ſedem, quae ſummo corpori vicina eſt, nempe, muſculorum fibras, potiſſimum dirigitur. Nec deeſt quod eodem adfectum porro impellere poſſit. Id offenſa aliqua externa eſt, qualem in idiopathico caſu ſupra et modo memoravimus, quantumvis levis videatur. Hujuſmodi offenſae irritando agere vulgo exiſtimantur. Quae notio non probabilis et ſpecioſa

fa non eſt. Sic in tertia tetani Sauvageſiani ſpecie, ubi centurio Gallicus, ex plumbo, infra cartilaginem enſiformem delapſo, in morbum incidit, naturale, quaſi animo eſt, globum pro irritamento habere, et tetani originem irritando fuiſſe judicare. Eademque notio in frigidorum locorum tetanis triſmiſve aeque probabilis, ſpecioſa, et naturalis eſt, ſaltem quoties perquam dolorificis, ſive magnitudinem ſpectes, ſive ex partis laeſae ſenſibilitate, vulneribus ſuperveniunt. Verum has offenſas non irritando agere, etiam ubi magnae, nedum, ubi mediocres aut leves, ſunt, judicandum; primum, quia majores ſaepe impune perferuntur, ut ubi globus plumbeus annos aut magnam vitae partem innocuus intus in corpore reſtet; dein, quia ſaepe levibus morbus et non gravibus ſuccedit, non eo ſemper tempore, quo maxime aut ſolum irritare debent, ſed poſt, ſaepe magno ſatis temporis intervallo, demum ſupervenit; poſtremo, quia ſine iiſdem, ſive praeſentibus ſive praeteritis, ex noxis omni ſpaſmorum generi creando neceſſariis, quae ſupra comprehenſae ſunt, tetanicus quoque naſcitur. Ad quae argumenta adjiciendum eſt, nihil in curatione ad irritationem demendam, ſed omnia ad debilitatem tollendam, aeque in hoc, ac in quovis alio ſpaſmo, pertinere.

Sic idem opium, quod reliquos, tetanicos quoque ſpaſmos ſolvit ſublevatve. Quo, licet alia memorentur, nullum tamen auxilium in iis ſpaſmis praeſentius eſt repertum. Tulit opem quoque mercurius. Quem ſedantis operis nemo, inter reliqua, ei propria, ſtimulantis, omnes arguunt. Nonne in his ſpaſmis, quibus adeo frugiferum opium eſt, vinum quoque, quo modo typhum, eodem tetanum, tollere poſſe ducendum? Et, ſi non in irritatione morbum, ſed debilitate poſitum, medici credidiſſent, atque opium ſtimulantis, non ſedantis naturae, judicaſſent, nonne ad alios ſtimulos, omniumque potentiſſimum vinum, propria ſagacitate impulſi, in remedium confugiſſent? Similique ratione, ut opium, ſic vinum, cholericis prodeſſe, ſi debilitatem, non mobilitatem, procauſa, et ſtimulantem, non ſedantem virtutem, pro remedio, apprehendiſſent, iidem, ſaltem eorum prudentiſſimus quiſque, credidiſſent? Poſtremo, nonne in morbis in magna incitationis diminutione, et ſummo vitae diſcrimine, poſitis, ubi inſtans periculum tardiorem vini ſtimulum nequit operiri, et, poſtquam celeriore opii adaucta incitatio eſt, et vires quodam tenus reſtitutae, tum demum vinum, cujus opus tanto diuturnius, conſtantius, et ſtabilius eſt, opere opii, quanto tardius toto genere nervoſo diffunditur, opio ſufficiendi idoneum medendi

dendi consilium foret? Sed hae quaestiones obiter sint propositae. Ut ad finem properem,

Cum spasmus tetanicus ex iisdem noxis antecedentibus, ac quilibet alius, nascatur, ab eadem debilitate, ut causa, contineatur, neutiquam discrepante, nisi quod potestas extendens forma, non effecti genere, variat, nec illi, quam aliis, irritatio magis necessaria videatur; ideo eum ab aliis non differre, omnesque pariter spasmos ejusdem naturae participes esse, credendum est.

Liceat igitur omnium communem causam uno intuitu comprehendere, eique dein propositae commune quoque medendi consilium adjicere.

Spasmi causa est, post noxas, sive seminium facientes, sive morbum excitantes, debilitando agentes, imminuta totius potestatis nervosae, maximeque in parte spasmo laborante, incitatio, in hac atoniam et laxitatem gignens, eandem extensilem magis reddens, et sic, adpositae extendenti noxae, aut potestati, hanc effectu referenti, magis cedat, efficiens.

Consilium medendi est, incitationem cum alibi, tum in parte laborante, angere, et voluntatis culpam noxamve extendentem amovere.

Auxilia sunt opium, vinum, potio spirituosa, modo merax, modo diluta; dein cumque his victus tonicus, pro cibo caro, modice condita, et ex hac jusculа, exercitatio frequens, lenis, nunquam fatigans, nunquam sudorem movens, stimulansque aëris temperies. Ut haec facienda et observanda sunt, ita noxas antecedentes cavendas sponte intelligitur.

Novam hanc doctrinam, ea, qua adolescentulum et ingenuum decebat, modestia et verecundia proposui. De nemine viro bono aut ingenioso, quamvis aliter opinante, asperius aut inhumanius locutus sum. Quae dixi omnia, non ex conjecturis aut incertis illis, quae hypotheses dicuntur, principiis tracta, sed in rebus exploratis, aut ubique apud medicinae prudentiores receptis, ultro se omnia rimanti, et verum simplex citra ambitionem anquirenti, offerentia, proponere decreveram. Eoque fidem solvi Et quoniam ex rebus veris ratiocinatus sum, cujuslibet in potestate est, recte an aliter scripserim, dijudicare. Neque tamen traditam doctrinam ut propriam mihi adrogo. Corrigendi errores, artem medicam penitus adficientes, et in rectiorem viam majores natu revocandi, negotium aetatulam meam superabat. Id igitur, quod potui, feci, quodque omnes, fere, qui lauream medicam hinc aut unde unde accipiunt, facere solent; ut ab aliquo artis peritiore, argumenti principia petant, haec ipsi expoliendo, et in disputationis

nis formam redigendo, ingenium probent et scientiam ostendant. A publicis Joannis Brunonis, M. D. * praelectionibus, in quibus ille plurima nova, et usui accommodata, docuit, hujus chartae rudimenta sumpsi.

* Hic idem ille vir ingeniosissimus est, cujus similis mentio in disputatione de cynanche tonsillari facta est. Quae utraque disputatio ejusdem viri novae doctrinae quasi in parvo summam comprehendit. Nam, ut prior praecipua, quae ad phlogisticam ejus morborum speciem attinent, brevi conspectu promit; sic haec asthenicae speciei fundamentorum haud exiguam partem adjicit: Omnia enim, quae hic de spasmo exposita sunt, eadem fere ad convulsionem, statum paralyticum, et illum capitis qui ad cerebri compressionem vulgo referri solet, omnem denique aliam morborum originem non phlogisticam, pertinere illi videntur. Ex quo igitur uno principio paralyseos, apoplexiae, epilepsiae, asthmatis, hysteriae, dyspepsiae, podagrae, et omnium pene debilitatis morborum pathologia pendet. Verum lectori cavendum est, ne cum utriusvis speciei modo relatis morbis, quos ille pro idiopathicis habet, symptomaticos aut locales adfectus confundat. Ipsum novum opus in lucem *Elementorum Medicinae* titulo prodit.

---

# DE PARALYSI.

## *AUCTORE DAV. WARDROBE.*

## DEFINITIO.

"MOTUS voluntarii nonnulli tantum imminuti, saepe cum sopore." Cull. Gen. Morb.

Systematici caeteri sub definitione sua sensum amissum amplectuntur. Ita Sauvages inquit, "Debilitas motus aut tactus aut utriusque;" Linnaeus, "Sopor constans;" Vogel, "Sensus motusve aut utriusve defectus." Omnes autem hallucinantur, dum sensus amissi mentionem faciunt; quoniam universa sensus amissio rarius occurrit: Si vero usquam occurrat, morbo essentialis haud reputanda est; quoniam morbus absque ea prorsus invalescere potest. Novimus equidem [a], sensum nonnunquam prorsus interire, dum motus intactus adest. Ex contrario, motus prorsus amittitur, dum sensus integer viget; uti meminit [b] Cl. Senac, Cullen, cum caeteris. Quamvis autem sensus motusve amissus prout idem morbus indiscriminatim censeatur, utrumque tamen morbum esse diversum, et sub diverso nomine reponendum esse, existimamus.

Ex hisce igitur liquebit, non sensus amissionem, sed tantum

[a] Acad. des sciences l'an. 1743 hist. p. 127, 138. et Senac de la structure du coeur, tom. 2. p. 291.

[b] Loc. citat.

motus defectum, ſive motus voluntarii impotentiam, ad definitionem paralyſeos eſſe referendam; uti [c] Aretaeus eleganter annotavit, "Motus tantum fere eſt actioniſque defectio; quod ſi nonnunquam ſolus tactus deficiat (rarum autem hoc eſt) potius inſenſilitas ἀναισθησια, quam *pareſis*, nominatur." Haud unaquaeque motus amillio in parte aliqua, prout [d] Gaubius inſinuare videtur, affectio paralytica eſt cenſenda; ſed talis amiſſio motus voluntarii, ex cerebri nervorumque affectione coorta, ſine ullo vitio fibrarum muſcularium ſive motricium, Paralyſis omnino nuncupanda; quo prorſus inter eam et alias affectiones organicas, quae eandem virium motricium impotentiam concitare queant, internoſcatur. Muſculorum omnium paralyſi laborantium immobilitas, laxa, prout Cel. Boerhaave [e] ſtrenue affirmavit, haud ſemper adeſt; namque [f] De Hais hemiplegiam inveteratam, in quo paralytici artus non forent et rigidi et contracti, vix unquam obſervavit. Paralyſis ab apoplexia ex eo diſtinguitur, quod affectio ſolummodo partialis ſenſorii communis, dum apoplexia, gradu vel exceſſu tantum diſcrepans, omnino generalis habetur.

Huic morbo varia nomina, ſecundum diverſas corporis partes quas afficiat, a medicis aſſignantur. Paraplegia, hemiplegia, paralyſis, diverſe a diverſis ad libitum nuncupatur. Quando motus voluntarii partium omnium infra collum interimuntur, a pleriſque medicis paraplegia ſeu paraplexia nominatur. Hippocrates affectum partis cujuſvis paralyticam appellat. Sauvages vero paraplegiam nominare voluit, quando dimidium corporis tranſverſum ſumpti, praecipue extremitates inferiores, afficit. Vogel autem ait, "Omnium partium ſub collo, aut ſaltem medii corporis artuumque inferiorum, paralyſis:" Linnaeus etiam, "Eſt ſopor conſtans partium ſub thorace." Convenit inter omnes medicos, quinetiam inter ſyſtematicos, Sauvages, Linnaeum, et Vogel, hemiplegiam eſſe paralyſin alterutrius lateris corporis.

Paralyſis ad motus affectum, in parte corporis qualibet, a ſyſtematicis omnibus fere circumſcribitur: Ita a Sauvages definitur, "Motus aut tactus, vel utriuſque, in uno tantum artu debilitas;" ita a Linnaeo, "Sopor conſtans partis alicujus;" ac etiam a Vogel, "Senſus motuſve aut utriuſque defectus in ſingulari parte externa."

Ab omnibus hiſce ſyſtematicis, paralyſis, hemiplegia, paraplegia, prout diverſa genera conſtituuntur; quum tamen, ſicut opinor, longe praeſtaret, ſi quidem omnes ſub voce gene-

[c] De cauſ. et ſign. morb. diuturn. lib. 1. cap. 7. p. 33.
[d] Patholog. de paralyſ. p. 272. [e] Aphoriſm. 1057.
[f] De Hais diſſertat. de hemipleg. p. 31.

rali-

rali *paralyseos* accenserentur, prout ab auctoribus medicis plerisque tractantur.

Omnes igitur, prout ejusdem morbi species, magis minusve gradu feroces, quippe quae ex eadem causa pendeant, sub articulo generali paralyseos lubenter inclusserim.

## HISTORIA MORBI.

Paralysis haud raro ingruit absque symptomatis quibusvis praecuntibus quae incessus suos ostenderent; aliquando lentius eam praecedunt torpor universalis, vertigo, capitis gravedo, facultatum omnium mentis hebetudo, oblivio insueta, ac stupor, una cum algoris sensu lateris vel partis passurae, et nonnunquam cum tremore et dolore.

Quando paralysis invaserit, symptomatis sequentibus stipatur. Pulsus tardus et mollis; at in multis casibus celer et inaequalis. Cutis totius corporis, praecipue in partibus paralyticis, mirum in modum arescit. [g] Hippocrates, Carolus Piso, nec non De Haen [h], observarunt, quibusdam in paralyticis corpus universum, praesertim vero partes morbo affectas, sudore viscido perpetuo madescere.

In paralysi particulari, annotante Caelio Aureliano [i], antecedit partis passurae stupor, pallor, et torpor; pars affecta laxa, mollis, flaccida, attactu frigida, et vel atrophica vel tumore oedematosa, cernitur.

[k] Hoffman inquit, sanum latus saepenumero spasmodicis ac convulsivis agitatur motibus; orisque non raro canina tortura conspicitur, et, progrediente malo, mentis quoque functiones, et cum primis memoria, labescere incipiunt.

In paralyticis plerisque, sensus, licet minore gradu, perdurat; at, in quibusdam, omnis sensus aboletur, uti monet [l] Hoffmannus. Partes paralysi laborantes perceptione quadam molesta, et dolore levi punctorio, seu formicationis sensu, pertentantur. Motus convulsivi leviores aliquando partes affectas vellicant: Aliquos dolor partium acutus excruciat; prout ab [m] Senac [n] ac Huxham annotatur. In compluribus hemiplegia divexatis, musculi flexorii rigescunt et contrahuntur; et [o] De Hais, sicut etiam [p] Wepfer, ex observationibus suis, idem confirmant.

[g] Hipp. epid. lib. 4. p. 746. edit. Van. Linden.
[h] Ratio medend. cap 28. cas. 12. [i] Lib. 2. cap. 1.
[k] Syst. ration. tom. 3. de resol. nervorum.
[l] Hoff. syst. rat. tom. 4. part. 4. p. 27.
[m] Senac de la structure du coeur, tom. 2. p. 291.
[n] Dissertat. de hemiplegia, p. 3. [o] Wepfer obs. 16.

## SECTIO CADAVERUM.

Deinceps inquirendum eſt in diverſos aſpectus, qui diſſectione peracta tandem occurrunt; quoniam hi, probe cogniti, in naturam paralyſeos indagandam, et in veram cauſam monſtrandam, luminis haud parum conferant. Ex illis phaenomenis quae ſectione cadaverum facta pateſcunt, affectiones omnino binae ſeſe luculenter oſtendunt: Quorum prior compreſſio, poſterior ſubſtantia cerebri quodammodo vitiata, prorſus eſſe deprehenditur.

Williſius, in Sepulchret. ſect. 120. obſ. 1. dicit, "In defunctorum cadaveribus a longa paralyſi et graviſſima nervorum reſolutione, ſeſe ſemper deprehendiſſe corpora ſtriata, prae aliis in cerebro, minus firma, inſtar amurcae diſcolorata, et ſtriis multum obliteratis:" Et Morgagni ipſe hancce obſervationem multum confirmat; De ſed. et cauſ. morb.

Peyronius invenit durum tuberculum in medio corporis ſtriati fabae craſſitudine, cum latus oppoſitum paralyſi laboravit. Plexus choroides habebat corpus phaſeoli magnitudine, ex variis conſtans hydatibus, cum ſero inter meninges, in ſeptuagenario paralyſi dextri lateris laborante. Morg. de cauſ. et ſed. morb. ep. 11. ob. 6.

Chriſt. Vaterus, poſt alterius brachii paralyſin, concretum gypſeum in oppoſito nervorum thalamo deprehendit; Eph. N. C. dec. 3. ann. 9. et 10. obſ. 165. Johannes Bauhinus dicit, ſe vidiſſe apoſtema in cerebri dextra parte, paralyſin in latere ſiniſtro.

Agricola, 40 annos natus, dolore thoracis vago, tum linguae, deinde lateris dextri reſolutione, correptus fuit: Aqua inter meninges, et in ventriculis, continebatur; nates et teſtes cerebri cum glandula pineali duriuſculae friabiles; corpus ſtriatum ſiniſtrum, quaſi a tabe quadam factum, ſubſidebat; ex ejus medio tuberculum prominebat, maximae fabae magnitudine et figura, autem colore rubro. Morg. epiſt. xi. art. xi.

Anicula ex apoplexia tres annos hemiplectica. Capite a trunco diſſecto, tanta aquae copia ex canali vertebrali effluxit, ut vinarium vas, quod boccale vocant, impleverit. Morg. art. 15. p. 74.

Febris mulierem ex apoplexia paralyticam necavit. Cerebrum valde erat laxum, ejuſque vaſa ſanguine nigro turgidula. Morg. art. 22. p. 75. Mulier 24 annos agens, apoplectico affecta, cum dextri lateris paralyſi correpta. Vaſa piae m[illegible]ris turgidula; intra ſubſtantiam hemiſphaerii dextri, cavum quoddam latebat, concreto ſanguine oppletum; nihil autem

tem vitii in hemiſphaerio ſiniſtro inventum. Morgagni anat. epiſt. xii. art. 25.

De Haen narrat, ſe vidiſſe hemiplegiam dextri lateris. Poſt mortem dura mater in ſiniſtro cerebri hemiſphaerio varicoſiſſima; niger ſanguis cernebatur omnes medullae gyros volvuloſve per totum encephalon ſejungere; ventriculus ſiniſter ampliſſimus, tum rubella aqua, tum grumoſo ſanguine, plenus fuit. Rat. med. par. 4. cap. 5. caſ. 3. p. 138. In hemiplegia, caput apertum ſerum craſſum inter duram et piam matrem erat. Morg. de cauſ. et ſed. morb. epiſt. anat. xlv. art. 11. Abſceſſus ovi gallinacei magnitudine, peculiari tunica veſtitus, verſus tempus dextrum exporrigebatur; plexus choroides glandulis plurimis minutiſſimis albentibus refertus erat. Wepfer in auctar. hiſtor. et obſervat. apoplect. hiſt. 14.

Paralyſis ab abſceſſu in cerebro; Morg. hiſt. 2. etiam Schenckius eandem firmat. Paralyſin ex hydrope cerebri, perinde ac ex ſanguine in illo extravaſato, Brunnerus offendit; act. N. C. ann. 1. dec. 3. obſ. 153. 154.

Carolus Piſo invenit in cadavere totum ſpatium medullae ſpinalis et nervos in aqua plurima innatare, etiamque ſubſtantiam cerebelli ipſam eadem imbutam. De ſeroſ. colluv. ſect. 4. cap. 2.

Paralyſis crurum ex tumore intra thecam oſſis ſacri connato, et demum exulceratione lethali; ex hiſt. morb. Wratiſlav. ann. 1701. p. 68.

In medulla ſpinali granum plumbeum, hinc alarum paralyſis; Eph. N. C. dec. 11. ann. 4. obſ. 34.

Paralyſis crurum a vertebris cariolis introrſum curvis; Palfyn. van de bandern.

Paralyſis extremitatum inferiorum a gibbo dolente; Hildan. cent. v. obſ. 7.[p]

Cowperus paralyſin artuum inferiorum videbat ex tumore interno, qui duarum dorſi vertebrarum corpora exederat; Act. Lypſ. ann. 1699. Salzmannus invenit medullam ſpinalem plane exſuccam in ſuperioribus lumborum vertebris; Act. N. C. obſ. 100.

Nexus mirabilis inter varios capitis morbos natura ſua conſtituitur; utpote qui inter ſeſe vicibus alternatis quam ſaepiſſime commutantur; quod etiam ulterius probatum eſt ex iiſdem phaenomenis in diſſectionibus cadaverum repertis: Ita ? De Haen ait, "Paralyſios, epilepſiae, apoplexiae, cataphorae, et lethargi, convulſionis, aliorumque cerebri morborum cauſae reperiuntur eaedem;" et Cullen celeberrimus, eadem phaenomena, inſpectis cadaveribus eorum qui mania, cepha-

[p] Rat. med. p. 4. cap. 5. de apoplexia et morb. nerv.

laea,

laea, paralyſi, et apoplexia, interierunt, ſeſe non raro vidiſſe confirmat [q]. De Haen [r] videbat ſerum abundans ventriculorum anteriorum cerebri in uno, apoplexiam creaviſſe; in alio, epilepſiam; in tertio, paralyſin, et quoque per obſtructionem ſeu potius ſymphyſin vaſorum vehentium ſanguinem, ab encephalo, in ſinum longitudinalem reducem, tumque ſpiſſam lymphain ſub pia matre effuſam, diriſſimam ortam epilepſiam chronicam, tandem acutam lethalem, quae cauſae tamen leguntur alibi inemendabilem induxiſſe apoplexiam. Legite Boerhaavii caput de apoplexia, cum ill. Praeſid. com. et dein Hildanum, Borellum, Tulpium, Schenckium, Bonetum, Mangetum, qui deſcribunt eandem inventam in cadaveribus cauſam quae hos diverſiſſimos effectus produxerit. Ex his antea dictis concludere liceat, eandem cauſam, ipſa preſſionis differentia, vi etiam preſſionis in hanc magis quam in illam cerebri cerebellive partem determinatae, tum et majore aut minore reſiſtentia compreſſae partis, ad vim preſſionis magnam varietatem habere in effectibus inde producendis. Quamvis autem hae variae cerebri nevorumque laeſiones poſt mortem reperiuntur, attamen extant exempla omnium morborum capitis exiſtentium qui lethales evaſerunt, dum interea nullum cerebri vitium minutiſſime perſcrutantibus omnino repertum fuit; et, e contra, vitia hujuſmodi complura adfuerunt, dum interea nullus ex hiſce morbis invaſit.

Satis conſtat, injuriam in uno cerebri latere factam, reſolutionem in alterno corporis latere plerumque concitare; quod quidem ex obſervationibus univerſis omnium in re medica verſatiſſimorum, a temporibus Hippocratis ad noſtra uſque ſecula hodiernum etiam confirmatur. Ait enim, "Impotentes fieri, ſi in dextris fuerit vulnus, in ſiniſtra parte; ſi vero in ſiniſtris, in dextra;" Epidem. lib. 7. ſect. 1.

Supervacuum omnino foret, obſervata multifaria ex auctoribus medicis ac chirurgicis deprompta, de hac re fuſius enumeraſſe, et opuſculi noſtri limites longe ſuperaret. Dixiſſe ſufficiat, rem ita ſeſe plerumque habere. Diſſectiones morbidae, a Morgagni aliiſque factae, hoc non ſolum docent, ſed etiam experimenta in canibus vivis inſtituta, rem extra omnem dubitationis aleam lucidiſſime ponunt. Cujus rei ratio ex eo petenda eſt, quod fibrae nervorum medullares intra cranium, unde originem trahunt, vicibus reciprocis et alternis ſeſe decuſſare; nervi autem ex uno cerebri latere c[illegible]orti lateri corporis oppoſito in omnes uſus ſuos reputentur inſervire, prout Valſalva aliique exiſtimarunt. Porro etiam, quod ambiguitati locum haud relinquit, Sanctorinus nervorum de-

[q] Praelect. clin. de mania, ann. 1769. [r] Rat. med. loc. ſupra citat.

cuſſationem

cussationem aperte monstravit; Obs. an. cap. 3. sect. 12. p. 61. edit. Lugd. De Haen, ex cerebri sectionibus, idem sese observasse fatetur.

Utcunque tamen verisimile omnino videtur, nervos etiam esse quosdam ramusculis suis expullulantes, qui ex eodem cerebri latere primordium trahunt, quorum officium est eidem corporis lateri vires sufficere, qui sese invicem nequaquam decussant; et exinde resolutionem lateris dextri sinistrive ex affectibus eorundem, a causa morbi primaria, in eodem cerebri latere sublatente coortam esse.

## PRINCIPIA PARALYSEOS.

In principia paralyseos nunc ordine inquirendum est, quae ita nuncupantur, quoniam morbi causam per sese haud constituunt, sed causae principiis ansam praebent. Causa vero a principio in eo discrepat, quod, si causa adfuerit, effectus necessario concitabitur; si vero principia subfuerint, effectus concitari haud sequetur. Clarus [s] Ganbius ait, Consultum itaque videtur, morbi causam solummodo vocare id exquisite cujus vi totus morbus existit. Principia vero in bina omnino capita referri queant: In principia proegumena sive praedisponentia, et in principia procatarctica sive occasionalia.

## PRINCIPIA PROEGUMENA.

Quamvis autem paralysis homines temperamenti corporei cujuslibet, atque aetatis cujusvis, afficiat; attamen indoles peculiaris praedisponens aliquos morbo magis opportunos reddit. Eos praecipue aggreditur qui in apoplexiam magis proclives sunt, et quibus conformatio corporis apoplectica subest; caput magnum, collum breve, sex vertebris omnino constans, et in quibus habitus corporis crassior pleniorque dominatur, et qui periclitantur, uti videtur, ne strangulatione suffocentur. Vietos praecipue invadit. Caelius [t] Aurelianus dicit, prae aliis, senibus esse familiarem, sicut Forestus aliique annotarunt. Inter eos praecipue versatur, qui temperamento corporis sanguineo, vitam otiosam, sedentariam, temulantem, ac luxuriosam, transigunt. Porro, temperamento [u] melancholico praeditos aggreditur, quibus venae turgidae, laxae sunt; qui somno multum dediti, et qui vigiliis immodicis ac lucubrationibus nocturnis sese magis assueverunt: [x] Hoffmannus in-

[s] Gaub. patholog. sect. 62. de causa morborum. [t] Lib. 2. cap. 1.
[u] Hoff. de nerv. resolut. tom. 3. sect. 15. et obs. 8. p. 206. et obs. 13. p. 208. ejusdem libri. [x] Hoff. sect. 21.

quit,

quit, flacciditatem cerebri generisque nervosi debilitatem in eundem morbum disponere.

Quaedam tempestates ac annorum tempora praesertim paralysin producunt. Status aëris frigidior, humidior, huncce morbum concitat, prout ex observationibus clari [y] Huxham apprime confirmatur; et [z] Celsus ait, per imbres resolutio nervorum praesertim grassatur; nec non [a] Hollerius, se plurimos paralysi affectos sub temperie aëris frigida australi vidisse, refert. Quin etiam [b] Hippocrates ita infit, post austrinam et pluviosam tempestatem paraplegias epidemico more grassatas fuisse.

Morbus hicce sub anni stadiis quibuslibet, praecipue vero temporibus vernis aut hibernis, hominibus incursare consuevit [c]. Paraplegias fuisse epidemicas, aspera durante hieme, notavit Hippocrates [d]. Celius [e] autem Aurelianus, aliis etiam assentientibus, autumnali ac hiemali tempore familiarem fuisse, agnoscit.

## PRINCIPIA PROCATARCTICA.

Phaenomenis diversis rite pensitatis, quae in cadaverum dissectionibus occurrunt, aperte patebit, principia pleraque paralyseos ita reduci posse, uti causas omnino duas, sibi invicem oppositas, duobus sub capitibus agnoscant. Ex eis, caput primum cerebri mutationem conspicuam producit: Secundum vero mutationem talem haud agnoscit; sed potius in vim nervosam effectus suos exserere videtur.

I. Causarum caput primum autem, dissectionibus factis, ex cerebri nervorumque compressione, sive ex statu vitiato, constare cernitur.

Compressio genere duplice omnino cernitur: Externa, et interna.

1. Compressio externa habetur ea, quae a violentia externa in caput illisa, qualis ab ictibus, fracturis, contusionibus, vulneribus, caeterisque, concitatur, quorum quaevis vel cranio concusso, vel ruptura vasorum facta, cerebrum comprimunt, et exinde ex effusione paralysin provocant, sicut a multis auctoribus observatur.

2. Compressio interna, vel ex tumoribus, congestionibus, aut effusionibus, omnino constituitur.

Tumores in diversis partibus intra cranium formari queunt;

[y] De aere et morb. epidem. ann. 1730. 33. 34. 35. 37.
[z] Lib. 2. cap. 1.
[a] De morbis internis, lib. 1. cap. 7.
[b] Epid. 1. char. tom. 9. p. 63.
[c] Hux. de aere et morb. epid. loc. supra citat.
[d] Lib. 1. epid.
[e] Lib. 2. cap. 1.

ex

ex indole multifaria conſtant, ut cadaverum diſſectione compertum eſt; et compreſſione vel generali vel partiali facta, in affectibus paralyticis et apoplecticis concitandis, effectus ſuos peſtiferos edunt. Quodcunque nexum inter cerebrum musculoſve obſtruit internecatve, idem etiam paralyſin excitare queat. Ita medullae ſpinalis nervorumque vulnera, ligaturae, fracturae, contuſiones, luxationes, ac tumores, quae omnia, motibus voluntariis conturbatis vel deletis, ex neceſſe paralyſin ſuſcitare ſolent. [f] Morgagni paralyſin artuum inferiorum a vulnere medullae ſpinalis; [g] Huxham, et [h] Tulpius paraplegiam a ſpina bifida; [i] Felix Platnerus, ob medullam ſpinalem a globo ſclopeti contuſam, paralyſin artuum inferiorum obortam viderunt. [k] Foreſtus paralyſin brachiorum ex ictu lapidis in cervicem. De Haen [l] hemiplegiam ex tumore in collo; et Baro Van Swieten paralyſin brachii ex tumore axillae innatam obſervarunt. Quinetiam aliquando pectoris hydropem, uti monuit [m] Carolus Piſo, nec minus vomicam pulmonum paralyſin concitaſſe, haud raro compertum eſt. [n] Cl. De Haen obſervavit, paralyſin artuum ſuperiorum, ex hac cauſa coortam, in tribus omnino caſibus; per copioſam puris expuitionem prorſus expugnatam; Bonetus idem conſpexit. Porro quoque, ex aliis pectoris malis peripneumonia non raro concitatur, ſicut annotavit [o] Hippocrates et [p] Huxham, et ex paraphrenitide, uti retulerunt [q] Schenckius et Foreſtus [r].

Congeſtiones, vel ſanguinis in vaſis propriis accumulationes, paralyſin temporaneam frequenter excitant; ac eadem principia quae ſanguinis ſerive effuſiones agnoſcunt.

Effuſiones ſanguineae aut ſeroſae frequentiſſime paralyſin ſuſcitant; quarum principia ad inſequentia commode reduci queunt. Paralyſin apoplexia ſaepiſſime concitatam fuiſſe, teſtantur auctores fere omnes; et frequenter alios capitis morbos inſequitur. In hemicraniae vices interdum ſubit, uti monuit [s] Wepferus; aliquando ex epilepſia oritur, uti Tulpius [t], aliquoties hyſteriae ſupervenit, ut [u] Carolus Piſo, et [x] Cl. Lommius, necnon Magetus [y], affirmant. Arthritidis praeſertim

[f] Epiſt. anat. 53. art. 18. [g] Phil. tranſ. 413. anno 1730.
[h] Tulp. obſ. cap. 29. 30. [i] Obſerv. cap. 3.
[k] Lib. 10. ob. 96. [l] Rat. med. pars 3 cap. 6. ni .. 16.
[m] Seroſ. coluv ſect. 3. cap. 3. p. 243.
[n] Rat. med p. 3 cap. 2. Vide etiam hiſt. 25. p. 396.
[o] Hipp. coac. praen. aph. 400. [p] Huxham de feb. p. 237.
[q] Obſ. lib. 1 cap. 39. [r] Foreſt. ſchol. ad obſerv. 96.
[s] Wepfer. obſ. 165 et 167. [t] Tulp. obſ. lib. 4. obſ. 3.
[u] De morb. a ſeroſ. collav. cap. 7. obſ. 29.
[x] Obſ. med. lib. 2. [y] Bib. pract. p. 85.

ingruit quando arthritis vaga paſſim circumfluctuat, neque ad extrema inferiora determinatur; prout Boerhaave, [z] De Haen, [a] Muſgrave, Werner, et [b] Morgagni meminerunt. Quamvis autem arthritis retrocedens inter principia compreſſionis habeatur, tamen eam inter principia actionis vis nervoſae minutae recenſeri poſſe. Evacuatioues conſuetae intus retentae ex genere duplice, viz. ex ſanguineo et ſeroſo conſtant; quorum utrumque ad congeſtionem effuſionemque ſanguineam ac ſeroſam promovendam multum contribuunt.

Ex ſanguineo. Praecipue fluxus haemorrhoidalis obſtructus frequentiſſime paralyſin exſuſcitat, uti annotarunt [c] Hildanus et [d] Hoffmannus; nec minus fluxus intempeſtiva ſuppreſſio, uti monuit Hoffmannus. Quin etiam lochia ſuppreſſa, prout enarrarunt Zacutus [e] Luſitanus, [f] Nicolaus Fontanus, et Hoffman. Venaeſectio ad periodum conſuetam omiſſa, ſicut [g] Hoffmannus.

Ex ſeroſo. Saliva ſuppreſſa a [h] Tulpio notata morbum excitat. Sudor cohibitus eundem effectum procreat, prout [i] Hoffmannus ſe vidiſſe narrat. Cl. Boerhaave ex ulceribus et fiſtulis vetuſtioribus nimis cito exſiccatis, ex foecibus diutius retentis, et ex urina obſtructa, paralyſin ſaepe coortam eſſe, meminit. Quibus fortaſſe ſubjungatur retroceſſio exanthematum, uti [k] Hoffmannus; ſunt etiam eruptiones aliae cutaneae, qualis tinea capitis, prout [l] De Haen ac [m] Juncker obſervarunt.

II. Cauſarum caput alterum id habetur, quod de actione vis nerveae diminuta pendeat. Principia quae huncce ſtatum inducunt duobus omnino modis agere videntur.

1. Commutationem aliquam nobis abſconditam in organizatione ſyſtematis nervoſi provocant.

2. Vim nervoſam, reſpectu mobilitatis, ſtatu quodammodo commutato, diminuunt et conturbant.

Calor vim nervoſam afficit; mobilitatem, ſenſibilitatem, irritabilitatemque adauget; at, majorem in gradum provectus, actionem vis nerveae diminuit; unde, partibus applicatus ubi nervi majores decurrunt, haud raro paralyſin inducere queat. Cl. Profeſſor noſter Gregory ſe paralyſin inferiorum extremitatum vidiſſe narrat, quae in dies vel etiam hebdomadas ſi-

z Rat. med. par. 1. cap. 2. caſ. 2. et 7. Vide etiam par. 2. cap. 13. p. 235.
a Muſgrave de arthrit. anomal. cap 15. b Morgag. epiſt. 29.
c Hild. cent. obſ. 11. d Hoff. tom. 3. obſ. 7. p. 205.
e Lib. 1. prax. obſ. 38. f Reſpon. lib. 1. p. 25.
g Tom. 4. conſult et reſpon. med. caſ. 25. h Tulp. obſ. 40.
i Hoff. tom 3. obſ. 3. k Tom. 1. p. 358.
l Hemipleg. ex favis aut achoribus, in cap. rat. med. p. 1. cap. 8. caſ. 4.
m Hemiplegia ex purpura aut febre miliari, tab. 115.

ve

ve menſes complures aſſidue perduraverat, ex eo quod aegro-
ans ante focum ardentiorem dorſo eodem converſo, nimis diu
teterat. Inſolatio etiam eoſdem effectus concitari queat, uti
monuerunt [u] Wepferus, et [o] Proſper Martianus. [p] Hippo-
crates expreſſe ait, "Si caput repente Solis ardoribus expo-
itum eſt, paraplecticos fieri homines." Calor autem humi-
litati conjunctus atoniam, miris modis, acerrime producit.
Hinc ex nimio balneorum uſu paralyſis excitatur; uti nos
certiores fecerunt [q] Willis ac Martianus. [r] Livius etiam hi-
ſtoricus eadem fere teſtatur: "Cn. Cornelius conſul, ex mon-
te Albano rediens, conſedit; et parte membrorum captus ad
aquas Cumanas profectus, ingraveſcente morbo Cumis deceſ-
ſit." Liquorum diluentium calidiorum uſus immodicus a
Boerhaave memoratur; quippe qui membrorum tremorem
atoniamque univerſam, ſeu paralyſin imperfecte conceptam,
nducunt. Uſus theae immediocris ſub eodem capite accenſe-
ri queat; ſed de eo poſtea ſuus locus erit.

Frigus, caloris adverſarius, viribus ſedantibus multum pol-
et, praecipue vim nervoſam afficit, unde mobilitatem immi-
nuit, ac deinceps ſenſibilitatem irritabilitatemque tollit. Fri-
gus nimis intenſum diutius applicatum, humori praecipue con-
unctum, ad paralyſin concitandam vires ſuas acerrimas ubi-
que confert. Galenus [s] refert, homines paralyſi ſphincterum
recti, veſicae urinariae, ſubito correptos fuiſſe, dum lapide
frigido conſederunt, ſicuti piſcatoribus interdum accidit, qui
diutius aquis immorantur; porro ait, quidam, tempore fri-
gido et pluvioſo, madido pallio collum diutius obvolvit, unde
in paralyſin incidit. Quinetiam [t] Avenzoar teſtatur, ſe pa-
ralyſi cruris derepente correptum fuiſſe, dum nocte frigida
pluvioſa ſub dio diutius verſatus fuerit. Mangetus [u] etiam
edocuit, virum quendam incautum, dum in lecto humido dor-
mierat, aliumque, dum in horto madido poſt cathartici ope-
rationem diutius ambulaverat, in paralyſin derepente conci-
diſſe. [x] Foreſtus paralyſin manuum ex humore et frigore
collo applicatis, quinetiam veſicae urinariae ex frigore lumbis
applicato, coortam eſſe narrat.

Inter principia paralyſeos enumeranda ſunt Sedantia, quae
motus ſyſtematis violentiores compeſcunt, et fibrarum mobi-
litatem diminuunt. Ad tria capita, nempe, Refrigerantia,
Adſtringentia, et Nidoroſo, reduci poſſunt.

[n] Wepfer. obſ. 163. [o] Com. p. 102.
[p] Hip. de aer. tom. 4. [q] De anim brut. caſ. 5. de paral.
[r] Tit. Liv. hiſt. 1. 41. [s] Gal. de locis affectis.
[t] Apud Zacut. Luſitan. tom. 1 hiſt. 47. p. 84.
[u] Mang. bib. pract. p. 85. p. 106. [x] Foreſt. obſ. 84. obſ. 92.

Refrigerantia ſunt Acida et Sales Neutri, quae quidem viribus ſedantibus ex manifeſto pollent. Satis conſtat, uſum acidorum copioſum et continuum ventriculi viarumque primarum atoniam concitare, et nonnunquam, uti monuit [x] Cl. Baker, ſymptomata paralytica procreare; et Cl. Huxham dicit, paralyſin artuum ſuperiorum colicae Davonienſi non raro ſupervenire.

Adſtringentia viribus narcoticis agere videntur; hinc in haemorrhagiis activis multum uſurpantur, quas viribus haud aſtringentibus ſed ſedantibus tono ſyſtematis ſublato dimovere conſueverunt; vix enim intelligendum quibus tandem rationibus copia tam minuta exhibita viribus conſtringentibus eas coercere queant. Si vero concedatur vis narcotica, facile concipi poteſt, quibus omnino modis haemorrhagiis interdicant, nec aliis praeterea rationibus ad paralyſin producendam procul dubio vires ſuas conferre valent. Aſtringentia vel ex genere vegetabilium vel foſſilium omnino conſtant.

Ex vegetabilibus pauciſſima, ſi quidem ulla, ad paralyſin evocandam ſufficiunt. Ill. Van Swieten [y] utcunque ait, ſuccum accaciae, necnon adſtringentia hujuſmodi, imprudenter applicatum, oculorum caecitatem immedicabilem producere.

Ex foſſilibus commemorentur metallica; praecipue plumbum, cujus effectus in paralyſi concitanda prorſus notabilis; et profecto calcium adſtringentium ex plumbo confectarum, necnon ſacchari Saturni uſus, paralyſin notae pejoris inducere conſuevit, uti [z] Baro Van Swieten annotavit.

Nidoroſa ſunt ea quae veneno ſuo, per pulmones, inſpiratione corpori applicantur. Aer iſte ſive halitus, qui in locis clauſis, ut puteis caverniſque, diutiſſime coarctatur, et ex omnibus corporibus ſub fermenti ſtatu efferveſcentibus evaporat, aer mephiticus ſive Gas Sylveſtre nuncupatur. Flammas viribus ſuis nocivis extinguit, animalibus vitam citiſſime tollit, et minore gradu appoſitus ſtuporem, apoplexiam, paralyſinque conflat. Sulphuris aliorumque corporum inflammabilium, praecipue carbonum vapor, paralyſin, nec raro mortem, provocat, uti annotarunt [a] Hoffmannus, [b] Wepferus, et [c] Helmontius. Parietum cemento calcis recenter conſtructorum vapor, paralyſin ſaepe concitavit. [d] Van Swieten ait, ſe vidiſſe quam plurimos incautos, in aedibus recenter conditis, praeſertim foco luculento in conclavi extructo dormientes, hemiplegia immedicabili correptos fuiſſe. Porro, morbum

[x] Baker on Devonſhire colic.
[y] Com. tom. 3. de paralyſi, p. 360.
[z] Tom. 3. de paralyſi, p. 357.
[a] Obſ. chym. phyſic. lib. 3. obſ. 13.
[b] Obſ. pract. de affect. cap. p. 360.
[c] De Lithiaſ. cap. 9. p. 720.
[d] Tom. 3. p. 278.

eundem

eundem inducunt etiam vapores metallici, quales ex plumbo, mercurio, antimonio, arſenico, caeteriſque exorti; hinc qui fodinis argenteis plumbeiſque officio ſuo funguntur, affectionibus paralyticis plerumque correpti ſunt, uti monuit [e] De Haen; et qui inter officinas metallicas naſcendi ſorte quotidie verſantur, quales deauratores, chemici, figuli, metallurgique, morbo magis opportuni; cujus documentum lucidiſſimum a [f] Cl. De Haen: Ecce verba, "Machinam electricam noſtram multi hoc anno acceſſere; nonnulli paralyſi idiopathica; quidam a plumbo, ut tres figuli, alii a mercurio, ut duo deauratores," &c. De arſenico caſum paralyſeos extremitatum inferiorum ac ſuperiorum narrat, quam arſenici albi doſis copioſior induxerat [g]. Vegetabilium quorundam vapor, qualis odor ſambuci, croci, caeterorumque floribus efflluens, inter nidoroſa recenſeri queat, quae ſyncopen, haud raro mortem, induxerunt.

Narcotica veneno ſuo in vim nervoſam mobilitate diminuta praecipue agunt, ſenſibilitatem ac irritabilitatem tollunt, et ſomnum inducunt. Ex hiſce opium eſt praecipuum, virtute duplici ſibi invicem adverſa ſtimulanti ac ſedatrice praeditum. Opii effectus in paralyſin concitandam valde proclives, omnibus medicis cognoſcuntur; quin immo uſus ejuſdem externe applicati paralyſin procreat, ut probe cognitum ex experimentis a celeberrimo profeſſore noſtro Monro inſtitutis. [h] Felix Platerus inquit, paralyſin linguae ex opio in clyſmate injecto coortam. Quaedam alia hujuſmodi claſſis eundem morbum progenerant; qualia belladona, ſeu ſolanum furioſum, hyoſcyamus, et caetera. [i] Ill. Ray nos edocuit, belladonam ulceri cancroſo prope oculum adhibitam, dilatationem pupillae univerſam concitaſſe, cujus motus remedio tandem remoto prorſus reſtitutus fuit. Hyoſcyamus, opium, mandragora, ad dolores oculorum violentiores removendos applicata, eoſdem effectus produxerunt; ut a [k] Galeno obſervatum fuit.

Huic claſſi narcoticorum accenſeatur licet uſus ſpirituum ardentium, liquorumque fermento efferveſcentium immediocris, praecipue vini Campanienſis ac Arac vulgo dicti, quorum omnia affectibus paralyticis ortum praebent. Quinetiam ebrietas ſive temulentia paralyſin temporaneam fovet; uti Wepferus, nec non Carolus Piſo, aliique fere omnes, meminerunt.

Uſus nicotianae immodicus omnia ebrietatis indicia, quinetiam, ad exceſſum uſque nimis avide repetitus, apoplexiam

[e] Rat. med. par. 1. cap. 9. p. 91. [f] Pars 2. cap. 13. p. 233.
[g] Pars 9. cap. p. 106. [h] Obſervat. lib. 13. p. 129.
[i] Hiſt. Plant. lib. 13. cap. 23. p. 680.
[k] Method. medend. lib. 3. cap. 2. tom. 10. p. 58.

paralyſinque

paralyſinque provocat, cujus inſigne documentum ab [l] Hilwigio perhibetur: "Duo fratres Hollandi, gratia voluptatis, certarunt, quis eorum plures fiſtulas tabacci exſugeret; ſed, dum unus ad 17, alter ad 18, aſſumpſiſſet, ambo ſubito apoplecticorum inſtar deciderunt." Accenſeantur etiam huic claſſi narcoticorum uſus theae ac coffae vulgo dictae nimis conſuetus. Ex hiſce decoctum ſive infuſum fortius tremorem totius corporis inſignem ſaepe concitat, et atoniam ingentem relinquit. Praeclarus Boerhaave inquit, "abuſus theae coffae paralyſin induxit, nervis redditis flaccidis." Ac [m] Van Swieten his verbis ait: "Vidi plurimos, his potibus diu abuſos, adeo enervatum corpus habuiſſe, ut vix languida membra traherent, ac plures etiam paralyſi et apoplexia correptos fuiſſe."

Interſunt etiam alia principia, quae vim nervoſam, actione ejuſdem ſuſpenſa, vel inerte reddita, prorſus afficiunt. Affectus animi graviores paralyſin provocant; hi autem in duas omnino claſſes, nempe in pathemata activa et deprimentia, diſpertiuntur. Affectus praecipue deprimentes, quales terror, moeror, timor repentinus, vires ſuas in affectibus paralyticis conglomerandis ſaepius exſerunt. [n] Hoffmannus affectum paralyticum ex terrore in oeſtro venereo; [o] nec non extremitatum inferiorum paralyſin ex terrore repentino coortam; [p] nec minus hemiplegiam, ex qua aegrotans jam convaluerat, ex terrore ſubito redintegratam memorat. [q] De Haen eoſdem effectus poſt partum ex terrore concitatos obſervavit; et [r] Schenckius paralyſin ex moerore conflatam meminit.

Ex affectibus activis, ira, gaudium, caeterique, paralyſin viribus ſuis nocivis ex aequo fere ſuſcitare conſueverunt. Ira praecipue, quae brevis furor eſſe definitur, paralyſin haud raro provocavit; et praeſertim puerperas ac ſenes in paralyſin praecipitat; uti ait [s] Tulpius, Mulier ab ira protinus a partu hemiplegia occupata fuit. [t] De Haen paralyſin ex ira ac terrore conjunctis excitatam fuiſſe commemorat. Gaudium extremum ac intempeſtivum aliquando mortem infert; ſi vero in minore gradu proceſſerit, paralyſin temporaneam producit. Venus immodica inter principia paralyſeos ab omnibus auctoribus enumeratur; uti [u] Hoffmannus. Frequens concubitus corpus ſolvit, apud Celſum habetur. [x] Daniel Ludovicus duorum meminit, qui ſtatim poſt ſolutam copulam, alter

[l] Hilwig. obſervat. num. 45.
[m] Tom. 3. de paralyſi, p. 362.
[n] Syſt. rat. tom. 3. obſ. 2.
[o] Tom. 4. part. 4. p. 27.
[p] Tom. 3. obſ. 5.
[q] Rat. med. cap. 8. pars 1. caſ. 3.
[r] Obſervat. med. lib. 1.
[s] Obſervat. med. lib. 1. cap. 41.
[t] Rat. med. pars 3. cap. 6. caſ. 11.
[u] Hoff. tom. 3. de reſolut. nerv.
[x] Obſ. cel. medicor. de apoplex. obſ. 20.

in ſyncopen, altera in apoplexiam, ac deinceps in hemiplegiam, inciderunt. [y] Baro Van Swieten affirmat, homines paralyſi correptos fuiſſe, dum, poſt inflicta capitis vulnera, veneri nimis cito indulſerunt. Manuſtupratio, infandum! paralyſin acerrimam ſaepiſſime progeneravit; uti [z] Tiſſot aliique obſervarunt.

Principia praeterea paralyſeos extant nonnulla, quibus locum ordine aſſignare perdifficile foret. Motus convulſivi partis cujuſvis, ſi quidem violentiores ſunt, aut aliquamdiu durarunt, muſculorum paralyſin gradu majorem minoremve ſuſcitant; uti Van Swieten. [a] Gregory noſter, vir egregius, in arte medica celeberrimus, puerulum ſe vidiſſe declarat, qui, ante variolarum auſpicate prodeuntium eruptionem, motus convulſivos ſaepe perpeſſus fuerat: at hemiplegia ſupervenit, quae poſtea per triennium uſque, defruſtrata medicamentorum ope, perduravit. Fibrarum diſtenſio ſive contortio violentior magis minuſve partium atoniam, ac etiam paralyſin ſui ſoboleſ, poſt ſe relinquit. Dolor acutiſſimus diuturnus paralyſeos aliquantum inducit; ita affectiones rheumaticas inſequitur haud raro paralyſis; praeſertim, ſi dolor ſedem prope medullam ſpinalem ſibi fixerit, partes infra poſitae paralyticae deveniunt. [b] Boerhaave, poſt lumbaginem rheumaticam inveteratam, huncce morbum ipſe expertus eſt. Dolores colicos nec minus inſequuntur affectiones paralyticae [c] Muys mememinit paralyſeos utriuſque brachii poſt colicam biliosam. Paralyſin etiam aſſeclam agnoſcit colica pictonum; uti annotarunt [d] Graſhius, [e] Hoffmannus, [f] Huxham, [g] Van Swieten, [h] De Haen; affectio autem paralytica hic loci non tam videtur exoriri dolore vehementiore ejuſdem comite, quam a colicae principio, quod, uti jam compertum eſt, de plumbi effluviis originem ſuam trahit. Haecce enim materia, ſive per vapores hauſta, ſive interne inſumpta, prout antea innuimus, vires mirificas in affectibus paralyticis incitandis exercet Et Cl. De Haen [i] hortatur, ne paralyſis ſubſequens ſolummodo doloribus atrocibus aſſignetur; nam bis obſervavit, eandem abſque dolore conſpicuo concitatam fuiſſe: Et alibi inquit, "Citra doloris notabilem paroxyſmum in alio manuum paralyſin obortam vidi [k]." Paralyſis a partu non raro accidit, uti

[y] Com. tom. 1. p. 457. [z] Tiſſot. de l'Onanie.
[a] Praelect. pract. de Paralyſ. [b] Van Swieten. tom. 3. p. 354.
[c] Muys prax. med. chirurg. rational. decad. 6. obſ. 10.
[d] Graſhius de col. picton.
[e] Hoff, paralyſ. manuum ex colica ſaturnina, cap. 1. obſ. 3.
[f] Paralyſ. extrem. ſuperior. frequent. accidit; On Devonſhire colic.
[g] Tom. 3. p. 357. [h] Rat. med. pars 3. cap. 2.
[i] Ib. pars 3. cap. 2. p. 321. [k] Diſſertat de col. pict. cap. 2. p. 45.

ai

ait [l] Hoffmannus. Morbos acutos febriles, praecipue intermittentes, inſequitur; prout aſſeruerunt [m] Fernelius, Foreſtus, [n] Riverius, [o] De Haen, aliique complures. Perſaepe ſymptomatica in febribus exanthematicis, quinetiam in acceſſibus periodicis quotidianae intermittentis ſpeciem induens, uti monuit [p] Cl. Torti. Quodcunque ſanguinem multum afficit, quales lues venerea, ſcorbutus, eandem etiam concitare queat. Senertus, Eugalenus, et Cl. Lind, nec non De Haen, aiunt, eam a ſcorbuto coortam eſſe; et a ſyphilitide ortum habet, uti aſſerunt [q] Aſtruc, [r] Wepferus, ac [s] Baglivi. Dyſenteriam et hypercatharſin etiam conſequitur; uti [t] Conrad Fabricius, [u] Foreſtus, et [x] Mangetus. Vermes in inteſtinis hoſpitantes eandem inducere conſueverunt [y]. Haec igitur omnia paralyſeos principia multoties extiterunt.

## CAUSAE.

Nunc de cauſis paralyſeos agendum; quas, uti jam diximus, in capita bina, ſibi invicem oppoſita, reducere licebit. Horum prius habetur compreſſio; poſterius actio vis nerveae diminuta. Compreſſio in externam et internam diſpertitur. Externa a violentia quavis, in caput extrinſecus impacta, concitatur. Interna vel ex tumoribus, congeſtionibus, aut effuſionibus, enaſcitur. De tumoribus ſatis dictum. Congeſtiones in cerebro, nervos interpoſitos comprimendo, ſymptomata paralytica et apoplectica non raro concitare ſolent. Ex collari nimis adſtricto, ſenſus, motus, pulſuſque ſublatus fuit, et apoplexiae prima ſymptomata ſupervenerunt [b]. Suffuſio in vultu, et vaſorum capitis diſtenſio, tinnitus aurium, ſcotomia et vertigo, quae inter corporis decurvationem occurrunt, eandem certiſſime cauſam agnoſcunt. Effuſiones vel ſanguineae vel ſeroſae in affectibus paralyticis funeſtis creberrime reperiuntur.

Effuſiones ſanguineae. Sanguis ruber, a vaſis ſanguiferis in cerebrum effuſus, compreſſionem ſui generis infauſtiſſimam conflare ſolet; quae quidem exortum petit, vel a ruptura vaſorum cerebri quorundam, ex vi quavis externa profecta; vel

[l] Syſt. rat. tom. 3. obſ. 9.
[m] Tom. de febribus, lib. 4. cap. 10. paralyſis poſt feb. tertian.
[n] Lazar. River. cent. 1. obſ. 74. [o] Rat. med. p. 3. cap. 6. caſ. 12.
[p] De febrib cap. 4. p. 227. [q] De morb. vener. lib. 4. cap. 2.
[r] Wep. obſ. 147. [s] Bagl. prax. med. lib. 1. de lue venerea.
[t] Diſſertat. de hypercatharſi. [u] Schol. ad obſ. 85.
[x] Mang. B. P. p. 106.
[y] Act. N. cur tom. 2. obſ. 160. et hiſt. morb. Wratiſlav. ann 1639. p. 37.
[b] Swenſk. Wetenſk. acad. Handling, 1757. trim. 2.

ab

ab actione vaſorum, per cauſas in ea quaſvis immediate agentes adaucta; vel a quavis renitentia, quae ſanguinis venoſi refluxum a capite in cor verſus impediat; ex qua accumulatio neceſſario ſuccedat, quae, valvulis nullis in venis capitis uſquam ſubſiſtentibus, retrorſum propagatur; unde conatus haemorrhagicus, ſive actio vaſorum auctior, excitatur.

Effuſiones ſeroſae. Effuſio ſeri promovetur ab obſtaculo quovis, quod fluidorum a capite recurſum obſtruat, unde arteriae exhalantes magis diſtentae fluidum ſuum copioſius effundunt; vel a relaxatione arteriarum exhalantium per cerebrum inſperſarum, prout in hydropicis videre licet; vel a fluidorum jam effuſorum abſorptione prohibita, unde ſeri accumulatio in capite neceſſario ſubſequitur; vel a ſuperabundantia fluidorum ſeroſorum praedominante, reſiſtentia venoſa aut relaxatione vaſorum exhalantium etiamnum ſepoſita, unde ſerum, per vaſa extrema, in varias cerebri cavitates liberrime diffunditur. Cujus exemplum habetur iſchuria renalis illuſtriſſimum, ubi urina in renibus retenta, per divergium, in vaſa inhalantia abſorbetur, et in cerebri praecipue ventriculos effunditur; unde in apoplexiam, ac paralyſin, eventu funeſtiſſimam, vulgo terminatur.

Reſtat uti cauſam oſtendere conaremur, cur paralyſis, ſub extremis vitae praecipue ſtadiis, magis quam ſub adoleſcentiae decurſu, adoriretur. In aetate provectiore, plethora venoſa generalis in cerebri vaſis obtinet; praeterea, ſtructura ſingularis cerebrum congeſtionibus ac ſanguinis accumulationibus magis opportunum reddit. Cerebrum, cum caetero corpore collatum, exiguum, ingentem ſanguinis copiam aſſidue receptat. Malphigius aliique phyſiologici partem tertiam maſſae ſanguineae univerſae a corde in cerebrum continuo tranſmiſſam eſſe crediderunt. Sed calculis accuratioribus cel. Haller circiter medium inter partem quartam quintamque maſſae totius a corde in cerebrum, dato tempore, commeare monſtravit. Verum, ſi viſceris exiguitatem animo perpenderis, adhuc ea copia permagna cenſebitur. Natura, procul dubio, dum tantam ſanguinis copiam aſſidue cerebro ſuggerit, utiliſſimum ad oeconomiam conſervandam conſilium inſtituit.

Syſtema cerebri venoſum, per ſtructuram ſuam, ſanguinis motum lentiorem reddit. Cerebri venae, ſicut aliae, ab arteriarum extremitatibus ubique diſperſis oriuntur. Arterias tamen haud comitantur, nec in truncos majores connectuntur; ſed in vaſa majuſcula, Sinus appellata, per tubulos minuſculos evacuantur; tubuli curſu obliquo, motui ſanguinis adverſo, ſinus introeunt; valvulis et muſculorum adjacentium compreſſione vacant; unde motus ſanguinis in alias corporis par-

tes non parum acceleratur; ideoque ſanguis per cerebri vaſa lentius movetur. Sinus, laminis durae matris incluſi, per trabeculas et lacertulos, tranſverſim euntes, multum firmantur; unde eorum diſtenſio prohibetur. Arteriae cerebri, quam caeterae, tunicis multo tenuioribus inveſtiuntur; diſſectae collabaſcunt; et cera repletae fragiles admodum reperiuntur; unde tunicis muſculoſis eas indutas eſſe quidam non putant. Ideoque ruptura facilius incidere poteſt. Ex quibus omnibus conſtat, ſanguinem venoſum in cerebro tardius movere, ex eoque cerebri vaſa praecipue congeſtionibus et ſanguinis accumulationibus opportuna devenire. Quoniam igitur cerebri ſtructura congeſtionibus hujuſmodi favet, inde liquet, eas in aetate decliviore, dum plethora venoſa in univerſum dominatur, facilius inceſſuras eſſe; praeterea, ſi conformatio apoplectica ac habitus melancholicus adfuerit, paralyſin neceſſario ſuperventuram. Cum vero paralyſis a ſanguine rubro ſive ſero profluat, eam in ſanguineam, et ſeroſam, medici diſtinxerunt. Prior idiopathica aut haemorrhagica nuncupetur, ut quae ex plethora venoſa, ſive ſanguinis congeſtione, vel effuſione, plerumque concitatur: Poſterior hydropica, prout quae relaxatione vaſorum exhalantium primario debetur.

Quod ad alterum cauſarum caput attineat, multa de vi nervea imminuta, quae paralyſin exſuſcitare queat, adhuc dicenda reſtarent. In principiis variis quae paralyſin ab eadem cauſa procreare ſolent enumerandis, rationes diverſas, quibus vires ſuas exſerere videantur, quam leviter attigimus. Haec omnia, non nervos cerebri comprimendo, ſed vis nerveae mobilitatem ac agilitatem diminuendo, morbos paralyticos arceſſere conſueverunt. Phaenomenis ſomni vigiliarumque rite perpenſis, unicuique liquebit, vim cerebri nervoſam, ſub variis rerum, eventuum, ac tempeſtatum articulis, diverſum mobilitatis ſtatum gradumve ſubire. Theoriam vero ſyſtematis nervoſi, ut et alia permulta quidem memorabilia, ſi penitius inveſtigare tentarem, vereor equidem, ne opuſculum ultra metas inſtitutas nimis longe protraherem.

## RATIO MEDENDI.

Cum vero binae cauſae, prout jam diximus, indole ſua diverſae, ſibimet invicem opponuntur; ideo nec minus indicationes curatoriae, duplici genere diſſimiles, eis reſpondent.

I. Indicatio prima, ad congeſtionem in cerebro ſanguineam, et

et effusionem sanguineam aut serosam removendam, causam priorem, nempe compressionem, constituentem, comparatur.

II. Indicatio secunda, ad actionem vis nerveae diminutam amovendam, causam alteram, accommodatur.

1. Quodcunque vero plethoram et sanguinis in caput versus determinationem adauctam tollat, idem indicationi priori respondebit: Qualia evacuantia varia sese produnt; quorum praecipua sanguinis missio, cathartica, vesicatoria, et caetera.

*Missio sanguinis.*——Hocce remedium, haud parvi momenti, longe praestat; sed cautelam in usu suo maximam depostulat; quippe quod in omni casu in auxilium advocari nequeat. Hinc axioma praecipue accommodum: Sanguinis detractio vel occidit, vel liberat. Convenit inter omnes medicos de sanguinis mittendi usu, in paralysin haemorrhagicam idoneo ac salutari, sub qua sanguinis determinatio caput versus, et ibidem accumulatio, praesertim ineunte morbo, signis conspicuis adsunt. Cum pulsus citatior, fortior, durior, oculi rubri, turgidi, vultus rubicundus, calor insuetus, venam in brachio secare, quam citissime possimus, apprime necessarium deveniet; orificio latiore patefacto, uti sanguinis abstractio quam celerrime fiat. Actius ait, nullum inveniri remedium aptius in principio venaesectione. [c] Tulpius hominem memorat, qui, venaesectione in utroque brachio simul instituta, ex apoplexia a plethora exorta reconvaluit. Et Forestus [d] eam in apoplexia et hemiplegia removenda summo cum successu in usum advocavit. Cum vero successus qui ex venaesectione oriatur, magna ex parte, a vicinia qua sanguis in partem affectam emittitur, et a celeritate qua sanguis e vena fluit, omnino pendeat; ideo venae jugulares orificio patentiore pertundantur; quoniam ex eo cerebri vasa celerius deplentur et relaxantur Cavendum vero, ne ligatura circa collum nimis arcte stringatur, ne sanguinis transitus a capite impediatur, et effectus perniciosior exinde concitetur. Fortasse venam digito compressisse sufficiat. In apoplexia, quamvis sensus motusque, ut plurimum, opprimatur; unum tamen corporis dimidium, quam alterum, excitationi fit magis opportunum: Ideo sanguinis accumulationem in latere cerebri opposito plerumque latere putatur; unde Morgagni et Valsalva, sanguinem e latere maxime excitabili eliciendum esse, proposuerunt. Experientia tamen hodierna praxin hujusmodi nondum adeo confirmavit. Rondeletius cucurbitulas cruentas prope jugularem applicandas, quasi sub mento, praescripsit. Morgagni [e] scarificationem occipitis aut venae occipitalis sectionem multum

[c] Obs. med. lib. 1. cap. 7. [d] Lib. 10. obs. 76. 78. 81.
[e] De caus. et sed. morb. epist. 2. 10.

collaudat: Quam et cl. Mead, in maxime periclitantibus magnopere juvaſſe, non ſemel expertus eſt [f]. Valeſcus ait, ſe vidiſſe hominem curatum per uſum ſanguiſugarum, quaſi per totum corpus appoſitarum. Morbus aliquando per haemorrhagiam naturalem, praecipue narium, uti ſuadet cl. Boerhaavius, auſpicate removetur. Fluxus haemorrhoidalis affectum paralyticum nonnunquam abegit. Cujus exemplum celeberrimum ipſe vidi, cum apud Dominum Wardrobe, conſobrinum meum, plurimum venerandum, chirurgum in hac urbe peritiſſimum, hoſpitio diverſarer, et ſtudiis medicis operam, ſub ejus auſpiciis, ſumma cum utilitate, ſedulo navarem. Homo 55 annos agens, fluxu haemorrhoidali in annos complures, abſque moleſtia, laborabat; frigoribus autem expoſitus, fluxu retento, paucos intra dies, hemiplegia correptus, et omnibus aliis remediis incaſſum tentatis, fluxu haemorrhoidali rediutegrato, morbo liberatus, tandem convaluit.

*Cathartica.* Haec revera evacuantia potentiſſima; ideoque cum ſanguinis effluxus in caput determinatur, in plethora ſubmovenda, et ſanguinis augmento a cerebri vaſis auferendo, in remedium cedunt accommodiſſimum. In affectu paralytico haemorrhagico, ex genere maxime refrigerantium et antiphlogiſticorum eſſe debent: At in hydropico, calidiora, magiſque ſtimulantia, depoſtulantur; qualia hydragoga, ut aloe, ſcammonium, colocynthis, jallapium, gummi guaiacum, et caetera. At vero in catharticorum uſu non nimis inſiſtendum; quippe quae canalem alimentarium debilitant, et faecum ſtimulo minus ſenſibilem reddunt. Cl. Van Swieten [g] ait, ſeſe, hydragogis purgantibus, intervallo idoneo reiteratis, paralyticos complures ſanaſſe. Quinetiam in paralyſi ex vis nerveae diminutione oriunda, ſyſtema ſtimulando, prodeſſe queunt. Porro, alvum ſolutam conſervant, ex quo plethora coerceatur, cui paralytici ex appetito optimo quo fruuntur, et exercitio quo parcius utuntur, admodum fiunt opportuni. Clyſmata etiam ab initio nonnunquam prodeſſe valent; quoniam aegrotans aliquando cathartica deglutire minus poteſt. Haec vero ex genere acriori conſici debent; quoniam, ſenſibilitate et irritabilitate canalis inteſtinalis multum immmuta, effectus ejuſdem ſtimulantes in ſyſtema communicari nequeant, quo minus in paralyſi haemorrhagica noceant: At vero in hydropica, liceat uti vires ſuas ſtimulatrices exerceant.

*Emetica.* Haec autem prout evacuantia adhibentur. Sed eorum uſus, in paralyſin eximius, ſub formula ſtimulantium praecipue admittitur. Ventriculum quidem, phlegmate tenaci plerumque gravatum, contentis ſuis evacuant; ſed cum para-

[f] Mon. et praec. med. p. 58. [g] Com. lib 3. de paral. p. 334.

lyſis

lyſis haemorrhagica aut hydropica ſubeſt, ſumma cum cautela adhiberi debent; quoniam concuſſum in ſyſtema univerſum inferunt, et ſanguinis in caput cerebrumque verſus determinationem tam fortem promovent, uti periculum immineat, ne forte vaſorum rupturam aut mortem ſubitaneam denique provocent. Sanguis ideo, caeteris evacuantibus una praeeuntibus, ante eorum uſum, libere mittendus. Sin actione vis nerveae diminuta paralyſis oriatur, prout ſtimulantia, ſicut opinor, in uſum accomode advocentur; quippe quae ſyſtema univerſum concuſſu praeforti commovent, et cerebrum praeſertim exagitant. Quocirca, ex genere antimonialium, qualia tartarus emeticus, et caetera, praecipue occupentur. Turpethum minerale caeteris longe praeſtat. Sinapi, in vomitum excitandum, ex tuto adhibere licet; quod, ſi ſucceſſu deficiat, ventriculum tamen et canalem inteſtinalem ſtimulando multum proderit. At nullum ex emeticis iſtis adhibere voluerim, ubi cerebri compreſſio notabilis adſit.

*Diaphoretica.* Ea vero prout evacuantia, in paralyſin amovendam, compreſſione ſanguinea exortam, adhiberi nequeant; ut quae, cordis et arteriarum motum accelerando, ſanguinis accumulationem, et exinde cerebri compreſſionem, adaugere potuerint. Si quidem unquam in uſum advocanda ſunt, ex ea indole conſtare debent, quae, corde arteriiſque nondum excitatis, ſudorem promoveant; qualia ſales neutri, vel etiam tartarus emeticus, et caetera. Sed in paralyſin hydropicam, opportune, diaphoretica ſyſtema ſtimulantia, qualia ſerpentaria, contrayerva, guaiacum, ſpiritus et ſal. C. C. et alia hujuſmodi, in auxilium advocari debent. Ill. [h] Van Swieten, ſeſe paralyticos complures diaphoreticis ſtimulantibus, in dies aliquot adhibitis, ſudore interea ſpiritus vini accenſi vaporibus in artus paralyticos determinato, ſanaſſe, teſtatur; quod et experientia [i] Wepferi confirmatur. Sed in uſu hocce ſudorifico non diutius inſiſtendum; ut qui ſyſtema commune relaxat, et vim nerveam debilitat.

*Diuretica.* His autem in affectu paralytico minime confidendum. Prout evacuantia quidem admittantur licebit; et in paralyſi hydropica, ſub qua fluida ſeroſa ſuperabundant, multum fortaſſe prodeſſe valent. Diuretica ideo ſtimulantia, colchicum, ſcilla, apium, geniſta, et id genus alia, tempeſtivius uſurpentur.

*Errhina.* Ex ſecretione notabili quam a membrana Schneideriana cient, inter evacuantia enumerari poſſunt; et, ex levamine ſummo quod in capitis doloribus atrocioribus et ocu-

[h] Com. lib. 3. p. 384.
[i] Obſ. med. pract. obſ. 32. p. 72. et aliis pluribus locis.

lorum

lorum inflammationibus adferunt, in affectu paralytico perlubenter adhibere voluerim. Sternutatoria vero, quando paralyſin indicia compreſſionis ſanguineae ac ſeroſae notanda comitantur, ſumma cum cautela uſurpentur; quoniam concuſſio violenta, quam in ſyſtema univerſum, praecipue in cerebrum, inferunt, effectus maxime pernicioſos exſuſcitare queant. Sin autem paralyſis a vis nerveae torpore pendeat, medicamenta quae ſternutationem excitant, prout ſtimulantia, maximo cum emolumento in uſum revocari poſſunt. Namque, inter ſternutandum, ſingulae corporis partes violenter agitantur, et membra paralytica ſaepiſſime ſubſilire videntur. Fortiſſima et acerrima, nicotiana in non aſſuetis, euphorbium et radices hellebori deprehenduntur. Mitiora ex herbis aromaticis atque fragrantibus conficienda.

*Sialagoga* medicamenta habentur ea quae ſalivae fluxum promovent. His autem ordo duplex: 1. Ea quae ore applicata; 2. Ea quae, interne ſumpta, ſalivae effluxum exſuſcitant. Priora apophlegmatizantia et maſticatoria nuncupantur. Ab evacuatione copioſa quam e glandulis ſalivaribus cient, et ab eorum in cerebrum contiguitate, probabile admodum, quod ex uſu eſſe poſſunt, dum ſanguinis impetum et determinationem in cerebri vaſis adauctum auferunt, et ſerum ſuperfluum, quod in paralyſi hydropica plurimum dominatur, evacuant; at, praeter evacuationem quam promovent, linguam, ſaepius paralyticam, exiſtimulant, ex eoque multum prodeſſe poſſunt.—Ex ſialagogis internis praecipuus habetur mercurius; hydrargyrus, in affectu paralytico curando, a medicis quibuſdam multum collaudatur. Cl. Willis, ſeſe paralyſin, ope mercurii, ſalivationem concitando, curaſſe teſtatur. Sed experientia hodierna ſatis compertum, conſiliis eundem minus accommode inſervire. Fortaſſe, cum paralyſis ab affectibus localibus oriatur, in qua ſenſorium haud afficitur, in auxilium mercurius utiliſſime convocari poteſt.

*Veſicatoria.* Veſicantia epiſpaſtica prout evacuantia potentiſſima cenſentur; unde in morbis acutis, praecipue inflammatoriis, utiliſſima reperiuntur. In apoplexia et paralyſi generis haemorrhagici feliciſſime applicari queant; quippe ſanguinis copiam in cerebro contentam abſtrahunt ac diminuunt; unde ſanguinis impetum a cerebri vaſis adauctum tollunt. In paralyſi hydropica praeſertim utiliſſima reperiuntur, et liberrime licebit ut adhibeantur; quoniam effectus ſalutaris, ab eorum uſu profluens, in temperamentis ſeroſis aperte demonſtratur. Cum vero effectus, in evacuando, eo majores edunt, quo propius in partem affectam imponantur; ideo capiti et cervici praecipue libentius applicuerim. Prout ſtimulantia,

membris

membris paralyticis ipsis applicanda, successu nonnunquam felicissimo nec minus adhibeantur. At vero commodum ab eorum usu perceptum, quantumvis insigne, nonnullis in casibus infidum; quoniam in proclivi est, uti partes quibus applicentur, in senioribus praesertim, in gangraenam abeant.

*Fonticuli et setacea.* Fonticulis et setaceis, prout evacuantibus accommodissimis, suus etiam adhibetur honos. In capitis morbis, ab aucta sanguinis, et praecipue seri, determinatione concitatis, commodi multum inferre solent. Hinc effectus ex eis saluberrimus, non solum in affectibus paralyticis, siquando adsunt, abigendis, sed etiam in accessibus, ubi minitantur, anteveniendis, lucidissime patescunt. Ita [k] La Motte, Stuporem post apoplexiam manentem, qui frustra tentatus fuerat vesicatoriis et fonticulo, sanavit integre setaceum: Itemque puerum, qui, ab equo delapsus, apoplecticus factus, memoria per plures septimanas laesa, setaceo applicato, intra octiduum perfectissime convaluit [l].

Medicamentis quae indicationi priori respondere videantur ita brevissime perpensis, remedia quae indicationi posteriori inserviant ordine deinceps aggredior.

II. Huic autem indicationi per remedia prioribus longe diversa respondetur, quae sub nomine stimulantium communi insigniuntur.

*Animi pathemata.* Affectus animi systema fortissime stimulant; unde paralysin haud raro dimoverunt; cujus exempla complura apud auctores practicos publice prostant. Nempe paralysis sanatur ab *ira*. Paralysis in rustico sanata fuit, cum a filiis suis in iram ingentem conjectus esset; uti suadet [m] Stahl: Et Cl. Boerhaave [n] narrat historiam uxoris Calephi, ex paralysi sanatae, dum medicus pedes attingere conabatur. A *terrore*. [o] Schenkius hominem, in annos plures, hemiplecticum commemorat, qui, omnibus aliis remediis frustra tentatis, in terrorem repentinum ex aedium deflagratione conjectus, cito convaluit. A *metu* subitanea. Croesi [p] filius, cum antea mutus esset, dum militem in patrem irruentem videret, "Ne Croesum interimas," illico exclamavit; et interrupta loquelae vincula statim in perpetuum relaxavit. Quamvis autem paralysis ab affectibus animi repentinis nonnunquam sanata fuit, quum tamen haud ubique penes nos sit, eos ad lubitum nostrum in regulam revocare, ideo, in iis excitandis, multum

[k] Trait. complet. de chirurg. tom. 1. p. 120.
[l] Med. ess. vol. 5. part 2. p. 598.
[m] Theor. ver. p. 693.
[n] De morb. nervor. p. 633.
[o] Obs. med. lib. 1. p. 94.
[p] Herod. lib. 1. cap. 85. p. 35.

prorsus

prorſus ambigerem ; cum ex obſervatis multis conſtat, eos aliquando paralyſin, immo mortem, induxiſſe.

*Febris.* In febre cordis arteriarumque actio augetur ; ideoque medici inſignes febrem concitare ſuaſerunt ; quoniam ea cauſam vis nerveae obſtruentem forte removeri poſſe conjecerunt. Quod quidem experientia confirmatum eſſe compererunt ; ut qui naturam, ejus ope, paralyſin removere, nonnunquam obſervarunt. Ita Cl. Boerhaave, ſartorem ter paralyſi correptum, febre magna toties ſuperveniente, ſanatum vidit. Febris, ad paralyſin removendam, ab actione vis nerveae diminuta coortam, utiliſſime concitari poteſt : Sed, ad quem tandem gradum febrem excitare debeamus, definire perarduum eſſet ; cum effectus, a febre concitata profluens, ambiguus atque precarius eſſe queat. Quapropter, uti reor, eam naturae potius integram relinquere, vel ſaltem nimis longe non promovere, medico, nec minus aegrotanti, tutiſſimum. Paralyſin haemorrhagicam, a congeſtione commotam, ex febre concitata periculum maximum comitatur.

*Calor externus.* Ille vero in ſyſtema ſanguiferum ſtimulus praevalidus habetur, et ex incitationis cauſis praecipuis una deprehenditur. Mobilitatem vis nerveae, propius amiſſam, recreat ac reſtituit ; prout ex animalium hiſtoria conſtat, quae per hiemis decurſum latentia obdormiunt, et, calore Veris Æſtatiſque tandem redeunte, vires animales motuſque agiles denuo recuperant, ac reviviſcunt. Ideoque paralytici, prout experientia compertum, tempore hiberno, quam aeſtivo, teſte [q] Bellino, aliiſque, difficilius curantur. Quinetiam, coeli ſolique verſuram multis remedio ſalutifero fuiſſe, et demigrationem in plagas regioneſve calidiores curationem feliciorem abſolviſſe, ſatis conſtat. Calor immodicus, diutius immoratus, inter principia paralyſios habetur ; at, gradu minori applicatus, ſyſtema nervoſum exſtimulat, et ad morbum amovendum multum confert. Calorem medici, modis diverſis, eiſdem conſiliis adhibuerunt. Calor humori, prout in balneo calido caeteriſque, conjunctus, ad paralyſin removendam ſucceſſu feliciſſimo occupatus fuit. Thermae medicatae, quales aquae Bathonienſes, praeſertim ex alto dilapſae, aut in artus paralyticos impetu proſilientes, omnibus aliis fruſtra tentatis, uti ſuadet [r] Cl. Cocchi, [s] Willis, [t] Charleton, aliique, multos ad ſanitatem perduxerunt. Quoniam autem febrem temporaneam excitant, pulſum accelerant, et fluida rarefaciunt ; inde in paralyſin ex congeſtione ortam adhibitas eventu periculoſas eſſe liquet.

[q] De urin. ac pulſibus, p. 518.
[r] Dei Bagni de Piſa, cap. 4. p. 197.
[s] De anim. brut. p. 420.
[t] Inquiry into the efficacy of warm bathing in palſies.

liquet. Quarum effectus inauſpicatiſſimus, in paralytico cui morbus in apoplexiam lethalem commutatus evaſerat, a Cl. Cullen noſtro obſervabatur. Quapropter, in caſibus quibus applicentur, ſumma cautela adhibendae. Cum autem calor humori conjunctus viribus multum relaxantibus polleat, quae ſtimulantibus praeponderant; ideo medici calorem ſiccum, vice balnei calidi, periclitari juſſerunt. AEgrotantem in balneum arenae, ſive cibanum, aut laconicum, demitti ſuaſerunt. Sales calidi membris paralyticis, vapores ſpiritus vini accenſi, iti monuit Cel. [u] Van Swieten, feliciter applicati fuerunt. Animalia viva diſſecta, partibus laborantibus circumvoluta, prout utilia collaudantur. Utcunque, vix patet ea virtutes quaſlibet, ultra fomenta quaevis alia, poſſidere, niſi quod caloris gradus ſit magis naturalis ac opportunus. Quando paralyſis aliquamdiu perduraverit, fortaſſe prodeſſet, aegrotum cum alia quae bona valetudine fruitur, ſub iiſdem ſtragulis obdormire; cum, in eo caſu, calor aſſiduus et uniformis magnopere reficiat ac reſtituat.

Frigus, diu continuatum, mobilitatem vis nerveae multum infringit; unde paralyſin inducit: Sed citatius applicatum, et celeriter amotum, ſyſtema potentiſſime ſtimulat. Igitur immerſiones frigidae, ad paralyſin curandam adhibitae, multum laudibus efferuntur. Cum aegrotans ex lavacro frigido cito emerſerit, per varia febris ſtadia paulatim tranſit. Principio, frigore, rigore, et horrore, corripitur; deinceps, calor, rubor, ac pulſus citatior inſequuntur. Si lectum petat, et involucris ſeſe contegat, ſudor profuſus plerumque excitatur. Obſervationes innumerae docent, paralyſin ex uſu lavationis frigidae ſanatam fuiſſe; praeſertim ſi aquae ex praecipiti diſpergantur, aut in artus paralyticos deſuperne exantlentur [x].

*Electricitas*: Stimulus, inter omnes qui in fabricam humanam applicari potuerunt, habetur fortiſſimus; quippe quae ſyſtema nervoſum univerſum pervadit. Sin autem vis electrica cum intenſitate fortiori in ſenſorium devehatur, energiam vitalem demolitur. Si percuſſiones vi minore adhibeantur, ſyſtema ſanguiferum exſuſcitant; unde motum cordis arteriarumque accelerant, et ſecretiones omnes promovent, ſudorem ac perſpirationem laceſſunt, urinae fluxum provocant, alvumque ſolvunt. Electrizatio per ſcintillulas in aurem dimiſſa, ceruminis ſecretionem; oculo partibuſque contiguis, lachrymarum ſtillicidium; linguae glandoliſque parotidis, ſalivam, promovet. In fluxu menſium retentarum promovendo po-

[u] Com. in aph. Boerh. lib. 3. p. 334.
[x] Sir John Floyer ψυχρολουσια, p. 212. 456.

tentiſſima reperitur; uti [y] De Haen aliique docuerunt. In membris paralyticis haud raro dolorem, nonnunquam motus involuntarios ac tremores, calorem, ruborem, ſudorem, cum ſenſu formicationis, exſuſcitat; et partibus atrophicis plenitudinem tenſionemque conſuetam reſtituit.

Ex enarratis igitur unicuique patebit, electrizationem in paralyticis curandis apprime fore commodiſſimam. Interea vero cavendum, ne in omnibus caſibus indiſcriminatim adhibeamus; quum cauſa adeſt, cur eventu inauſpicatos ex ejuſdem uſu temerario metuamus; quoniam exempla ſuppetunt, ubi morbum exaggeravit, mortemque properavit: Noſtrum eſt igitur, dum de natura paralyſeos ambigitur, uti electrizationem ſumma cum cautela adhibeamus. Itaque, ſi paralyſin congeſtio ſanguinea ac plethora comitatur, ab illa prorſus abſtineamus; quippe quae, dum ſanguinis impetum in cerebri vaſis adauget, apoplexiam lethalem inducere potuit: Sin paralyſis ex actione vis nerveae minuta ſubſiſtat, remedium adhibetur ea praecipuum ac potentiſſimum. [z] De Haen, hoc remedio magnopere confiſus, ait, electrizationem neminem unquam laeſiſſe, et paralyticis quibuſlibet uſus ejuſdem, quacunque origine paralyſin contraxerint, levamen attuliſſe. In hacce autem aſſeveratione nimis longe proceſſit. Utcunque tamen, uſu ejuſdem per plures ſeptimanas ſimul continuato, curationes multas auſpicato perfecit: Et quendam memorat, qui, tribus menſibus exactis, nil commodi exinde percepit; ſed, diutius ictibus iteratis inſiſtendo, ſanitatem integram tandem recuperavit. Haud ideo ſperandum, aegrotantem a continuatione breviori ſanari poſſe; ſed ſalutem, diutius inſiſtendo, ſolummodo recuperandam eſſe. In paralyſin localem remedium adhibetur accommodiſſimum. Si paralyſis capitis adſit, et organa auditus viſuſve affecerit, electrizatio, quippe medela periculoſa, ſumma cum cautela in uſum advocetur, et concuſſiones leviuſculae ſolummodo adhibeantur; fortiores enim noxiae futurae —Analogia ſumma inter ictus electricitatis atque fulminis obtinere videtur. Fulminis ictus contactum paralyticum nonnunquam ſanavit. Cujus exemplar illuſtriſſimum apud [a] Diemerbroekium habetur, ubi ita ait; Mulier enim quae ſexto aetatis anno, ex ſubito terrore, paralyſi totius corporis, excepto ſolo capite, correpta fuerat, et poſtea extrema inferiora per triginta et octo annos habuerat paralytica, cito convaluit, dum, horrenda tempeſtate ingruente, fulmen illam ingens circumfulſiſſet; et poſtea mulierem per quindecim annos et plures vidiſſe ſanam teſtatur.

[y] Rat. med p. 237. caſ. 21. 22. 24.
[z] Rat med. p. 142.
[a] Obſ. curat. med. obſ. 10. p. 9.

Praeter

Praeter ſtimulantia externa, de quibus egimus, interna quaedam in paralyſin curandam multum conferunt.

*Medicamenta Interna.*

Ex genere vegetabilium, &c.——*Plantae acres antiſcorbuticae*, uti nuncupantur; quales ſinapi, rhaphanus ruſticanus, naſturtium, et id genus aliae, interna remedia, in medelam paralyſeos optimam exhibentur. Diuretica, diaphoretica, et laxantia habentur. Ventriculum, canalem alimentarium, et ſyſtema nervoſum, exſtimulant, et ſtimuli inflammatorii non multum poſſident. Sinapi album, non contuſum, cochlearibus majuſculis, ſingulis diebus, aliquoties adhibitum, optimo cum ſucceſſu propinatur; contritum vero portiunculis minoribus ſumatur [a].

Aromatica, tonicis adjuncta, eodem conſilio praeſcripta fuerunt; qualia amara varia, quae ventriculum calefaciunt et corroborant, ac ſyſtema nervoſum ſtimulis haud irritare conſueverunt; unde, in ventriculi inteſtinorumque atoniam, multum prodeſſe queant: At, in paralyſin removendam, haud multum ex iis ſperandum. Cortex Peruvianus etiam in uſus eoſdem advocatus fuit. Chalybeata cum amaris conjuncta, vel aquae chalybeatae cum iis ſimul inſumendae, optimo cum fructu propinari poſſunt. Olea aromatica diſtillata, qualia oleum cinnamomi, caryophyllorum, origani, roriſmarini, et caetera, cum externe tum interne aſſumpta, uti monuit [b] cl. Van Swieten, in eundem effectum propoſita concelebrantur.

Balſama artificialia et naturalia, ad morbum dimovendum, aliqui commendarunt. Quoniam vero vis ſtimulatricis haud multum poſſident, ideo parum fiduciae in eis collocandum. Quinetiam, aſſa foetida a nonnullis effertur: Ea vero portiunculis largioribus adhibita, intra ſedantia deprehenditur; ideoque neceſſario nociva reperietur. Camphora nec minus utitata fuit: At effectus ejuſdem, ſive more ſedantium ſive ſtimulantium operatur, ambiguus admodum habetur.

Alkalina volatilia, quale ſpir. et ſal. cornu cervi in aquis diſtillatis aromaticis dilutus, laudibus ſuis efferuntur; quippe quae perinultum extimulant, ſtimulus autem breviſſime perdurat: Ideoque non multum commodi ex eis ſperandum.

Ex genere animalium. Remedia quaedam, prout ſtimulantia, qualia caſtoreum, moſchus, zibethum, cantharides, ad paralyſin removendam exhibentur. Caſtoreum, apud anti-

[a] Arnicae montanae Lin. flores ſeu folia cum aqua bulliente macerata haec in morbo multum nuper commendata ſunt.

[b] Com. in aph. Boerh. de paral. p. 378.

quos magni aeſtimatum, ab Aetio commendatur; ſed utilitatem ejuſdem medici recentiores haud confirmarunt: Ideoque in ſolamen potius et oblectamentum copia conſueta propinatum eſſe putaverim. Moſchus in uſum rarius advocatur; porro, ſi frequentius admitteretur, parum utilitatis collaturum eſſe ſuſpicarer. Cantharides externe ſolummodo adhibentur.

*Remedia Externa Topica.*

Exercitium. Exercitatio ſyſtema quam maxime exſtimulat: At, ſub affectu paralytico, aegrotans in eo ſtatu verſatur, quo exercitiis uti nequeat: Ideoque [c] Celſus ait, Vel geſtetur, vel motu lecti concutiatur; tum id membrum quod deficit, ſi poteſt, per ſe, ſin minus, per alium moveatur, et vi quadam ad ſuam conſuetudinem redeat. Schenckius refert, foeminam ex dextri lateris hemiplegia recuperatam eſſe, vectam in rheda. Quoniam vero parum emolumenti ex hoc motu paſſivo ſperandum foret; ideo, ad eam exercitationis ſpeciem quae frictionibus excitatur, omnino recurrendum.

Fricationes, in paralyſin amovendam, efficaciſſimae reperiuntur; quippe quae ſtimulis quam maxime polleant; unde majorem ſanguinis influxum in partem affectam determinare ſolent; calorem, ruborem, et plenitudinem inducunt; muſculorum tenſionem roburque reſtituunt; et exinde partium atrophiam et tumorem oedematoſum auferunt. Partes autem paralyticae panno laneo, vel ſtrigili, aliquamdiu, vicibus iteratis, in dies ſingulos defricentur; et iis partibus, ubi nervi majuſculi propius integumenta decurrunt, praecipue capiti, cervici, dorſique vertebris, applicentur. Veſtimenta lanea gummi quovis aromatico imbuantur; ut aegrotans, oblectamento captus, in partibus defricandis aſſidue verſetur.

*Fuſtigationes.* Percuſſiones molliuſculae in partem corporis quamlibet, ope virgularum tenuiorum inflictae, donec membra paralytica rubeſcere ac tumeſcere incipiant, in eundem uſum inſerviunt. Partes vero paralyticas potentiſſime ſtimulat, et fuſtigationibus uſu frequentius uſurpatur, urticarum ope, partium flagellatio, quae ardorem moleſtum, cutis rubedinem et tubercula prurientia, exſuſcitare conſuevit. Hoc remedio ſolo nonnunquam curatio ſubita et conſummata perficitur [d]; et a [e] Celſo, [f] Aretaeo, [g] Riverio, aliiſque, multum commendatur.

Rubefacientia inter ſtimulantia longe validiſſima perhiben-

[c] De reſolut. nervor. lib. 3. p. 179.
[d] Acad. de ſcienc. An. 1741. p. 103.
[e] Lib. 3. cap. 27. p. 119.
[f] De cur. morb. acut. lib. 1. cap. 2. p. 80.
[g] Prax med. cap. 3.

tur;

tur; quorum ſpecies praecipua, ranunculus, rhaphanus, allium, bulbus ceparum, ſinapi, deprehenditur. Talia contrita, et in pultalicium confecta, partibus paralyticis applicata, dolorem et inflammationem exſuſcitant, atque laceſſunt. Veſicatoriis praeſtant; ut quae citatius exſtimulant, et facilius removeri poſſunt, evacuatione nuſquam concitata; unde gangraena felicius et opportunius evitetur. Complures aegrotantes a ſinapiſmis, aut cataplaſmatis inde confectis, eventus optimos ac ſalutares experti fuerunt. [h] Riverius, in re practica peritiſſimus, eadem applicanda ſuadet, donec pars rubeſcere incipiat; ea tamen non diu in parte relinquenda, ne veſicas excitent; ſed tamdiu ſolum, donec pars rubicunda digito preſſo, non albeſcat, ſed rubicunda permaneat.

Emplaſtra acria aromatica, membris paralyticis applicanda, medicis omnis aevi ſuadentibus, adminiculantur.

Linimenta et unguenta varia ſtimulatricia partibus defricatis applicari jubentur. Quinetiam olea acria volatilia, quale oleum cornu cervi, ligni guaiaci, et caetera, in eundem ſcopum accommodantur. Alkali volatile, oleo expreſſo conjunctum, remedium fit optimum; utpote quod, dum partes ſtimulat, vim etiam ſtimulatricem univerſo ſyſtemati communicare ſolet. Alkali fixum ſtimulum ſaltem topicum et inflammatorium impertitur; ideoque minus utile cenſetur.

Acida mineralia fortiora nec minus in uſum advocantur. Haec quidem omnia inflammationem excitant, et, diutius continuata, veſicas efformant, et effluxum a partibus affectis producunt; ideoque tractatu ſedulo ſaepius dimovenda ac introſpicienda, ne gangraenam inauſpicatius inducant.

Veſicatoria, nervis admota qui partibus affectis ſufficiunt, vires ſuas validiſſimas exercent. Si artus inferiores affectu paralytico tentantur, veſicatoria, nec minus alia remedia topica, circa ultimas lumborum vertebras; ſin artus ſuperiores afficiuntur, cervicis vertebris ultimis, applicentur. Galenus inquit, "Multa medicamenta partibus affectis abſque ſucceſſu, loco autem unde nervi proceſſerunt omiſſo, fruſtra ſaepius applicata fuerunt:" Quod etiam multis exemplis luculenter confirmatur. Cujus documentum a cl. Van Swieten in medium profertur. Ait enim, ſeſe aliquoties brachiorum reſolutionem, colicae pictonum ſuccedaneam, feliciter curaſſe frictionibus, unguentis, et emplaſtris aromaticis abdomini tantum adhibitis, nullo remedio partibus paralyticis applicato.

*Cauſticum actuale.* Alpinus, Ægyptios ipſa inuſtione curam apoplexiae, epilepſiae, paralyſeos, felici cum ſucceſſu tentaſſe, affirmat. Eodem conſilio, Jaconeſienſes, Aſiae incolae, moxam

[h] Ibid.

adhibere

adhibere ſolebant. Utraque vero, inter Europaeos, periclitationem anguſtiorem ſubiit. Sed vereor, ne in remedium periculoſum evaderet; ne partes in gangraenam laberentur.

*Regimen.* Si paralyſis aliquamdiu inveteraſcat, et ex actione vis nerveae diminuta ſubſiſtat, alimentum ex genere ſolido ac generoſo, nec minus interea ſtimulatrici, conſtare debeat. Carnes aſſatae, imprimis ferinae, et aviuin montanarum, condimenta ex ſinapi, piperi, cepis, caeteriſque confecta, praeferuntur; quorum effectus ſalubriores a cl. Van Swieten, aliiſque, concelebrantur. Aer calidus, ſiccus, paralyticis accommodiſſimus: Unde a caloribus aeſtivis emolumento majore perfruuntur. Quocirca, uti frigus hibernum, in patria noſtra graviſſimum, devitetur, partes affectae veſtimentis ſiccis aridiſque, aut tegumentis ex pellibus leporinis, murinis, aut caſtoreis, aſſidue foveantur ac muniantur; vel in regiones ſiccas, calidas, et montanas, auſpicatis avibus, paralytici devehantur.

---

## DE APOPLEXIA.

*AUCTORE THO. RUDDIMANNO-STEUART.*

IN apoplexia, "motus voluntarii fere omnes, cum ſopore plus minus profundo, ſuperſtite motu vitali *, imminuuntur."

### SYMPTOMATUM HISTORIA.

Acceſſio ſic ſe habet. Ante omnia, ſigna quaedam in vultu et capite, circaque hoc, apparent: Cujuſmodi, vultus turgor, color florens, atro rubens, cum hic auctus, tum alibi, calor †; hu nidi oculi, prominentes, intumentes, caligantes; capitis quaſi vertigo, ejuſdem, et praecipue occipitis, dolor premens, gravans, aurium ſuſurrus, tinnitus, ſunt ‡. Haec, aut eorum pleraque, aliquando ante acceſſionem incidunt, ſaepe hujus, jam ingruentis, pars ſunt. Quibus aequalia fere ſunt Ad ſenſum attinentia. Itaque, ante acceſſionem, ſatque

* Cull. Gen. Morb. G. xl.
† Sauv. de apoplex C. vi. O v. G. xxxi.
‡ Hoffman. Med. nat. ſyſt. tom. ii. p. 241. ſect. 7. de haemorrh. cereb.

diu

dii nonnunquam, ſed rarius, hanc multo ſaepius ac conſuetius comitans, non ſolum univerſo corpori communior, ſtupor, ſeu ſenſibilitatis defectus, ſed propriorum quoque ſenſuum ſentiendi vis imminuta, incidit.

Nec cogitationis affectio non eundem tenorem ſervat. Stupiditas aut delirium aut ſopor, modo paulatim, diutiuſque ante manifeſtam et juſtam acceſſionem, multo ſaepius repente magis, incidunt. Quorum ſtupiditas, "cum ſopore plus minus profundo," ab apoplexia inſeparabilia, ei neceſſaria ſunt. Saepe ſopori incubus, quandoque, ſed rarius multo, ante acceſſionem, ſuperadditus, obvenit. Quem minus ſtupiditas, cum ſaepe delirium ita, exercet, ut aut falſa pro veris habeat, aut de veris falſo ratiocinetur. Quod, ſi quando cum febre conjungitur, quia tamen ſaepius ſine hac eſt, non ab ea pendere credendum eſt.

Haec fere, quo tempore dictum eſt, incidunt. Quae, praecedente et ingraveſcente acceſſione, pejora, graviora, magiſque formidanda, fiunt. Rerum externarum ſenſus magna ex parte deletur; qui tamen aliquando quibuſdam partibus, eſt, ubi toto altero latere non, aut minus, imminuitur. Idem raro, nec unquam fere, niſi morte imminente, ita extinguitur, ut non admotis ſtimulis validioribus ſentiat, immo excitetur adflictus. Ex propriis ſenſibus alii magis magiſque, creſcente malo, hebetantur, alii delentur, ut, in hoc exquiſito, amplius moleſtiae nihil percipiatur.

AEque ac ſenſus, aeque ac animi facultates, motus aut deficiunt aut abnormes fiunt. Primumque torpor, ſive imminuta irritabilitas, cum ſtupore jam relato conjunctus, morbi futuri plerumque nuncius eſt. Is paulatim ad motuum voluntariorum extinctionem ita aſſurgit, ut plerumque, ante juſtam apoplexiae acceſſionem, alicubi corporis paralyſis juſta, ſemperque fere cum imminuta ſimul ſentiendi facultate, incidat. Utque in catalepſi muſculi aut contracti ante ſunt, aut, ſublato membro, contrahuntur, contractique permanent; nam quocunque in habitu membrum aliquod collocaris, in eo immobile permanet, ita in apoplexia et paralyſi iidem reſolvuntur.

Motuum abnormitas in hoc conſiſtit, quod, dum alii ſic, ut modo dictum eſt, imminuuntur, alii nimii ſunt. Quod maxime in non voluntariis, et, ex his maxime, in genere vaſculoſo, fit. Nam, licet, magnitudinem adepta acceſſione, immi ui ſoleant, tamen et initio, et aliquando hoc ipſo tempore, cordis et arteriarum actiones ſaepe adaugentur: Quin etiam in ſummo gravis morbi impetu pulſus pleni magnique, et,

et, inſtante morte, ſi non validi, frequentes ſunt *. Quae nimia actio, prae caeteris, in quibuſdam corporis partibus apparet; id quod ſymptomata vultus, primum memorata, nempe hic turgens ſanguine cervixque, oculi rubri humidique, et alibi alia, indicant. Nec eadem aucta actio non, decedente morbo, etiam evidentior, ſaepe ad vim febrilem accreſcit. Hinc febrilis quoque ſolutio, urinae ſedimento, ſudore et aliis excretionibus reductis, deſinentem apoplexiam comitatur. Quo febrili impetu ne initium quidem morbi ſemper vacat.

Abnormitas quoque ordine interdum cernitur, eſtque ubi alterum latus univerſum, altero paralyſi laborante, convulſionibus prehenditur; alias parium muſculi convelluntur: Hinc ſuperiorum et inferiorum extremorum convulſiones variique tremores, maxime inter dormiendum, item vomitus oboriuntur.

Secretiones quoque non immunes mali ſunt. Quae ordine quoque ita perturbantur, ut aut nimiae ſint, quod ſpuma circa os et fauces collecta et ſudoris guttae oſtendunt, aut imminuantur; quod vitrea corneae oculi ſpecies, in multis apoplecticis, extrema vaſa non rite impleta oſtendens, argumento eſt. Eodem pertinet quandoque pallor animadverſus.

Nec ſpiritui inſerviens poteſtas illis aut validior aut ordinatior eſt. Quae, vigente maxime acceſſione, cum ſterture horrendo peragitur, ante etiam et poſt ita tarda, ut intervallis, qualia in ſomno eſſe ſolent, inter ſe longis et cum labore ducatur.

Haec ita fere ſe circa ſtatum acceſſionis habent; jamque, quae rerum facies, decedente vel inclinata hac, ſit, deinceps videamus.

Eaedem, decedente acceſſione, quae, accedente, ſentiendi negotii affectiones ſubeunt, ſed inverſo ordine, ut quae primae ante, eae nunc poſtremae, contraque, deprehendantur. Interque convaleſcendum, paulatim decedunt, donec omnino deſinant; ſed ita, ut quaedam, quales capitis quaſi vertigo, frigoris ſenſus, formicatio, et ſimilia ſunt: aliquandiu tamen, ſaltem in nonnullis, permaneant.

Idem mentis affectionum ordo hoc tempore eſt, a ſummo morbo ad ſalutem tantum reductam, quantum reduci ſolet, recedentium. Diu tamen ſtupiditas apoplexiam paſſum notare ſaepe perſtat; permanetque diu poſt acceſſionem ſaepe ingenii et memoriae vitium: Quod, in ſommum-

* Idem. in Hydrocephalo peremptis Whyttius vidit. Oper. omnia in quart. p. 733—742.

que

que proclivitas, hebetudo, item pusillanimitas, haud raro homini coaeva evadunt.

Soluta accessione, variis in corporis partibus motus impatientia, scilicet, paralysis, iis potissimum locis, ubi morbi tempore maxime fuerat, plus minusve saepe remanet; semperque, ut stupor, ita torpor eum, qui semel apoplexia implicitus sit, exercet.

*In cadaveribus conspectâ.*

In Lieutaudio, et a quibus ille observationes retulit, praeque caeteris, apud magnum Morgagnium, ad duplicem cerebri statum, compressionem et corporis cerebri membranarumque ejus vitium, tota haec affectio morbosa redigi potest. In quibus dijudicandis, cavendum ab errore, quo incisorum, vix ipso magno Morgagnio excepto, plerique sunt abrepti, ne id pro causa, quod effectus sit, et contra, apprehendas, et sic fallaris magis judicio animi tui, quam si magno incisionum ad verum detegendum lumine esses privatus.

Quae comprimunt, sunt et firma et humores. Illa partim externa, partim aliena: Cujusmodi sunt, in cerebrum, aut ejus membranas extrinsecus vi adacta, instrumenta vulnifica. Et, licet non a corpore, ab hoc loco tamen, aliena sunt cranii fragmina, forte intropressa, ipsumve hoc intus quacunque prominens, scilicet, varie, exostosium, nodorum aut tophorum, quae dicuntur, forma excrescens.

Eodem pertinent mollium quoque partium similes processus, ut vasorum membranarumve, praecipue ubi falcem efformant, in naturam ossea versorum. Nec concreta quaedam, potissimum in glandula pineali, item mihi seminibus consimilia corpora, tumoresque quasi scirrhosi, quae intra cranium saepe deprehenduntur, indidem abludunt.

Humores qui comprimunt, aut intra vasa, aut his effusi, aut alieni, id faciunt. Intra vasa, sive arterias sive venas, sanguinem congestum noxae fuisse, hoc post mortem illae turgidae documento sunt. Quae tamen aëre solo quandoque intumuisse reperiuntur. Lymphane, quae e cerebri incisi foraminibus copiose saepe diffluit, suis vasis contenta distendensque comprimat, aeque ac, qualia eam vasa ferant, incertum est. Denique, hydatidibus, quae toties intra cranium offenduntur, concussus, quamvis praeter naturam humor, his causis comprimentibus jure annumeratur.

Effusi vasis humores comprimentes sunt aut sanguis integer, aut serum, aut serositas. Quae omnia humoris genera omnibus in cranii cavis naturalibus, et aliquando praeter naturam natis, reperiuntur. Quod autem ad ea attinet; colore, te-

nuitate, aut ſpiſſitudine, item odore et ſapore, adeo, cum in hoc, tum in aliis corporis cavis magis minuſve ſtagnantia, variant, ut ſanguinis partes, an prorſus diverſi humores ſint, difficile ſaepe dictu ſit. Aliquando nihil, aliquando tantillum humoris, ut id, ad comprimendum, vix quicquam potuiſſe videatur, effunditur. Alieni humores, ad hunc locum attinentes, ſunt aut ſanguinis partes, fermentatione, maxime putrida, corruptae, et in diverſam naturam mutatae, aut ipſius cerebri corpus liquefactum, aut a calore et ſtagnatione natus, qualis pus eſt; quod, in cerebro partes maximi uſus et dignitatis comprimens, ſaepenumero reperitur. Aër quoque piam matrem, veſicae inſtar, diſtendens hic repertus eſt; ſed an, ut apoplexia ab ea compreſſione quoque ſit, incertum.

Corpus ipſius cerebri varie vitiatur. Quod vitium inferunt aut inſtrumenta vulnifica, mechanica vi agentia, aut acria, partes varie rodentia, aut ipſi humores naturales, vaſa propria rumpentes, aut denique effuſi corruptique, firmorum texturam et compagem diſſolventes. Quorum effectus ad continui, ut aiunt, ſolutionem omnis redit.

Supra expoſitis adjiciendum videtur, alia capitis mala ab his intus vitiis, et non ſemper apoplexiam, exoriri: contraque, hanc ſine iſtis omnino, et ſine quavis cerebri offenſa manifeſtiore, haud raro incidiſſe. Cumque, quantum ea ſive in hoc ſive in quovis alio, quem interna vitia comitentur, morbo pro cauſa valeant, inquiritur, non ſolum poſt mortem et ante hanc differre, ſed morbi initio et fine ſtatus internus prorſus diſcrepare, recordandus eſt.

## DIAGNOSIS.

Cataphora; quae Sauvageſio, "ſtatus ſomnolentus, facile excitabilis, ſine febre, delirio et oblivione," definitur; et carus, cujus apud eundem virum, "ſopor profundus ſine ſtertore," definitio eſt; ſi pro diverſis morbis habenda ſunt, his definitionibus, cum apoplexiae comparatis, facile diſtinguentur. Quae tamen, cum ab hac aut oriantur, aut potius in eam deſinant, rectius pro eadem, gradu minore, habebuntur. Idemque de comate, quod pro genere habitum Vogelio definitur, "Sopor, in quo aegri vellicati evigilant, et mox in ipſum relabuntur," dicendum eſt. Porro, quatenus lethargus idiopathicus morbus eſt, ſi ſit, quod perquam dubium et incertum eſt, (nam ſpecies ejus quas Sauvageſius expoſuit, aut febris, aut affectionis pneumonicae, aut phrenitidis, aut arthritidis, manifeſte ſymptomaticae ſunt, et duae tantum ex omnibus, ſexta et ſeptima, non hoc loco habendae videntur);

mr); eum, et his tantum tenus, ad affectum apoplecticum referendum judicamus. Typhomania autem, quae, ut apud eundem Nosologum videre est, prorsus et sine exceptione, symptomatica est; ideo ab hac quaestione aliena est.

Catalepsis, quae "status soporosus, cum artuum flexilitate, et, ad quosvis novos situs retinendos aptitudine," ab eodem illustri viro Sauvagesio definitur, longe saepissime, ut ex ejus speciebus disci potest, symptomaticus affectus est: Et sic Nosologus Edinensis, qui prima suae nosologiae editione, eum pro genere receptum suo comatum ordini adscivit, in praesente editione judicat, ut ex annotatione infra synonyma apoplexiae adpota cernere licet. Et, quatenus morbus est, qualis morbus spasmodico ecstaticus apud Hoffmannum, et unus aut alter apud Sauvagesium casus, esse videntur, modo relatis notis facile ab apoplexia dignoscetur. Neque cum hac confundi potest ecstasis, si ea "Status soporosus a gravi pathemate subito ortus, aegrum in eodem situ, quo prehensus est, retinens, sine aptitudine cataleptica," ut ab eodem viro definitur, esse reputetur. Ut hi igitur omnes casus aut aliorum morborum symptomata sunt, aut, sive hujus varietates gradu minori differentes, sive ab hoc diversos, esse contendas, sic, ut dictum est, ab eo distinguendi sunt; ita idem ipse morbus gradu summo.

Haemorrhagia cerebri Hoffmanniana est *. Quam ille, suo et illorum temporum more, statu interno, et, dum vita superest, incerto sic definit: "Haemorrhagia cerebri est apoplexia sanguinea, quae ab effusione cruoris in cerebro, ex ruptis ibi, citra violentiam, vasculis, oritur, et subito functiones animales et vitales quoque perfundat atque extinguit." Hanc non morbi, sed causae proximae definitionem, hac symptomatum externorum commemoratione confirmat: "Qui," inquit, "in eam haemorrhagiam incurrunt, in terram concidunt subito, omni mentis vi ac cogitatione, sensu quoque ac motu privantur omni, cuncta membra sunt languida et flaccida, lingua obmutescit, palpebrae suspensae et os hians comparent, deglutitio sublata, et alvus et vesica retinenda excrementa haud raro sponte dimittunt. Atque haec omnia laesam cerebri functionem et elanguescendens inde musculorum robur produnt luculenter." Qui symptomatum concursus idem est, sed major ac vehementior eo, quo morbus nobis definitus et descriptus est; scilicet, non sopor, sed omnis sensus, hic deletus est; et non voluntarii soli motus imminuuntur, sed omnes extinguuntur. Denique, talis rerum status est, in qualem

* Tom. ii. p. 240.

apoplexia, ſolito modo accidens, exitioque futura, extremo ſui tempore aſſurgit.

Ab epilepſia diſtinguenda apoplexia eſt, quod in hac motus voluntarii imminuuntur, in illa muſculi convelluntur. Sopor, qui utrique communis eſt, nullum diſcrimen praebet. Diſcrimini propoſito non addo apoplexiam acutum plerumque morbum, epilepſiam longum, eſſe; illam ſaepe intra tres acceſſiones occidere, hujus per longam ſaepe vitam acceſſiones redintegrari; quia omnia ex alterutrius vel utriuſque morbi, quem ab altero diſtinguis fine petita diſcrimina ſera, et uſui parum accommodata, ſunt; quanquam tamen haec res alioquin ad eorum naturam illuſtrandam detegendamque certe pertinet.

Et, quanquam lex in diagnoſticis eſt, ut ne gradu morbos diſtinguas, quia, ut logici aiunt, magnitudo non facit diſcrimen; tamen ab apoplexia paralyſis nulla alia nota dignoſcitur. Quid enim aliud eſt, in altero caſu, " motus voluntarios fere omnes," in altero, " nonnullos tantum imminui," idque in altero, " cum ſopore plus minus profundo," in altero, " ſaepe cum ſopore," fieri? Quae res, quod haud ſemel propoſitum eſt, ſcilicet, eundem funditus morbum utrumque eſſe, et gradu fere ſolo diſcrepare, confirmat. Apoplexia enim quaſi paralyſis acuta, et paralyſis apoplexia longa, habendae ſunt. Illam aut mors continuo, aut ſalutis intervallum, excipit; haec, quod ad muſculorum affectionem attinet, ſaepe ſine ejus ſolutione perſtat. Utriuſque vero initium, utriuſque finis, idem eſſe ſolet. Solumque verum hic diſcrimen eſt, quod ſtatus paralyticus in paralyſi ſine ſopore, non etiam in apoplexia perſtat.

## DE CAUSA PROXIMA.

Cauſa, apoplexiam continens, eſt generis nervoſi affectio. Quae rurſus non cujuſlibet partis eſt; nam neque medulla ſpinalis, neque nervi, proprius ſic dicti, ſeu corporis medullaris, proceſſu piae duraeque matris incluſi, ad omnia corporis ſubtiliter demiſſi, extra cranium productio, affectae origo et ſedes morbi ſunt. Sed corporis medullaris, cranio contenti, ſeu cerebri, latius ſic dicti, nempe cerebri et cerebelli, affectio eſt. Eadem porro, in ejuſdem cerebri incitatione, quodam tenus imminuta, conſiſtit. Quae incitationis imminutio, quanta ſit, majorne, ut veri tamen ſimile eſt, an minor quam ea, quae ſomnum cauſa continet, quia ignoratur; ideo eam talem eſſe, qualis ſolitis in ſecunda valetudine ſtimulis non tollatur, et ita fieri, ut his debitus incitationis modus non reſtituatur, addendum eſt. Qua nota ſopor apoplecticus a ſincero ſomno diſtinguendus

guendus eſt. Sed ne hoc quidem ſatis eſt ad exactam apoplectici ſtatus notionem. Quippe enim, ſi nihil, niſi incitatio imminuta, apoplexiae cauſa eſſet, tum, quicunque incitationis imminutae modus, quicunque hujus quaſi gradus, foret, quoniam hic aliquis inter vigentem, qualis ſana eſt, et prope extinctam, ut in mortis poſt quemvis morbum articulo, incitationem ſit neceſſe eſt; ideo, in aliqua curſus a ſanitate ad mortem parte, dummodo aliquis puriore debilitate, quod multis uſu venit, et quaeſtionis certe intereſt, moriatur, in aliquo, inquam, quaſi iſtius catenae annulo, apoplecticus incitationis imminutae gradus certe deprehenderetur. Quod quoniam non incidit, et multi, exhauſtis aetate aut aliter naturae virihus, ſupremo fato, ſine ullo ſoporis ejuſmodi ſigno, placida morte ſuccumbunt; igitur, in aliquo praeter incitationem imminutam ſtatu, apoplexiam continens cauſa non conſiſtere non poteſt. Status autem praeterea neceſſarius, ſeu conditio apoplexiae propria, et ab aliis affectibus in pura incitationis imminutione poſitis aliena, eſt incitationis inaequalitas. Id eſt, ſi, dum in ſummam toto cerebro imminuta incitatio eſt, in quibuſdam tamen partibus, exempli ergo, in iis cerebri partibus, iis corporis medullaris punctis, quorum vis nervoſa actionibus vitalibus ſuſtentandis neceſſaria eſt, minus, quam in reliquis, illis, ſcilicet, quorum vis actionibus animalibus potiſſimum impenditur, imminuta eſt; id conditionem apoplexiae propriam facere credendum eſt.

Hactenus rem perducere licet, et hanc apoplexiae cauſam proximam ſtatuere. Verum enim vero eadem ei cum aliis quoque affectibus morboſis communis eſt, eoque, ſi tali de cauſis ſermone uti liceat, pro genere tantum cauſae habenda. Ex affectibus, quibuſcum apoplexiae cauſa communis ſit, delirium eſt. Cujus duplex caſus eſt; alter, ubi ſanguis inſolito impetu et copia per cerebri vaſa mittitur; alter, in magna incitationis imminutione et generis nervoſi debilitate poſitus, uterque cum incitationis in diverſis cerebri partibus inaequalitate. Quorum ille ſanguinis detractione, hic tonicis ac ſtimulantibus, maximeque vini uſu, curatur. Paralyſin ab eadem, a qua apoplexiam, origine, dictum eſt. Ejuſque cum epilepſiae origo generice quoque communis eſt. Quae, ut delirium, duplex quoque eſt, a diverſis cauſis remotis orta, et diverſis tractanda remediis. Et, quatenus in inaequalitate incitationis apoplexia conſiſtit, ejus cauſa cum melancholia *, cum mania †, et cum ſomnio ‡, communis eſt; in quibus omnibus non aliquam incitationis inaequalitatem eſſe, pariterque animi facultates perturbari, rarum eſt.

* Cull. Gen. Morb. G. lxii. † Ibid. lxiii. ‡ Ibid. G. lxiv.

Qui

Qui omnes morbi cum inter se aliquibus notis differant, ideo unamquamque eorum propriam sibi, quam specificam dixeris, causam habere, sequitur. Quae, qualis ad amussim sit, dici non potest. Nondum enim generis nervosi leges ita innotuerunt, ut de propriis et abditis causis, quales specificas vocant, differere cuiquam fas sit.

Apoplexiae causa exposita a delirii in hoc differt, quod hae sine seminio, seu eo cerebri statu, qui permanens reducere morbum periclitatur, quodque febris, tanquam causae remotae, seu principii Gauhiani, effectus pro tempore est, sublatoque tumultu febrili, tollitur.

Eadem ab epilepsiae causa diffidet in hoc, quod, cum in hac motus voluntarii non tam imminuantur quam convellantur, cerebri status, hos, ut causa continens, non tam obrutus videtur; quodque sopor, cum minus profundus sit, eam cerebri conditionem, a qua pendet, minus laborare indicat. Uno verbo, tantum gradus differentiam hic videmus. Et, si qua porro, quod verisimile est, subest, ea ignoto generis nervosi statui tribuenda est.

A paralyseos, quae alioquin eadem ac apoplexia est, causa hujus causam disterminat ea pars cerebri, cujus actio voluntarios motus sustentat, eaque, cujus ab actione potestas animalis pendet, minus affecta. Hinc " motuum voluntariorum nonnulli tantum" imminuuntur, et " sopor" non semper incidit. Cumque accessionibus apoplexiae saepe salus interponatur, perstet vero paralysis; ita ea res in hac, quam in illa, fixiorem cerebri affectionem denotat. Quae res internae affectionis proprietatem aliquam indicat.

Utque gradu et hac proprietate inter se apoplexia et palysis sic differunt, sic conveniunt; ita de caro, cataphora, comate, idem dicendum videtur; qui casus, apoplexia, sed gradu varie minor, esse judicandi, sunt. Neque lethargi et extasis, quatenus aliorum morborum non symptomata sunt, et sunt tamen plerumque, alia sane ratio est.

Cataleptis vero et affectus cerebri spasmodico-ecstaticus Hoffmannianus, non gradu solum, sed naturae quadam proprietate, ab apoplexia differre videtur. Ejus causam proximam Hoffmannus in denegato liquidi tenuissimi in nervos, ad motus voluntarios ac sensus destinatos, influxu, qui, e contrario, in nervos actibus vitalibus et automaticis inservientes naturalis, quin ex parte impetuosior, est, collocat. " Dein si ergo," inquit, " perpendamus, omnes totius corporis sensationes, omnesque functiones animales, in catalepticis penitus cessare, vero est simillimum, fluidi nervosi influxum in eo potissimum loco intercipi debere, ex quo omnes nervorum nostrorum

rum fibrae principium ſuum ac primam originem trahunt. Hic locus audit ſenſorium commune, et ille eſt, in quo primariam quoque animae ſedem nos collocare oportet." Tum, "quemadmodum igitur," inquit, "dicto illo fluidi tenuiſſimi influxu recte et proportionata quantitate ſe habente, omnes ſenſationes et functiones animales vigent, debitoque peraguntur ordine, noſque tum ſani vigilamus: Ita, ſi parcior fuerit ille influxus, dormire dicimur; eoque plane intercepto, omni ſenſu ac motu voluntario deſtituimur. Omnis vero hujus influxus interceptio, vel fibrillarum nervearum paralyſi, vel ſpaſmodica conſtrictione, fit." Denique, loco, ubi obſtructionis nervoſae opinionem refutaverat, relato, "Enimvero," ait, "in catalepſi paralyſis fibrillarum nervearum ea non poteſt eſſe cauſa, quae remoretur fluidi ſubtiliſſimi introitum in nervos; cum paroxyſmi per intervalla recurrant, et ſub iis facies ſit rubicunda, quae in morbis ejuſmodi, a cauſa paralytica inductis, quorſum mea ſententia ſoporoſi ſpectant affectus, longe aliter ſeſe habent. Ergo in catalepſi, fibrillarum nervearum, in ſua origine, antequam piam matrem penetrant, ſpaſmodica conſtrictio et cauſam denegati ſpirituum in nervos influxus; et hinc reliquorum omnium verum et ampliſſimum juxta § vii. praebet fundamentum." Haec Hoffmanni cauſae, hunc peculiarem et rarum morbum continentis, opinio eſt. Cui, humorem nervoſum in nervos, vel potius per hos, non penetrare, et inde motus voluntarios ac ſenſus pro tempore deleri, opinato, quidem aſſentimus; at eum humorem talem eſſe, qualis fluat, id eſt, inelaſticum eſſe, aut tale corpus cerebri et nervorum commune, nempe medullare, eſſe, quale ſpaſmum capiat, quippe quod omni contrahendi ſe facultate carere recentior et certior anatome doceat, negamus.

Idem vir graviſſimus, de proxima apoplexiae, in loco relato, cauſa agens, "Per effuſum," inquit, "in cerebro cruorem non modo ſubtiliſſimi liquidi, quod motum, robur, et ſenſum praeſtat partibus, ſecretio et diſtributio per nervos impeditur, ſed et totus circularis ſanguinis per cerebrum motus turbatur et intercipitur; ubi animales aeque ac vitales functiones elangueſcunt, et tandem penitus extinguuntur." Dein, paulo poſt, his verbis concludit; "atque haec omnia laeſam cerebri functionem et elangueſcens inde muſculorum robur produnt luculenter." Haec ille de haemorrhagia cerebri. Quam ab attonito morbo a ſeri in cerebro receſſu diſtinguens, quem "conſequi hemiplexia et paralyſis totius lateris, ac vita quidem ſervata, ſed admodum miſera," ei videtur; "haec," inquit, "fit, quando quidem ſanguis nimia copia cum impetu congeritur ad caput, non tamen vaſa perrumpit, ſed, propter diuturnam

diuturnam tantum ſtagnationem, ſerum per poros ſecedit, ac deſcendens vel ad cerebri baſin, vel ad ſpinalis medullae alterutrum latus, eidemque incumbens, liquidi ſubtilioris activi, tam ſecretionem, quam influxum in nervos, intercipit, eoque partes in latere alterutro ſenſu privat ac motu; ut praetereamus conſpicuam illam differentiam, quae affectus inter ſoporoſos et hunc, quem delineavimus, intercedit; dum illi ſenſim, non ſimul ac ſemel accedunt, neque ſenſus et motus abolitionem, ſed tantum ſub ſomnolentia obnubilationem junctam habent." Effuſionem quidem in exitiali apoplexia, qualis ejus haemorrhagia cerebri eſt, cauſarum remotarum, de quibus poſtea, ratione adducti, agnoſcimus; ſed illius paralyſis, tanquam a diverſi humoris effuſione pendentis, explicationem rejicimus, contra cujuſvis humoris, ſive ſeri, ſive ſanguinis, effuſionem, pariter exitio fore, eoque neque apoplexiae non exitialis, neque paralyſis, cauſam eſſe poſſe contendimus. Aut, ſi quando poſt effuſionem aut ſalus redire aut vita ſupereſſe videtur, eam neque ſanguineam neque ſeroſam abundantiam, quarum neutra omnis abſorberi poteſt, et non abſorpta brevi interficiat neceſſe eſt, eſſe ſatis manifeſtum eſt. Parumque ſibi vir magnus conſtare videtur, dum in catalepſi affectioni generis nervoſae rem imputat, in ſua cerebri haemorrhagia, quam pro "apoplexia forti" habet, ad generis ſanguiferi labem prope ſolum decurrit. Atque, e contrario, utriuſque morbi, ut et paralyſeos, nec non omnium affectuum, quos pro apoplexiae gradibus quaſi minoribus habuimus, cauſa proxima in generis nervoſi vitio, ſive recta, ſive eventu illato, quaerenda eſt. Quare autem in apoplexia, ut ita dicam, juſta, ea pars cerebri, a cujus actione motus voluntarii et ſenſus pendent, potiſſimum, et ea, quae non voluntariis motibus ſervandis neceſſaria eſt, minus primum, dein, procedente morbo, praeſertim ubi hic gravior forte eſt, aut perniciei futurus, magis afficiantur; aut quare in catalepſi, dum eadem cerebri pars, quae in apoplexia laborat, ita laboret, ut peculiarem muſculorum affectionem, qua quiſque in eo habitu permanet, in quo forte poſitus opera aliena ſit; aut quare in exſtaſi ita afficiatur, ut omnia corporis ſtatum, quem morbus reliquerit, retineant; denique quare, poſt initium aut ante finem, pars cerebri, motibus voluntariis inſerviens, et non altera ſenſibus neceſſaria, in paralyſi; aut in affectibus ſoporoſis, quas ad apoplexiam attinere dictum eſt, contrarium potius accidat; dici certius non poteſt, quam quare, vigilante ſano homine, cerebri incitatio omnes has actiones pariter excitas ſervet, ſed, in ſomno, ad ſenſus et motus voluntarii organa minus, ad non voluntarii, magis dirigatur. An in omnibus his caſibus non

voluntarii

voluntarii motus organa minus afficiuntur; quia, per perpetuae ſuae actionis conſuetudinem, actio cerebri, licet imminuta, ad eorum tamen actionem ſuſtentandam, ſufficiat? Rurſus an in paralyſi ſenſus minus laborant, quia vis cerebri, qua ſenſui proſpicitur, quam qua motus ſuſtentatur, major requiritur? Ad hoc reſponderi certius nequit, dicive amplius quicquam, quam, in adverſa, hujus generis id quod in ſecunda, valetudine fieri; ut, quemadmodum cerebri actio nunc augetur, nunc imminuitur, ita, praeſertim ſub debilitate, id inaequaliter, et alibi magis, alibi minus, fiat.

Ut dictorum ſummam ad pauca redigam; cauſa apoplexiam continens eſt cerebri incitatio ita imminuta, ut inaequaliter id fiat, id eſt, in iis cerebri punctis, quorum incitatio motibus voluntariis, ſenſibus et animi facultatibus potiſſimum neceſſaria eſt, magis imminuatur, minuſque in iis, quorum incitatio vitales actiones ſuſtentat; aut, ut hae, propter aſſiduam ſuam actionem, vi conſuetudinis, adfluxu minore ſuſtententur, praeterque eum ſtatum proprius quidam ignotus morbo dando neceſſarius ſit. Eademque cerebri affectio, ſed minor, carum, cataphorum, coma, et reliqua dicta mala, ut cauſa continet. Quae, haud paulo aliis ſcriptoribus rectius, Boerhaavius magnus, nobiſcum pro eodem affectionis genere, habuit.

Jamque cauſa proxima, qua licuit, abſoluta; ad cauſarum remotarum, ſeu principiorum rationem, deinceps tranſeundum eſt.

## PRINCIPIA.

Principia, quae cerebri ſtatum, jam expoſitum, inferunt, tria communia ſunt; prima ea ſunt, quae in poteſtatem ſeu humorem nervorum recta agunt: Altera ea ſunt, quae corpus medullare afficiunt, et ut poteſtatis nervoſae inſtrumentum mutant: Noviſſima in genus ſanguiferum, actioni cerebri ſuſtentandae neceſſarium, agunt. Quae tria igitur ad duo redeunt, ea quae recta, et ea quae eventu, in genus nervoſum agunt. Cumque neutra, ſine cerebri ſtatu peculiari, jam ante exiſtente, et, his ablatis, in morbum erumpere parato, agant; igitur pro poteſtatibus nocentibus utraque habenda ſunt.

## POTESTATES NOCENTES.

Poteſtates nocentes, quae recta in genus nervoſum agunt, licet maxime purum et idiopathicum apoplexiae exemplum edant, multo tamen minus alteris manifeſtae, pleroſque hac-

tenus medicos fefellerunt. Pariter obſcurae ſunt ac ſomni ſani cauſae. Quae tamen gradu variare, et ad morbi modum, poſſunt, et ſic apoplexiam inferre. Reque vera incidere compertae ſunt. Ita ſi quis, hauſto liquore fermentato in apoplexiam, aliquot annos permanſuram, in ſalutem demum tranſituram, implicitus eſt; certe ejus cauſam compreſſionem totum id tempus permanentem fuiſſe, non dixeris. Nec fieri poteſt, quin poteſtas nocens in genus nervoſum recta, et mobilitate imminuenda, egerit; cujuſmodi poteſtates, incitationem imminuentes, ſeu collapſum facientes, dicendae ſunt.

Cumque ſomnus naturalis, ſine humore in cerebro cumulato, manifeſte incidat, et in cerebri incitatione imminuta haud dubie conſiſtat; ita idem ſtatus, ad morbi modum auctus, ſimiliter incidere credendus eſt. Hae poteſtates externae aut internae ſunt.

Ad externas pertinent, frigus, ſedando agens (quod ſic agens, alia quoque ratione non nocet ſolum, ſed et exitio ſaepe eſt), venena, electricitas, concutio violenta et animi perturbationes graviores; quorum venena frigori ſimiliter agunt, eaque actione alios pariter et apoplexiam finem trahunt. Tres vero poſteriores noxae, cerebrum nimis incitando, nota corporis animati lege, incitationem imminuunt. Quam et alias extingnere poſſe, notae ſunt. Quae incitatio nimis aucta ad ſeſe pari modo, ac vigilia ſomnum, quietem labor inducunt, imminuendam pertinent.

An etiam internae noxae ejuſdem generis ſint, deinceps inquirendum eſt. Tales eſſe haud dubium eſt. Ita, ſi epilepſia, ſi hyſteria, ſi exanthematum repulſio, aut colica pictonum in apoplexiam pro tempore deſinit, quod haud raro fit; id haud facile compreſſioni tribui poteſt. Quod efficiens noxa, in genus nervoſum agere, multis rebus apparet. Neque, ſi arthritis atonica in apoplexiam tranſit (quod, quamvis parum medicis et pathologis animadverſum, aliquando tamen incidit), ea res compreſſione omnino, incitationis imminutione haud difficile, explicabilis eſt. Imminuta incitatio, quae ſub exiguo tumore aut paululo humoris effuſo incidere reperta eſt, non huc pertinet; ſed eo, ubi de compreſſione, ab his cauſis exorta, ſeorſim agitur.

Hae poteſtates ſunt, quae, in corpus medullare recta agendo, apoplexiam aut paralyſin inferunt, tanto magis anquirendae, quanto ſubtilius et fallente magis impetu invadant, et ſaepe prius non morbum ſolum, quam detegantur, ſed mortem quoque inferant. Omnes in humorem nervoſum agunt, eumque ita afficiunt, ut incitationem ſuſpendant deleantve. Sed,

Ut vitiatum quoque firmum nervoſum, nempe cerebri corpus, ad apoplexiam inferendam pertinere dictum eſt, ita quo modo ſubtilius vitietur, haud clare cernitur. Craſſius aut tenuius, denſius laxiuſve, eſſe, aut colore variare poteſt. Laxius ubi, ut in pueritia, aut rigidius, ut in ſenectute, eſt; ita minus incitationi vegetae aptum videmus. Hoc maniae forſan, illud amentiae ſtatui reſpondet. Sed neque, quo modo, neque quibus noxis ſtatus apoplecticus ſic inferatur, recte comprehenditur. Quod tamen facere vis externa, non comprimendo, ut mox ſuo capite comprimentium cernetur, ſed laedendo, auctus ſanguinis impetus, ſtimulantia et acria, in cerebro continui ſolutionem dando, facile intelliguntur. Hae ſunt poteſtates in genus nervoſum recta agentes.

Eventu in genus nervoſum, rectaque in ſanguiferum, agunt omnia quae cerebrum comprimunt. Comprimunt cerebrum, humoris in cerebri vaſis, undeunde orta, abundantia, vis externa alienave, cerebro incumbentia, durae matris aliarumve cerebri membranarum tumores, poſtremo ſanguinis aut feri effuſio.

Quod ad horum primum attinet; vaſa cerebri certe humoris, quem ferunt, abundantia variant; eoque hinc cerebri corpus premi periclitatur. Verum, dum res vera certa eſt, cum tamen in magna abundantia ſaepe non, et ſine abundantia ſaepe oriatur apoplexia, ita, quando haec oritur, an ab abundantia ſit, ambigi ſaepe poteſt. Haec abundantia comprimendo agit, ſed non ita ut exiſtimatum eſt. Humor nervoſus, a cujus motu, quem incitationem dicimus, omnes corporis actiones, omnes ſenſus et motus omnes pendent, non a ſanguine ſecernitur, neque ab arteriis nervi continuantur. Nam eam rationem neque res vera ulla certior firmavit, neque rationis ſimilitudo pro eo facit. Nullus enim humor inelaſticus poteſt, cogitatione velocius, ab extremis ad cerebrum, et hinc ad eadem aut alia extrema, percurrere. Sed elaſtici facile poſſunt taleſque natura agnoſcit. Cujuſmodi magneticus et electricus ſunt. Unde in animalibus ſubtilem humorem inelaſticum, qui non in nervis, ut cavis, perfluit, ſed ſupra circaque eos, et in foramnibus eorum, promanat, ſubeſſe, actionum animalium mira ratio ſuadet. Secernitur quidem ad alendum corpus humor, ſed non per nervos. Is ab extremis arteriis ſecretus, nervis tantum filtrationis more, eo, quo applicandus eſt, deducitur. Abundantia igitur in vaſis ſanguiferis, non corpus medullare, tanquam vaſculare, ab arteriis continuatum, eoque repletionis capax, implet et implendo comprimit; ſed craſſum cerebri corpus, ut pariter medullari, pariter corticali, parte conſtans, comprimendo. Cum enim huic et generi ſanguifero ſui utrique fines ſint, ita, ut

hoc plus ſolito ſpatii occupat, ut ſpatium illi neceſſarium imminuatur, id eſt, comprimatur, neceſſe eſt. Abundantia igitur ſanguinea partem corticalem, perque hanc medullarem, comprimendo agit. Quam rationem, quae confirment, res verae non deſunt. Ita, ſublata parte cranii, digitus premens ſtuporem apoplecticum intulit *. In quodam, ſymptomatis hydropicis ſteatomate, aortam comprimente, laborante, cui vultus rubores et alia plenitudinis ſigna erant, quoties caput vel pauliſper inclinatum eſt, brevis acceſſio apoplectica incidebat *. Quod ideo fit, quia, inclinato capite, ſanguis in arteriis percitatur, in venis tardatur. Quam cauſam ſaepius ſubeſſe, acceſſiones breves, in ſalutem terminatae, quae, a gravioribus cauſis, et pernicialem morbum inferentibus, mox memorandis, et nominatim ab effuſione, eſſe non poſſunt, argumento ſunt.

Si igitur non ab effuſione hic caſus eſt, a diſtenſione ſit neceſſe eſt. Sed, cum majora vaſa ſola diſtenta vix totam nervorum originem comprimere poſſe putanda ſint, nec arteriae in cavos nervos continuentur, hiſve ſecretio, motum et ſenſum continens, peragatur ; tamen, quia alendo corpori dicata ſecretio ab extremis arteriis peracta, cujus effectus per nervos ratione dicta applicatur, non deeſt ; ideo, quae hanc peragunt, arteriolae extremae ad corpus medullare penetrare, originem nervorum attingere, eoque, diſtentae, hanc in omnibus punctis comprimere, exiſtimandae ſunt.

Atque haec noxa intra vaſa conſiſtit.

Alia comprimentia extra vaſa agunt. Ex quibus ad vim externam pertinent extrinſecus vi adacta inſtrumenta vulnifica, ad corpora aliena ſpectant, " licet non a corpore, ab hoc loco tamen aliena, cranii fragmina, forte intropreſſa, ipſumve hoc intus quacunque prominens, ſcilicet, varie exoſtoſium, nodorum, aut tophorum, quae dicuntur, forma excreſcens." Huc omnes ii humores, qui non vaſis effuſi ſint, ſi qui ſint, ut pus aërve, pertinent.

" Tumores," qui tertio loco memorati ſunt, durae matris aliarumve cerebri " membranarum, item hae vaſave, praecipue ubi falcem efformant, in naturam oſſeam verſa, tum concreta quaedam, potiſſimum in glandula pineali ;" denique, " milii ſeminibus conſimilia corpora ; poſtremo, tumores ſcirrhoſi, qui intra cranium ſaepe deprehenduntur :" Haec omnia poteſtatum nocentium, et apoplexiam excitantium, in numero ſunt, eodemque, quo poteſtates jam expoſitae, modo, nempe comprimendo, agunt. Quae tamen eo minus inter-

* Cull. Prael. de Apoplex.

ſunt,

ſunt, quod neque ſignis externis cognoſci poſſunt, neque, ſi poſſent, remedia recipiunt.

Noviſſima compreſſionis cauſa effuſio eſt. Quae humorum, ſupra relatorum, modo in ſummum cerebrum, modo inter ejus membranas, modo in piam matrem, modo in ventriculos, modo in cerebri baſin, incidit. Cumque aut ſeroſa ſanguinis pars, aut ipſe hic integer omnibuſque ſui partibus, effundatur, utriuſvis effuſionem vel ruptura vel dilatatio vaſorum facere ita poſſunt, ut haec rarius ſanguinem, illa ſaepius eum, et rarius partem ſeroſam, effundant. Ad

Sanguinem effundendum pertinent omnia, quae in arterias recta agentia, eum ſupra modum percitant: Cujuſmodi eſſe poſſunt vis externa, contuſio aut concuſſio, exercitatio vehemens, aut violentae animi affectiones, qualis ira eſt. Eodemque ſpectat ſanguinis in venis reditus impeditus. Hunc nonnulli regurgitatione in venis ad horum rupturam agere exiſtimarunt. Verum idem, ſanguinis ex arteriolis extremis in venas extremas tranſitu per obſtaculum venoſum impedito, verſo in exhalantes impetu, harum actione ſic adaucta, quod celebre molimen haemorrhagicum eſt, eque iiſdem, vel dilatatis vel perruptis, effuſo ſanguine, fieri, quanto ſimplicius, tanto veriſimilius eſt.

Ad ſerum effundendum eadem, quae ſanguinem, minore gradu, et, prae caeteris, ſanguinis in venis reditus impeditus, ſpectant. Hoc, ut in altero caſu, modo memorato, in arteriolas exhalantes impetus vertitur. Quibus diſtentis ſic diductiſque, ſeroſitas, quae vaporis forma exhalatur, plus ſolito, vel eadem etiam ſub ſua forma, vel quandoque forſan ſerum ipſum, ſeu illa diſſoluto glutine juncta, ejiciuntur.

Qui abſorptionem per venas fieri olim, nondum nota generis lymphatici natura, crediderunt; quique nunc quoque, quod nulla in capite lymphatica viſa ſunt, ideo ea deeſſe exiſtimant, ii hanc humoris ſeroſae effuſae cauſam, nempe ſanguinem in venis retardatum, aliter agere, ſcilicet, abſorptionem prohibendo, et hac ratione humorem effuſum cumulando, judicant. Quae maximi viri Culleni, in hac re anatomica Hallerum ſecuti, opinio eſt. Quam tamen, ut et pathologicam rationem, inde deductam, eo minus recipiendam arbitror, quod rei anatomicae peritiſſimus et experientiſſimus vir Monro, alter noſtrorum in academia Edinenſi praeceptorum, tam rebus quibuſdam veri veriſimillimis, quam rationis ſimilitudine adductus, quae in omnibus aliis corporis partibus manifeſte vaſa lymphatica ſunt, ea ſoli capiti non deeſſe, contendit. Rejicienda igitur haec apoplexiae cauſa eſt.

Quod ad compreſſionem, tumoribus aut effuſione factam,

et apoplexiam aut paralyſin facientem, attinet; aliquando tumor tam exiguus eſt, et effuſio tam parca, ut iis totum cerebri corpus minime comprimi, univerſa nervorum origo minime affici, poſſit; quorum tamen effectus ſit motus voluntarius ubique fere extinctus. Quae compreſſio, cum minime communis ſit, ita parti propria eſſe poteſt, ut, vicinum magnum vas afficiens, ad omnia partis primum, dein, per regurgitationem, ad omnia totius cerebri, communicetur. Certe, ſi unum aut alterum ſanguinis effuſi cochlear, ut apud Morgagnium videre eſt, morbum fecit, id aliter explicabile non eſt.

Altera effuſionis, eam facientis, origo arteriarum extremarum relaxatio eſt. Quae, ut in aliis corporis tractibus, ſine ſanguinis venoſi reditu ad cor impedito, et citra cauſas arteriarum actionem recta augentes, hydropem, ita hic quoque, efficere credenda eſt. Quin ſola ſaepe haec, ut poſt febrem intermittentem, quae relaxationem ſaepe poſt ſe relinquit, hydropem gignere nota eſt, diatheſis hydropicae nomine celebrata.

Quarta effuſionis, comprimendo apoplexiam creantis, cauſa eſt ſeroſitatis in vaſis abundantia. Abſque enim cauſis, modo relatis, ſeroſitas ubique vaſorum abundans, eoque cum glutine et rubris globulis (quorum illud eam tantummodo intra certum modum impeditam retinere poteſt), minus exacta diffuſione coiens, ad aquoſarum ſecretionum vias, ipſa aquoſa, undique diffluit, et ſic praeter naturam effunditur. Huic hydropici, chloroſin comitantes, tumores, et ex iſchuria renali orta apoplexia, tribuenda videntur. Quorum hoc in caſu urina retenta ſeroſitatis in univerſis vaſis abundantiam dat, et ſic, quam ob cauſam neſcio, ad arteriolas in cerebro exhalantes prae reliquis nimium onus vertens *, gignit apoplexiam.

Hae apoplexiae cauſae occaſionales, ſeu poteſtates nocentes, comprimendo agentes ſunt. Quarum ſola fere humoris in cerebri vaſis abundantia medicabilem morbum; reliquae aut immedicabilem, ut violentiae effectus plerumque, ſemperque tumores, aut exitio futurum, ut effuſionis ſpecies, creant. Quod, ſi quando tollitur ea, quam vis externa fecit, apoplexia, id manu ſola fit, chirurgiſque ideo relinquendum. Sed, quoniam, quocunque gradu ſic morbum, non ſemper inferunt, et, ſine certa cerebri conditione, aut nullum, aut alios edunt; ideo, ad juſtas apoplexiae cauſas, ſeu, potiore illuſtris Gau-

* Cullenus, de apoplexia in praelect. ſuis agens, quatuor iſchuriae renalis caſus ſolos vidit, omnes in apoplexiam deſiiſſe.

bii ſermone, principia cruenda, quae haec conditio ſeu apoplexiae ſeminium ſit, deinceps anquirendum.

## SEMINIUM.

In ſeminii doctrina tradenda poteſtas nocens, quam potiſſimum reſpicimus, compreſſio eſt. In genus enim nervoſum recta agentia obſcurius id faciunt, quam ut alioquin ea, niſi tanquam ſimplicia principia, ut ſaepe vere ſunt, conſideres. Sed, ubi compreſſio poteſtas nocens eſt, tum ei propria corporis conditio, ſeu ſeminium, reſpondet. Id autem congeſtio venoſa eſt.

## CONGESTIO VENOSA.

Quae quo modo morboſa noceat, priuſquam dicatur, quis ſanguinis venoſi naturalis ſtatus ſit exponatnr. Ratione habita vaſorum plenitudinis, aetas humana in duo tempora dividitur; alterum a die natali ad trigeſimum quintum fere annum, alterum ab hoc ad vitae finem, pertinentia. Primo tempore, ut ex Cliftoni Wintringhami, Equitis et medici Angli, experimentis patet, venae denſiores et firmiores, arteriae rariores et laxiores, ſunt. Hinc hae, quam illae, ſanguinis impetui, qui idem eſt, magis cedentes, plus hujus capiunt. Quae plethora arterioſa dici poteſt et dicitur, et cauſa corporis incrementi fit. Utque corporis partes in neceſſarios quoſdam uſus ordine quodam explicantur perficiunturve; ita cerebrum eo, quod actio ejus univerſis aliis neceſſaria eſt, ante omnia perficiendum eſt. Ob quam cauſam, dum communis plethora arterioſa ubique viget, haec in ramis aortae, caput adeuntibus, paulo exquiſitior eſt. Cujus exceſſus epiſtaxis eſt. Dein ad genitalia, in utroque ſexu, neceſſaria ſpeciei procreandae inſtrumenta, maximeque varia uterina, explicanda, vertitur a ſuperioribus ad inferiores aortae ramos, eoſque prae caeteris, quae has partes adeunt, plethora localis obtinet. Quo perfecto munere, quem in uſum neſcio, in arteriam pulmonalem plethora inclinatur. Unde, ſi thorax forte anguſtior juſto eſt, et nimia forte plethora, haemoptyſis, et ſi ejus ſeminium, nempe tubercula pulmonum, ſubeſt, phthiſis pulmonalis, naſcentur. Cauſa vero uniuſcujuſque harum localium eadem, quae communis plethorae, eſt, ſcilicet, vaſorum, quorum eſt, ſanguinis, qui idem eſt, impetui cedens, laxitas. Cauſaque uniuſcujuſque, ſuo tempore ſolutae, eſt acquiſita per magnam vaſorum actionem, his demum denſitas, impetui dein reſiſtens. Quam igitur denſitatem cum univerſae arteriae, ſuo quaeque ordine,

ordine, circa id tempus quod dictum est, consecutae sunt, jamque per validam suam actionem, per tantum temporis exercitae, densiores tandem venis evaserunt, in his demum vertitur abundantia. Quae primo quoque tempore in venas, jecur et venae portarum truncum petentes, haemorrhoidales dictas, incidit; propterea quod hae, recta ascendentes, distensiliores, musculorum vicinorum actione non pressae, valvulis carent. Fitque haec plethora venosa localis. Quae, immodica magis facta, haemorrhoidem facit. Cui dein, provectiore aetate, in vasis capitis plethora succedit. Quae hic maxime fit, quia multa hic sanguinis per venas reditum, etiam in sanitate, retardant. Ea sunt sanguinis ab extremis venis in sinus, contra solitum cursum transfusio, vicinorum musculorum actio nulla, nullae venis inditae valvulae aut musculorum extra cranium actio, pressione sanguinem percitans. Qui status tamen naturalis, cum nihil praeter naturam, nulla conditio morbosa, intus est, sine morbo perfertur.

Verum ejus effectus tum demum morbosus fit, si ad eum seminium intus accedit. Hujusmodi sunt capitis magnitudo, figura quaedam insolita, item cervicis brevitas. Nam cum, quo grandius caput est, eo plus sanguinis quo repleatur ad id per arterias deferatur, ideo plus pro ratione in venas conjicietur, eaeque pleniores, quam reliquae corporis, pro ratione magis laborabunt. Incommoda autem capitis figura, qualis ea est, qua id varie prominet ad sanguinis per venas reditum impediendum, aliquid certe potest. Denique, cervicis, cui una vertebra defuisse dicitur, brevitas eodem pertinet; siquidem sic, quo magis ea flectitur, eo unumquodque flexae punctum a recto magis decedit. Qua positura sanguis per arterias ascendens non, quia nulla minus, sed quam recta, ei obstat per venas, plane tardabitur, cum omnis a recto decedens cervicis status, venas jugulares comprimere periclitetur. Quas res, ad seminium apoplecticum dandum, valere non ratio sola, sed res vera et certa, confirmat: Quippe enim tale pleruinque caput et cervicem apoplecticorum esse, cui non notum et exploratum est?

Postremo, cordis et pulmonum impedimenta, cum seminium, jam relatum, intus est, id augebunt; si abest, ut principium absolutum, agentia, aut apoplexiam aut aliquem alium capitis morbum facere periclitabuntur.

Horum in numero polypi cordis aut majorum circa id vasorum, quales toties incisis cadaveribus deprehenduntur, sunt habendi. Sed hic monito in animum tibi veniat, quod observationum de cadaveribus in fine datum est, ne effecta pro causis temere, quod multi fecerunt, apprehendas. Nam, licet

longe

longe maximo in numero incisionum polypi in corde venisque et arteriis ei proximis, scrutanti medico in conspectum dentur, tamen, ut ex evidentibus manente vita signis credere licet, ii non ante extiterunt, tantumque in luctu extremo et articulo mortis, haerente inter quietis initia vasis sanguine, concrescere inceperant. Verum, ut iidem aliquando quoque ante fuisse, eodem signorum indicio fatendi sunt; ita

Alia quoque ibidem impedimenta pari modo, ac illi, cerebrum adficiunt, et effusionis causa fiunt. Hujusmodi sunt omnia, quae alias hydropem, et, prae caeteris ejus speciebus, hydrothoracem, sanguinis venosi reditu impediendo, faciunt, ut tumores, maximeque scirrhosi, versave in osseam naturam vasa in corde perve pulmones. His, in dextro ventriculo cordis, sanguis pari modo, ac in spiritu emittendo fit, sed magis et assidue impeditus, similem quoque affectum, nempe ut venosi a cerebro reditum impediat, edit; quam rem non solum spirandi nota nunc ratio, sed et certa experimenta, de industria in aliis animalibus, casuque in homine, instituta, confirmant. Hinc orta congestio, si firma firmiora paulo et densiora sunt, et si alioquin seminium apoplecticum, id est, diathesis haemorrhagica, subest, molimen haemorrhagicum in cerebro, dein effusionem, creabit; sin laxiora firma et diathesis hydropica subsunt, hydropem ibidem gignet. Qui apoplexia hydropica ut dici potest, ita apoplexia vera et idiopathica non est; si quidem sine diathesi apoplectica vera, sine vero seminio, est, et in diathesi hydropica consistit. Adeo autem illa, nempe activus vasorum status, non resolutus, apoplexiae necessarius est, adeoque in molimine haemorrhagico positus, ut sub eo Hoffmannus omnem apoplexiam comprehenderit. Qui tamen, si semper haemorrhagiam ipsam sequi judicaverit, nimis verum intendit. Finitis omnibus aliis ad apoplexiam attinentibus sermonis partibus, ad judicium eventus et curationem transeundum est.

## PROGNOSIS.

Saepe lethalis apoplexia est, maxime, si ad justam accessionem perventum est. Et, ubi haec incidit, poltque salus redit, id naturae magis vi, quam artis auxilio, efficitur. Nec saepius iteratae accessiones in salutem transire, epilepsiae et quarundam aliarum neurosium more, solent. Raro quisquam tertiae supersest. Quinetiam pro principiorum genere et natura periculum est. Quorum post aliqua, ut inflicta vulnera, magisque intra cranium tumores, maxime effusionem, exitio morbus est: Alia magis ambigua eventu sunt, ut genus nervosum recta af-

ficientia; quorum pleraque, liberius admota, saepe perniciem, semper periculum, adferunt; ex iisdem quaedam, pro magnitudine sua, meliorem aut secus eventum denunciant. Quin et plethora venosa, cum ea simplicior offensae caput est, licet maxime in manu medici esse videatur, non sine formidine est. Cujus, ante effectum hujus mox venturi, signum frequens sanguinis stillicidium, raro cuiquam aetate provectiore incidit, quin aut apoplexia aut paralysis mox eum excipiat *. Uno verbo, cum principia, saepe ipsa obscura et dignotu difficilia, eo saepe anceps pariter judicium eventus praebeant, pro accessionis gravitate periculum fore, facilioremque morbum prohibitu quam sublatu esse, dicendum est.

## CURATIO.

Curatio igitur duplex hic requiritur; altera ad prohibendam, altera tollendam apoplexiam. Rursus prohibens curatio duplex est, quae primo morbi adventui, et quae ejus, postquam advenit, futuris accessionibus, occurrit. Cumque, ut, ex supra propositis, satis nunc, opinor, patet, duplex quoque apoplexiae casus sit, alter a compressione pendens, alter in incitatione recta imminuta, seu collapsu, positus; ita, ex iis ab eorum primo, et a curatione prohibente, eaque hujus parte, quae primo morbi adventui occurrit, initium faciam.

Primo morbi adventui occurrendi consilium est, omnia, quae sanguinis in cerebri vasis copiam cum impetu augent, imminuere. Eoque pariter implentia corpus et stimulantia fugienda sunt. Eodem enim pertinet replere vasa et horum actionem augere. Quoniam enim in molimine haemorrhagico morbus consistit, ad id excitandum aeque valebit quicquid nimiam vasorum actionem facit, ac copia iis ingesta; quia aucta vasorum actio in iis copiam protinus auget. Nec refert vera copia sit, seu plethora, quae dicitur, ad copiam, an idem humoris spatii in vasis plus, quod plethora ad molem nuncupatur, occupet, ac proinde calor, sanguinem rariorem facturus, vitandus sit. Unde facile videre est, non remedia, sed administrationem antiphlogisticam, hic requiri In hac administratione plethoram venosam praecipue et solum fere in animo medentis esse, inque eam illam potissimum agere manifestum est; nam, quod ad offensas capitis, supra in principiorum numero relatas, attinet, vel minimam earum vitandam dixisse uno verbo satis est. Tumores in potestate nostra non sunt. A propositoque praesente aliena est relaxationis arteriarum ratio; quippe quae non neurosin, sed cachexiam, et non apo-

* Culleni haec observatio est.

plexiam

plexiam juſtam legitimamque, ſed hydropis ſpeciem, creet. Non igitur hic de ea, nec uſquam niſi illuſtrandi cauſa, verba fient. De apoplexiae ſeminio ſolo hic ſermo eſt. Cujus igitur externis ſignis, capitis magnitudine, cervicis brevitate, corpore pleno, vultu florente et rubente, cum labes intus eſſe, in qua periculum morbi poſitum eſt, praeſciri poteſt, (et haud difficile ſaepe poteſt, certiuſque etiam hoc, ſi quem ejuſdem familiae morbus ante affecerit), tum, ad varia praecepta, quae adminiſtrationem antiphlogiſticam dirigunt, quo maturius minuſque provecta aetate decurritur, eo certius periculum omne avertitur. Quod tamen ita eſſe videtur, ut omnes hujus adminiſtrationis partes aeque ad rem non ſint, delectus habendus, et quaedam ejuſdem partes reliquis anteponendae. Ex uſu ſenſuum orta irritamenta, quae plurimum in febribus, partimque in certis phlegmatiis, cum cura fugienda ſunt, hic, quia non nocent, non ſunt anxie cavenda. Ex noxis quas motus infert, ſola nimia eoque brevior neceſſario, et inconſtantior, quia continuari non poteſt, quippe quae, perſpirationis ſudorem ſequente ſuppreſſione vel imminutione, ad corpus replendum non attenuandum pertineat, metuenda eſt, et ante omnia conſtantior et lenior, quae maxime aequalem et plenam perſpirationem ſervat, utenda. Quae lex non menſem, non annum, ſed vitae ſpatium, ſervanda eſt. Ex ſenſibus internis qui dicuntur, praecipue ad rem attinet cogitatio. Quae nimia et intenta, ut noxa, et ibi praecipue, ubi morbi ſedes futura metuitur, debilitans, cavenda eſt; eoque magis, quod non tam in ſola plethora, quam in hac tamen cum debilitate conjuncta, ſeminium conſtat. Cujus rei haec explicatio eſt. Plethora, ſive arterioſa, ſive venoſa, debilitat, tonumque imminuit. Nam, quamvis vaſorum tenſio horum tonum facit, nimia tamen, fibrillas muſculares ultra modum diſtrahendo, eundem tonum, praeſertim longior, tandem tamen imminuit. Hinc plenum habitum ex otio et victus copia habentes nunquam tam robuſti ſunt, quam parci et exerciti; ſed, ſi id plethora etiam arterioſa, multo magis venoſa, facit; cum, ob eandem cauſam, (nam ſanguinis ex arteriarum in venarum fines tranſitu impediendo, arterioſam quaſi plethoram gignit), tum eo tempore, quo arteriarum cordiſque actio languidior eſſe incipit, incidens, debilitata vaſa obruere periclitando. Debilitatem cum plethora ſeminium apoplexiae facere, hoc patet, quod, licet ante aetatem provectam, maximeque florente adhuc hac et vigente robore, multis tempeſtatibus ſanguis in arteriis percitatus, pari cerebrum copia, ac, cum poſtea morbus incidit, repleat, et inde quoque morbi quandoque naſcantur; raro tamen tum, ſemperque fere diu poſt, cum manifeſta jam debilitas eſt, inci-

dere ille ſolet, quodque multi, pariter ac apoplectici, pleni, et externis etiam hujus ſeminii ſignis non carentes, ſed non debiles, ſenes morbum plane fugiunt. Et ſimilis arthritidis, in plethora quoque cum debilitate poſitae, ratio eſt. Cum igitur debilis hoc tempore habitus ſit, et ea debilitas plethora augeatur; ita omnia multum debilitantia, et in iis cogitatio nimia, vitanda ſunt, et plethorae remedia ita adminiſtranda, ut, prout provehatur magis aetas, eoque creſcat debilitas, exercitatio, ne nimis exhauriat, imminuatur, nec tam exquiſita parſimonia victus ſit.

Caeterum victus, qui lautus et largus, una cum quiete, jam memorata, tota plethorae cauſa eſt, parcius adhibendus eſt; maximeque, ineunte vita, quo tempore nullum debilitatis et atoniae periculum eſt: Cujus deinde paulo major uſque, quo creſcant majus anni, vireſque decreſcant, indulgentia non nocebit; ſi quidem, ut modo dictum eſt, non exhauriendus et debilitandus homo, ſed, ne humoribus abundet, conandum. Satiſque plerumque erit, una cum ſupra praeſcripta exercitatione, carne, quae ſola fere alimenti alentior juſto pars eſt, parcius, ſemelque ſic, non bis, die uti, et reliquae ciborum materiae uſui, ne in hac copia, quod in carne proprietas, id plenitudinis praeſtet, aliquantum temperare: Cui mediocritati per omnem vitam, quam ſummae inediae ſed breviori, confidere erit conſultius. Poſtremo alvi ratio habenda eſt. Nam, ut in omni capitis plenitudine aut hujus periculo, haec nunquam non alvi duritie augentur, ita, ſive ad illam imminuendam, ſeu hoc prohibendum, quam ejuſdem mollities, nihil efficacius. Cumque in praeſente conſilio prohibenda potius plenitudo ſit, ita alvum purgantia, quae plerumque pro tempore tantum purgant, mox duriorem relictura, non utenda, potiuſque materiae victus, et alii corporis adminiſtrationi, res credenda. Cui rei parcior carnis, jam praeceptus, liberior materiae, e plantarum genere paratae, uſus, ſub forma humida, et poſt plenilſimum cibum exercitationis pars major, conveniunt.

Hae adminiſtrationis antiphlogiſticae partes ſunt prohibendo apoplexiae ſeminio accommodatae. Quas reſpicientia praecepta ita ſervanda ſunt, ut media quaſi luxui cum quiete et parcae minis duraeque vitae rationi via, quae alioquin homini aptiſſima eſt, eique voluptatis, cujus capax maxime ejus natura eſt, ſatis accommodata, teneatur. Ut ad ſecundam curationis partem tranſeam;

Ubi ſemel morbus incidit, ut jure altera acceſſio, cumque ea aut ſaltem tertia, mors extimeſcatur; ſi ſeminii apoplexiae, a compreſſione pendentis, ſeu haemorrhagicae Hoffmannianae,

de

de quibus in prophylaxi actum eſt, ſigna apparent; ut certum ſit, non hydropicam eſſe, cujus diatheſis diverſa, et ſi attentius obſerves, non dijudicatu difficilis eſt; tum, ad alteri acceſſioni occurrendum, ſanguis detrahendus eſt. Neque, ut nonnulli medici volunt, parca, exempli ergo, ad uncias viii ſed dupli, ut minimi, immo tripli, aut etiam quadrupli, * detractio eſſe debet. Incidi vero arteriam temporis quibuſdam viſum eſt. Qua tamen haud paulo potior vena jugularis, quae incidatur, uſu comperta eſt; quippe cujus inciſio multis, quae arteriae inciſionem premunt, incommodis careat, et commoda quaedam, quibus illa caret, habeat. Quorum commodorum haud minimum eſt, quod ſanguis tum copioſius, tum citius, tum certius, ea educi poteſt. Neque, ob has ipſas cauſas, non arteriotomiae, brachii, cum ad venam jugularem aditus minus patet, inciſa vena praeſtat Praeterque haec, rejicienda detractio e tempore eſt, quia locus, in quo veſicatorium imponi uſus requirit, vinculis, arteriae inciſae comprimendae neceſſariis, occupatur.

Licet autem nihil ab hoc conſilio alienum magis ſtimulantibus ſit, quorum omnia genera cane pejus et angue, ut aiunt, cavenda ſunt; tamen a veſicatoriorum ſtimulo, qui per corpus latius non diffunditur, nihil metuendum eſt. Quibus, e contrario, ad auctum in parte ſanguinis impetum imminuendum, et molimen haemorrhagicum componendum, nihil efficacius eſt.

Tertia humorem detrahentia, et ſanguinis detractioni virtute proxima, alvum purgantia ſunt. Quae in omnibus ſummi canalis alimentarii, ſupraque hunc, humoris congeſtionibus, ſive inflammatoriis ſive haemorrhagicis activis, a parte laborante humoris copiam revellendo, magno ſunt auxilio, eoque majori, quo plus humoris auferunt. Neque hic acrium eorum ſtimulus formidini eſſe debet; qui, e contrario, propter imminutam ſenſibilitatem, magnus requiritur, neque ut veſicatoriorum modo dictus eſt, per corpus latius diffunditur. Acria quoque in alvum immiſſa, ut tartarum emeticum, colocynthidi conjunctum, conveniunt.

Ubi affectio non apoplexia haemorrhagica eſt, ſed hydropica, eoque diverſi morbi, nempe, hydropis ſymptoma, omnia haec, praeter alvi purgantia, veneno ſunt; contraria, ut tonica et abſorptionem promoventia, remedio. Purgantia alvum humoris ſeroſi copiam auferendo, et abſorptionem augendo, juvant. Atque hic quoque, quae omne in congeſtione poſitum malum, ſive haemorrhagicum, ſive hydropicum, exaſperant, ſtimulantia fugienda ſunt. Quae tamen, ſi ſaepe a me-

* Cullenus aliquot libras cum fructu detractas vidit.

dicis

dicis in apoplexia tractantur, et aliquando (nam saepe male tractantur) etiam prodesse comperiuntur, ea res neque apoplexiam a compressione, neque hydropis symptomaticam, sed eam, quae in incitatione recta imminuta consistit, subesse, argumento est.

### Atonicae Apoplexiae Curatio.

Cum compressionis fusius jam explicatae signa, item congestionis hydropicae, pro certo desunt, cum nulla cerebro vis illata manifeste est, cumque (nam exiguorum tumorum absentia nunquam certa esse potest) tales sive potestates nocentes sive principia, qualia supra exposita sunt, ut venena, fulgor, epilepsia, hysteria, exanthematum repulsio, postremo, arthritis, quae sedando agere nota sunt, morbo antecesserunt; tum diversum statum internum esse et potestatem nervosam sua origine recta imminutam, ut certum erit; ita

Consilium medendi erit, potestatem nervosam excitare. Et in hoc demum casu stimulantia erunt remedio. Quod utique non hic attingam; quia hic casus adhuc in obscuro est, nec tempus ita, ut in paralysi, longo morbo et deliberationem recipiente, rem ancipitem dijudicare sinit. Eoque totius hujus rei, quam medici plerumque parum animadverterunt, ad paralysis tractationem relego.

---

## DE MANIA.

*AUCTORE DAV. STUART.*

TAM parum prope inter medicos, morbos mentis ad ordinem nosologicum redigendo, quam de ejus operationibus inter philosophos, constat. Nec rationi consentaneum videtur, rem aliter se habere quum animo perpenditur quantum olim hi morbi, per omnes medicinae partes, indistincti inter se et alios morbos jacuerint. Cuivis equidem haec consideranti clarum erit, multum jam feciſſe medicos, quum in re difficili aliquid vel tentasse magni sit. Et plurimas commeruisse laudes eos, qui haec pericula fecerunt, ab omnibus facile concedendum erit, qui, cogitationis facultatem beneficium optimum homini a Deo collatum, aestimant. Quid enim spectaculum magis luctuosum est, quam hominem videre deperdita ratione, qua fere sola caeteris animantibus distinguitur

tur et prope ad deos accedit, insanientem, et ora turpiter foedantem unguibus?

## DEFINITIO.

Nullus, credo, est inter maniae scriptores, qui aliorum repudians definitionem, huic morbo inditam, ut mancam, non ipse novam excudit: Et nova semper excudenda erit, quoties tam absurde de sensationibus, sensuum delusione, et nimis debili et vivida objectorum perceptione, verba fient. Quae de his dicuntur nimis in obscuro sunt, quippe cum varient summopere perceptionis gradus in eodem homine diversis temporibus, et plurimae mentis functionum a statu solito aberrationes sint, quae maniae tamen nomen haud merentur. Quam difficile sit hanc rem penitus expedire testatur * vir jure summae auctoritatis, in omnibus quae ad mentem pertinent. Qui, postquam quaedam notavit necessaria ad maniam constituendam, haec addit verba. "These circumstances are variously combined in the various kinds and degrees of madness, and some of them take place in persons of sound minds, in certain degrees, and for certain spaces of time; so that here, as in other cases, it is impossible to fix precise limits, and determine where soundness of mind ends, and madness begins."

His quamvis difficultatibus pressus, insaniae tamen definitionem ita tradere aggrediar. Ut quandam sibi constantiam omni tempore et in omnibus locis conservet, mentem ex quibusdam certis principiis in facultatum ejus exercitio dirigi necessarium esse videtur. Cum quodam quasi ordine statutoque ab objectis externis mens imprimitur; et haec intus, ob quandam inter ea similitudinem vel cognationem, proinde conjungere inducitur, et memoriam ejus operis recondit. Quando igitur his principiis, et modo solito, quo impressiones accipere solita sit, dirigi desinit, et simul istius similitudinis vel cognationis inter objecta memoriam cum conscientia illa, quae cuncta sua opera comitatur, nosque tenet nobismet ipsis per omne spatium temporis devinctos, omnino deperdit, tum insanire dicenda est. Sic enim positum hominem, et nulla habentem principia nexus inter ideas suas, haud aliter impulsum fore ab omnibus animi pathematis, quam navem sine gubernatore, ventis et fluctibus furentibus, manifestum est. Hanc nostram definitionem optime stabilit, quod narrat Aretaeus de quodam lignario, qui domi prudens erat operator, et in loco ubi arte sua fungebatur, mente sua constabat; at, si-

* Hartley's observations on man.

mul

mul ac in forum vel alio discederet, depositis instrumentis, et e conspectu illius loci progressus, penitus insaniebat et furore rapiebatur; ad eundem vero locum recurrens, ad se cito redibat; tanta, ut ait ille, cognatio inter hunc locum et viri mentem erat. Postremo, ubi sensus multo minori gradu aberrant, sicut in mitioribus delirii speciebus, haec cognatio inter mentem et illa omnia, quibus ea diu assueverit, adeo manifesta evadit, ut nullum certius his remedium sit, quam illa menti restituere. Huic insaniae characteri optime accommodatur Culleni definitio maniae, quae sic breviter traditur, " * in- " sania universalis." Et haec adhuc accuratior foret, si, observante eodem viro clarissimo, verbum *fere* suppleatur; quippe enim maniacis commune est hodie furere, et cras mites se gerere in omnibus. Nec ab Aretaei definitione mentis alienatio diutnrna omnino abhorret.

Huic loco proprium esse videtur aliquid observare de maniae divisione, quoniam de singulis ejus speciebus haud in animo est differere. Plurimae equidem sunt illae, quas tamen omnes complecti videntur plerique sub duobus capitibus generalibus. Sic eam in Essentialem et Consensualem partitur Hoffmannus; priorem ita nominans, ob primariam mentis affectionem, vel, ut loquitur ipse, ex cerebri et meningum labe, posteriorem ex spasticis constrictionibus aliarum partium: Quem sequitur nuperrimus auctor in ejus divisione illius † " into original and consequential." Caeterum ut difficillimum est, si non omnino impossibile, judicare quando sit unius, quando alterius generis, ob intimam inter mentem et corpus connexionem, melius est illam potius distinguere ex natura delirii vel ferocis vel mitis, quod illam comitatur. Cujus divisionis usus in curatione perficienda, et remediis adhibendis, maxime patebit.

## HISTORIA.

Quoad anni tempestatem; maxime grassari hunc morbum affirmatur calidissimis anni temporibus, et his praecipue plagis, ubi calor plurimum valet. Et, si quando per quoddam tempus sanata esse visa sit, illis tamen temporibus magnum instare periculum, ne denuo invaderet, observatum est. Juvenes magis affectat, quam senes, et sexum saepius virilem quam foemineum ‡ Inter juvenes, tales prae caeteris affectat qui ad iracundiam natura procliviores sunt, et hilari

* Vide Nosolog. † Battie on madness.

‡ Hoffman de affectu maniaco, " necnon," ait, " in foeminis ob causam eandem essentiales maniae rarius occurrunt."

gaudent

gaudent animo, cum habitu plethorico fibrarum tenſionem praebente. In hujuſmodi corporis habitu, ingruit nonnunquam ſine ullis, quae ejus adventum praenuncient, ſignis, plerumque tamen his ſymptomatis ſtipata invadit. Rubeſcunt oculi, et motibus convulſivis vibrant; urget dolor vehementior capitis, et robore in immane aucto, exhibet aeger portenta virium. Vultum ſubinflatum prae ſe fert ac attonitum, haud abſimilem cuidam e ſomno alto expergefactum ex magno quodam fragore terribili. Jam inſtante delirio, mentis facultates adeo penitus turbantur, ut omnia abſurda homo deblateret, ſibi tamen pro veris affingens de illis ratiocinetur. Quaſi furiis agitatus vix vinculis coerceri poteſt, amicos pariter ut alienos temnit, et eorum de ſua ſalute conſilia omnino negligit. Modo hilaris, modo lacrymans, jactat ſe miſerandus huc et illuc, et lumen ipſum peroſus, et illa, quae olim vitae ſolatio ducebat, refugit. Morum tanta fit nonnunquam commutatio, ut, qui antea modeſtos et verecundos ſe praeſtitere, omne jam obſcenum, omne impudicum, cum gaudio maximo proſequantur. Inſomnis aliquando per totas ſeptimanas vexatur horrendis et haud raro ludicris rerum phantaſmatis; dum omnem frigoris et famis ſenſum amittit; membris enim horrore rigidis, et corpore ad uſque mortem emaciato, manet it ut ſtatua in eodem loco immobiliter defixus: Ceſſant ſecretiones et excretiones omnes perverſe vitiatae. Veneris indulgentiam nonnulli vehementer concupiſcunt. Audaces ad omnia videntur, et magni quamvis periculi contemptores videantur, ad timorem tamen faciles ſunt. Pulſus plerumque per totum morbi decurſum haud naturalem ordinem excedit, et eum maxime ejus ſtatum, qui in homine ira violenter commoto eſt, refert.

Hoc modo perſtat ſaepe morbus ſine aliqua vel parvula tantum intermiſſione; at plerumque intervalla lucida adſunt, quae circuitibus redeunt. Cum vero jam inveteraverit, contraria iis quae ſupra narravimus ſuccedunt. Quieſcunt ſymptomata iſta violentiora, dejicitur animus, et ideis quaſi omnigenis vacuus, adeo ſtupidus et deſipiens fit homo, ut vix ſentiat impreſſiones, utcunque vividas et fortes. Vix denique ullo modo excitari poteſt, ſi loquitur maximam in ſermone incohaerentiam praeſtat. Vitam longaevam reddere dicitur mania, et adverſus morbos contagioſos optimum eſſe praeſidium. Exacta jam ſymptomatum et eorum, quae morbi naturam oſtendant, quantum maxime potui, narratione plena; inquirendum deinceps eſt, ecquibus ſignis a morbis conſimilibus diſtinguatur.

## DIAGNOSIS.

Adeo adfinis eſt melancholiae, opinione Boerhaavii, mania, ut hanc illam tantum auctam exiſtimet. " Si," inquit, " melancholia eouſque increſcit, ut tanta accedat agitatio liquidi cerebroſi, qua in furorem agantur ſaevum, mania vocatur *." Et nos facile aſſentimus, perquam difficile eſſe limites juſtos inter morbos, qui tot inter ſe communia habent, ſtatuere; at diſtinctioni locum eſſe, hinc forſitan haud perperam probatur, quod melancholici quotidie occurrunt, qui nunquam mania tentantur, tametſi per totam uſque vitam priori illo morbo graviter laboraverunt. Et praeterea, tum morbi utriuſque initia, tum acceſſiones ita differunt, ut in melancholia magis paulatim et lente incidant, in mania vero magis repente, praeſertim ſi quem ſanguinolento habitu invadunt. Dein in temperamentis iſtis melancholicis, in queis mania ſe tandem manifeſtaverit, videtur inſania partialis ſemper prius, plus minuſve invaluiſſe. Huc adde, quod anxietas et inſania in melancholia, praeterquam quod partialis eſt, magis futurorum timori, quam praeſentium et inſtantium, deberi videtur. Ex anni etiam tempeſtate, melancholiam magis pariente, aliquid diſcriminis trahitur; quippe quae, frigida et nebulis magis obducta melancholiae, contraria maniae, faveat. Omnino ſupervacaneum foret multa impendere verba differentiae, qua hic morbus a phrenitide et delirio febrili diſcernitur; ſatque eſt, febrim validam cum furore iſtis ſubeſſe, ab hoc vero abeſſe. Hanc diagnoſin, quamvis ſic breviter expoſitam, conſpicuam tamen ſatis fore ſpero. De cauſis jam differendum eſt, et in primis,

## PRAEDISPONENTIBUS.

Ex diverſitate quadam in primaria ſolidorum corporis conformatione, quoſdam ad alios morbos procliviores eſſe, quam alios, pro vero conſtat inter omnes. Ex qua vero re pendeat plerumque haec diverſitas, nemini adhuc detegere contigit. At, quatenus ratio et obſervatio ſuadet, diverſa conſtituta temperamenta, quibus vis vitalis diverſimode polleat, videntur. Et, quoad mentis facultates, mirum eſt quantum hae etiam hac diverſitate afficiantur. Conjectura eſt veriſimilis temperamentorum diverſitati implicari varios ingenii gradus. Eorumdem vero mobilitati miniae, qua mens nunquam ſibi conſtans, continuo ad amorem vel metum et ſimiles affectus fertur; proclivitatem ad maniam inniti, ſicut et ad plurimos

* Aphor. 118.

alios

talios ſyſtematis nervoſi morbos, haud dubium eſt. Talem mobilitatem optime indicant oculi, qui, nihil fixe et diu intuentes, per omnes partes perturbatae vagantur; ſimul illis, qui ea praediti ſunt, omnia cum impetu agere mos eſt; vice loquendi vociferantur, et vice riſus ora mille modis diſtorquent, adeo ut muſculi faciei aliquid ſaevum et horrendum ſemper exprimentes, certe phyſiognomiae peritis occaſionem facilem praebeant, futurum morbum, aliquot forte annis antequam reapſe incidat, praevidendi. Bene notum eſt, differre morbos toto coelo, prout in plagis diverſis incidant, et prout plus minuſve vel caloris vel frigoris in illis dominetur. Sic univerſim frigidis locis proprii ſunt, qui inflammatorio ſunt genere, ſicut pleuritis, rheumatiſmus, et aliae fere phlegmaſiae; quia frigoris vera progenies eſt diatheſis inflammatoria. At calidis regionibus, nervoſi dicti maxime ſunt communes, ut febres, hyſteria, tetanus, colica, et ſimiles qui ſunt. Nec hujus ratio longe petenda eſt, quippe calor ſyſtemati majorem confert mobilitatem et excitationem. Hae cauſae ſunt, quod in incolarum ejuſmodi regionum, lingua, religione, inſtitutis, et imperii formis, nihil eſt moderatum, nihil ſecundum rectam rationem, et quod ipſi maniaci apte viderentur, ſi comparetur eorum levitas, ad firmitatem et conſtantiam notabilem in frigidioribus locis degentium.

Eadem mobilitas auctior, in florente aetate conſpicua, cauſa vera haberi poteſt, cur hanc aetatem adeo ſaepe adoritur. Omnis enim generis deliramenta huic infeſta ſunt: Quod quidem obſervat in illa re vir hiſtoria jure praeclarus, loquens de his, qui omnes ſui memores fecerunt horrendis facinoribus: "I have obſerved, that all thoſe who have committed "the like crimes, from inward perſuaſion, were young men "like Sejanus. Balthaſar Gerard was about twenty. The "four Spaniards who had agreed with him to kill the "Prince of Orange were of the ſame age. The monſter "who ſtabbed Henry III. was but twenty-four. Poltrot, "who was the aſſaſſin of the Duke of Guiſe, was twenty-"five; and Shepherd, who undertook to murder George I, "was a boy only of ſixteen. It is the aera of illuſion and "enthuſiaſtic rage *."

Forſitan aliquis credat, ob eandem cauſam, ſexum foemineum maxime obnoxium eſſe huic morbo debere. At, praeter rationem, quam citat Hoffmannus, eum minus aptum illi reddentem, ex corporum conformatione tractam, alia eſt veriſimilis, quae hujus ſexus generi vitae et moribus innititur. Ex genere enim vitae, is ſexus non tantopere pati varia animi pathemata, quae poſtea enumerabimus

* Voltaire.

ut cauſas potentes hujus morbi, periclitatur. Et quoad mores; imbecillitatis ſuae conſcientia humaniores longe faciens, moderamen in ipſis procreat in rebus omnibus, et cauſa eſt manifeſta, cur imbecillitati potius acquieſcant, quam virorum more contra reſiſtere querant.

Tantum tamen in poteſtate noſtra poſitum eſt a natura, corpora noſtra vel robuſta vel debilia efformandi, ut ſaepius fortaſſe acquiſita ſit, quam a parentibus accepta, haec mobilitas. Sic inter gentes iſtas terrae noſtrae quae adhuc rudes ſunt, et feliciter gaudent natura ſimplici, pene ignota eſt horrenda illa * morborum caterva, qui auctae mobilitati debentur. Quippe enim iſtae ad naturam explendam non turpiter utuntur convictu lauto, ex mari terraque petito, ſed diaeta parciſſima contentae ſunt, cujus eſt nec plethoram nimiam dare, nec mores effraenos reddere. Sic etiam inter nos, vulgus hominum, qui ſimili prope ratione vivunt, quantum divitibus corporis fibrarum firmitate antecellunt! Lubens ergo credo, paucos ex hoc numero publica receptacula inſanorum adire. Eſt civitatum et oppidorum magnorum inertia, luxus, mollitudo, diverſaque ſtudia, queis occupantur cives, quae corpus et mentem praeparant huic morbo, et exiguis momentis excitant. Hinc fit, ut compleantur domicilia iſta, aut omnino fortaſſe neceſſaria ſint; quod certe argumentum validum his ſubminiſtrat, qui artes derident, et parum vitae humanae utiles eſſe judicant †. Structuram peculiarem in partibus organicis huc etiam diſponere credibile eſt, at ‡ "illam ita detegere, ut ex ſtructura poſita morbus neceſſario ſequatur, huc uſque impoſſibile eſt."

Mira apud omnes habetur conſuetudinis vis, quae aut augere aut minuere valet animi paſſiones, et illa quae olim gaudio fuerunt ingrata reddere, et quae denuo ingrata jucunda vertere. Duobus operatur modis in mentem, primo facilitatem praebendo aliquid vel agendi vel intelligendi, et poſtea animum ad illa diſponendo. Et hinc, ex effectis quae ita oriuntur, facile concipi poteſt, quomodo proclivitatem ad maniam acquirant, qui aſſueverunt ſaepius efferri propria animi vi, vel alios ſic violenter cominotos contemplari. Plurimi, ut mihi perſuaſum eſt, placidi principio, ſic tandem in furioſum converſi ſunt, Oreſtem, ſolem geminum, et duplices Thebas videre ſe imaginantem; ſic quoque quis adeo ſtrenuus et fortis eſt, ut vomenti adſtans non ſentiat in ſe ipſo nauſeam, et quandam quoque vomendi cupiditatem?

* Tiſſot on the diſorders of people of faſhion.
† Rouſſeau diſcours ſur les ſciences et les arts.
‡ Larry.

CAUSAE

## CAUSAE OCCASIONALES.

Inter numerum pene infinitum poteſtatum nocentium poſitum eſt corpus humanum, quae varie ſane vires ſuas exſerunt. Certe morborum rationem contemplanti ad animum adcurret, eaſdem ſaepe cauſas agere, morbos omnino inter ſe diſtantes inducendo. Unde aut quomodo hoc fiat, explicatu non facile*. Earum vim procul dubio auget feminium; quatenus vero res maniam ſpectat, illam de natura benigne ſentiens, longe ſaepius ex his applicatis oriri volo, quas hinc jam conſideraturus bifariam dividam.

Primo, de illis agam quae magis ex mente pendent; dein de illis quae ex corpore.

Primo, Mentis ſedem eſſe cerebrum, ut probetur, nullis jam eget ratiociniis. Vix denique credibile eſt, quenquam in contrariam unquam iturum ſententiam, qui phyſiologiae peritus ſit, et cerebri frequentes diſſectiones inſtituens, nervorum originem et pulchram eorum diſtributionem per ejus ſubſtantiam inſpexerit. Id ſenſorii communis nomine, quippe omnes in ſe continet rerum externarum notitias, appellatur. Has in vigilantiae ſtatu comparando continuo occupari delectat mentis activitatem, quam porro ad ſuſtinendam et materia ſupplendam tota mundi facies,

"Quicquid ubique vides, coelum, mare, nubila, tellus,"

Omnia conſpirant. Hinc ergo novus exoritur menti fons gaudia ſibi conficiendi, quae, ut natura eſt cujuſque, varie ſeligit. Poeta alius captat dulces imagines rerum, et ſuum et amicorum tentat fallere dolorem, longaque ſolari faſtidia vitae ſuave canendo. At ſeriis alius magis intentus, in abdita rerum altius penetrat, et coeli terraeque arcana depromit. Hic ſolis radios metitur, lunamque errantem rationibus aſſequitur. At, proh infortunium! nimia haec animi attentio totum idearum ordinem conturbans, cauſa ſaepe eſt impia, quae hominem e ſenſibus dejicit. Sic diu obſervatum eſt, haud longe a mania remotos eſſe, qui ad ſummum perfectionis pervenere in mentis facultatibus exercendis; quod nec a fide nec a ratione abhorret, ſi vera ſit obſervatio, varios ingenii gradus, et praeclaras animi dotes, omnes deberi cuidam excitationis ſtatui. Ita enim re ſe habente, additamentum tantum illi faciet animi attentio. Mentionem facit celeb. Morgagni † cujuſdam viri, qui ſemper ſtillabat guttas aliquot ſanguinis, quandocunque

* Ut ait De Haen, paralyſeos, epilepſiae, apoplexiae, cataphorae et lethargi convulſionis, aliorumque cerebri morborum cauſae reperiuntur eaedem. P. 4. cap. 5. de apoplexia et morb. nerv.

† De ſed. et cauſ. morb. epiſt. 13. art. 13.

ſtudiis

ſtudiis matutinis ſedulo invigilaret. De hac quoque re ita loquitur illuſt. Gaubius, "Cogitationum in eandem rem intenſio non interrupta, rari ſunt quibus non magnopere noceat. Etenim pars illa ſenſorii communis, quae ſola tum in actione eſt, et in quam tota veluti mens omni ſua vi incumbit, violentiam patitur haud minorem, quam muſculi ſingulares fortiter diuque contracti." Studiorum ergo varietas, ut mentem jam fatigatam longa in eadem re conſideratione, novis quaſi ideis reficit, admodum eſt utilis, et ab omnibus ſcientiae petitoribus inſtitui debet. Nimis intenſa ad maniam ſaepe impulit.

Ex hac vero cauſa patebit, exiguam tantum hominum partem affici periclitari. Panci tantum ſtudiis dediti ſunt; ſed ab ira, gaudio, et ſimilibus adfectibus, queis omnes adficiuntur, ſimilia prorſus ſequuntur. Et, dum tantae et ſubitae mutationes totum naturae ſyſtema continuo corripiunt, haud aliter fieri poteſt, quin homo illis ſaepe tentetur modo violento. Hinc ergo varii alii animi affectus oriuntur, qui effectus peculiares in corpore edunt. Deprimunt quidam mentem, et ſanguinis motum impediunt; dum alii pene extra ſe hominem efferunt, et totum ſyſtema excitatum reddunt. Ex illis, qui ſic graviter agunt, ſemper metus eſt, ne mania vel alia mentis affectio excitetur. Refert magnus Morgagni * duas hiſtorias, ubi excitationis ſtatum adeo gravem induxit gaudii et irae ſubita invaſio, ut mors cito inde ſubſequeretur. Irati denique adeo in omnibus, quoad vultum, verba, et mores, inſanis ſimiles ſunt, ut apud omnes merito inſania brevis habeatur ira. Sic unuſquiſque, credo, inſanum judicaret Xerxem, cum primo navium ponte trans Helleſpontum ventis deſtructo, tantum commoveretur, ut mare juberet trecentis plagis caedi, et vincula inſuper injici, verba ſimul crepitantia addens, quaſi ratione praeditum exiſtimaret †. Inter omnes vero animi adfectus amor eſt, qui, ſi hiſtoriae fides habenda ſit, ad furorem ſaepius adegit. Praeterquam enim quod ad aetate florentes maxime pertinet, cum nil niſi laetam mentem ſubeat, et ad omnia violenta proclivitas ingens ſit, nullus adfectus eſt, qui vim habet latiorem in judicium et opiniones noſtras: Adeo ut, praeter infelicem Phoeniſſam, multi hoc dementes impulſi, omni rejecta ſpe ſolatii, lethum ipſis propria pepererint manu.

Quantum et religio valeat ad mentem vanis timoribus implendam, et metu Tartari excruciandam, bene notum eſt. Multi procul dubio ex hac cauſa inſaniunt, quos magis refocillant ſancti alicujus viri dicta, quam medici remedia. Nec quiſquam hujus cauſae potentiam mirabitur, qui non ignorat quam grave ſit ſcelerum actorum memoria, quoque modo haec

* Epiſt. 38. art. 2. † Herodot. lib. 7.

animus

animus ſibi vero majora pingat. Quorum conſcientia, vel fortiſſima denique pectora, pariter cum natura timidis et meticuloſis, violenter angit. Quam horrens animus ea refugiat, et eorum turbida imagine tremens reformidet, optime depinxit poeta, qui hominis ingenium et naturam callide novit, in charactere illo nefariae mulieris his verbis: "Here is the ſmell of blood ſtill; all the perfumes of Arabia will not ſweeten this little hand. Oh! Oh! Oh! waſh your hands, put on your night-gown, look not ſo pale.—I tell you yet again, Banquo is buried; he cannot come out of his grave." SHAKESPEARE.

Oppida magna maxime idonea eſſe ad inſaniam progignendam, ex hominum in illis degentium ſordidis ſtudiis, ſupra dictum eſt. Quod veriſimilius etiam videbitur, ſi concedatur, avaritiam et lucri immoderatum deſiderium in illis violentiſſime ardere. Itaque illuſtris vir et medicus Mead, longe plures fieri maniacos anno 1720 *, cum omnes ſpe erecti, quiſque ſe fore cito aequalem Attalo divitiis exiſtimaverat, quam ullo alio tempore, animadvertit. Et, quod notatu dignum eſt, et maniae naturam bene oſtendit, eos magis hoc malo corripi, quibus bene, quam quibus male, ceſſerat, idem obſervavit. Nonnullos muſices vi adeo ex ſenſibus raptos fuiſſe legimus, ut prorſus inſani hinc quoque fierent; quod certe debetur potentiae ejus hilaritatem concitandi, et fibrarum muſcularium tonum augendi. Eandem hanc rem optime illuſtrat, quod apud Helveticos illos milites, qui mercede ſe conducunt, et in longinquas regiones proficiſcuntur, interdictum eſt omnibus, dum ſic longe ſolo natali abſunt, carmen certum nomine *rans des vaches* Indere † eorum patriae proprium. Quippe quod eos adeo violenter commovet, ut omnis diſciplinae militaris obliti, imperatorum dicta temnant. Eodem etiam mori quidam memorantur. Videtur cerebri actio inter certos anguſtos limites circumſcripta eſſe, quos ultra cum procedit, cujuſdam ea in idearum ordine et tenore confuſionis, ſicut et exceſſus in motu, cauſa ſemper evadit. Caeterum non judicanda eſt cauſarum aptitudo hoc efficere, per earum ſolam vim. Reſpiciendum etiam eſt ad modum ſubitum et inſperatum, quo invadunt illae. Paucae enim forſitan adeo validae et noxiae ſunt, quas non tuto mens arcere poſſit, dummodo ſat caute admoveantur. Priore jam diviſione exacta, ad ſecundam tranſeo.

Secundo, De illis quae ex corpore pendent. Plurima ſane mala in corpore exoriuntur, quae ad ſenſorii functiones ſuam

* This year was famous for the South Sea ſcheme.

† Vid. Rouſſeau. dict. muſiq. vocab. muſiq.

demum

demum vim propagant, et illas penitus ſubvertunt. Sic vulnera capiti inflicta ab ictibus, fracturis, caeteriſque, quae evidenter cerebrum concutiunt et laedunt, maniam neceſſario inducunt. Tumores quoque et exoſtoſes intra cranium, quatenus liberum ſanguinis tranſitum impediunt, et hinc congeſtionem gignunt, inter ejus cauſas adnumerentur. Cerebri vero conſtitutio optime accommodatur ad omnes propellendas injurias, quae ex ſanguinis congeſtione oriantur. Plurima enim ſunt illi vaſa, quae anaſtomoſes frequentes inſtituunt, et magni ſinus. At, inter tot vaſa, quantalibet ſapientia conſtituta, nil prohibere poteſt, quin quaedam magis turgida ſanguine fiant, quam alia.

Apte hic commemoratur ſolis effectus maniam producendo, quae Inſolatio dicitur, quoniam evidens eſt, eam hac via effici. Cauſam quoque fieri quodammodo maniae, novae et plenae lunae potentiam, hinc colligimus, quod prope univerſim, nullo apud vulgus hominum fere adhibito diſcrimine, mania correpti Lunaticorum nomen adepti ſunt. Complura exempla refert vir ſaepius relatus Meadius, quibus adeo manifeſta erat lunae potentia in epilepſia, ut ille paroxyſmorum tempora certiſſime plerumque praenunciare poſſet. Idemque propria experientia adductus, omnes morbos nervoſi generis ea cauſa maxime affici affirmat. Ex profluviis et excretionibus ſolitis ſuppreſſis, qualia ſunt menſes, haemorrhoides, et ſimilia, quae plethorae, ex qua pendent vaſorum tenſio et cerebri excitatio, cauſae ſunt, mania ſaepe exoritur. Plurima ſunt venena, velut opium, hyoſcianus, belladona, aliaque, quae ſtimulantem ſuam vim in ſyſtema ſimili modo edunt. Huic quoque pertinet vini nimius uſus. Memorant medici exempla, ubi aliis morbis laborantes, repente maniaci facti ſunt. Ejuſmodi tradit Meadius, et, in praelectionibus ſuis, Cullenus de podagra et anaſarca laborantibus. At, in pluribus exemplis, ſatuitatem illam, quae in corporibus exhauſtis et ſummae debilitatis exoritur, pro mania habuiſſe videntur medici *.

## CAUSA PROXIMA.

Plurimum, ab omni tempore, inter medicos controverſum eſt, de commodis, quae cauſae proximae notitia conferre, aut non, exiſtimaretur in morbis medendis. E quibus, qui inutilem et parum neceſſariam eam habuerunt, hanc fere ſententiam complecti videntur, potius rei difficultate, et quod ipſi illam plene evolvere nequibant, quam alia cauſa, inducti. In confeſſo enim eſt apud omnes, morbi naturam tum ſolum be-

* Vide Sydenham.

ne

ne notam haberi poſſe, quando haec quam clariſſime patet. Materiae morbidae fautores hanc poſitam eſſe in ſanguine craſſo, cui nomen atrae bilis imponunt, exiſtimarunt. Cujus utique doctrinae ineptia et abſurditas omnibus jam abunde explorata, jam merito ſcholis exulat. Ex legibus ſyſtematis nervoſi omnia certe ad medicinam aptius attinentia, et majore cum ratione, explicantur.

In ſyſtematis ergo nervoſi, et maxime cerebri, quodam ſtatu poſitum eſſe crediderim. Cerebrum ita conſtitutum eſſe, ut diverſos ſtatus, quorum in quibuſdam melius, quam in caeteris, mentis fit exercitatio, ſubeat, ex magna hujus facultatis differentia aliis temporibus in eodem homine patet; quod et in homine laſſo et denuo refecto manifeſtum eſt. In horum poſteriori ſtatu, qui ſtatus excitationis appelletur, ſumma eſt ad impreſſiones aptitudo, et in idearum ſucceſſione et recurrentia ſummus ordo. At adeo accurate comparantur omnia a natura, ut facile hic exceſſu peccetur; et deliriuni tunc adeſſe * dicitur, cum quis ideas ab internis cauſis natas ad res externas refert, et praeſentia eſſe exiſtimat quae abſunt. Cumque hoc ex variis rebus in ſyſtemate pendeat, valde frequens erit. Genus unum ſaepe occurrit, quod auctis viribus, pulſu valido, ingenti capitis dolore, et ad lucem ſtrepitumque aucta ſenſibilitate adveniens, praevidetur. Idem ex impetu ſolo ſanguinis pendere, prout nempe hic vel velocior, vel lentior forte ſit, credi poſſet, ni experientia quotidiana maxime adaugeri poſſe impetum, ſine ullis delirii incipientis, vel minime deinque in mente perturbationis ſignis, addoceret. Aliud genus eſt, in quo exiguus ſanguinis impetus eſt, et vires imminutae videntur. Haec ambo genera in mania occurrentia, et eam omnino conſtituentia, ad cerebri excitationem, quocunque modo obſtructam, referri poſſunt. Obſtructam dico, quando in aliqua cerebri parte excitationis vel defectus vel exceſſus eſt. Ex mutatione enim ſic inducta vel integri, vel ex parte, cerebri, quod antea diximus ſenſorii communis ſedem eſſe, patet, confuſionem quandam, in idearum natura et ordine conſueto, nempe vaſaniam, orituram. Ne autem omnino incredibile videatur, defectum excitationis in aliqua parte, et exceſſum in altera eſſe, id breviter ita explicare conabor, ut res perquam obſcura recipit. Omnis motus vel actio in cerebro fit per fluidum nervis annexum: Opinio, quae hoc officium aſſignat fluido, vetuſta, et ab omnibus fere recepta eſt, ſolumque de ejus natura ambigitur. Ex cerebri cum glandula ſimilitudine, Boerhaavius ſecerni hoc fluidum et per nervorum tractum diffundi opinatus eſt. Qua tamen, ut et aliis omni-

* Gaub.

bus rejectis, ut parum argumentorum idoneorum pondere suffultis, et toti seriei sentiendi phaenomenon incongruis, illam potius amplector, quae in humore elastico tenuissimo, haud secreto, sed nervis semper haerente, cujus summa mobilitas optime oscillationi vel vibrationi aptatur, potestatem nervosam ponit. Soni in aëre communicatio, ut et impressionum in organa sensus, quas per tremores agi, nemo inficias ibit, quantum in tali re fieri potest, comprobant omnem motum ex hoc fieri. Si ergo ponendum sit, hoc fluidum electricum referre, quod, ut compertum est, majori vel minori copia accumulari potest, facile dein erit intellectu, quo modo fluidi nervosi abundantia nimia, vel inopia, in aliqua parte cerebri fiat, prior excitationis excessum, et posterior defectum, constituens. Somni praeterea phaenomena demonstrant, quam inaequalis sit hujus fluidi in cerebro conditio. In utroque enim exemplo, ubi hominem vel invadit vel deserit somnus, imperfecta videtur sensorii excitatio; ac mentis facultates nec simul omnes cum vigilia cessant, nec simul cum somno reducuntur, sed gradatim: Et sic variae rerum turbatae imagines se offerunt.

Ex dissectionibus omnibus cerebri in maniacis, quae ad hanc rem enodandam institutae sunt, haud multum lucis affulget. Quod alias siccius et durius solito compertum est, et flavedine fluidi, per totam substantiam corticalem tinctum, alias cum summa meningum crassitudine et ossium cranii, deprehensum est Haud raro vero nullam omnino laesionem detexit culter anatomicus. De his quid judicandum? Certe fieri potest laesionem adesse, quamvis haud oculis demonstretur, et quamvis cultrum secantem effugiat.

## PROGNOSIS.

Periculi gradus in omnibus morbis judicandum est, ex partis affectae momento, et causis morbum inducentibus, prout hae symptomata plus minusve molesta excitaverint. Qualescunque eae sint in mania, eo periculosiorem eam reddunt, quo delirium fortius excitant. Si aeger somno saepe reficitur, salus cito sequntura credenda est. At vix haec speranda est, si labi haereditariae debetur. Si din etiam perstitit, pessimum est omen; quoniam ex consuetudine, ob paroxysmos iteratos, corpus, perpetuo ad incurrendum in illos, proclive fit. Quae a mente venit pejor quoque esse observatur, quam illa quae ex corpore; et pejor etiam est, si laetitia et magna animi hilaritas comitatur, quam tristitia. Haemorrhagiae

magnae,

magnae, dyſenteria, et febres, &c. ſalutem ſecum fere adferunt.

## METHODUS MEDENDI.

Antequam quid tentetur hac via, in primis neceſſarium eſt, eos, quorum curae maniacus committatur, cavere, ne medici conſilia inania reddat, medicamenta ejus proterve reſpuendo. In hoc vero efficiendo, haud neceſſe eſt, ut omnis humanitatis ſenſus exuatur, et miſeri prope ad necem flagellis crudeliter caedantur, quod nimis in more eſt. Quamvis enim audaces et feroces ſint, metum tamen facile concipiunt, et artificio ingenioſo, quod Anglice vocatur *ſtrait waiſtcoat*, omnino prohiberi poſſunt ab ſibi et aliis nocendo.

Inepta admodum cupiditas homines plerumque tenet, miſeros illos adeundi, quo nihil eſt quod diligentius caveri debet. Sin impoſſibile ſit hoc prohibere, omnibus, qui eos adeunt, aliquid eos interrogare, vel denique nimis attente intueri, interdicatur; quoniam impreſſiones novas, quae cavendae ſunt, id ex improviſo ſuſcitet.

His proviſis, hoc unicum medendi conſilium ex cauſa proxima ſequitur, cerebri excitationem obſtructam tollere. Quum vero duo ſint hujus caſus omnino contrarii, ut antea probatum eſt; neceſſe eſt, ut his accommodentur remedia. Si excitationi nimiae debetur, diligenter perſequendum eſt regimen antiphlogiſticum. Si, e contrario, hujus imminutio ſit praeternaturalis, tunc inſiſtendum his modis qui ſyſtema aptius ſtimulent, et deperditam excitationem reſtituant. Ex hoc mixto conſilio organique natura exquiſite tenera, quod morbi ſedes eſt, patet, rem fore haud parvi judicii remedia etiam neceſſaria adhiberi. Quocirca, poſtquam illa omnia percurrit, quae utrumque caſum ſublevent, monendum judico, exaſperare ſaepe morbum ea, quae maxime idonea videantur, ex peculiari ſyſtematis nervoſi in hoc morbo affectione.

1. Ad excitationem minuendam tentanda eſt venaeſectio. Cujus uſus hinc maxime pendet, quod, ſyſtematis tenſione et rigore remotis, liberiore curſu fluit ſanguis, et ex vaſorum ramis venit ad truncos; unde neceſſe eſt, ut ſubito et larga copia educatur. Si furorem non omnino haec depellet, vehementer tamen mitigabit. Hanc inſtituere quidam e doctrinae revulſionis fautoribus ex pede et ſaphaena: At potius videtur, prementibus vultus ſubinflati, oculorum rubentium et ſimilium ſignis, ſi ſanguinis impetus detractione ejus e brachio non multum imminuitur, venam vel arteriam propiorem parti affectae, ſicut jugularem vel fortaſſe arterias temporales,

ſecare. Quod torrentem ſanguinis ab encephalo citius avertit, et levamen adfert. Cum eodem conſilio temporibus hirudines et cucurbitulae cruentae applicari poſſunt. Narium enim haemorhagiae, quae parvula tantum copia inſigniter agunt, ſymptomata urgentia hujus morbi depellendo, oſtendunt quanto uſui ſint hae topicae venaeſectiones. Has tamen cujuſvis generis inſtituendo, ſpectanda hominis temperies eſt. Plerumque enim non adeo commodae ſunt in temperamentis melancholicis, quam ſanguineis, ob torporem inſignem cui illa obnoxia ſunt.

Sanguinis miſſione praemiſſa; catharticis poſtea ſolicitanda alvus eſt, quae vel aſperiora eſſe debent, vel, ſi leniora adhibebuntur, multo majori, quam ſolent, copia praeberi, ſi quidem, obſervante Meadio, aegre ſtimulum nervi in hoc morbo ſentiunt. Notandum enim eſt, auctam mobilitatem in quavis parte praeter naturam, eam vi proportionali ſemper minuere in aliis. Ad Antyciram inſanos ſuos mandarunt veteres, fidentes hellebori uſu. Qualeſcunque hujus vires olim erant, non magis probari ab recentibus* videtur, quam alia hujus generis medicamenta, qualia ſunt aloes, ſal catharticus amarus, tartarus ſolubilis, &c. potiora quidem videntur haec, quum per totum morbum uſui eſt, alvum ſolubilem ſervare. Quod ad emetica ſpectat, plurimas his confert laudes Monroius†. Refert hic, curaſſe ſe penitus quendam laborantem jam tribus annis mania, frequenti eorum adhibitione. Non ſolum ejiciunt haec ventriculi ſordes, ſed ad ſuperficiem determinant fluida, et ſic tranſpirationem, quae ſemper in hoc morbo promovenda eſt, adaugent. Praeterea, utilia ſunt, quum totum ſyſtema agitando, animi attentionem avocent et avertant ex ideis iſtis ingratis, quibus illam tantum inhaerere delectat. At, ab eorum violenti operatione cavere, ſatque prius deplere corpus venaeſectione, et catharticis laxare, quam illa adhibeantur, oportet; quia aliter morbum potius incendere, ſanguinem ad caput impellendo, poſſunt. Secretiones et excretiones omnes perneceſſarium eſt promovere. Graviſſimi auctores multum laudant ſecretionem per urinam in hoc morbo, ſicut et in hydrophobia‡, in quod propoſitum datur ſal diureticus. Secretionem per ſuperficiem leniter moventia plurimum poſſunt, quoniam, foramina cutis aperiendo, ſtimulum e quavis parte corporis ſubducunt. Quod ad mercurii uſum; is, qui in fluida praecipue agit, parum convenire morbo, ex ſyſtemate nervoſo pendenti, videtur.

Quum vero praecipue adoritur hic morbus arcem cerebri,

* Vid. Battie † Phyſician to Bedlam. ‡ Mead.

et

et innumeras in illo concitat oſcillationes, aliquis forſitan crederet, has per medicamenta ſedativa vel antiſpaſmodica, quorum praecipua et maxime efficacia ſunt moſchus, camphora, opium, cito compeſci poſſe. At haud dubia graviſſimorum in medicinis experientia, vel eorum uſum rejicit, vel caute admodum recipit. Vim enim mixtam haec omnia obtinent, et quodam tenus corpus prius ſtimulant, quam motus ejus errantes ſedent. Hinc timor eſt, ne ſomnum et quietem, ad quae concilianda omnes tendunt medici conatus, potius fugent quam inducant. Quocirca, ni dura lex neceſſitas, quae medicum haud raro invitum multa facere ſubigit, urget, nullatenus adhiberi debent haec, donec cerebri excitatio aliis rationibus aliquantum imminuta ſit. Hoffmannus de opio, quod et moſchus et camphora operandi modo referunt, "Eae," inquit, "medicinae quae opium habent in delirio, improvide datae, illud magis intendunt, et contumacius reddunt, tantum abeſt ut componat, aut levamen adferat." Multo tutius tentetur acetum deſtillatum, quod ex auctoritate celeb. Locher, remedium eſt praeſtantiſſimum. Complura recitat hic exempla, quibus illud ſymptomata gravia excitationis nimiae cito depulit, et ad ſenſus prorſus reſtituit. Hoc in eo commodi eſt, ut per longum tempus et continuo adminiſtrare liceat. Nec omitti debet lavationis frigidae uſus, qui non ſolum utilis eſt, propterea quod corporis ſenſibilitatem imminuit, ſed etiam ut "ſubita in aquam frigidam immerſione, deleantur, mortuo fere ſub aquis homine, omnes ideae †. Et, ut frigoris conſtans ſit applicatio, in loco frigidiuſculo detineri debet ſaeviſſime furens, et, raſo capiti, quod Anglice vocatur *a clay cap* admoveri."

Cum ſuſpicio eſt, lucem ‡ noxiam fieri mentem ſtimulando, ita, ne aegri nimium lucis recipiant, cavendum. Parum tamen proficient remedia quaecunque, ſi diaeta parciſſima et quam minime ſtimulans, haud obſervetur. Haec ex lacte et oleribus tantum conſtare debet.

Nec cerebri excitationem parum minuit mentem delectare. Varia ergo corporis exercitia, ut ludi inſtituti, conveniunt, qui eodem tempore, quo ad corporis ſalutem conferunt, mentem grate refocillant. Sic refert, in praelectionibus ſuis, Cullenus, quendam, qui maniacos aratro jungere ſolebat ſuae curae commiſſos, et hoc duro labore multos refecit.

Frequentes etiam habere ſermones cum aegris, cum illis ratiocinari, et, quantum fieri poteſt, illos animi affectibus contrariis, iis quibus agitantur, commovere, procul dubio aliquid levamen adferret menti vexatae, et ſuam conditionem moleſte

† Van. Swiet. ‡ Celſus.

ferenti.

ferenti. Per muſicen, quae tum vim eximiam animi molliendi, et lenes affectus excitandi, tum feroces, poſſidet, hoc fiat. Cicero * " aſſentior," inquit, " Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi ſonos, quorum vix dici poteſt quanta ſit vis in utramque partem: Nam et incitat languentes, et languefacit excitatos. Tum remittit animos, tum contrahit."

Animum etiam occupare ejuſmodi libris, qui de rebus levibus et jocoſis tractant, magno uſui erit.

II. Quando excitationis defectus eſt, ſtimulantia varia adhibenda ſunt, quae ſanguinis motum accelerent, et aequalem reddant ejus diſtributionem per cerebrum. Sic balneum, calore totum ſyſtema laxans, et omne tollens impedimentum, prodeſſe poteſt. Varia adminiſtranda ſunt aromatica, et quidem ſternutatoria aliquando ſunt uſui. Opium, cujus uſus adeo ambiguus in priore caſu eſt, ut ſi aliquando proſit, ſaepius noceat, liberius hic praeberi poſſe videtur. Non hic tamen medico deſit ſumma cautela, quoniam magnopere ejus adminiſtratio tum noxae eſt, cum magna eſt corporis mobilitas. Ut caetera, quae eidem propoſito ſubſerviant, omittam, neceſſarium erit eadem adhibere exercitia, quae antea praemonuimus de mentis attentionem removendo. Quod ad diaetam attinet, lautior ſit quam in priore exemplo.

Commutatio in totius genere vitae, in utriſque his exemplis, tentetur; quoniam obſervatum eſt, hanc in morbis nervoſi generis ſaepe proſuiſſe, poſtquam omnia alia remedia fruſtra tentata ſunt. Oportet, per totum morbum cauſas occaſionales, de quarum nocenti vi jam fuſius tractavimus, diligenter arcere; quoniam vel graviorem reddunt morbum, vel ſolutum reducunt.

* De leg. lib. 4.

# DE RABIE CONTAGIOSA.

*AUCTORE CALEB. HILLIER PARRY.*

## SYMPTOMATUM ENARRATIO.

CUM animal rabidum cuilibet vulnus infligit, effectus nullus ſubitaneus obſervatur; vulnuſque, quantum videtur, aeque facile ac aliis in exemplis, ſi morſus naturam, curandi rationem, aegrotique temperamentum ſpectes, ſanari ſolet. Per aliquantum poſtea temporis ſanitate conſueta fruitur morſu affectus; tandem vero circa vulneris oras ſeſe oſtendunt "rubor, calor, tenſio dolens *." Incidunt eodem tempore circa locum laborantem dolores vagi, et ſpaſmodicae vellicationes. Cum his ſymptomatis, anorexia, nauſea, ſaepe vomitu, reſpiratione difficili, anxietatis circum praecordia ſenſu, ſuſpiratione frequenti, vertigine, vi muſculari diminuta, eadenique aegre exercita, corripitur aegrotus.

Aliquam quoque patitur animus mutationem, et evadit aeger ſegnis, languidus, moeſtus, ſolitudinis appetens, ad res externas parum attentus. Subſultu repentino, ſomniis horrificis, inquietudine continua, ſomnus illi turbatur.

Haec ſymptomatum ſeries primi ſtadii inter medicos plerumque nomen ſibi adepta eſt; quod inter tempus pulſus eſt ut plurimum parvus, debilis, enormis.

Durantibus his ſignis, et per diem unam alteramve ingraveſcentibus, oeſophagi affectionem inſolitam, inter liquores abſorbendum, tempore ab initio morbi incerto, ſentit aegrotus. Quid faciat infelix? Sitim patitur; omnes autem eam mitigandi conatus, per ſuffocationis inter bibendum ſenſum, irriti redduntur. Anxietatem intolerandam, et gulae et totius corporis convulſiones vehementes. gignunt conamina idem genus ſequentia. Eo metu haec horrifica implent animum, ut idem in poſterum amplius conari abſiſtat aeger, utque fluidorum conſpectui, vel eorum mentioni ſuperveniant ſolicitudo, cruciatus, et ipſae aliquando convulſiones. Hoc ſymptoma, et inde morbus ipſe, inter medicos vel antiquiſſimos †, Hydrophobiae nomen ſibi comparaverunt.

Cibum ſolidum et mollem, dum hyrophobia recentior eſt, devorare ut plurimum poſſunt hoc morbo affecti; provectiore autem morbo, vana fiunt omnia cibum ingerendi conamina.

* Vide Culleni Phlegmon. Synopſ. Noſolog. claſ. 1. ord. 2. gen. 7.
† Cornelii Celſi lib. 5. cap. 27.

Nunc

Nunc quoque ſaliva, eundem oeſophago, quem alii humores, dolorem inferens, minime devoratur; ſed viſcida et ſpumoſa magna quantitate in os confluit, conatibuſque vehementibus ab aegroto inſcio ſaepe exſpuitur. Rumorem vagum rabidos aegros quaſi canes latraſſe, a ſono per hos niſus edito fuiſſe ortum, haud abſque jure exiſtimavit medicus eruditus *.

Sub hoc tempus, quaecunque ſenſus afficiunt, ea omnia dolorem movent. Ægroti quidam conſpectum rei cujuſquam albae aut lucidae refugiunt; neque quibuſdam lux toleranda †. Aerem temperiei uſitatae inſpirare eſt dolori, et reſpirationis organorum motus abnormes nonnunquam excitat ‡. Urinae fluxus, aliquando frequens, dolore meatus urinarii acuto comitatur §. Hoc modo abſolvitur ſecundum morbi ſtadium.

Nunc vero haec mala conſequitur pyrexia, in qua pulſus uſitato frequentior; in aliis viribus aliis, in his debilior, in illis ſolito validior. Sititur magnopere. Omnino vigilatur. De cutis, urinae, et ſtercoris ſtatu, inter auctores non clare conſtat. Hoc tempore maribus aliquando incidit perpetua tentigo ‖, cum ſeminis excretione frequente ac involuntaria **. Ingraveſcunt per totum corpus convulſiones ††. Adeſt delirium, aliquando mite, aliquando vehementiſſimum et ferociſſimum.

Conantur ſaepe inter hos paroxyſmos aegroti miſerandi adſtantes omnes admordere. Lucida nihilominus adſunt intervalla, inter quae amicos ſuos periculi, quod illis a ſeſe immineat, admonent, ut longe diſcedant ſuadentes.

Deficientibus tandem per haſce convulſiones iteratas naturae viribus, artus, et praecipue affecta pars, evadunt paralytica ‡‡. Langueſcit pulſus; deficit reſpiratio §§: Accedunt ſudores frigidi: Et denique mors, de viribus naturae jam triumphum agens, aegroto non inimica, laboribus ejus finem imponit, intra quartum plerumque a morbi acceſſione diem.

Rabiei contagioſae ſymptomata atque ordinem eorundem uſitatum enarrare, ut potui, conatus ſum. Cum autem inter

* Nicolaus Munkley, Medical Tranſactions, vol. 2. London Medical Obſervations and Inquiries, vol. 5. p. 206. Medical Eſſays abridged from the Philoſophical Tranſactions, vol. 2. p. 4.

† Med. Eſſays abridged, vol 2. p. 3. James on Canine Madneſs, p. 91. et 196. Mead's Mechanical Account of Poiſons, p. 135

‡ Lond. Med. Obſerv. and Inquiries, vol. 5. p. 358. 361. 365. Mechanical Account of Poiſons p. 135.

§ Ibid. p. 136. ‖ Ibid. p. 133. Med Eſſays abridged, tom. 2. p. 5.

** Med. Obſerv. and Inq. vol. 5 p. 202. †† Mechan. Acc. of Poiſons.

‡‡ Ibid. p. 136. §§ Med. Obſ. and Inq. vol. 5. p. 366.

hiſtorias,

hiſtorias, ab aliis editas *, legendas, ſaepiſſime mihi horruerit animus, omnem conſulto praetermiſi ornatum, neque vividis ullis coloribus picturam animavi †.

## CAUSAE.

Imprimis, ab omnibus ſane conceditur, rabiem contagioſam a veneno quodam in viventis animalis ſyſtema intromiſſo pendere. Argumento attentius conſiderato, magnus inveſtigationis philoſophicae campus aperitur, multaque attentione noſtra digniſſima ſeſe oſtendunt. Quibuſnam, exempli gratia, applicationis modis effectus ſuos edit hocce venenum? A quo fonte oritur? Qualis ejus natura propria? Quaenam in corpus animale operandi ratio? Harum quaeſtionum tres priores, ut ad cauſarum remotarum ſectionem ſpectant, ſic noviſſima cauſam conſtituit proximam, ſymptomatumque in ſe comprehendit rationem. De his igitur duabus ſectionibus ſeparatim agemus.

* Inter alias, hiſtoriam Nicolao Munckley memoratam. Medical Tranſactions, vol. 2.

† De ſymptomatis in cane rabido occurrentibus haec profert Heyſham:

" Primo canis ſuum vigorem amittit, minus vividus fit, et, inter obſequium domino praeſtandum, ſolitudinem petit. Non latrat, ſed murmurat, aliis minitatur; auribus et cauda demiſſis, cibum averſatur, et vultus triſtitiae omnia ſigna exhibet. Poſtquam haec ſymptomata unum, duos, vel tres dies permanſerunt, dein canis cito difficulterque reſpirat; linguam ore exſerit, atque ſalivam primo parcius movet. Hero haud obedienter obviam venit; domo fugit; hinc illinc vagatur; interdum quaſi ictu ſopitus, tarde curritu; ſed, paulo poſt, curſum accelerat, at ſemper inaequali et titubanti gradu; augetur ſalivae ſtillicidium, tota lingua ex ore promittitur et liveſcit. Indiſcriminatim omnia rapit, et hirrit. Nec mora; delirat; vires amittit; corpus macreſcit; reſpiratio difficilior fit; os ſpuma ſcatet. Tum omnia ita mordet, itave mordere conatur, ut vel umbras ore hianti captet. Proinde alii canes, ejus calamitatis quaſi conſcii, cum ſignis magni terroris eum fugiunt. Qui dein dolore et fatigatione exhauſtus expirat.

Praeter haec, aliud ſignum characteriſticum ſcriptores memorant, nempe, ſi fruſtum panis, aut carnis elixae, quod in os mortui rabidi canis immiſſum, et ejus ſaliva bene imbutum ſit, deinde cani jejuno offeratur, horrore repudiabitur.

Hae notae ſunt, quae attente cauteque perpenſae, ſemper morbum indicabunt. Intereſt autem hominum quorum canes ſunt, eos ſecure et bene munito loco, cum primum ſymptomata apparent, concludere; quo facto multum periculi, variae anxietates terroreſque vitari poſſent, et, quod minus quidem intereſt, multi canes, immaturae mortis ſecuri, vitam degerent.

His ſimilia ſymptomata in caeteris animalibus ferme occurrunt; aut, ſi minime negari poteſt, quin animalium variae naturae, doteſque, ſeriem jam expoſitam mutare poſſint; tamen ſymptomata pathognomonica raro mutari dicendum eſt." Diſputatio inaug. anno 1777 edit.

## DE CAUSIS REMOTIS.

Quibuſnam applicationis modis effectus ſuos edit hocce venenum?

Cum non ſit hoc, tanquam variolae et aliorum quorundam morborum virus volatile, certas corporis partes, antequam agat, contingat neceſſe eſt *. In exemplis communibus venenum, cuti fibraeve muſculari vulneratae admotum, ſaliva commiſtum, quaſi inſitione, recepit aegrotus. Quod autem ad aliquem contagione impertiendum non neceſſarium eſt; una etenim voce conclamant ſcriptores, ſalivam, etſi exſiccatam, ad cutem integram et vel epithelio opertam, in labiis, nempe, oeſophago, faucibus, &c. applicatam, ad morbum generandum ſufficere. Ita "Sartrix etiam quaedam," inquit Caelius Aurelianus, "cum chlamydem ſciſſam rabidis morſibus farciendam ſumeret, atque ore ſtamina componeret, tertia die in rabiem veniſſe memoratur †." His autem rationibus ſolis morbus, uti videtur, ab aliis in alia corpora poteſt vulgari.

Scriptor autem Gallicus, Razoux ‡, exemplum a ſpiritu ſolum canis rabidi in os recepto ortum memoriae prodit. Nonne vero hic videtur veriſimile, aliquantum ſalivae, cum canis ſpiritu, turbatam propter reſpirationem, in os hominis immiſſum effectus hos edidiſſe infauſtos?

Maxima ſane hoc virus inter et venereum, quoad haec, intercedit ſimilitudo; quod clarius apparebit animo revolventibus nec ſyphilitidem nec rabiem veneno epidermidi applicato ſupervenire. Hoc confirmat Nicolaus Munckley medicus, et Claudius Du Choiſel ‖.

A quo dein fonte oritur venenum hydrophobicum?

Rabies contagione, ut plurimum, cum animalibus communicatur; et, in animalis morſi ſaliva generari ſimile venenum, experientia docet. Inſuper hoc venenum, rite applicatum, eadem plerumque praeſtiturum eſſe, eſt cur credamus: Quod in variola, ſyphilitide, multiſque aliis morbis evenire, hodie teſtantur omnes. Variolam autem, ſyphilitidem, &c. a contagionis ſingularis actione ſemper profluere, iidem demon-

* "Salivae itaque canis rabidi nonnihil ineſt fermenti, quod, uti diximus, lentum ei craſſum, minimeque volatile, ut febrium malignarum peſtiſque contagium eſt, utpote e viſcoſis conſiſtens humoribus, aerem, ut vehiculum minime agnoſcentibus." Stalpart. Van der Wiel obſerv. rarior. cent. 1. fol. 437.

† De Hydrophobia, cap. 9. fol. 195. ‡ Tables Noſologiques.

‖ Nouvelle methode pour le traitement de la rage, p. 12. In eandem ſententiam eunt Palmarius, de morſu canis rabidi, cap. 1. fol. 332. Fernelius, de morbis occultis, lib. 2. cap. 11. Tulpius, lib. 9. cap. 12. fol. 124 James, treatiſe on canine madneſs, p. 14. 15.

ſtrant.

ſtrant. Rabiem inde contagioſam nunquam ſponte vel de novo oriri, ſed ab aliquanto materiae conſimilis corpori animali applicato, ut efficiente cauſa, nunquam non proficiſci, analogia impulſi, contendimus.

Doctrinae vero noſtrae enixe adverſantur auctores. Hydrophobiae ſponte ortae multa apud ſcriptores offenduntur exempla, a morſu rabidi animalis minime pendentia. Quid dicit Franciſcus Sanchius? "Petrus du Saint Pay Patronus, natus viginti quinque annos, bilioſus, menſe Maio poſt moerorem et ardorem ſolis, quem biduo iter faciendo tulerat, incidit in febrem continuam et hydrophobiam, non morſus tamen ab aliquo cane, nec ab alio animali. Delirabat aliquantum, ſed tamen reſpondebat appoſite; non poterat ferre aſperſionem aquae, neque potum ejuſdem, aut vini aut juſculorum - - - Obiit quarto die *."

Brienus, noſocomii cujuſdam in Gallia medicus, homini diu epilepſia vexato, devorandi poteſtate alias obſtructa, ſupervenisſe hydrophobiam lethalem memorat †.

Multas alias hujuſmodi hiſtorias in Boerhaavii, Suietenii, Brogiani, Marcelli Donati, Schenkii, Caelii Aureliani, Meadii, et aliorum operibus, Ephemeridibus quoque Germanicis, &c. eſt invenire ‡.

In omnibus hoc genus hiſtoriis, notatu dignum eſt, hydrophobiam aut morbi alius ſymptoma, aut cauſae utrique communis fuiſſe effectum.

His in caſibus, eam pharyngis ac oeſophagi extitiſſe irritabilitatem, quae fluidorum abſorptionem impediverit, quam facile conſequeretur, conſpectis fluidis, horror, et inde hydrophobia, lubenter concedimus. Hinc illis quoque deeſſet poteſtas ſalivam devorandi; quae, magna quantitate collecta, et ob calorem aegroti, aut ſitim, viſcida facta, ſpumae circum os rabidi ſpeciem prae ſe ferret. Hoc ſymptoma, hydrophobiam, non deeſſe, inquam, conceditur. Quid igitur inde ſequitur? An hic generatum eſſe venenum ipſum rabidorum licet concludere? Salivam prius in his caſibus ad contagium movendum valuiſſe, quum huic conſequenti habeatur fides, probetur neceſſe eſt. De hoc autem nil conſtat §. Suietenius equidem hominem ira ardentem indicem ſuum momordiſſe, ex quo diei unius noctisque ſpatio hydrophobicus factus brevi fato conceſ-

* Tom. 1. p. 375. † Journal de medicine, tom. 14. p. 315.
‡ Journal de medicine, tom. 7. Ibid. tom. 16.
§ "Fateor quidem humores in corpore noſtro interdum ita corrumpi poſſe, ut venenorum naturam induant; ſed tale determinatum et ſpeciale venenum, quod hydrophobiam excitet, nulla accidente cauſa externa, in corpore humano generari non crediderim." Stalpartii Van der Wiel obſerv. rarior. cent. 1. p. 415.

ſit, memorat *. Non autem hic eſt cur morſum hydrophobiae fuiſſe cauſam ſuſpicemur. Neque enim, ubi, intra ſpatium viginti quatuor horarum ex vulnere inflicto, hydrophobia fuerit mota, in omnibus medicinae annalibus exemplum inveniendum. Nonne multo probabilius, animi, qua impulſus digitum momordit homo, commotionem cauſae jampridem exiſtenti ortum debuiſſe, cui poſtea ſucceſſit hydrophobia?

Per alterum argumentum veriſimilior redditur ſententia in quam conceſſimus. Ex hydrophobia ab morſu orta, quando revera exiſtere venenum compertum habemus, perexiguus ſane convaleſcentium numerus. Abſque contagio autem hoc ſigno affecti ad ſanitatem ſaepius reducuntur. Ita cani hydrophobico, de quo in Ephemeridibus Germanicis † mentio fit, evacuato verme, omnia deceſſerunt ſymptomata; ex quo tempore annos quatuordecim vixit. Nullum hic generatum venenum haud dubie concludere licet.

Auctores deinde inter omnes convenit, oriri ſaepe in canibus, lupis, et vulpibus venenum hydrophobicum, ex cauſis quibuſdam in ſyſtema eorum agentibus. Harum praecipuae ſunt, ingeſta putrida; defectus aquae; ingens aeſtus; agitatio vehemens; perſpiratio nulla; vermiculus ſub lingua delitescens.

Harum duas priores ſubſequi effectum hujuſcemodi, experientia non demonſtrat; et de omnibus praeter noviſſimam hypotheſis apud eos, qui veneno naturam alcalinam, ad quam haec conferre ſuſpiceris, tribuerunt, orta eſſe videtur.

Canes exploratum eſt venaticos, ſubſidentes alioſque magno numero collectos, equorum carne putrida, quam avide conſumunt, magna ex parte ali; quod nulli tales conſequuntur effectus.

Nullus defectum aquae inter et effectum, quem ab eo oriri ponunt, intereſſe videtur nexus: Aliis verbis, animalia ſaepius aqua carentia, quam eadem liberaliter fruentia, rabioſa evadere, haudquaquam demonſtratur. Adverſus hanc cauſam argumentum ab experientia deductum nuper mihi ſuppeditavit ornatus juvenis, condiſcipulus pariterque amicus, Samuel Athill, Antiguenſis. Nullos eſſe in inſula Antigua fontes, incolaſque ex inſulis vicinis aquam apportare, pluviaque potiſſimum uti conſueviſſe, nemini latet. Hinc tempeſtatibus ſiccisſimis aqua quam maxime deficit; unde caninum genus aeque ac humanum afficiatur oportet. In ea autem inſula nunquam viſus eſt canis rabidus.

Quoad calorem; per tempeſtatem calidiſſimam, eamque

* Commentarium in Boerhaavii aphoriſmum 1130.

† Anno 1683, Appendix. obſerv. 30.

aeſtatis

aeſtatis praecipue partem, cui, aeſtuante Syrio, Dierum Canicularium nomen inditur, in hac regione plerumque incidere rabiem, iterata monſtravit obſervatio. Unde ſummo jure conſequeretur, ibi praecipue graſſaturum eſſe morbum, ubi maxime cauſa valet. Contra autem, in America Auſtrali nunquam ortam rabiem caninam affirmatur *.

De agitatione vehementi quid proxime dicendum? Quando in vulgus canem aliquem eſſe rabioſum diffuſus eſt, utut incertus rumor, magno circumdatur hominum numero; falce, fuſtibus, lapidibus, inſtrumentiſque aliis petitur; huc illuc agitur; a quonam etiam injuriae ei potiſſimum inferantur, enixe certatur. Quid miri igitur miſerum canem cibum potumque averſari, furere, ringi, adſtantes dentibus petere? Has ob cauſas, multi quaſi rabidi fuerunt occiſi canes, qui morbi expertes, et ex toto innocui fuerunt; niſi quod, furore repentino correpti, adverſus injurias ſibi allatas ſemet defendere jure ſunt conati. Neque credibile animalium horum ſalivam fuiſſe contagioſam. Res autem ſi ita ſe haberet, contagioſi ſane forent vulpium, poſt venationem longam venaticis canibus vulnera inferentium, morſus. Canibus vero per hanc cauſam, venationemve luporum Continenti Terra uſitatiſſimam, fauciatis, nunquam incidere fertur hydrophobia.

Defectus perſpirationis, qui inter canini generis animalia fere univerſus eſſe conceditur, ad hunc effectum proclivitatem dare ſaepe putatur. Hoc autem ratiocinium, cui logici petitionis principii indunt nomen, hoc in loco convellam? Nonne hanc doctrinam, venenum rabioſum ſua ſponte nonnunquam revera oriri, propugnantium prius demonſtrare eſt, quam ullum corporis ſtatum ad id progenerandum aliquid conferre debeat concedi?

Idem dici poteſt de vermiculo ſub lingua delitescente †. An hoc vero hodie quidquam aliud eſſe credi poteſt, quam vulgi dogma in caecitatem et errorem proni? Si tamen aliquid tumoris ibi adeſſe concedas, glandula quaedam ſalivaria, ductuſve ejus excretorius, eſſe videtur ‡. Haec ſola vero, ſi animalia rabiei opportuna reddat, exiſtat neceſſe in omnibus, quae unquam rabiem, vel a contagione, ſunt experta; quia in omnibus ſaliva reperitur contagioſa. Ex auctoribus vero

* Bibliotheque raiſonée a Suietenio citat. Commentar. in Boerhaavii aphoriſmum 1129. Vid. treatiſe on canine madneſs, p. 10.

† Qui primus hujus vermiculi meminit, is eſt Plinius, apud quem haec verba reperimus: "Eſt vermiculus in lingua canum, qui a Graecis λυσσα ſive λυττα appellatur, quo exempto, infantes catuli nec rabidi fiunt, nec faſtidium ſentiunt." Nonne mirum eſt hoc ſomnium ad nos uſque perveniſſe?

‡ Vide diſquiſitionem inauguralem Alexandri Brodie ab Heythamo citatam. Diſput. inaug. p. 23.

conſtat,

conſtat, feles, ſimias, equos, aſinos, mulos, boves, ſues, oves, variorumque generum aves, rabiei eſſe obnoxios *. Quinetiam multa alia praeter canini generis animalia hydrophobiae ſpontaneae patere dicuntur. De hoc ita Stalpartius Van der Wiel, "Ariſtoteles, Caelius Aurelianus, Porphyrius, Albertus Magnus, Avicenna, Euſtachius Rudius, Valleriola, ac Fernelius, omnes multorum meminiſſe animalium quibus ſponte, nec a cane morſis, ſupervenerit rabies: Haec autem inter numerant equos, lupos, camelos, porcos, boves, vulpes, urſos, pardos, ſimias, viverras, muſtelas, imo et gallos gallinaceos †."

Hinc plane apparet, hanc ſubſtantiam vel rabiei non cauſam eſſe, vel in omnibus animalibus, quorum fecimus mentionem, ex aequo exiſtere; atque igitur in genere canino pro cauſa proclivitatis ad morbum ſingulari non eſſe habendam.

Caeterum inſuper, hanc opinionem fundamento parum ſtabili inniti, atque hunc vermiculum fictum inter et rabiem nihil nexus omnino intercedere, teſtatur experientia ‡.

Quam parum ad morbum movendum hae ſufficiant cauſae monſtrare conatus, notare pergo, has, quanquam revera cum rabie canina conjungerentur, venenum hydrophobicum generare poſſe, nec probabile eſſe nec neceſſarium. Nonne aeque credibile, eas ſyſtema ad morbum, veneno jam nondumve recepto, proclive reddidiſſe, aut vim veneno intendiſſe? Ita, quantum calorem ſpectat, ſerpentium et aliorum animalium venenatorum morſus, certius citiuſque noxae eſſe in regionibus calidis quam frigidis, compertum habemus: "Neque enim brumali tempore adeo nocens eorum venenum eſt, quam quidem aeſtivo, nec hieme tam cito introſerpit penetratque, adeoque tam cito non necat virus ab ipſis morſu tranſmiſſum, quam aeſtate. Caeterum, conſtat etiam morſus vulnerave plerorumque venenatorum animalium citius multo vehementiuſque nocere in regionibus fervidiore ſole calentibus, quam gelidam Arcton propius accedentibus terris ‖." Ita omnes cauſae enumeratae corpus ad veneni operationem forſan proclivius reddere poſſunt, humorum putredinem aut ſolidorum irritabilitatem augendo.

Ad alii, quod quoque objicitur, reſpondendum, cauſas nempe ab initio contagionem generantes poſſe eam hodie quoque generare, tranſeundum eſt. Hoc poſſe incidere, vel affirmationis hujus partes inter ſeſe non pugnare, conceditur;

* Hillary's diſeaſes of the Weſt Indies, p. 246.
† Obſervat. rarior. cent. 1. p. 402.
‡ Vide Treatiſe on canine madneſs, p. 204.
‖ Stalpart. Van der Wiel obſervat. rar. cent. 1. p. 430.

revera

revera autem incidere, haud credibile. Mortalium aliquem primum patremque extitiſſe, quem abſque coitu procreatum fuiſſe oportet, poteſt demonſtrari. Quiſnam vero infantem hodie, venere non praeeunte, aliquando naſci propterea affirmet? Ita, quanquam tempus olim fuiſſe quo virus variolosum fuerit generatum omnes concedunt; nemo tamen, qui hunc morbum alii cauſae quam contagioni tribuit, hodie reperiundus.

Qui fit igitur, rogari poteſt, cum rabies nunquam ſponte oriatur, ſaepiſſime ſine cauſa evidenti rabioſos evadere canes, qui, morſu alios hydrophobicos reddentes, rabiei verae optimum praebent documentum?

Ignorantia noſtra, reſpondeo, rationis qua contagionem acceperunt, minime eſt argumento non eſſe revera veneno imbuta haec animalia.

Ad variolae imprimis et ſyphilitidis analogiam decurratur. Modus utcunque lateat quo illa contrahatur, a contagio externo eam oriri, nunquam, quantum ſciam, dubitatum. Quo tempore in Europa primum apparuit ſyphilis, per omnes hominum ordines adeo graſſabatur, ut reges, ut ſacerdotes, ut ipſae religioni ſacrae, furori ejus ſuccubuerint oppreſſi. Quid mirum igitur, veram ſi celaſſent cauſam auctoritas regia, diſciplina monaſtica, auſteritas virginea, et ſibimet elegiſſet cauſam quiſque conditioni propriae accommodatiſſimam? Hodie hae evanuerunt nugae, atque omnes, exceptis quibuſdam Dianae cultricibus ſpecioſis, a ſolo contagio naſci ſyphilitidem confitentur.

Quod ad rabiem caninam ſpectat; ſi vulnus leviſſimum, aut ſalivam epithelio applicatam ad contagionem impertiendam ſufficere; ſi canes, propter mutuam conſuetudinem, variis hujuſmodi injuriis eſſe obnoxios; ſi venenum diu, a tribus nempe hebdomadis ad annos etiam quadraginta *, in parte primo affecta poſſe latere, conſideremus, facile concedetur, quod in omni hoc genus caſu imbutum fuerit animal, quanquam per nullum ſignum apertum contagionis originem queamus inveſtigare.

Rabiem inſuper non ſine contagione animalia afficere, ex hoc videtur conſtare, quod, ut antea memoravimus, in America Auſtrali, Antigua, aliiſque quibuſdam Indiae Occidentalis Inſulis, nunquam notus fuit canis rabidus. Omnes vero fictas cauſas externas, quarum facta eſt mentio, in canini ge-

* Morgagni de ſedibus et cauſis morborum epiſt. 8. art. 21. "Alzaharavius compertum ſibi ſcribit, venenum, antequam liquido appareret, integros quadraginta in corpore latuiſſe annos." Stalpart. Van der Wiel obſerv. cent. 1. p. 424. Edinb. Med. Comment. vol. 6.

neris

neris corpora illis in regionibus non raro agere, non eſt cur negemus. Si autem, e contrario, contagium neceſſarium eſſe concedamus, facilis ſane hujus rei explicatio. Variola, quamvis ex aliis in alia loca facillime devehitur, huic inſulae olim omnino defuit. Rabies autem, quae veneni contactu ſolummodo ab uno in aliud animal poteſt vulgari, in illas regiones, niſi animal veneno imbutum eo deferatur, diffundi nequit.

Veriſimilior denique videtur haec opinio, cum non negatur in ea potiſſimum animalia agere dici cauſas ſupra comprehenſas, quorum vitae ratio falſa vel comperiri vel refelli maxime prohibet.

Si forte doctrinae noſtrae objiciatur, venenum hydrophobicum natura ſingulari non poſſe eſſe praeditum, quod effectus ſuos tempore poſt morſum tam incerto edit, reſpondeo, rabiei ſymptomata certo poſt morſum tempore, quod poſtea monſtrare conabor, ſe oſtendere ſolere. Si res vero aliter ſeſe haberet, nihil valeret illud argumentum, quia ſyphilis tempore poſt ulceris ortum certiore non incidit, neque tempore ſemper definito poſt inſitionem oritur ipſa variola.

Haec conſiderata, ut credam, ſuadent, venenum ſui generis eſſe hydrophobicum, receptumque in corpus ſimile generare venenum; ab actione quoque ejuſdem generis ſubſtantiae nunquam non derivari: Aliis verbis, nunquam abſque contagio incidere rabiem. His adductus, nomen Rabiei Contagioſae huic morbo indere volo.

Hanc argumenti noſtri partem eo fuſius tractavimus, quod auctor nullus inveniri poteſt, qui opinioni vulgari non aſſentitur.

Indolem veneni hydrophobici ut explicandam ſuſcipiamus proximum eſt; haec vero caligine tam ſpiſſa involvitur, ut, omnibus eam ſpectantibus ſilentio praetermiſſis, ad modum quo in corpus agat, vel ad cauſam morbi proximam ſignorumque rationem, conſideranda progrediar.

## DE CAUSA PROXIMA, ET RATIONE SYMPTOMATUM.

De his generaliter ſolum dicere in animo eſt.

Magnam, quae rabiem inter et variolam intereſt, ſimilitudinem jampridem deſignavi. Morbi hujus iterum conſiderentur phaenomena.

Plagae leviuſculae inſita materiae varioloſa, facile ut plurimum ſanatur vulnus; quartum autem plerumque poſt diem, evidenter rubeſcit pars affecta, caleſcit, leniter dolet. Haec poſtea, quae omnia veneni actionem quandam demonſtrant,

ſequuntur

ſequuntur affectus univerſi ſymptomata. Secunda vero hac inflammatione quibuſcunque cautis impedita, morbus certiſſimè evitatur. Hinc apparet per quatuor dies venenum latere, primum quoque effectum eſſe inflammationem loco propriam, per quam morbus in ſyſtema diffunditur. Quid huic cum rabie contagioſa communè ſit, proxime inquiramus.

Inter enarranda ſigna jam memoravimus, quod, morbo a morſu proficiſcente, vulnus, ut ſolet, ſanatur, et ſanitate conſueta in tempus fruitur morſus; poſt aliquantum vero temporis, pars vulnerata inflammatione atque doloribus vagis affici incipit. Hoc plures ſilent auctores: id autem revera accidere, teſtantur omnes qui ad partem morſam ſcrutandam ſe appulerunt.

Sic illuſtris Sauvageſius: "Verùm ejus venenum diu et circiter quadraginta dies in corpore latitat antequam evolvatur;—tunc vero vulnus antea ſanatum dolet, rubet, intumeſcit." Noſologia, tom. 2. p. 233. Vide quoque Tiſſot, avis au peuple, tom 1. p. 152 Journal de Medicine, tom. 5. Medical Tranſactions, vol. 2. p. 195. Treatiſe on Canine Madneſs, p. 69.

In his omnibus opinio videtur confirmari, rabiei contagioſae ſymptomata nunquam oriri abſque aliqua inflammatione praeeunte; haec quanquam a parum attentis non ſemper fuerit notata.

Varium, quo oritur haec inflammatio, videtur eſſe tempus. Intervallum autem uſitatiſſimum quadraginta dies eſſe videtur *.

Rabiem igitur puto contagioſam a ſui generis veneno, in aliquam ſyſtematis partem inferto, originem trahere; id autem per dies plus minus quadraginta ibi latitare, neque manifeſte in corpus agere; ex eo vero tempore excitare inflammationem topicam, unde vel in ſyſtema totum diffunditur, vel idem quodam alio modo afficit.

Ultra adhuc progredior; abſorbeatur vero venenum, an in nervos ipſius partis primarie agat, unde cerebrum aliaeque partes ſympathia affectae evadunt †, pro certo affirmare non audens, actionem veneni hydrophobici proprietati cuidam ſedanti, ſeu narcoticae, me judice, inniti, dicere procedo.

Omnia, quae ſub morbi initium apparent, ſigna faciunt ut ita concludamus. Vires cerebri diminutas ſatis clare demon-

* Avicenn. lib. 4. tract. 4. Mead's mechanical account of poiſons, p. 130. James's treatiſe on canine madneſs, p. 43. Medical tranſactions, vol. 2 p. 46. Medical eſſays abridged, vol. 1. p. 74. Medical eſſays abridged, vol. 1. p. 120. Ibid. tom. 2. p. 337. Journal de medicine, tom. 14. Ridley, de aſthmate et hydrophobia obſervatio 25.

† Ut in aura epileptica incidere videtur.

ſtrant imminuta vis muſcularis, anxietas circum praecordia, ſuſpiratio frequens, difficilis reſpiratio, anorexia, nauſea, vomitus, pulſus debilis et enormis, animique torpor, quibus, per primum morbi ſtadium, plus minus afficitur aegrotus.

His ſuccedunt diverſarum corporis partium pharyngis praecipue et oeſophagi, ſenſilitas et irritabilitas auctae. Quo pacto oriatur haec ſentiendi facultas acuta, explicare vix audeo; hoc autem phaenomenon iis non eſſe diſſimile, quae convaleſcentibus e febribus nervoſis, vi nervoſa ad ſtatum naturalem primo redeunte, aliquando adſunt, animadverto. Senſus porro acutior ac irritabilitas ea reddunt, quae in temperamentis quibuſdam debilibus, ut in mulieribus hyſteria, morbo oeſophagi affectione inſolita plerumque comitato *, laborantibus fiunt; cui quoque, teſte Meadio, ipſa nonnunquam ſupervenit hydrophobia †

His brevi manentibus, renixus ſyſtematis manifeſte movetur, pyrexia, delirio, et totius corporis convulſionibus, luculenter deſignatus. Quomodo, rogabitur, excitatur hic renixus? Viribus, reſpondeo, naturae Medicatricibus.

Hanc doctrinam, cum venia eorum bona, qui eam ut abſurdam et ridiculam repudiare non dubitant, paucis exponere conabor.

E corpore vivo ſanoque exciſa carnis portione, exoritur caro nova, ſanatur vulnus, recuperatque pars priſtinas functiones; quod in oſſibus aeque ac nervis, cute aeque ac vaſis fibriſque muſcularibus, evenit. Quinetiam circa partem, cui, compreſſione vehemente aut contuſione, functiones, ſenſus ſcilicet et motus, perduntur, excitatur inflammatio, exulceratur caro contuſa, viceſque ejus ſupplet caro recens, functionibus ſuis vel ex toto, vel quantum ad vitam ſufficit, praedita. Functionibus denique partis cujuſlibet contuſione turbatis, minime vero deletis, inflammatur pars ipſa, et brevi reſtituuntur functiones.

In omnibus his caſibus non negatur effectus; eique, quod demonſtrant ſenſus, lubentiſſime aſſentimur. Huic inſuper effectui cauſam eſſe quoque confitemur; et illi, quaecunque ſit, cauſae, vim naturae medicatricem nomen indimus. Hanc igitur, quatenus eam inveſtigavimus, definiamus: "Quae animali ſano detrimenta perfert, ea eſt vis naturae medicatrix."

Quo longius aliquanto progrediamur; omnia quae ſolidum vivum movens afficiunt externa, vel irritantia ſunt vel ſedantia. Id eſt Irritamentum, quod ad fibram muſcularem applicatum protinus ſequitur actio. Id vero ſedans, quod, fibrae

* Cu ſynopſis noſologica, edit. 1772. gen. 59.
† Mechanical account of poiſons, p. 146.

muſculari

muſculari admotum, actionem ejus protinus imminuit. Cauſa applicari pergente, effectum quoque manſurum eſſe putares; vel, ut aliis verbis utamur, quamdiu applicatur vis ſedans, ad omnem fibrarum muſcularium motum impediendum protinus tendit.

Ad res veras conſiderandas adjungamus animum. Eo, ut omnes norunt, procedit vehementiae in Siberia frigus, ut ſibi objectorum ſenſu circuituque digitos ſpoliare ſoleat. Talis ſequitur effectus, qualis a violentia mechanica oritur. Pars afficitur gangraena. Sequitur idem, ſi aliquid metallicum ejuſdem temperiei cujus eſt aër, ad carnem applicetur. Frigoris minores gradus effectus gradu ſolum differentes edunt. De aliis ſedantibus idem affirmandum *. Concludo igitur, haec omnia ad ejus, cui applicantur, partis functiones extinguendas, vel, quod idem, ad eam in mortuae carnis ſtatum redigendam, quantum agunt, tendere. In primo autem, quod retulimus, exemplo, cum digitus decidit, quod membri ſupereſt cute nova operiri videmus. In noviſſimo, demortuae carnis vicem ſupplet recens, ſolitis praedita functionibus. En igitur effectus digniſſimus notatu! Ipſos motus excitat ſedans. Eos igitur per Vim Naturae Medicatricem cieri affirmamus. Explicandi gratia; poſita cauſa, quae partem, ejuſve functiones, aut omnino, aut partim delet; ii, per quos renovatur caro partiſve laeſae reſtituuntur functiones, motus, 'poteſtatis illius, quae animali viventi detrimenta penſat,' ſunt effectus.

Super hac poteſtate affirmatur, exiſtentem non ſemper agere, et agentem plus aliquando nocere quam prodeſſe.

Certos intra limites hoc verum eſſe conceditur. Sedantia ſi ſint vehementiora et ſubitanea, convulſae ſunt eouſque naturae vires, ut nunquam contingat renixus ſalutifer. Hinc proficiſci poteſt mors ſubitanea, quae ictum ventriculi vehementem nonnunquam conſequitur. Contra, ea, qua jactura magnae carnis portionis reficienda eſt, inflammatio, eo nonnunquam pergit vehementiae, ut lethalis evadat.

Quid autem abſurdi huic inest, quaeſo? Si corpus animale ea poteſtate foret praeditum, quae ad injurias propulſandas aut reficiendas accuratiſſime accommodaretur, nullae ad nos extinguendos ſufficerent cauſae, et immortali quoque frueremur aevo. Nobis equidem ſufficit perſpectum habere, animali ſyſtemati ineſſe vim quandam, quae ſaepe, et cum commodo mortalium evidentiſſimo, agat; licet ea, quae conetur abſolvere, judicio noſtro limitibus anguſtioribus circumſcripto, abnormia videantur, atque cauſis regantur, quae, velamento

* Cullen's phyſiology, § 121.

denſiſſimae noctis circumtectae, aciem humanam ex toto lateant, ſemperque latebunt.

Ex prolatis Vim Naturae Medicatricem ſatis accurate tandem definire poſſumus; "eam, ſcilicet, ſyſtematis animalis eſſe poteſtatem, quae ad detrimenta ejus penſanda tendit."

Quomodo cum ſpaſmi progeneratione conveniat haec doctrina, proximum eſt ut dicamus. Per cauſam ſedantem ſeu narcoticam applicatam, muſculus poteſtatis ſuae motricis, vel, quod idem, nerveae, partem amittit; renitente autem Vi Naturae Medicatrice, novus fit poteſtatis nerveae ad partem curſus, modo impetu, modo duratione abnormis. Aliis verbis, contractionibus afficitur muſculus debilitatus, quae aliquando ſunt validae et conſtantes, atque *ſpaſmi* * dicuntur; aliquando cum relaxationibus alternant, et *convulſiones* † nuncupantur. Haec remanent, donec vim partis nerveam reſtituerint, aut poteſtatem motricem penitus deleverint.

Quo ad rabiem contagioſam revertamur; effectus eoſdem qui in uno muſculo a vi ſedante topice applicata fiunt, ab eadem ad ipſum cerebrum admota per totum genus muſculare editum iri, facile videmus.

Hinc vaſorum extremorum ſpaſmus, et inde, pro gradu remixus, febris ſynocha aut typhus ‡. Inde quoque deliriun ferox aut mite §. Convulſionibus autem violentioribus ſubſtantibus, defecturas cito nuturae vires et ſubiturum languorem funeſtum putares. Quod revera evenit. In ſoporem namque et paralyſin ſaepiſſime incidit, animamque efflat aegrotus.

Hos effectus poteſtati ſedanti ſeu narcoticae inniti, a priori concluſo; vim concluſioni majorem per argumentum ab experientia deductum comparare conabimur. Hoc autem ſufficiunt effectus opii, ea, ut mortem faciat, quantitate adhibiti. Animal, magna hujus quantitate ſumpta, primo invadit ſtupor, cui ſopor cito ſuccedit; quem inter ſenſu motuque voluntario deſtituitur. Tremoribus vero atque jactationibus hoc ſopore gradatim turbato, expergiſcitur. Modo plus, modo minus gravitatis et ſpatii habent hae convulſiones, donec ſumma tranquillitas morſque tandem accedant. Cani, cui opii crudi drachmas duas aqua fervente ſolutas dedit Meadius, crura, quibus motus voluntarius omnino defuiſſet, brevi ante mortem evaſerunt, ut ipſis utar Meadii verbis, "ſtiff and rigid like ſticks. On a ſudden," inquit ille, "his limbs became limber, and he died ‖."

* Cullen's phyſiology, § 111. † Ibid. § 112.
‡ Vide Culi prim. lin. interprete Beerenbrock, tom. 1. § 46. 54. et ſeq.
§ Ibid. § 45. ‖ Mechanical account of poiſons, p. 267.

DE

## DE CURATIONE.

Haec argumenti pars duo complectitur, prophylaxin, scilicet, et sanationem.

Sub prophylaxi duo indicata sunt comprehensa:

Primum, virus expellere aut amovere;

Secundum, actionem ejus in systema praecavere, vel saltem minuere.

Quantum primum indicatum spectat; inter omnes auctores, et antiquos et recentiores, convenit, partem morsam protinus extirpare sine dubio esse efficax ad praecavendum morbum; quod igitur aegroto, statim post morsum medicinae auxilium petenti, quam maxime semper suadendum. Hoc vero rarissime evenit. Cum vero aliquis morsus fato concedit, plurimi postea dente canina laesi, de salute sua anxii, ad medicum confugiunt, nulla quamvis apparuerunt morbi symptomata.

Rebus ita se habentibus, quid igitur agendum? Extirpationem tam seram nihil valere, uno ore medici conclamant.

Quorum autem opiniones ab hypothesi natae videntur De causis differens, magnam rabiem inter et variolam atque syphilitidem intercedere similitudinem monstrare sum conatus. Probare aggressus sum hujus morbi symptomata, ut in variola, a secunda pendere inflammatione, quae quadragesimum circa diem ab inflicto morsu plerumque oritur; quod ante tempus, venenum iners, eoque, cui primo applicatum fuit, loco circumscriptum manst.

Hinc igitur aperte cogi potest, quod, intra dies quadraginta post inflictum vulnus, vel quolibet alio tempore ante secundam inflammationem, parte morsa extirpata, certissime morbo venienti occurritur. A Cl. Monrone * discimus, venenum, si ulceri incidenti in gonorrhoea tota superficies interna cito excidatur, systema non penetrare, vulnusque brevi sanari. Denique, Johannes Hunterus †, cui hanc notionem acceptam refero, affirmat, morbum, si quartum ante diem ab insito veneno varioloso, vel quolibet alio ante secundam inflammationem tempore, excindatur pars laesa, per systema nunquam diffundi.

Auctorem unum solummodo, qui in hanc de rabie sententiam concessit, scilicet, Georgium Bakerum, Equitum Auratum medicumque ‡, novi. Partis extirpationem Londini usitatam esse aiunt. Quantum prosit, docebunt tempus et experientia. In morbo interim tam horrendo summam atten-

* In praelectionibus suis. † In praelectionibus suis.
‡ Medical tranſactions, vol. 2.

tionem

tionem meretur quodque probabile. Si hoc vero efficax esse experientia testetur, vulgus de omnibus ad hoc remedium spectantibus certius fieri debet, ne serius ad id confugientes de salute desperent, remediumve certum vanis et inanibus posthabeant.

Si igitur pars morsa talis sit, qualis hoc modo curari potest, undique circa morsum et profunde scalpello excindatur caro. Si vero sanatum sit vulnus, magnitudini ejus, quae interrogando inspiciendoque accurate discenda, adaequetur extirpatio. Scalpellum liberaliter adhibere, nec misericordia falsa aegro parcere, chirurgum oportet. Cauterio, sive actuali seu potentiali, scalpellum certe anteponendum est; quippe quod illa sit medendi ratio violenta, crudelis, et omnibus ingrata; haec quoque lenta, molesta, et a chirurgo difficulter semper administrata.

Peracta excisione, supra vulnus applicentur cucurbitulae, quibus eo consilio sanguis copiosius detrahatur, ut, si fieri possit, abluatur id veneni quod altius forsitan quam scalpellum descendit, potuit latere. Postea, causticorum mitium ope, apertum servetur vulnus; et detergenti aliquo leni, aqua, scilicet, tepida leviterque salsa, saepius ab omni parte lavetur.

Usum pulveris nitrati, causa vulneris dilatandi deflagrati, laudat Cl. Fothergillius *, quod equidem satis efficax, timidisque, qui scalpellum refugiunt, praecipi potest. Quinetiam, si non sit commune causticum potentiale, ad hanc medendi viam confugiatur. Quod cum factum est, vulnus, ut supra positum, quantum reliqua spectat, curandum est. Parti morsae, quae non tuto excindi potest, undique scarificatae, vel scalpello punctae, admoveantur cucurbitulae. Deinde causticorum ope apertum servetur ulcus, quod humores tempus in diuturnum profluere sinat.

Cum haec autem ad morbum praeveniendum sufficere nondum satis compertum habeamus, remediorum internorum usum, praecipue cum pars laesa radicitus evelli nequit, prohibere haud debent. Horum magna adhibita fuit copia, quorum singula ab adhibentibus maximis laudibus elata.

Ut autem non tempus in remediis, quae ut certa laudata sunt, enumerandis consumam, de virtute eorum in Boerhaavii expertissimi ornatis verbis animi sensa enunciare mihi liceat: "Hactenus vero nullius ea comperta fides, cui credi queat salus miserrime periclitantis hominis, quum nullum sit notum, cujus experimenta certa; sed vel speculationi ortum debent, vel descriptis ex alio confisum fuit: Nec Æschrionis apud

* London medical observations and inquiries, vol. 5. p. 296.

Galenum

Galenum et Oribasium arcano de cancris combustis; nec Scribonii Largi famigerata opiata ad rabiem Siculorum; nec Peregrini consilio de pelle hyaenae; nec Ætii, Rufi, Possidonii cinere cancrorum cum theriaca; nec jactata Palmario medela; vel nimis laudato Mayerno, Grew, et venatoribus, stannio cum mithridatio; nec in somniis sacris revelata radice cynorrhodonis; aliisve in coelum elato lichene cinereo terrestri, pimpinella, jecore rabiosi canis exusto, et similibus, exceptis *."

Post mortem Boerhaavii, alia in usu esse coeperunt remedia prophylactica. Illius vulgo Ormskirk dicti, in provinciis Lancastriensi, Cestriensi, et vicinis, per triginta annos usus invaluit. Ejus efficaciam tam strenue defendit Heyshamus, qui ex terra calcaria praecipue conflatum esse † experimentis probavit, ut "pro certo habeo," dicat, "solum certumque remedium prophylacticum adhuc inventum, excepta membri aut partis recisione, esse terram absorbentem vel calcariam ‡." De hujusce remedii potentia cur ambigam, haec in causa sunt.

Canes pro rabiosis saepe falso haberi, conatus sum demonstrare §. In omnibus hisce casibus, ii, qui inter animal exagitandum forte mordentur, hoc remedium laudatum, si modo vicini sint, sumunt, et, quod quidem speres, morbi expertes manent. Eousque etiam aliquando procedit trepidatio, ut, non paucis, qui probe noverunt, testibus, multi vicina incolentes, singulis annis eo medicamento uti consueverint, qui animali, quod rabidum esse suspicati sunt, occurrerunt.

Dum biennium vel paulo diutius apud Lancastrienses agerem, quanquam in hoc nunquam intentus fui, duo hujusmodi exempla mihi videre accidit. Juvenis mulierque generosi hoc sumpserunt remedium, qui canem forte demulcissent, quem segnem, oculis hebetem, potu ciboque abstinentem, vulgus, quasi rabiosum, interimere voluerunt. Prudentior generosa vinculis eum coerceri jussit, qui post plures dies nulla alia rabiei signa ostendit. Si interemptus mortuusve fuisset, curationem certam mirandamque absolvisset illud medicamentum. Denique, omnes causas remedium hocce adhibendi ridiculas pudet enarrare.

* Boerhaavii aphorism. 1147.

† Nempe

℞. Pulveris Cretae ℥ss.
Boli Armenae ʒiij.
Aluminis gr. x.
Pulveris Enulae Campanae ʒi.
Olei Anisi gut. vi. M.

‡ Disputatio inauguralis, p. 29.

§ Vide Treatise on canine madness, p. 229. et sequent.

Ex

Ex ſupra poſitis, cauſa famae, quam hocce remedium apud vulgus ſibi comparaverit, aliqua ex parte apparebit. Noſtrum autem ſuper hoc judicium a vero plebis credulae clamore abduci non oportere, facile concedetur.

Perpauca ſane ſunt rabiei exempla vera. Si quinquaginta hominum, canum aliorumque animalium per totam hanc inſulam, ſingulis annis, a rabidis morderi concedas, numerum ſatis amplum, juſtoque etiam ampliorem, haud dubie pones. Remedium autem de Ormſkirk fere, aut ex toto, Anglia circumſcribitur; neque ejus, niſi per paucas Angliae regiones, vulgaris uſus. Si igitur morſorum quartam partem hoc remedium ſumere ponatur, ad duodecim, aut circiter, per totam inſulam ſingulis annis redigetur numerus.

Multos praeterea ab animalibus vere rabidis morſos morbi expertes manſuros, veriſimillimum eſt. Plures cum gonorhoea laborantibus rem habentes, a contagione fuiſſe immunes, abunde conſtat. Ita, haud raro, in infantibus praecipue, incidit, variolam materiae varioloſae in vulnus inſertae non ſemper ſupervenire. Quibuſdam incaſſum ſaepius inſitum fuit virus. Hoc forſan alicui temperamenti proprietati tribuendum eſt.

Poſt vulnus alicui a cane rabido illatum idem poteſt evenire; et id revera eveniſſe experientia docet †.

Porro, cum morſus eſt inflictus, cauſas quaſdam venenum carnemque ſe mutuo contingere poſſe impedire liquet. Si lanceola materie varioloſa imbuta in brachium, ſed per veſtimenta craſſiora ſtatim penetrat, non ſubſecuturam variolam, admodum eſt probabile. Ita, et a priori, et ab experimentis videtur conſtare, homines, in quorum carnem per veſtes penetraverunt rabidi dentes, rabiem effugiſſe; aliis vero, in nuda aliqua parte morſis, ſuperveniſſe rabiem lethalem ‡. Hinc forſitan cauſa peti poteſt, cur oves tam raro afficiantur rabie contagioſa ‖.

Remedium prophylacticum inter vulgus uſitatius, et a Boerhaavio § aliiſque multum laudatum eſt frigida et praecipue marina lavatio, aliquando ad ſuffocationem uſque fere perducta. Verum, de hujus remedii, per ſe adhibiti, quaecunque ſit ejus operatio, ſucceſſu parum proſpero tot proſtant exempla, ut, huic et priori haud immixtus, aliud, cujus efficacia experimentis ſit confirmata, adhiberem.

† Treatiſe on canine madneſs, p. 40.

‡ Medical obſervations and inquiries, vol. 5. art. 19. p. 214.

‖ Ingenioſus auctor hunc pulverem de Ormſkirk variis modis et periculis ineſficacem eſſe denique oſtendit.

§ Aphoriſm. 1143.

Quod

Quod remedium ſignifico eſt mercurius. Diſſaultius, hypotheſi quadam de veneni rabioſi natura inductus, hoc medicamentum primus adhibuiſſe narratur. An talis ſit, in vermibus nempe eliminandis, qualem eam eſſe ponit, mercurii actio, ſtatuere nequaquam audeo; neque an virus ipſum mutando, an e ſyſtemate expellendo agat, poſſum inveſtigare. Medicamentum autem eſſe prophylacticum omnibus aliis adhuc inventis certius, experientia demonſtrare videtur.

Remedium eſt quod ab Imperio Sinenſi per Georgium Cobb, equitem auratum, fuit apportatum, quod etiam remedium de *Tonquin* nominatur. Hoc modo praeparatur;

R. Moſchi optimi gr. xv.
Cinnabaris nativae
——— factitiae, ſingularum gr. xxiv.

Separatim in pulverem ſubtiliſſimum rediguntur, dein accurate miſceantur.

Hujuſmodi pulvis ſtatim ſumendus eſt ex cyatho liquoris *Arrack* dicti. Poſt horas tres quatuorve, aegro plerumque ſuperveniunt placidus ſomnus et lenis perſpiratio. His non accedentibus, iteratur doſis. Cum morbi ſigna nulla apparuerunt, ſemper hoc modo repetitur medicamentum; et, morbo orto vel non orto, poſt menſem iterum ad remedium confugitur. Hoc quoque modo datum vim prophylacticam habere, Sinenſibus perſuaſiſſimum eſt.

Hillarius * in temperamento pleno aliquantum ſanguinis primo detrahi, vomitum deinde, ventriculo ſordibus repleto, moveri, et denique, remedii jam poſiti bolo hora ſomni devorato, ſero lactis leniter vinoſo ſudorem excitari jubet. Sequente mane, eo judice, adhibendum eſt catharticum antiphlogiſticum. Veſpere in frigidam bis terve ex toto immergendus aegrotus; quo facto, frictione ſiccatus ad lectum deferendus, boluſque iterum, cum regimine ſupra comprehenſo, adhibendus. Haec omnia per tres, quatuor, vel plures dies repetenda ſunt. Viginti circiter exempla hoc modo feliciter curata Hillarius refert †. His autem in exemplis non ſolum cum balneo frigido conjunctum eſt hocce remedium, ſed affectae partis excitionem et uſtionem aegroti ſubiviſſent.

Scriptor autem eſt, paucis notus, Dalby Chirurgus, qui in literis ad Georgium Cobb, equitum auratum, ſcriptis ‡, hiſtorias centum et plures, quas intra quatuordecim annos collegerat, memorat. Horum animalium multa non infecta, aliaque, quamvis morſa, mortem effugitura fuiſſe, verſimillimum eſt.

* Diſeaſes of the Weſt Indies, p. 259. † Ibid. p. 264.
‡ Virtues of cinnabar and muſk againſt the bite of a mad dog, &c. by Joſeph Dalby, ſurgeon.

Quaedam vero, remedio haud adhibito, moritura fuiſſe minime dubium. Canem unum, quem, quarto die poſtquam primo adhibitum fuerat medicamentum, ipſa rabiei ſigna invaſerant, duae aliae doſes ad ſanitatem perduxerunt.

Quae poſuimus non obſtant quo minus hocce remedium pro ancipite habeamus; namque utri partium, e quibus componatur, efficaciam ejus debeamus tribuere, ignoramus. Hanc a moſcho proficiſci Hillario perſuaſum *; quod quidem a vero non videtur abhorrere. A vi autem ſudorifica, potius quam ulla dote ſingulari, eam pendere non improbabile.

De mercurii autem per ſe dati efficacia multi multa memoriae produnt. A Deſſaultio tres referuntur caſus, in quibus litus mercurialis fauſtiſſimo comitatus eſt eventu †.

Darlue hominum a lupo rabido aliiſque animalibus rabioſis morſorum multa in medium profert exempla; qui omnes unguentum mercuriale vulneri admoverunt, lituque mercuriali circa partem affectam, adeo ut oriretur ſalivatio levis, ſunt uſi. Quatuor, in quibus ſe oſtendiſſet hydrophobia, iique omnes qui medicinam omnino neglexiſſent, diem obieruut ſupremum. Omnes alii, qui hoc modo curati ſunt, in quibus ipſe fuit, tuti manſerunt ‡.

Tres quoque a Saulquino hujuſmodi caſus editi, in quibus haecce curatio votis ad eam decurrentium reſpondit §.

Tria porro exempla in vulgus edit Roſeus, in quorum uno ſubfuiſſent inflammatio topica et alia quaedam morbi ſymptomata. Litus mercurialis ad morbum depellendum ſuffecit ‖.

Sex inſuper hiſtorias hominum ab eodem catello Malitaeo rabido morſorum, quorumque curatio a corvino, Argentoratenſi, fuerat ſuſcepta refert Antonius Nicolaus Hagg. Horum uni, feminae annorum circiter quinquaginta, poſt ſex hebdomadas hydrophobia correptae, applicatum fuit unguentum mercuriale; quod tamen nihil profuit. In reliquis, qui juniores fuerunt, et hydrophobia non laboraverunt, adhibita ſunt mercurialia interna et externa, balneum calidum, et regimen diaphoreticum. Horum alii ſalivatione, alii ſudore, alii diarrhoea ſolum, ſunt affecti; omnes autem ſalvi incolumeſque evaſerunt **.

" Unguento digeſtivo," ait idem auctor, " cum theriaca et mercurio praecipitato rubro vulneri applicato, et per triduum quotidie granis quatuor turpethi mineralis aſſumptis ſervatam

* Diſeaſes of the Weſt Indies, p. 267. † Diſſertation ſur la rage.
‡ Journal de medicine, tom. 2. § Ibid. tom 30. ‖ Ibid. tom. 5.
** " Diſſert. de hydrophob. ejuſque per mercurialia potiſſ. curatione," quam in " Sylloge ſelectiorum opuſculorum argumenti medico practici," tom. 1. p. 269. videre eſt.

fuiſſe

fuiſſe aegram, refert Kuhn in *novis actis* N. C. *tom.* 1. *p.* 219. *et ſeq.* *"

Denique, " frictionibus mercurialibus," inquit, " hydrophobos in Xenodochio Pariſino, *Hotel Dieu* dicto, curatos fuiſſe, ex theſibus Pariſinis 1759 defenſis, recenſet Journ. Oecon. 1760 p. 115. †"

Haec quoque habet Carolus Fridericus Struve: " Cl. Bertram quatuor homines demorſos per plenam ſalivationem, et quatuor ubi levis tantum vulneratio per veſtes erat inflicta; vide ejus Diſſ. Praeſ. Kaltſchmied de ſaliv. mercuriali ceu indubio praeſervationis et curationis remedio adverſus rab. canin. Jenae 1760; b. Roederus unum etiam per mercurium curavit. Vid. ejus Progr. de morſu canis rab. ſanato, 1760 ‡."

Sauvageſius " experientia," ait " docuit, ab anno 1747 quadringentos ſaltem homines ab animalibus rabidis demorſos, quorum fere nullus antea hydrophobiam et mortem effugiſſet, a litu mercuriali in tuto fuiſſe collocatos §."

Quaedam ſane reperienda exempla, in quibus miſerorum ſpes fefellit hoc medicamentum. Ex his ſunt caſus juvenis a rabido cane Edinburgi morſi ||, et duae ** hiſtoriae a Dickſono relatae.

Quod haec exempla ſpectat, ex ſyphilitidis analogia ſola de quantitate mercurii idonea poſſumus judicare. A mercurio autem nihil utilitatis ſperamus, niſi ea quantitate adhibeatur, quae ſpntum modicum excitet. In prima, autem, hiſtoria, mercurii doſes ad id movendum, quantum noverimus, minime ſuffecerunt. In reliquis duabus, aegrorum ora non fuiſſe affecta plane affirmatur. Unde ſummo jure poteſt concludi, ſucceſſum parum proſperum haudquaquam ipſi medicamento, ſed doſi nimis parvae, eſſe tribuendum.

Tria autem ſunt exempla, in quorum duobus mercurius interne et externe, in tertio externe tantum, praecavendi conſilio, eo modo fuit adhibitus, ut inde optimos effectus ſperare. Ægrorum attamen duo ſunt mortui; tertius incolumis evaſit ††.

In his exemplis ſolis, quantum noverim, mercurius morbo venienti non potuit occurrere.

* Ibid. p. 266. † Ibid. p. 267.

‡ Diſſ. de rabici caninae therapia. Ibid p. 289.

§ Noſologia, tom. 2. Vide Machride's introduction to the theory and practice of phyſic, p. 553. Claude du Choiſel, Nouvelle methode pour le traitement de la rage, p. 7. ad 9. Nouvelle methode, p. 21. ad 23. Avis au peuple, tom. 1. p. 156.

|| Edinburgh medical eſſays, vol. 6. p. 97.

** London med. obſ and inquiries, vol. 3. p. 356. Ibid. p. 368.

†† Lond. Med. obſ. and inq. vol. 5. Appendix, p. 4. 6. 7.

Tot interim et tantis auctoritatibus, ut credam adducor, certiſſimum contra rabiem adhuc inventum prophylacticum eſſe mercurium.

De dandi autem modo diſputatur. Petit ſaepe inteſtina mercurius ; unde oriuntur diarrhoeae vehementes. Nonnulla inſuper praeparata in primas vias ante violentius agunt, quam ipſum afficiant ſyſtema. Hi autem effectus, mercurium parva ſatis doſi adhibendo, aegrum a frigore defendendo, et mercurio tepidi cujuſdam liquoris hauſtus frequentes, qui ad corporis ſuperficiem humorum impetum faciant, adjungendo, ſaepius praevertentur.

A Jacobo maxime laudatur turpethum minerale : Cum vero tam citò agat, periculum eſt ne ſputum ninium excitet. Id quod, de poteſtatis ejus emeticae commodo protulit Jacobus, hypotheſi ejus, bilis ſtatum quendam huic morbo eſſe cauſae, precipue videtur niti. Cum igitur turpethi mineralis vix compeſci poſſint effectus emetici, ſi forte emeticis opus fuerit, tartari emetici vel ipecacuanhae, quorum lenior actio, doſin idoneam potius adhibendam putamus, dum mercurialia aeque certa et mitiora curamus danda.

Syphilitidis analogia inducti, ea adhibendum quantitate judicamus mercurium, quae, ut aegrotus ad ſalivationem ſolum vergat, faciat. Neque huic adverſantur experimenta.

De temporis ſpatio per quod adhibendum eſt hoc medicamentum, certatur.

Cum mercurius interne adhibetur, pilula mercurialis Pharmacopoeiae Edinenſis una aut altera, vel ſolutionis mercurii corroſivi ſublimati doſis ſatis ampla, omni nocte maneque ſumatur.

Quum vero litum mercurialem ad curationem multum conferre conſtet, unguentum mercuriale, cum remediis nuper memoratis, experientiae parens, conjungerem. Hoc conſilio parti morſui vicinae unguenti mercurialis ſemidrachma vel drachma ſingulis noctibus accurate illinatur ; et emplaſtrum, quod inter cauſticorum deſuetudinem ulceri admovetur, idoneam portionem unguenti mercurialis contineat. Hinc totum defluet commodum, quod ex mercurio ad virus ipſum applicato, poteſt oriri.

In horum remediorum, tempore et quantitate aptisdatorum, uſu pergat aeger, donec os ei leviter afficiatur. Interim Infuſi Sarſae, vel alicujus liquoris aquei et tepidi, ad libras duas, vel ad libitum uſque, bibat quotidie. Nonnunquam etiam catharticum aliquod lene, mannam ſcilicet, ſalem Glauberi, oleum ricini, aut ſimilia, ſumat. Hoc modo in ſtatu ad ſalivationem vergente per menſem maneat aegrotus.

Per.

Per hujus medendi viae decurſum frigus et cibum acidum caute fugiat; atque a Veneris, Bacchi, Cereris uſu immodico abſtine.t.

Cum autem in hoc morbo laborantibus, mutationes quaedam, creſcente et decreſcente luna*, fieri ſoleant, medicamenta mercurialia eo tempore in tres menſes ſequentes per dies aliquot adhibeantur.

Quum pars morſa non tuto poſſit extirpari, remedia antiphlogiſtica, ſcilicet cataplaſmata ex mica panis confecta, et per ſolutionem ſacchari ſaturni madefacta, vel ex farina avenacea cocta, cui aliquantum tincturae Thebaicae fuit adjunctum, compoſita, ſatiſque inſpiſſata, omiſſa ſcarificatione, ad vulnus ſtatim applicare forſan praeſtabit. Haec, ad dies quadraginta applicata, vaſorum eam actionem auctam, quae ſecundam facit inflammationem, fortaſſe praecavebunt. Utatur ſimul aeger, circa vulneris regionem, frictioni mercuriali, cum medicamentis internis et regimine ante praeſcriptis. His rite ſatiſque diu adhibitis, exitum plerumque felicem fore ſperarem.

Medici quidam, et in his Jacobus †, balnei frigidi uſum his adjungendum curaverunt. Quod autem repudiarem, niſi ad id decurrere me impellerent aegroti ipſius amicorumve ejus flagitationes ‡.

Remedii a nemine, me judice, ut efficacis adverſus rabiem, laudati mentio haud dubie facienda. Quod medicamentum intelligo eſt oleum olivarum. Hoc pro certo prophylactico contra viperarum morſus utuntur ii, qui in viperis captandis ponunt operam. De hujus efficacia experimenta multa, coram eruditis quibuſdam inſtituta, in Actis Philoſophicis Societatis Regiae Londinenſis videnda §. Ejus uſum ſolummodo memoraſſe ſufficiat.

Actionis ſane anomalae ſunt remedia jam poſita; quae igitur ſub ſectione ſingulari collocari nequeunt.

Sub ſecundo indicato, remedia quaedam veneni actionem in ſyſtema forſitan poſſunt prohibere.

Venenum hydrophobicum natura ſedante praeditum eſſe, ſupra probare auſus ſum. Effectibus ejus igitur quo occurramus, aegroto, temperamenti ſi ſit pleni, quod ad mobilitatem plurimum dat proclivitatis, ſanguinis aliquantum primo detrahatur; et poſtea ad medicamenta quaedam tonica decurratur. Cortex Peruvianus diu adhibitus ſtomachum fertur

* Mechanical account of poiſons, p. 252. et ſeq. Diſeaſes of the Weſt Indies, p. 269. 271. Treatiſe on canine madneſs, p. 51.

† Treatiſe on canine madneſs, p. 255. 262. ‡ Nouvelle methode, p. 10.

§ Philoſophical tranſactions, No. 443. et 444.

debilitare.

debilitare. Haud aeque acriter in chalybeata certatur. Rubigine ferri igitur utens aegrotus, atque grana decem pro dosi ter in dies primo capiens, in ejusdem usu per quinque aut sex hebdomadas, dosi gradatim aucta, pergat, donec tandem drachmam unam alteramve, singulis diebus, sumat. Interea nonnunquam datur ei catharticum aliquod mite, quo alvus leviter moveatur. His adjungantur assidua exercitatio, equitatio, nempe, aut quaelibet alia, quae aegrum non fatiget, et frigida lavatio. Solita diaeta interim utatur morsus; ebrietatem vero, nimiam Venerem, et pervigilationem caute vitet.

Multum insuper ad corporis integritatem confert mentis serenitas. Medicus igitur aegroti animum certa salutis fide quam maxime erigere conetur. Porro, aeger omnia vitae negotia, quae mentem turbant aut frangunt, si possit, defugiat.

Tono systematis ultra tempus, quo veneni effectus sedantes se ostendere consuerunt, his modis sustentato, felix forsan erit eventus.

Consilium vero ad cataplasmata antiphlogistica et oleum olivarum confugiendi, a theoria sola pendet; neutrius enim, quantum sciam, unquam factum est periculum *. In his autem fiducia non collocanda, donec partis excisionem mercuriumque non satis adversus morbum valere a certis experimentis constiterit.

## SANATIO.

Quid autem de hac dicendum? Nullum sane inter auctores medicamentum, quod morbum pro certo tollit, queo reperire. Ea vero quae, utut raro, ad tollendum morbum sufficerunt, aut quae prae sese aliquam commodi speciem ferunt, nostrum est in medium proferre.

Consilia medendi sunt,

Primo, Venenum expellere.

Secundo, Effectus, quos in systema ediderit, tollere vel minuere.

Quo primo consilio respondeatur, diaphoretica solum, uti videtur, possumus adhibere. Haec autem cum secundo consilio aliqua ex parte accommodentur, eorum, cum ad hoc fuerit ventum, meminerimus.

Mercurium interne adhibitum hunc morbum, substantibus

* Ex quo supra posita scripserim, oleum olivarum in exemplo hydrophobiae, ubi ad sanitatem reductus est aeger, a D. Nugent, Bathoniensi, adhibitum fuisse, compertus sum. Vide Nugent's essay on the hydrophobia. Cum vero in hoc casu cum eo conjuncta fuerint remedium *Tonquin* appellatum, et antispasmodica varia, id aliquid ad morbi curationem contulisse non pro certo possum affirmare. Idem medicamentum quoque a D. Bracken laudatur.

symptomatis

ſymptomatis primariis, ſanaviſſe, jam dictum eſt. Unum caſum narrat Roſeus *. Tria porro hujuſmodi recenſet exempla Jacobus †. Tale quoque refert Claudius du Choiſel ‡. Alia denique hujuſmodi hiſtoria in Actis Medicis Collegii Medicorum Londinenſis reperienda ‖.

Si igitur mercurium adminiſtrandum putamus, turpethum minerale, cum revera apparuit hydrophobia, propter cauſam a Jacobo memoratam, nempe ob actionem ejus ſubitaneam, cum litu mercuriali ſupra praeſcripto adeo adhibeamus, ut ſputum celeriter excitetur, et prout opus ſit, continuetur.

Secundum fuit conſilium, veneni effectus in ſyſtema editos tollere vel minuere.

Experiri forſitan pretium foret, quatenus ratio medendi febribus intermittentibus, quae cauſa ſedante niti videantur, adverſus rabiem contagioſam valeret.

Hoc conſilio, aegro, ſi ſit pleni temperamenti, detracta ſanguinis idonea quantitate, cauſa vires muſculares, praecipue arteriarum ſtimulandi, emetica, iis doſibus quae nauſeam moveant, aut emeticum cum opio conjunctum, aut ſimilia, quae ſudorem excitent, et poſt renixus tempus conſuetum finitum continuent, ſumat. Sudor aliud forſan commodum ſecum adfert; portionem, nempe, aliquam veneni contagioſi e ſyſtemate expellit.

Iterumve, poſt vomitum plenum, et, ſi neceſſaria ſit, ſanguinis detractionem, corticem Peravianum in pulverem redactum, ad drachmae quantitatem ſingulis horis, ſi aegri ſtomachus ferre queat, adhiberi jubeamus. Hujus quoque ultra id tempus, per quod renixus durat, continuetur uſus.

Hae, ſi, ut veriſimillimum eſt, vanae ſint contemplationes, ſaltem, ſi cura ſupra poſita adhibeatur, nocere nequeunt.

Haud vero eſt incredibile alkali volatilis effectus ſalutiferos hac ratione poſſe explicari. Hoc remedium, uti ferunt, ad tollendam hydrophobiam ſemel valuit. In eo autem exemplo non per ſe adhibitum eſt, ſed commiſtum cum oleo ſuccini, ſub forma liquoris *Eau de Luce* dicti; cujus guttae aliquot puero duodecim annos nato, ex cyatho aquae, ſecundis horis datae ſunt, adeo ut ſudorem copioſiorem excitaverint **.

Hujus igitur remedii pericula fiant; aut alkali volatilis cauſtici guttas decem ex aquae cyatho omni ſecunda hora, vel prout opus ſit, ſumat aegrotus.

* Journal de medicine, tom. 5.
† Treatiſe on canine madneſs, p. 117. 123. 193.
‡ Nouvelle methode. ‖ Medical tranſactions, vol. 2. p. 222.
** Journal de medecine, tom. 14. p. 300. et ſeq.

Exortis

Exortis pyrexia, delirio, et convulsionibus, sanguinem detrahere usitatum est. De sanguinis quantitate justa ipsi medico statuendum est. Si sit delirium ferox, pulsus validus et durus, atque calor plurimum auctus, venaesectio liberaliter est adhibenda. Si autem pulsus debilis et parvus, delirium mite, neque alia adsint inflammationis manifesta signa, parvam solummodo quantitatem detrahendam putamus; convulsionum effectus praecavendi, non vero morbum sanandi, consilio, sanguine misso. Rabiem sola sanguinis missione sanatum fuisse quidam memoraverunt. Quod vero mihi aeque absurdum videtur, ac si quivis detractionem sanguinis in omni febrium genere nullo discrimine praeciperet.

Sanguine, si modo hoc sit necessarium, detracto, forsan haud alienum erit vesicatorium satis amplum capiti raso applicare.

Quum morbum valde augeant, et aegrotum viribus spolient convulsiones, eas tollere, vel saltem imminuere, pro virili conandum.

Hoc consilio ad sedantia quaedam et antispasmodica decurrendum est.

Aliquid levaminis nonnunquam aegrotis attulit calida lavatio. Sin autem systematis mobilitatem et sensilitatem a calore quam maxime augeri consideremus, anceps sane habebitur hoc remedium. Hoc autem lavationi et calidae et frigidae quoque objiciendum, quod aquae tactum et vel conspectum adeo refugit aeger, ut plus noxae quam commodi ab iis oriturum esse verisimillimum est. Ægroti in aquam frigidam subita immersio a Celso * olim summis laudibus elata est; et in eandem sententiam nuper concessit Boerhaavius †. Id autem neque ad praecavendum neque ad tollendum morbum sufficere, hodie ex experimentis abunde constat.

Aër frigidus, nisi, quod aliquando fit, aegrotum dolore afficiat, semper est adhibendus.

Laudata sunt antispasmodica varia; et in aliis aether vitriolicus, actione subitanea praeditus, et in morbis quibusdam spasmodicis saepe utilissimus. Ægrotum vero plerumque non posse fluida devorare si nobiscum reputemus, difficilis sane apparebit hujus remedii usus. Si vero dari possit, ab uno cochleari parvulo ad quatuor ex aquae quatuor vel sex unciis omni tertia hora ‡, vel prout opus fuerit, sumatur.

* Lib. 5. cap 27. † Aphorismus 1144.

‡ Exemplum apud Nosocomium Regium Edinense nuper sese ostendit, ubi hocce medicamentum a cl. Homio ad quantitatem usque quatuor cochlearium parvulorum ex unciis aquae sex, quater de die, datum est, et paroxysmos hystericos, quibus puella quaedam colluctata est, ex toto depulit. Vide Home's clinical experiments.

Porro

Porro haud inutile ſit rubefacientia quaedam externe adhibere, aetherem, nempe, vel alkali cauſticum volatile purum aut ſuccinatum, palmaque manus opertum, linamentum volatile, oleum camphoratum, vel denique emplaſtrum veſicatorium. His ad gulam externam applicatis, ſi in tempus decedat oeſophagi ſpaſmus, remedia interna adhibendi dabitur locus.

Remedium vero quod inter omnia videtur eminere eſt opium. Unum equidem, in quo ad morbum ſanandum ſufficit hoc medicamentum, quantitate grani et dimidii tertia quaque hora adhibitum, exſtat exemplum *. De quantitate juſta nequaquam poſſumus a priori ſtatuere; quoniam per effectum ſolum judicandum eſt. Opium, igitur, ſolidum, quantitate grani unius ad tria, ſecunda, vel tertia quaque hora, donec aliquem effectum ediderit, dandum exiſtimamus.

His ſupra poſitis rite adhibitis, aegrotum nonnunquam ſaltem ad ſanitatem reductum iri, ſperare liceat. Cum autem revera apparuit hydrophobia, exiguum rabidorum numerum Orci faucibus eripi conſueſſe experientia nimis manifeſte teſtatur.

* Medical tranſactions, vol. 2. p. 192.

---

# DE ARTHRITIDE.

*AUCTORE SAM. NICOLL.*

## DEFINITIO.

MORBUS haereditarius, ſine cauſa externa evidente, ſed praeeunte plerumque ventriculi affectione inſolita; pyrexia; dolor ad articulum et plerumque pedis pollici, certe pedum et manuum junCturis, potiſſimum infeſtus; per intervalla revertens, et ſaepe cum ventriculi et internarum partium affectionibus alternans.

## HISTORIA MORBI.

Ab arthritide ſimpliciori, quae a Sydenhamo dicitur Regularis, initio ducto, decurſum ejus ex ipſius mente exponemus.

Arthritis haec ſimplicior homines maprimis permagnos adoritur, quorum habitus plenior aliquanto et craſſior reperitur,

* Cull Gen. Morb.

eosque quos circa quadragesimum aetatis annum morbus jam primum lacessit. Paucas ante proxysmi accessum hebdomadas, primo, ut fit, vere, arthriticus, eo usque sanus, apepsia, ventriculi cruditate, flatulentia, et aliis ejusmodi affectionibus laborare incipit; quibus indies auctis tandem incedit paroxysmus. Hunc verbis ipsis Sydenhami describere optimum erit.

"Paroxysmum, paucis diebus praeit torpor et quasi flatuum descensus per femorum carnes, cum adfectione σπασμωδει, tum etiam pridie paroxysmi appetitus voracior, non tamen naturalis. Sanus lecto somnoque committitur; hora vero secunda post mediam noctem excitatur a dolore pollicem pedis ut plurimum occupante, quandoque vero calcaneum, suram, aut talum: Hic dolor eum refert qui ossium dictorum dislocationem comitatur, cum sensu quasi aquae tantum non frigidae partis adfectae membranis adfusae. Mox sequitur rigor cum horrore, et febricitatione aliquali: dolor autem hic primo remissior gradatim intenditur (et pari passu rigor atque horror recedunt), idque in singulas horas, donec tandem sub noctem ad apicem pervenerit, se ad varietatem ossiculorum tarsi et metatarsi, quorum ligamenta obsidet, perbelle accomodans; nunc tensionem violentam, vel ligamentorum istorum dilacerationem, nunc morsum canis rodentis, quandoque pressuram et coarctationem exprimens: ad haec, ita vivum exquisitumque habet sensum pars adfecta, ut nec linteorum superincumbentium pondus, nec cubiculi a fortiori ambulatione concussionem, ferre valeat. Atque hinc fit ut nox non tantum in cruciatu transigatur, sed etiam cum irrequieta partis adfectae hac illac rotatione, et mutatione situs quasi perpetua. Neque minor est totius corporis jactatio incessans, quae semper paroxysmum, maxime vero accedentem, comitatur, quam torti membri agitatio et dolor. Hinc etiam mille conamina situs tum ipsius corporis, tum membri adfecti mutatione adsidua, doloris sedationem incassum exambiunt; quae tamen non contingit ante horam secundam tertiamve matutinam, (decurso scilicet nychthemeri spatio a primo adpulsu paroxysmi), quo tempore aeger, post materiae peccantis modicam digestionem et diffiationem aliqualem, subito a dolore respirat; licet hanc ille liberationem isti membri adfecti positurae, qua postremo usus erat, immerito acceptam referat. Jam leni madore perfusus somno concedit; a quo evigilans, dolore multum imminuto, partem adfectam tumore recenter occupatam cernit; cum solum antehac (quod in omnibus podagricorum paroxysmis solemne est) insignior intumescentia venarum membro vexato intertextarum se in conspectum dederat. Sequente die, forte etiam ad biduum triduumve, si materia podagrae

dagrae generandae apta fuerit copiosior, dolet nonnihil pars adfecta. idque vehementius die jam advesperascente, levatur autem sub gal. cantu. Intra paucos dies, alter pes eodem dolore torquetur quo is, qui prior doluit; vel, si prior iste jam dolore desierit, debilitas quae eum infirmaverat mox evanescit, tam viribus quam integra sanitate isti pedi statim restitutis, perinde ac nunquam laboraverat, si modo dolor pedem nuper tentatum ferocius lancinet. Nihilominus eadem hic excitat tragoedias quas prius in altero pede, tam quod ad doloris vehementiam, quam durationem. Quandoque etiam primis morbi diebus cum materia peccans adeo exuberat, ut ei capiendae pes unus impar sit, utrosque simul pari vehementia fatigat: sed ut plurimum pedes successive, uti diximus, adgreditur. Postquam utrumque pedem exercuerit, qui sequuntur paroxysmi abnormes sunt, tum quod ad tempus invasionis, tum etiam quod ad durationem; hoc tamen ubique servant, quod dolor noctu recrudescat, mane vero remittatur. Atque ex serie horum paroxysmulorum (sit verbo venia) constat paroxysmus qui dicitur podagrae diuturnior breviorve, pro aegri aetate. Neque enim censendum est, quoties quis cum hoc morbo ad menses duos vel tres fuerit conflictatus, unum illum paroxysmum fuisse, sed seriem potius et catenam paroxysmulorum, quorum posterior quilibet priore et mitior fuit et contractior, donec tandem materia peccante prorsus absumpta, aeger pristinam obtinuerit sanitatem: quod in vegetioribus, et iis quos podagra rarius invisit, diebus saepe quatuordecim fit; in senioribus, atque iis quos saepius adflixit, duobus mensibus; iis vero qui vel annis, vel diuturniore morbi mora, fractiores jam sunt, non prius valedicit quam aestas jam adultior eam fugaverit. Ad quatuordecim primos dies urina coloratior est, quae post separationem sedimentum rubrum, et quasi arenulis refertum, deponit; nec aeger ut plurimum nisi tertiam potulentorum quae adsumpsit partem per vesicam reddit; alvus item ad dictos primos fere dies constipata est. Appetitus prostratio, rigor totius corporis sub vesperam, partium enim non adfectarum gravitas, et molesta sensatio, integrum paroxysmum comitantur. Recedentem paroxysmum excipit pedis adfecti pruritus vix ferendus, maxime inter digitos, unde decidunt furfures, et pedes ipsi quasi ab epoto veneno desquamantur. Morbo jam discusso, aegri tum ἐνεξία, tum appetitus, redeunt, pro rata doloris quo saeviebat paroxysmus nuper elapsus, et in eadem proportione servata, vel acceleratur vel differtur sequens paroxysmus. Nam si hic ultimus aegrum pessime mutaverit,

ſequens paroxyſmus non, niſi anno ad idem punctum revertente, denuo accedet."

In hunc fere modum ſe habet arthritis, quando homines robuſtos, plethoricos, aetatis jam fere vergentis (ut ſupra diximus), primum corripit. Quo citius invadit, quo viribus magis pollet aeger, eo caeteris paribus vehementius furit.

Quod ſi debiliores, ſeniores, vel arthitidi olim obnoxios, morbus laceſſat, nova admodum ſeries ſymptomatum ac prorſus diverſa in lucem profertur.

Ejuſmodi homines, ſingula, quae ſtatum inflammatorium praeire ſolent, ſymptomata acrius et diutius diſcruciant.

Canalis alimentarius apepſia, aciditate, anorexia, flatulentia, quodam plenitudinis ſenſu, quam maxime afficitur. Alvus modo aſtricta eſt, modo laxa, modo torminoſa. In capite adſunt dolores, vertigo, viſus hebetior, tinnitus aurium. Animus anxius, moeſtus, meticuloſus. Mens vix ſui potens quicquam vel agere vel cogitare mire averſatur. In pulmones etiam aliquando incidit malum, et aeger pectoris gravitate, oppreſſione, ac difficiliori reſpiratione, non ſine anxietate laborat. Quid multa? Functiones omnes et ſingulae turbantur, quoties diatheſis arthritica in inflammationem et dolorem artuum non tranſeat.

Sin autem in inflammationem et dolorem tranſierit diatheſis arthritica, ſaepe variat, quod tandem dolor et inflammatio non pedes ut antea, ſed alios et univerſi corporis articulos magis minuſve invadunt; et ſingnli profecto articuli iiſdem fere doloribus quibus pedes olim laceſſiti rigeſcunt et cretacea quadam materie implentur.

Nec ſolum articuli ſed partes etiam internae inflammatione ſubinde corripiuntur, et haud raro inflammatione articulos non pertingente, vel ab iiſdem ſubito retrocedente, viſcera abdominis, thoracis, vel capitis, eadem afficiuntur.

Poſtremo, niſi aeger nobilioris cujuſdam partis inflammatione ſubito tollatur, paroxyſmis crebrioribus et diuturnioribus quidem, ſed minus minuſque violentis, eonſque vexatur, ut recta valetudine vix unquam gaudeat; ſaltem brevibus modo per aeſtatis calorem datis induciis. Morbo invaleſcente, viribuſque labantibus, miſer tabeſcit, corruit, et ad plures demum abit.

Omnia ea ſymptomata, quibus anomala haec arthritis (uti loqui amant ſcriptores) ſtipari ſolet, enumerare pene infiniti eſſet operis. Multa apud Sydenhamum, plurima vero apud Muſgravium, mira diligentia, ſumma fide enarrata, reperientur. Sauvageſius etiam in multis morborum generibus enumerandis complures recenſet ſpecies, quae ex cauſis ſuis arthriticae

ticae nominantur. His ex auctoribus omnia ea quae ad arthritidem anomalam pertinent, facile eſt eruere.

## DIAGNOSIS.

Hic morbus a quolibet alio, rheumatiſmo excepto, facile ſecerni poteſt. Vide igitur tom. 1. p. 245. et diſſert. ſequentem.

## CAUSAE REMOTAE

In *praediſponentes* et *occaſionales* apte diviſae ſunt. Illis annumeranda ſunt, labes haereditaria, plenitudo, genus corporis firmum et validum, cum conditione corporea certa et inexplicabili, quae facit ut debilitas vaſorum extremorum facile inducatur, conjunctum; magna capitis, Sydenhamio teſte, moles.

## CAUSAE OCCASIONALES.

Hae autem ſunt, aetas provecta, uſus cibi animalis et conditorum immodicus, vinum aliique liquores ſpirituoſi nimis liberaliter adhibiti, venus immodica, affectus animi violentiores, ſtudium nimium, vigilia diuturnior; tempeſtates anni, ver et autumnus; vita ſedentaria ignava, praeſertim ſi exercitatione multa antea inſueveris. Haec et omnia alia, quae ad ſyſtematis debilitatem, labe haereditaria ſubſtante, inducendam conferunt, morbum excitare conſuerunt.

## CAUSA PROXIMA.

Super hac quidem opiniones auctorum multae et variae, et, cum bona tot tantorumque virorum venia dicere liceat, non minus falſae, quam numeroſae. Hoc ex iis conſideratis plane conſtabit.

Hippocrates, qui primus hujus morbi meminit, eum humori ſyſtematis pituitoſo vel bilioſo, articulos potiſſimum afficienti, tribuit. Eandem in ſententiam conceſſit Galenus. Paracelſus non minus in hoc, quam in multis aliis, ſingularis, "Quid aliud eſt," inquit, "podagra quam ſulphur accenſum, in ſynovia ſaeviens, ex tribus primis depromptum, aut accendit frigiditatem, id eſt, mercurium, qui facit grandines et in utriſque concurrens ſal." Sydenhamus, arthritidem a calore putreſaciente, et acrimonia humorum; Boerhaavius a fluidi nervoſi lentore et acrimonia; Cheynaeus a ſalibus tartareis urinoſis aliiſve; Jacobus a materia terrena; et denique Liger a mucilagine, proficiſci crediderunt. Quinetiam opiniones Celſi,

Celſi, Ætii, Helmontii, Williſii, Sylvii, Bellini, Liſteri, Bonneti, Ingramii, aliorumque enumerare poſſemus; ſed hoc non neceſſarium ducimus, cum opiniones omnium materiam morbificam exiſtere ponant, et ea innitantur.

Stahlius, omnium ſcriptorum ſolus, materiam morbificam exiſtere, quod omnibus fere perſuaſum eſt, negare, morbumque conditioni motuum totius ſyſtematis certae tribuere auſus eſt.

Nonnulli forſitan ſingulas cauſarum, unde auctores hunc morbum oriri crediderint, convelli debere putabunt. Hae vero hinc admodum improbabiles redduntur, quod ſibi invicem contrariae ſunt, et opiniones de iis tam multae tamque diverſae hodie etiam invaleſcunt. Et praeterea baſin, nempe materiam morbificam, cui omnes innitantur, ſubruere eas latis refutabit.

Materiam morbificam in ſyſtemate adeſſe, morbumque facere, nihil manifeſte probare videtur. Namque, quantum noverimus, nunquam in ſanguine demonſtrata fuit. Et inſuper, in exemplis, ubi aliquid terrenum in artubus ſemet oſtendit, et a nonnullis pro cauſa evidente habitum eſt, nunquam, ante vitam provectiorem, aut donec morbus ſaepe invaſerit, detectum eſt, et quoque in arthriticis tam raro offenſum eſt, ut *effectus* potius quam *cauſa* morbi eſſe videatur.

Sunt qui materiam morbificam exiſtere aſſeveraverint, quod morbus plane haereditarius eſt. Si omnia quidem vitia haereditaria a materia hujuſcemodi evidenter penderent, hoc argumentum nonnihil ponderis haberet; cum vero nihil materiae morbificae in multis morbis a labe haereditaria oriundis adeſſe ſuſpicemur, immo videamus, et eas igitur conformationi vel conſtitutioni habituive corporeo aegrotantis certo tribuamus; ita arthritidem a temperamento certo, quo parens prima ſuae progenici ſtamina impertiatur, quodque in toto corpore conſiſtere videamus, pendere opinamur.

Hoc autem temperamentum ab eodem principio, a quo ſimilitudo faciei, forma cervicis, thoracis, &c. quae, uti omnes fatentur, proclivitatem ad certos morbos dare conſuerunt, pendere videtur. Formam quandam externam mortales phthiſi opportunos efficere, e. g. compertum habemus; et hic nunquam ambigimus, quin morbus in toto habitu conſiſtat, et non a materia morbifica, ſed a ſtatu et conformatione ſyſtematis ſingulari, eum humorum impetum, ſine quo morbus nequeat moveri, dante, oriatur.

Labem haereditariam arthriticam a materia morbifica non pendere, hoc evincere videtur, quod morbus nunquam niſi multos a partu annos, plerumque non ante annum aetatis trigeſimum

geſimum quintum, accedit. Omnia, contra, vitia haereditaria a materia morbifica plane proficiſcentia ſub partum, brevive poſt eundem, (lues venerea, e. g. non raro ſub ipſum partum), ſemet oſtendunt.

Quinetiam materia morbifica exiſtere credita eſt, quod nonnulli morbum contagioſum eſſe exiſtimarunt. Hanc in ſententiam quidem iverunt duo medici, in primis graves et venerabiles; cum vero rebus veris et exemplis, quae eam ſuſtentent, deſtituatur, hic loci excuti non meretur, praeſertim cum omnium fere aliorum medicorum experientia ei ex toto adverſetur.

In ſumma, ſupra poſita, morbi ab una ſyſtematis parte ad aliam migratio, affectus animi morbum ſubito excitantes, eundemve momento temporis depellentes, materiam morbificam in cauſa arthritidis non eſſe, admodum probabile, immo fere certum efficiunt.

Hoffmannus pathologiam univerſam propoſuit, pleroſque morbos ad motum ſolidorum et humorum perturbatum referens; quam Hallerus et Gaubius, hic potiſſimum, auxerunt et emendarunt. Eidem medicinae parti lumen maximum offudit illuſtriſſimus Cullenus. Pathologia autem hujuſcemodi nobis ob oculos nunquam non obſervante, in cauſam et naturam arthritidis inquiremus, nos aliquid qualibet opinionum ſupra comprehenſarum probabilius, (namque hoc in exemplo omnino certum vix exſpectandum), prolaturos eſſe ſperantes.

Arthritis, judicio noſtro, a temperamento ſingulari pendet. Hoc ſequentia probare videntur: Foeminas rariſſime, eaſque ſolas, quae in primis robuſtae et validae, occupat; non tantum mulieres raro corripit, ſed in maribus temperamento ſingulari continetur; namque eunuchi ea raro conflictantur, et paucos, praeter valentiores, invadit; ante annum aetatis trigeſimum quintum rarius accedit; et denique multi cauſis, quae eam ſoleant movere, diu objiciuntur, qui tamen ab ea ex toto immunes manent.

Quidnam hoc temperamentum ſingulare ſit, noſmet ignorare fatemur. In corpore quidem valido et robuſto fere ſemper reperiundum; et igitur cauſae excitantes in omnibus exemplis, ubi conſtitutio hujuſmodi corporea adeſt, morbum movere poſſe nunquam non putantur; ob ſupra tradita, tamen, in ſententiam contrariam ire volumus, et aliquid corpori proprium eſſe oportere, quod id ad arthritidem proclive efficiat, et abſque quo nullae cauſae eam valeant movere, opinamur. Hanc autem proclivitatem diatheſin arthriticam appellabimus, quae a conſtitutione ſolidorum a ſtaminibus primariis oriunda, et igitur a quadam illorum et humorum conditione,

conditione, unde impetus horum ad partes certas inaequalis facile fit, pendere videtur.

Hiſce jam poſitis inducti, arthritidem affectum inflammatorium, cum vitio nervoſo arcte conjunctum, eſſe diciamus. Poſterius autem ſubeſſe teſtantur mox commemoranda; quod venus ſtudiumque nimia arthritidem facile inducunt, quod eandem affectus animi ſubito tollunt vel movent, et denique quod multa ſignorum, praeſertim doloris ab una parte ad aliam migratio ſubitanea, quam a partibus ſyſtematis diverſis inter ſeſe per fluidum nervoſum communicantibus pendere opinemur, in ſyſtemate nervoſo potiſſimum ſeſe oſtendunt. Qualis naturae hoc fluidum ſit, nondum compertum, nec forſitan unquam comperietur; ſed ſui generis eſſe videtur, effectibus ſuis mirandis electricum aliqua ex parte reddens, et a quolibet alio totius ſyſtematis omnino diverſum. Fluidum vero hujuſcemodi medium unicum eſt, per quod motum propagari, morbumque, quod ſaepe in exemplis arthriticis incidit, tam ſubito e loco in locum transferri ponere poſſumus.

Tranſlatio materiae morbificae e loco in locum adeo falſa et incredibilis, et a phaenomenis morbum comitantibus adeo aliena eſſe videtur, ut eam, praeſertim cum rebus nullis veris et obſervationibus, ſed concluſionibus ab effectibus, qui materiam certam pro cauſa ſua habere crediti ſint, deductis, innitatur, ex toto repudiemus.

Arthritis a jactura toni univerſi partiſve ſyſtematis, quam atoniam appellamus, ſemper oritur. Haec actionem vaſorum ſanguiferorum, ſaltem partis laborantis, adauctam facit, quae in affectu articulorum pedis inflammatorio ſe potiſſimum oſtendit. Hoc in arthritide *regulari*, uti appellatur, ſaepiſſime incidit, quod a cauſis morbi oriatur neceſſe eſt. Namque omnes cauſae excitantes perpenſae ad debilitatem faciendam quodammodo conferre videntur. Hoc plane confirmant ſequentia; morbus aetate provectiores ſaepiſſime invadit, in quibus tonus ſyſtematis, quam in junioribus, haud dubie magis debilis eſt; ſtudioſos, et vitam ſedentariam agentes, qui ſemper infirmis jure accenſentur, infeſtat; et quoque a venere nimia et affectibus animi violentis, quae corpus inſigniter debilitant, facile et plerumque proficiſcitur. Quo reliquas cauſas remotas ſilentio praetermittamus, quod aſſeruimus ulterius confirmant phaenomena morbi propria rite conſiderata. Eum ſemper antecedunt ſigna debilitatis manifeſta, quae potiſſimum in ventriculo artubuſque inferioribus apparent; et ab iiſdem incipere ſolet. Pedes frigeſcunt, et ſolita eorum perſpiratio ceſſat; quod nihil aliud quam actio vaſorum imminuta poteſt explicare. Signa tamen debilitatis non locis certis

tis continentur, sed semet in systemate universo evidenter ostendunt, ut e Sydenhamo, et ex hoc, quod morbus a catarrho saepe incipiat, discere licet.

Nunc ad partem ejus, quod proposuerimus, alteram ventum est, viz. Debilitatem statum inflammatorium facere, quem omnes fere morbum constituere confiteantur. Quomodo vero haec atonia inflammationem moveat, statuere non audemus.

## RATIO MEDENDI.

A medicis, utrum arthritis curationem absolutam necne recipiat, certatum fuit, et etiamnum forsitan dubium esse videtur. Pauciſſimi quidem eam ex toto depelli posse putarunt. Si vero morbum certi temperamenti proprium, partim ingenitum, partim consuetudine longa et constanti inductum esse reputaveris, curatio absoluta nulla ratione perfici necne possit, haud dubie ambiges. Si possit, eam medicamenta non absolvent, nisi cum eo, quod regimen appellatur, fuerint conjuncta; quod rite et stricte adhibitum tales forsitan in habitu corporeo mutationes faciet, quales morbum multis in exemplis ex toto praecavebunt, et in omnibus leniorem multoque magis tolerabilem efficient.

Nostra medendi ratio hujusmodi erit: 1. Quomodo morbo possit occurri; et, 2. Quomodo per paroxysmum debeat curari, referre.

Quantum ad modum morbo occurrendi attineat, sunt qui nihil omnino, antequam acceſſit et semet clare ostendit, necessarium esse ducunt; propterea quod, utrum unquam necne acceſſerit, nondum compertum habemus. In pleriſque tamen exemplis, necne invaserit, tam certo scire valemus, quam ei occurrere conari nobis in animum inducere debet, praesertim cum victu idoneo, ubi, ob labem haereditariam et temperamentum singulare, non sine causa gravissima pertimescendus est, ex toto forsitan possit praecaveri.

Ita concludimus, quod plebeii, quorum e patribus multi haud dubie arthritide laboraverunt, ea raro aut nunquam conflictantur, nisi statum vitae laboriosum et simplicem commutaverint, et seipsos intemperantiae alicui tradiderint: Quodque multi mortales, qui divites et opulenti ea inquopere vexati sunt, ad paupertatem redacti, et semet mercede manuum tolerare coacti, ea in posterum ex toto vacarunt. Haec morbo obviam ire, proclivitate ad eum magna subsitante, et in omnibus exemplis ubi se semel ostendit, perquam necessarium esse demonstrant.

Quo arthritidi rite occurratur, atonia, unde morbus exiſtimetur pendere, et corporis plenitudo ab hac oriunda, quae fundamentum arthritidi jacere videatur, tollendae. Hoc optime praeſtabunt cauſae excitantes conſtanter et diligenter vitatae.

*Diaeta.* Hanc tenuem, ſaltem parcam, eſſe debere, inter omnes fere convenit. Quamdiu vero, et ad quem gradum uſque adhiberi queat, ſtatuere difficile; vel utrum nonnullis in caſibus eam atoniam, quam tollere velimus, inducendo noxae necne ſit, nondum compertum.

Quantum abſtinentiae et dietae tenuioris adhiberi debeat, non pro certo affirmare audemus; eas tamen, cum morbus nondum acceſſit, vel aegrotus annum aetatis trigeſimum non adhuc tranſgreſſus eſt, omnino tutas; et licet aliquis eo fuerit correptus, ſi non adhuc multum aetate provectus eſt, et ad victum idoneum confugere, et in eo perſtare volet, nihil forſitan periculi habere, contra, utiles eſſe reperies. Ita judicamus, quod ad plenitudinem ſyſtematis praecavendam vel tollendam optime accommodari videntur. Quantum autem hanc medendi rationem ſpectat, hoc notandum videtur, quod in iis, quibus multum aetatis acceſſerit, praeſertim ſi victu lautiſſimo antea inſueverint, magna corporis mutatio inducta periculo rariſſime vacat. Huic, ut omni alii regulae generali, nonnulla objici poſſunt; quandocunque enim paroxyſmos complures primumve etiam permagna debilitatis ſigna ſubſecuta ſunt, tonum ſyſtematis et vigorem diaeta tenuiore imminuere, haud dubie foret periculoſum.

Quo accuratius vero de diaeta dicamus, eam in tres ſpecies, *vegetabilem*, *animalem*, et *lacteam*, quarum poſtrema utriuſque antecedentis manifeſte particeps eſt, dividemus. Quantum primam ſpectat, raro aut nunquam neceſſaria eſt; quantum alteram, ſemper forſitan nociva erit.

Lactea igitur ſola adhibenda, vel eadem, quae magis grata et plerumque melior, vegetabili admiſta. Haec fere ſemper tuta, ſatiſque tenuis. At hujus, ubi atonia magnopere invaleſcit, praeterquam panciſſimis in exemplis, periculum non faciendum; ſed, ut Cheynaeus ſuadet, ad diaetam lautiorem, uſum ſcilicet cibi animalis modicum, confugiamus oportet. Hunc vero potius prandendum eſt, quam coenandum; quod veſpere datus magis, quam vegetabilis, ſyſtema ſtimulat, et ad paroxyſmum febrilem veſpertinum, qui etiam, ſanitate ſubſtante, hoc tempore accedere notatur, augendum magis confert.

Quoad dotes rerum diverſarum pro cibo adhibendarum, regulas certas et definitas tradere difficile eſt. Igitur quantitatem

ritatem imminuendo noxas dotium cavendum. Cibus vero concoctu facillimus, et talis, qualis citiſſime foras eliminatur, eſſe, et quam minime ſtimulare, debet. Omnia condita, praeſertim ſalina, ex acidis vegetabilibus confecta, utpote quae nihil aliud ſint quam acida ſub forma ſingulari, vitanda. Aromatica tamen a nonnullis, ubi debilitas ventriculi evidenter adeſt, adhibita fuerunt, et aliqua e calidiſſimis, qualia ſunt piper Cayannenſe, atoniam ſtomachi tollendi conſilio, uti videtur, Warnerus laudavit. Hanc rationem medendi perniciosiſſimam eſſe putamus; quamvis enim aromatica tonum ventriculi in tempus breve corroborant, ad extremum tamen eundem debilitant et perdunt. Alia diaetae pars, quae ſummam attentionem deſiderat, eſt *potio*.

Opiniones auctorum ſuper hac olim admodum differebant, et hodie etiam magnopere diverſae ſunt. Quantum vinum ſpectat, eo ex toto abſtinere neceſſarium nonnulli duxerunt. In his Cadoganus eſt, qui vino abſtinentes arthritide nunquam corripi contendit. Hoc non negabimus, quamvis de eo forſitan ambigi poteſt. Integritatem vero eorum, qui vino prorſus abſtineant, temperantiae et abſtinentiae in aliis diaetae partibus adhibitae potius tribuendam eſſe putamus; cum Ligerius Burgundienſes et Cathelaunos, quibus vinum unica fere potio ſit, arthritide raro laborare teſtetur. Noſtro autem judicio dubium eſſe videtur, utrum vino, nonnullis in caſibus, ex toto abſtinere, tonum ſyſtematis, qui forſitan ab ineunte fere aetate uſu ejus immodico adauctus eſt, debilitando, periculum necne poſſit inferre. Vino prorſus abſtinere rariſſime neceſſarium eſſe videtur, et modicus ejus uſus nihil forſitan nocebit; praeſertim ſi aegrotus id antea liberaliter aſſumere conſueverit. Quae vina optima ſunt, ea minime aceſcunt, quoniam minus acidi praeternaturalis in ventriculo gignunt. Sunt nonnulli quidem, quibus ventriculi minimam vini fortioris quantitatem ferre nequeunt, quod non citius aſſumitur, quam aceſcit. His in exemplis manifeſte nocet, et, ſi aliquis ſtimulus neceſſarius eſſe videbitur, liquores ſpirituoſos, qui non fermenteſcunt, adhibere praeſtat. Vinum adultum ſaepiſſime ſumptum fuit, et, probe dilutum, quam maxime convenit; ſed noxas ab uſu ejus perpetuo oriundas, id raro parceque adhibendo cavendum eſt.

*Exercitatio.* Haud ambigi poteſt, quin ad hanc, quolibet vitae tempore, et forſitan cum commodo, poſſit decurri; cum vero genera ejus diverſa ſint, et idem ſemper adhibere minime conveniat, ſingula paucis exponentur.

*Geſtatio.* Haec magnopere prodeſſe poteſt. Optimum hujus genus, ſi facile fertur, eſt equitatio, quae cuilibet alii, utpote

quae ad proxime dicendum non parum accedat, ſemper anteponenda eſt.

*Labor corporis.* Hic haud dubie, cum facile adhiberi poteſt, ad reditum morbi praecavendum optime accommodatur. Citra ſudorem tamen et defatigationem ſit, quae utraque tantum abſunt ut corpus corroborent, ut idem manifeſte debilitent.

*Ambulatio.* Haec, ut modus exercitationis optimus, laudata fuit, et plerumque prodeſt. Si vero morbus frequenter redeundo articulos multum debilitavit, non ſemper adhiberi debet; namque aliquando nocet. Cujus exemplum inſigne a praeceptore meo illuſtriſſimo Culleno refertur. Vir quidam generoſus, qui, aetate adhuc florens, paroxyſmum arthriticum, poſtquam ſigna etiam debilitatis, quae eum plerumque antecedunt, ſemet oſtenderant, diu ambulando depellere conſuevit; ad idem remedium, aetate magis provecta, decurrendo paroxyſmum facilius ſemper inductum eſſe compertus eſt.

Exercitatio ſemel incepta conſtanter, totumque per vitae decurſum, adhiberi debet; cum labori aſſuetos, eo neglectui habito, morbo opportuniores fieri videamus. Senio accedente, exercitatio imminui, et labor corporeus geſtatione, quae non tantum fatigat, et tunc temporis multo facilius fertur, mutari debent. Haud ſilentio praetereundum, quod ratio cibi et exercitationis eodem tempore ſemper habenda, et in omnibus exemplis, ubi conjunguntur, prior poſteriore magna ex parte regendus.

*Somnus.* Ægroti, ante multam noctem, cubitum ire debent, et ob eandem rationem propter quam ut coenae ex cibo animali confectae vitarentur praecepimus; quodque ſomnus, in quem, nocte nondum multum provecta, incidant, magis reficit, et igitur ad atoniam ſyſtematis praeveniendam melius accommodatur. Non diutius continuari debet, quam ad animum et corpus reficienda ſufficit; namque longior ei ſyſtematis plenitudini favet, quae ad morbum creandum multum conferre videtur.

*Frigus.* Hoc fugiendum, quoniam vaſcula totius ſyſtematis, praeſertim artuum inferiorum, ubi vis circuitus ſanguinei ſemper minor, extrema afficiendo, ad eam atoniam, a qua pendeat morbus, faciendam manifeſtiſſime confert. Etenim perſpirationem, quae frigore admoto magis minuſve imminuitur, a circuitu in vaſis extremis pleno et valido pendere, et certum caloris gradum, utpote qui circuitum magnopere promoveat, ad perſpirationem expediendam optime accommodari compertum habemus. Praeterea, quod perſpirationem imminuit, id ad arthritidem movendam facere novimus. Morbus igitur, apud plagas calidiores, ubi perſpiratio ſemper libera,

libera, rarior; apud frigidiores, iis temporibus, quibus copioſiſſima, et temperatura aëris calida optime promovetur, raro infeſtare conſuevit. Hoc quoque noxas non parvas a perſpiratione cohibita oriri demonſtrat, quod morbus a ſignis catarrhi, quae a frigore collecto evidentiſſime pendeant, incipere ſolet. Ad frigus igitur cavendum, veſtimenta calidiora neceſſaria ſunt, et pannus laneus cuti ipſi admotus, utpote qui materiam perſpirabilem copiole eliciat, plurimum prodeſſe repertus eſt. Artus inferiores, potiſſimum tibialium laneorum ope, calidi ſervandi, quae ſaepe mutanda, quoniam diu geſta materiam perſpirabilem difficilius abſorbent. Perſpiratio denique totius ſyſtematis liberalis et conſtans fricatione crebra, praeſertim artuum inferiorum, et veſtibus calidis, aſſidue conſervetur, et quam maxime promoveatur.

*Potatio nimia.* De hac nonnihil jam diximus. Quantiſcunque eam laudibus ornant voluptarii, haud dubie, cum debilitatem faciat, nociva eſt, ſemperque vitari debet.

Coitu immodico, eandem ob cauſam, nunquam non abſtineatur. Intentio animi nimia, ut cauſa debilitans, defugienda. Plerique Indorum diligentiſſime igitur vitandi, quod applicationem animi magnam deſiderant, quodque eos concomitantur affectus animi ſubitanei et violenti, vigiliaeque longiores, quae etiam valetudine commodiſſima fruentibus perniciosa ſunt. Quod medici regimen appellant, id finivimus; et proximum eſt ut diverſa remedia, ſtrictius ita dicta, quae conſilio huic morbo occurrendi adhibita fuerint, conſiderentur.

*Miſſio ſanguinis.* Hanc paucis in exemplis tantum neceſſariam eſſe, et plerumque obeſſe, putavit Sydenhamus. Alii, contra, eam pro remedio non raro efficaciſſimo habuerunt. In ſententiam priorem potius concedimus, miſſionem ſcilicet ſanguinis, praeterquam in aetate florentibus et admodum plenis, injuriae potius quam commodo fore. Aliquando forſitan, ſtatum plethoricum, qui mortales morbo adeo opportunos efficit, tollendo, prodeſt. Saepius vero reiterata, praeſertim ex certis intervallis, tantum abeſt ut plenitudini occurrat, ut eam facile creet.

*Alvi purgatio.* Hanc non minus, quam ſanguinis miſſionem, averſatur Sydenhamus. Quae ſupra miſſioni ſanguinis objecta ſunt, eadem alvi purgationi, ut remedio in auxilium plethorae prompto, objici poſſunt; quoniam haec in canalem alimentarium, cum tono cujus debilitato arthritis tam arcte conjungi videatur, effectus ſuos protinus edit. Attamen non ambigi poteſt, quin purgantia, ut laxantia, alvum ſolvendi conſilio adhibita, prodeſſe poſſint, et revera utiliſſima ſint; ſed ſemper cautiſſime adhibenda.

*Vomitio,*

*Vomitio.* Haec, cum cruda ventriculum perturbant, id, quod in eo manere permiſſum paroxyſmum forſitan moviſſet, foras expellendo prodeſſe poteſt. Non tamen omni cruditati, quae poſſit adeſſe, ea occurrere debemus; quoniam ita adhibita tonum ventriculi multum debilitaret; et eam igitur conditionem, quam praecavere velimus, faceret. Vomitus autem, ſi ad eum prudenter decurratur, curſum humorum magnum ad ſuperficiem corpoream faciendo, quam plurimum prodeſſe poteſt. Exemplum autem hujus inſigne a praeceptore meo venerabili Cullено eſt commemoratum. Vir qui, ob labem haereditariam, conſtitutionem corpoream ſingularem et victum, ad arthritidem admodum proclivis fuit, et nonnunquam tot ſignorum habuit, ut ambigi nequiverit, quin morbus mox acceſſurus eſſet; vomitu tamen frequente et tempeſtivo ſe a morbo fere prorſus immunem ſervavit. Cullenus alios inſuper, hortante eodem viro generoſo, ad idem praeſidium, et non abſque commodo multo, confugiſſe refert. An utilis vero, omnibus in exemplis, vomitio foret, experientia poſteriorum ſola dijudicet oportet.

*Sudatio.* Cum haec ab impetu humorum ad externa corporis facto potiſſimum pendeat, non parum forſitan proderit, et revera a multis medicis adhibita fuit. Nunquam vero medicamentis calefacientibus, vel ſtimulantibus, quoniam haec diatheſin phlogiſticam augendo plurimum poſſunt nocere, moveatur. Modice excitata, ſatiſque diu continuata, in auxilium forſitan eorum, qui ad morbum in primis ſunt proclives, quibuſque curſu humorum ad ſuperficiem facto opus eſt, promptiſſima eſſe reperietur. In corporibus hujuſcemodi doſin alkali volatilis, una dnabuſve horis, antequam aegrotus e lecto ſurrexerit, unoquoque mane ſumendam, qua et veſtitus calefacientis, praeſertim pedum, auxilio, ſudorem modicum elicere ſolitus ſit, Boerhaavius landavit. Ab hac medendi via effectus feliciſſimos oriri ſe vidiſſe, teſtatur emulus ejus Swietenius. Diverſis evacuationibus, quae hoc in morbo cum fructu poſſint promoveri, percurſis, ſupereſt ut remedia, quae temporibus diverſis fuerint adhibita, dicamus.

*Sales alkalini.* Hi nuper multum adhibiti ſunt, et haud dubie arthritidi occurrendo, et vim ejus compeſcendo, non parum prodeſſe poſſunt. Jam dictum, Boerhaavium et Swietenium utilitatem eorum magnam eſſe putaſſe. Hanc autem poteſtati, quam eos habere crediderint, lentorem, qui, judicio illorum, exemplis in arthriticis in corpore ſubfuerit, diſſolvendi tribuerunt; ſed ab hoc potius, quod acida, quae primas vias arthriticis nimis infeſtare ſoleant, domant, pendere opinamur. Primo etenim lentorem exiſtere nondum probatum,

cum, et secundo absorbentia nihil aliud quam acida absorbere posse compertum.

*Amara.* Haec formis sub variis laudata fuerunt; nec dubium est, quin rite adhibita paroxysmum arthritidis inflammationem habentis, et interdum forsitan impune, queant depellere. Quae vero Cadoganus et alii memoriae prodiderunt, ea usum eorum effectus pessimos frequenter subsequi plane testantur. Et insuper Cullenus omnes aegrotos, quos ea liberaliter diuque sumere viderit, minus biennio aliis morbis extinctos esse refert; quod forsitan amaris debebatur. Alia exempla facile possent proferri; sed hoc minus necessarium ducimus, et ea, utpote quae in morbum venientem parum possint, repudianda esse judicamus.

Iis, quae de hoc morbo praecavendo dicere voluerimus, ad finem perductis, proximum est, ut rationem eum per paroxysmos curandi explicemus.

Consilium nostrum hic loci est dolorem, decursu morbi non interpellato, quod ad eam atouiam, cui morbum tribuimus, removendam necessarium esse videtur, imminuere.

Sydenhamus paroxysmum, quo gravior est, eo breviorem esse, et intervallum pro ratione longius, notat; et hinc dolorem in arthritide regulari nunquam levandum esse concludit. Quam verum hoc sit, experientia propria docti statuere non possumus; sed dolorem et inflammationem, quanquam ad morbum feliciter finiendum necessaria esse videantur, cum levamine aegrotantis et tuto imminui posse, et revera imminuta esse notissimum est. Hinc dolorem ad certum gradum usque tantum necessarium esse cogimus, et hoc majorem systema debilitando nocere opinamur. Quo nihil amplius addamus, cum gravitatem doloris et aegri impatientiam consideramus, illum multis in exemplis levare haudquaquam neglectui haberi debet. Hoc quam maxime optabile esse experientia omnis arthritici testatur.

Sub initium, si alvus aegro dura sit, quod saepe fit, enematis et laxantibus leniissimis faeces induratae et retentae foras expellantur necesse est. Et haec, si necesse sit, per paroxysmos adhiberi debent; sed adeo lenia sint, ut effectus suos ultra primas vias nunquam diffundant. Si nausea ventriculique debilitas, morbo incipiente, magnae sunt, iis efficacissime occurrit emeticum lene; quod plerumque dandum. Ægro cibo animali et liquoribus omnigenis spirituosis per paroxysmum saepius interdicatur; si vero atoniae signa semet ostenderint, vel multum aetatis aegrotanti accesserit, jusula dilutiora, et etiam paululum vini, dare utile nonnunquam necessarium erit.

*Missio sanguinis* laudata fuit, et saepe in juvenibus et plenis utilis

utilis et neceſſaria eſt, ſi non propter paroxyſmos leviores quoſlibet reiteretur; ſi vero aegrotus admodum aetate provectus, vel paroxyſmorum recurſu debilitatus ſit, ea nunquam fortaſſe adhibenda. Topica, cum univerſa non tuta, et dolor graviter urget, prodeſſe poteſt. Quantum ſanguinis hoc modo poſſit emitti, ignoramus; ſed rarius adhibenda, cum univerſa periculoſa vel anceps ſit.

Magna applicationum topicarum varietas laudibus fuit elata, et in dolorem et inflammationem poſſe putata; hae vero omnes ad ſequentia, viz. emollientia, refrigerantia, narcotica, antiſpaſmodica, veſicantia, et adurentia, poſſunt referri.

Effectus horum nonnunquam adeo pernicioſi fuerunt, et ſemper adeo incerti ſunt, ut, quamvis aliquando profuerint, iis forſitan ex toto abſtinere praeſtet. In locum igitur omnium aliarum applicationum topicarum ſubſtituatur pannus laneus, qui ſemper utilis eſſe exiſtimatur, ſaltem ſemper innoxius eſſe conceditur. Alii opium laudaverunt, alii in id acriter invecti ſunt. Sydenhamus, aliis in exemplis hujus cupidiſſimus, pravos ejus effectus hoc in morbo adeo pertimuit, ut ad id, niſi de aegroto fere conclamatum eſſet, nunquam confugerit. Cheynaeus quoque noxas ejus non ignoraſſe videtur; quoniam ut id tantum adhibeatur praecipit, cum aegrotus multos per dies non dormivit, cum dolor admodum gravis, cumque omnia alia medicamenta incaſſum tentata fuerunt. Gravitas autem doloris, ob quam potiſſimum ad id confugere voluerit Cheynaeus, uſum ejus in primis vetat; namque hodie inter omnes fere medicos convenit, opium in exemplis inflammationis datum, niſi ſudorem moverit, eam igiturque dolorem, cui per id occurrere voluerimus, augere. Cum dolor tamen aliquantum imminutus eſt, et ſudor in parte laborante ſe oſtendere incepit, dolorem tollendi, motuſque ſyſtematis nervoſi turbatos ſedandi conſilio, apte adhiberi poteſt; cum vero cauſa debilitans ſit, ne diutius, quam violentia doloris deſiderat, adhibeatur.

Finitis paroxyſmis ſi quis tumor et rigor remaneat, haec ſymptomata aſſidua frictione, praecipue ſtrigilis uſu, diſcutienda ſunt. Alvi ductio, protinus poſt paroxyſmum finitum facta, recidivae periculum nunquam non inducit. Cull. Pr. Lin. Int. Beeren.

Warnerus opiata adhiberi jubet, etiam furente paroxyſmo, ſi gravis dolor urget; plane repugnante Sydenhamo, ab experientia tamen comprobante Gregorio. Quaenam melior ſit ſententia, judicatu difficile eſt. Si quis accurate ſtatuerit quouſque progredi debeat inflammatio, ut atoniam rite tollat, vim ejus juſtos hos ſuperantis terminos temperare nemo dubitaret. Eo autem ſcientiae nondum pervenimus. An opium pro tonico haberi poſſit, analogia ducta ex egregiis ſub febris nervoſae finem effectibus judicent alii.

Boſtock de Arthritide.

" Praecipuum

* * * * * * * * * *

" Praecipuum morbi, qui *podagra regularis* nominatur, criterium eſt affectio inflammatoria junCturarum. Quaecunque vero ſymptomata connexionem aut neceſſitudinem habent cum diatheſi, hánc affectionem inflammatoriam producere ſolita, et tamen ſine hac obtinent, ſaltem non ſimul cum ea exiſtunt, nomen *podagrae irregularis* accipiunt.

" Hujus podagrae irregularis tres notabiles ſunt differentiae, quas *atonicam* (*atonic gout*), *retrogradam* (*retrocedent gout*), et *aberrantem* (*miſplaced gout*) nominamus.

" In prima ſpecie diatheſis arthritica dominatur quidem in corpore, ſed a quibuſdam cauſis impeditur, quo minus circa junCturas inflammatorium illum affectum producat. In hoc caſu morboſa, quae apparent, ſymptomata ſunt praecipuè ſtomachi affectiones, velut appetitus proſtratus, apepſia, hujuſque comites, aegritudo, nauſea, vomitus, flatulentia, ructus acidi et dolores in regione epigaſtrica. His ſymptomatis frequenter ſe jungunt dolores ac ſpaſmi in pluribus trunci locis, nec non in ſuperioribus corporis partibus, qui ructibus e ſtomacho expulſis levantur. Hanc ventriculi perturbationem utplurimum comitatur venter adſtrictus; nonnunquam tamen alvus liquida et cum doloribus colicis fluens. Atque his fiſtulae cibalis effectibus ſaepe junguntur omnia hypochondriaſis ſymptomata, velut puſillanimitas, aſſidua ac ſollicita mentis attentio ad leviſſimas in corpore perceptiones, harum imaginaria exaggeratio et periculi hinc quaſi impendentis metus.

" Eadem podagra atonica viſceribus thoracis non omnino parcit, ſed ſubinde palpitationes, cordis imbecillitatem et aſthmata importat.

" Caput quoque afficit, cephalalgias, vertigines, apoplecticos ac paralyticos affectus quandoque producens.

" Varia haec ſymptomata, quae modo recenſui, ſi quando in corporibus, notas diatheſis arthriticae gerentibus, ſemet prodant, ab hac ipſa proficiſci et pendere recte creduntur, praeſertim ſi jam antea in iiſdem corporibus evidentes podagrae inflammatoriae praenuntii exſtiterint, vel ſi hujus quaedam indicia ſimul cum memoratis ſymptomatibus adſint et eorum moleſtiam levent. His in caſibus nequaquam dubitari poteſt, quin fons aegritudinis podagrica labes ſit.

" Altera morbi ſpecies eſt, quae *retrograda* vel *retrocedens* apellatur. Haec obtinet, ubi inflammatio ad articulos more ſolito ſe prodit, ſed ad eum doloris et aeſtus gradum, quem ſolet attingere, non adſcendit, aut ſaltem ſpatium temporis conſueti non emetitur, utique non ordinario modo lente et gradatim decedit; ſed repente et ex toto ceſſans ſtatim ex-

cipitur partis internae cujuſdam moleſto affectu. Inter partes internas nulla frequentius afficitur, quam ventriculus, unde anxietas, aegritudo magna, vomitus aut dolor vehemens oriuntur; tamen et cor nonnumquam afficitur, unde ſyncope; interdum etiam pulmo, unde aſthma; quandoque ipſum caput, unde apoplexia vel paralyſis. Quibus omnibus in caſibus dubium eſſe nequit, quin cuncta ſymptomata ejuſdem morbi partes ſint, utcunque diſſimiles in variis partibus affectiones videantur.

" Tertia podagrae irregularis ſpecies, quam *aberrantem* vel *deviam* (*miſplaced gout*) nuncupamus, obtinet, ubi diatheſis arthritica affectum inflammatorium non ad articulos, ſed in parte quadam interna ſic producit, ut eadem ſymptomata, quae hujus partis inflammationem ab aliis cauſis natam comitantur, appareant.

" Utrum diatheſis podagrica unquam inflammationem in parte interna ante producat, quam in articulis excitaverit? An vero illa partis internae inflammatio ſemper metaſtaſis ab articulis prius affectis ſit? definire non audemus. Verum etiamſi poſterior hypotheſis univerſaliter admittatur, vel ſic tamen cenſemus diverſitatem affectionis in parte interna naſcentis certum criterium exhibere, quo podagra devia ab ea, quam retrocedentem nominavimus, diſtingui poſſit.

" Quaenam ex partibus internis podagra aberrante corripi queant, definire nequeo; quoniam nulla unquam deviae podagrae exempla inter medendum mihi oblata ſunt; neque apud ſcriptores practicos legere contigit caſus ſatis diſtincte notatos, praeter unum pneumonicae inflammationis.

" Duo ſunt podagrae aliorſum tranſlatae caſus: unus eſt affectus in collo veſicae, dolorem, ſtrangiuriam, et catarrhum veſicae inducens; alter eſt affectus inteſtini recti, qui ſubinde in hac parte ſola dolorem ciet, ſubinde etiam ſymptomata haemorrhoidalia producit. Tales utique affectiones in podagricis cum articulorum inflammatione alternantes vidi. Utrum vero podagrae retrogradae, an potius aberranti tribui debeant, non auſim determinare.

" In primo caſu, cui nomen *podagrae atonicae* datur, curatio perficitur evitando ſtudioſe cauſas omnes, quae corpus debilitant, eodemque tempore adminiſtrando ea, quae univerſum corpus imprimiſque ventriculum roborant.

" Ut corpus univerſum firmetur, frequens equitatio et ambulatio moderata maxime ſunt commendabiles. Balneum quoque frigidum eidem ſcopo reſpondet, ac tuto adhibetur, modo appareat corpus ſub ejus uſu potenter ſtimulari; neque permittatur, dum extremae corporis partes doloribus tentari incipiunt.

" Ut

" Ut tonus corporis in universum fulciatur, quando podagra atonica impendet, e re est, cibi animalis aliquid concedere, ac vegetabilia nimis acescentia vetare. Atque etiam vinum in hoc casu subinde necessarium est; sed modicum dari oportet, et ejus generis, quod minime acescat. Quod si omnia vini genera acorem stomachi augere deprehendantur, expedit, spiritus ardentes aqua temperatos adhibere.

" Ad confirmandum stomachum licet amara et corticem Peruvianum administrare, ea tamen cautione, ne assidue ad longum tempus adhibeantur.

" Medicamentum ventriculo firmando aptissimum est ferrum, quod variis sub formis recte dari potest; sed mihi tamen caeteris martialibus praestantior esse videtur rubigo subtiliter pulverata, quam liberalissimis dosibus exhibere licet.

" Ut tonus ventriculi fulciatur, aromatica dari possunt; sed horum tamen usus circumspectionem postulat; quoniam si frequens et liberalis conceditur, facile effectum contrarium edere potest. Ideoque in universum permitti non debet, nisi vel antegressae consuetudini vel symptomatibus praesentibus succurrendum sit.

" Si ventriculus cruditati obnoxius est, convenit leniora emetica frequenter dari; pariterque ad praecavendam vel removendam alvi adstrictionem apta cathartica semper adhiberi debent.

" Sub podagra atonica vel in hominibus eidem obnoxiis maxime curandum est, ut frigus evitetur; cui quidem scopo nihil melius respondet, quam ut aeger hiemem in regione calidiore transigat.

" Si graviores sunt podagrae atonicae casus, vesicatoria artubus inferioribus adhibita prodesse possunt; quod tamen remedium, ubi dolor extremis partibus minatur, vitari debet. Neque alienum est, in hominibus atonicae podagrae obnoxiis fonticulos ad extremas partes excitare, quippe qui vicem ipsius morbi quodammodo supplent.

" Altera podagrae irregularis species est, quam *retrocedentem* vel *retrogradam* diximus.

" Haec si stomachum et intestina afficit, protinus succurrendum est dato liberaliter vino generoso, eoque aromaticis additis calefacto; quae si non satis valida sint, oportet ad spiritus ardentes venire et hos etiam larga manu dare. Ubi impetus morbi non valde vehemens est, spiritus ardens allio vel asa foetida impraegnatus, quin, misso spiritu, sola asae foetidae solutio, in volatili alcali facta, satisfaciunt. Opiata saepe promptum auxilium ferunt, eaque vel aromaticis, ut in electuario thebaico, vel alcali volatili et camphora jungi uti-

liter poſſunt. Moſchum quoque in hoc morbo profuiſſe conſtat.

" Si affectionem ventriculi comitatur vomitus, hic initio promovendus eſt hauſtu vini calidi, primum aqua temperati, dein meri, per vices ſumpto ; tandemque ſi res poſtulat, deveniendum eſt ad medicamentum aliquod ex iis, quae modo memoravi, imprimis ad opiata.

" Pariter, ſi inteſtina diarrhoeam patiantur, convenit hanc primo incitare liberali uſu tenuioris juſculi ; deinde, ubi ſatis elota ſunt inteſtina, turbas datis opiatis compeſcere.

" Si forte podagra retrocedens pulmones occupet, et aſthma producat, hujus curatio fit opiatis et antiſpaſmodicis. Neque aliena forte ſunt veſicatoria pectori aut tergo impoſita.

" Quando podagra relictis partibus extremis caput impetit, et dolorem, vertigines, apoplexiam vel paralyſin producit, tunc artis auxilia valde incerta ſunt. Remedium caeteris probabilius eſt veſicatio capitis ; atque ipſis etiam partibus extremis, ſi a podagra omnino deſertae ſint, veſicatoria applicare convenit. Eodemque tempore aromatica et alcali volatile in ſtomachum dari poſſunt.

" Tertia podagrae irregularis ſpecies eſt, quam *aberrantem* vel *deviam* nomino (*miſplaced gout*), cum ſcilicet inflammatio arthritica non in artus corporis, ut debet, erumpit, ſed partem quamdam internam occupat. In tali caſu oportet morbum venaeſectione et caeteris remediis, quae idiopathicae ejuſdem partis inflammationi conveniunt, tractari.

" Utrum frequens illa tranſlatio, ab extremis partibus ad renes fieri ſolita, exemplum aberrantis podagrae haberi debeat, valde, ut ante diximus, incertum videtur. Ego tamen malim credere, rem prorſus diverſam eſſe ; ideoque exiſtimo, in *Nephralgia calculoſa*, quae hoc in caſu producitur, remedia contra inflammationem non debere ultra eam adhiberi menſuram, quae in eodem morbo, ex cauſis a podagra diverſis nato, interdum neceſſaria eſt."

Ill. Cull. Prim. Lin.

DE

# DE RHEUMATISMO CHRONICO.

*AUCTORE RICARDO COWLING.*

## DEFINITIO.

MALUM apyrexiale; dolor articulis infixus, fere semper coxarum et lumborum, motu, calore, et frigore auctus; sine ulla rubedine, aut tumore, comitantibus, tantum algore, pallore, et partis ariditate.

## HISTORIA.

Rheumatismus chronicus acuti rheumatismi semper est assecla, qui, in gradu violento, et longa duratione, obtinuit, et fere semper lumbaginem et ischiadem sciaticamve acutam consequitur, cum hae diuturnae, violentae, et pertinaces, incurabiles, aut neglectae fuerunt: Pars affecta sensui frigida et arida est; pallida videtur, tam ipsi aegro quam circumstantibus; pallidum colorem, frigus, et ariditatem, obtinere, nec perspirare videtur, quantumvis reliquum corpus sudore affluit. Junctura debilis est, nec motui obtemperat; quendam etiam torporem patitur, et constrictione, motu nimis accelerato, dolor ingravescit; magno calore in lecto praesertim admoto, et repentinis coeli et tempestatum mutationibus. Nulla adest febris, nulla phlegmasia, nec functionum laesio; in parte tantummodo affecta, et membris eidem adnexis, morbo praevalente. Hic morbus raro naturali et spontanea crisi terminatur; nec proprie genus est ordinis phlegmasiae.

## DIAGNOSIS.

Rheumatismus chronicus ab acuto hinc secernitur, quod ille symptomatibus pyrexiae et phlegmasiae vacent; acutus vero rheumatismus, ab universali inflammatoria diathesi ortum ducit: Pars laborans saepe saepius inflammata et tumefacta videtur. In rheumatismo chronico detumescentia apparet; pallor et frigiditas partis adsunt. In acuto rheumatismo plures simul articuli afficiuntur, et dolor saepissime transit ex uno in alterum articulum. Rheumatismus chronicus ab arthritide hinc secernitur, quod prior, cum ventriculi affectionibus aut ductus alimentarii malis adsociatur, nec pridie ante

morbi

morbi aggreſſum appetitus ſolito avidior eſt. Haec autem omnia in arthritide locum habent. Arthritis minores articulos aggreditur, ut manuum et pedis digitos; rheumatiſmus vero majores, ut lumbos et coxendicem; arthritidem febris comitatur; rheumatiſmus chronicus febre eſt immunis; in arthritide, dolor ſaepiſſime transfertur ex uno pedis pollice ad alterum, et ex uno manus pollice ad alterum, et a ventriculo ad eoſdem articulos ſaepe revertitur, et vice verſa: In arthritide, pars laborans plerumque tumeſcit et rubeſcit; in rheumatiſmo vero, in pallorem collabitur.

## PROGNOSIS.

Hoc malum ſaepe pertinacis nonnunquam etiam inſanabilis naturae; raro periculum adfert; ſemper autem doloriferis et moleſtis affectionibus ſtipatur. Per aliquot menſes, ſaepe per annos integros, durat; aliquando etiam, per totius vitae ſpatium, ſaepius ſenes et debiles, laceſſit, eoſque inſequitur; raro juvenes robuſtos et vigentes. Reſolutione plerumque terminatur, nunquam ſuppuratione, rariſſime gangraena, interdum vero paralyſi articuli et membri cui affigitur, et, in nonnullis caſibus, articulorum anchyloſi *.

## CAUSAE REMOTAE.

Sunt magna excitatio; actio violenta; longa, et continua ſupra modum extenſio; conſtrictio permanens vaſorum ad partem pertinentium. *Magna excitatio*, ſeu aucta mobilitas et vis fluidi nervoſi, in acuto rheumatiſmo obtinet. Omnes excitationes conſequitur collapſus aut mobilitatis defectus, in vi nervoſi fluidi in partem ſpectantis uſu compertum eſt, in deſideriis violentis, cum iis factum ſit ſatis, praeſertim poſt coitum, ut Ariſtoteles profert, "omne animal poſt coitum triſte," poſt potum, et caeteras violentas exercitationes. *Nimia diſtenſio diu protracta*: Fibrae muſculares, in genere, alternas habent contractiones et relaxationes; ideoque ſubitis caſibus ſaepe diſtrahuntur, et nimia diſtenſione ſolitum tonum vix recuperant, ut videre liceat in membris extortis, et in dyſpepſia, a nimia diſtenſione fibrarum ventriculi, a nimio cibo, inducta. *Immodica actio*: In phrenitide actionem auctam ſaepe conſequitur fatuitas, et in perpneumonia actio etiam aucta et diſtenſio conſequitur, quo fit, ut pulmones relaxati ſerum ſanguinis effundunt in tanta copia, ut hydrothoracem inducere. *Conſtrictione vaſorum permanente*, et ſolita

* Vide Tom. I. p. 246.

elaſticitate

elaſticitate et flexibilitate amiſſa; hinc porro, rigiditate adveniente non ulterius ut antea cedunt fluidis, impetu ſanguinis accelerato, et ipſius mole diſtenſa, et a calore aucta, unde diſtenſa vaſa, tam mole quam aucta actione, ultra modum diſtenduntur, et in atoniae ſtatum declinant.

## RATIO SYMPTOMATUM.

Frigus et pallor partis, ab imbecilliori animalis facultatis vi, oriuntur, lentiori ſanguinis impetui et vaſorum diametro imminuto recte tribuuntur, quo non admittunt ſolitam et debitam rubrarum ſanguinis particularum quantitatem: Aridiras partis hinc oritur ab imminuto ſanguinis impulſu et exhalentium conſtrictione.

Debilitas et torpor huic cauſae tribuuntur; vis animalis et ſolitus ſanguinis impetus aegre incipiat ab aucta actione in rheumatiſmo acuto, ut ſedativo et relaxante operante.

Dolor inde exoritur, quod fibrae muſculares, priori earum elaſticitate amiſſa, et morbida quadam rigiditate ſuperveniente, ſanguinis motui, diametro imminuto, ut antea, non cedunt, hinc fibris diſtractis dolor ſuccedit.

Doloris incrementum, a motu et calore applicato, hinc proficiſcitur, quod ſanguinis impetus in primo acceleretur; in poſteriori vero ſanguinis volumen per rarefactionem explicetur. Hoc fit in partibus ſpaſmodica conſtrictione contentis, quae, ut antea diſtenſioni non cedunt; hinc dolor augetur; nam, dum partes aliquo modo flecti poſſunt, ſine dolore flectuntur, ut fit in muſculorum contractionibus in ſano corpore; contra, in pedum clavis, in cicatricibus, et in callis diu permanentibus, partes ſolita elaſticitate privatae morbidam rigiditatem contraxerunt, et in conſtricto ſtatu tenentur. Dum applicato calore aut mutato coelo fluida fiunt rariora, incumbentis aëris pondus imminuitur; unde partes diſtenduntur, et, fibris diſtractis, dolor augetur.

## CAUSA PROXIMA.

Hanc jure credimus, ſpaſmodicam atoniam fibrarum, tendinum, arteriarum et muſculorum partis, complecti *. Hoc infertur a cauſis, ſymptomatibus, diſſectionibus, et medela. A cauſis, quia, acuto rheumatiſmo chronicum ſemper antecedente,

* Phaenomena rheumatiſmi mere chronici mihi perſuadent, cauſam ejus proximam eſſe atoniam tam in vaſis ſanguiferis quam in fibris muſcularibus partis affectae, nec tamen ſimplicem, ſed comitatam aliqua fibrarum rigiditate et contractione, quae quippe frequenter cum atonia conjunctae ſunt.
Cull. Pr. Lin. Beerenbroek.

et

et partes ſuperius memoratas inflammatione invadente; ex acuto rheumatiſmo praeter naturam ſyſtematis tono, et tenſione aucta, et ſanguinis congeſtione in his vaſis facta; a collapſu inordinatum excitamentum ſubſequente; ab acuto rheumatiſmo inſanabili, neglecto, et in gradu violento, aut per longum tempus protracto; quae omnia minimam extenſionem ſemper inducunt, quam adaequata relaxatio et atonia partis ſubſequitur; cum chronicus rheumatiſmus acutum hujuſmodi ſemper ſubſequitur, a communi intentione tendinum diu continuata, quae naturam chronici rheumatiſmi ſibi vindicat, et eandem medelae rationem; denique, bene noto ex Hoffmanni aphoriſmo, "atonia gignit ſpaſmos." Cum atonia ſimplici partium elaſticitati non obſit, ſed vi animali orbata ſit, in conſtrictionis ſtatum delabitur; nam vis inſita muſculis adeſt, quae, ſubmota facultate diſtendente, nempe ſanguine, ſeſe contrahit. *Signis*; cum pars frigida et pallida videtur, quod manifeſte oſtendit ſoliti toni et vigoris imminutionem; calor enim et rubedo, ut vigor, ſe habent, frigus et pallor, ut atonia; pulſu valido et celeri, eo major calor et rubedo erit; pulſu debili et lento, eo minor calor et rubedo; ex eo autem quod pallor ſyncopi et timori interveniat, quae atoniae et debilitati cauſam validam praebent, et ſpaſmodicae etiam conſtrictiones hanc debilitatem ſubſequentes, a membri vi manifeſta amiſſa. Ariditas autem et conſtrictio partis haud perſpirans, etiamſi corpus ſudore affluat, ſpaſmodicam partis affectionem denotat. *A cadaverum ſectione*, in innumeris violentorum et inſanabilium rheumatiſmorum obeuntibus, in conſpectum advenit viſcidum glutinoſum fluidum, et partis flacciditas; illud atoniam abſorbentium, haec ſolidorum partis in genere, oſtendit. Denique, *medendi ratione*, quae iis conſtat remediis tono reſtituendo idoneis, pariter conſtrictionibus obviam eundo; prioris generis ſunt frictio, electricitas, et cauterizatio; poſterioris, ea quae conſtrictioni occurrunt, ut balneum calidum, Doveri pulvis, et veſicatoria.

Cotunnius ſententiam ſtabilivit, quam etiam Van Swietenius adoptavit a noſtra longe diverſam; cum vero parum hujus factis fidei adhibeamus, nihil mirum ſi etiam ejus concluſiones rejiciamus.

## METHODUS MEDENDI.

Ab omnibus phaenomenis praemiſſis, nobis concludere licebit, pathologiam hujuſce morbi in ſpaſmodica conſtrictione, cum atonia partis conjuncta, conſtare; ideoque hae duae indicationes ſeſe offerunt.

1. Atoniam

I. Atoniam tollere, tonumque et vigorem parti reddere.
  1. Medicamentis internis.
    A. In corpus totum in genere.
      a. Stimulantibus.
        1. Oleo terebinthinae.
        2. Gummi guaiaco.
        3. Cortice Peruviano.
  2. Remediis externis.
    A. In ſyſtema totum in univerſum.
      a. Electricitate.
      b. Exercitio.
      c. Balneo frigido.
    B. In partem ſingularem.
      a. Frictione.
      b. Lavatione frigida.
      c. Cauterizatione.

II. Spaſmodicam conſtrictionem partis removere.
  1. Medicinis internis.
    A. Antiſpaſmodicis.
      a. Doveri pulvere.
      b. Hydrargyro.
  2. Auxiliis externis.
    A. In corpus integrum in genere.
      a. Balneo calido.
      b. Epiſpaſticis.
    B. In partem.
      a. Fomentationibus.
      b. Vaporibus.
      c. Linimentis.

I. *Atoniam tollere*, &c. * *Oleum terebinthinae* validus eſt ſtimulus, oleo ſubtiliſſimo potitur, totum corpus pervadit, et cito diffunditur, calorem ſudoremque facit. Pitcarnius et Cheyneus drachmas pro doſi duas, hoc in malo, adhibuerunt, ſummiſque effectibus, ſi fides verbis Cheynei habeatur †.

*Gummi guaiacum.* Celeberrimus noſter Cullenus in medium protulit, terebinthinam hujus, aeque ac omnium terebinthinarum rerum, conſtituere baſin. Tinctura ‡ attamen guaiacina volatilis, majore vi ſtimulanti pollens, maximeque ad cutem fluida propellere aptâ, omnes hujus remedii praeparationes

* Cel. Home hoc cum melle ſub forma linctus in ſciatica multum commendat Vide Clin. Exp.

† Sinapi album, ut in paralyſi, p. 211. adhibitum, a quibuſdam multum commendatur.

‡ Hujus ſeu elixir pharm. Edin. ſemuncia cum mucilagine gummi Arabici bis de die nunc dari, et optimos effectus edere ſolet. Vide Duncan's Caſes.

antecedit, et haud raro hoc in casu optimos edidit effectus; si opium huic copularetur, majori certitudine ad corporis superficiem dirigetur, vique antispasmodica, propriae suae stimulanti potestati, adsociata, felicissimi eventus exspectandi sunt *.

*Cortex Peruvianus*, ex adstringenti, amara, et aromatica vi conflatur, cunctisque aliis tonicis internis merito praestat; hoc medicamen solidum simplex condensat, vigoremque ejus auget, finem morbis in debilitatem pendentibus ponit, sicut intermittentibus, gangraenae, similibusque morbis, multosque rheumatismos chronicos sanavit. Electricitas omnibus stimulantibus palmam longe praeripit; totum corpus excitat, pervaditque; actionem cordis arteriarumque celeriorem facit; incrementum perspirationi dat; urinam movit; alvum solvit; auri adpositа secretionem cerae exsudare, oculis lachrymas fluere, et linguae fluxionem salivae compellit. Cullenus inquit, se, concussione electricitatis, membris paralyticis cohibita, contractiones involuntarias edere, et membrum flexilius et mobilius reddere. Electricitas valde frequens, pristinum tonum et plenitudinem membris atrophicis restituit; tetanos quatuor mensibus existentes, paralyses et rheumatismos chronicos multis annis perstantes, curavit, usumque modico gradu, longo pro tempore, et haud raris in vicibus, adhiberi omnino necessarium est. De Haen etenim multos paralysis sanavit casus, in applicatione ejus quatuor aut quinque mensibus perstando, quum usus ejus spatio unius vel duorum mensium non minimum etiam boni edidit.

*Exercitium*, prout ambulatio, navigatio, et equitatio. Equitatio, ut dictum est, summa in hoc morbo beneficia secum protrahit; exercitii omne genus corporis fluida ad superficiem promovit, sustentatque, corpus stimulat, impetum sanguinis auget, plurimasque excretiones accelerat.

*Balneum frigidum*, solidum simplex condensat roboratque, tonum fibrae motrici promittit: Si longo pro tempore magnoque in gradu adhibeatur, hoc medicamen sedativum evadat; si vero brevi tantum spatio, minimoque in gradu, stimulus fit. Homines hoc remedium tria stadia utentes percurrunt; frigidum, nempe, calidum, et sudatorium; primum horrore, rigore, et pallore, alterum rubore, calore, stipatur; tertium perspirationem madoremque socios sibi adjungit. Horum

* Rhododendro chrysanthemo Lin. in hoc morbo aliqui nuper uti coeperunt. Infusi aut pulveris forma dari solet. Hujus, licet in valetudinario publico parcius adhibitum aliquando prodesse videatur, grana tamen xv quotidie per septimanam frustra data sunt. Illius, etiam cum drachmis tribus facti, usus in Nosocomio regio nihil valuisse videtur. Vide Home's Clin. Exp.

postremum

poſtremum ſumma conſtantia intentius reddi debet; hoc autem fit poſt balnei uſum, inter pannos laneos aegrotum ponendo, et dein aliquid fluidum ſicut Anglice *negus* bibendo. Joannes Floyer Eques homines multos uſu balnei frigidi ſanavit.

*Frictio*, aut ſcopula cutis adhibita, aut panno laneo, plerumque perficitur. Frictio etiamque elaſticitatem ſolidi ſimplicis, tonumque fibrae motricis auget, motum ſanguinis in valis partis accelerat, tenſionem tonumque iis dat, humores ubique diſponit, ſpaſmo obviam it; frictio ideoque ad hunc morbum depellendum, ad tonum recuperandum, et ad ſpaſmum ſolvendum, maxime accommodatur.

*Lavatio frigida* tanto melior erit, quanto applicatio ejus membro major fuerit. Nam quo major vis adhibetur, eo validior evadit ſtimulus, ſicut in antliatione; etenim et pondus et vis aquae hac in forma adhibitae maxime conferunt ad ſtimulum, ab frigore ejus profluentem, intendere. Agricolae nonnulli, quum hoc morbo cruciantur, haud raro membrum aegrotans magnae aquae moli e cataractis, cum naturalibus tum factis, exponunt, prout cataractis e rupibus piſtriniſque ruentibus, fauſtiſque nonnunquam cum eventibus; hujus aeque ac balnei frigidi uſus longo pro tempore proſequi debet. Si autem ſtimulantes ejus applicationem ſtatim effectus ſequuntur, et ſi ſudor ſuperaddi poterit, efficacius ſeſe haberet; hocque fiat laneis calidis tegendo, hauſtuſque tepidos frequenter dando.

*Cauterizatio.*—Cauterium, tam actuale quam potentiale, hoc in morbo, ab antiquis haud raro fauſtis cum eventibus adhiberi ſolitum eſt; ut ſtimulans, ni fallimur, omnino agit.

II. *Spaſmodicam conſtrictionem loci removere.*—Hoc in morbo ſummis cum effectibus uſus eſt pulvis Doveri.

*Hydrargyrus*, et vi ſtimulante et poteſtate antiſpaſmodica potiri videtur; interne enim aſſumpto hoc medicamine, modo ventriculum vomitioni ſtimulat, modo inteſtina purgationi excitat; aliiſque in caſibus, in diaphoretica et ſudorifica vi gaudere ſeſe oſtendit, omneſque excretiones agit. Seſe habere antiſpaſmodicam vim, haec effatim probant; plurimoſque tetanos, hepatitides, chronicoſque rheumatiſmos profligavit. Mercurius corroſivus ſublimatus, ut corpori toti magis ſtimulans, magis ejus in operatione diffuſus, magiſque per cutem pertranſire ſolitus, anteponendus eſt.

*Balneum calidum* bonum offert ſeſe remedium; ſolidum enim ſimplex laxius reddit, fibram motricem excitat, calorque ejus molem ſanguinis auget; ad ſpaſmum ſuperandum valde

adaptatur; humiditas ejus non minus efficacem eundem edere effectum sese habet.

*Epispastica.* Quae maxima cum vi stimulanti, tum praecipue vero vi antispasmodica, sicut ranunculus pratensis, semen sinapi, vi eorum antispasmodica, et potestate stimulanti; haec spasmum partis solvit, illa tonum parti reddit: praeterea maximo cum fructu, Boerhaavius, Van Swietenius, et Storkius iis usi sunt. Fotus ut balneum calidum agunt, quum sunt adpositi, spatio unius vel duarum horarum in usu ejus perstare omnino necessarium est.

*Balneum vaporiferum* eosdem effectus, ut supra, habet; Van Swietenius gravi quidem vultu se vaporibus ab infusione herbae thymi exsurgentibus, dum ischiade laborabat, se ipsum sanasse, affirmat. Observandum autem est, impraegnationes revera ullas nullo praetio aestimari debere. Etenim bonae earum vires ex potestatibus stimulantibus caloris, et antispasmodicis, humiditatis earum, conflantur.

*Linimenta.* Linimentum volatile, quum in loco aliquo teritur, tum ruborem calorenique excitat, actioni arteriis incrementum dat, spasmumque eodem tepmore solvit. Oleum camphorae, oleum camphoratum, balsamum anodynum, ipsamque muriam salis, etiamque hoc in malo non sine fructu adhiberi dictum est, ut stimulantia et antispasmodica sese habent *.

* Acidum vitriolicum sub forma linimenti cum axungia porcina oleove olivarum conjunctum summo cum commodo in valetudinario publico saepe adhibetur.

TOMI SECUNDI FINIS.